







~~7a-2-14~~

3  
28-66



R. P.  
GASPARIS HVRTADO  
E SOCIETATE IESV THEOLOGI  
TRACTATUS  
DE  
SACRAMENTIS  
ET  
CENSVRIS.





i 11507039

ORDEN DE LA  
CASA DE  
LA REINA  
CATEDRAL DE  
S. MARTIN





*Del Colegio de la Comp. de S. de Granada*

TRACTATUS

R. 8693

BB

DE

*Compu. de S. Pedro  
de Montenegro*

BL BL

SACRAMENTIS

ET

CENSURIS

AUCTORE

P. GASPARE HVRTADO

MONDEJARENSI,

E Societate IESV Doctore Theologo Complutensi, &  
Supremæ S. Generalis Inquisitionis Qualificatore;

Olim in Academia Complutensi artium Liberalium publico Pro-  
fessore & Collega D. Ildephonsi, & in Collegio Complutensi  
Societatis IESV primario S. Theologiæ Professore.

*Editio secunda, variè aucta & emendata.*



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI

M. DC. XXXIII.


*Cum Privilegijs Casareo & Regio.*





TRADE MARK  
OF  
SACRAMENTO  
ET  
CHENIERE  
AVOIR  
P. GASPARET  
MONDE MARSEILLE

Le Directeur de la Compagnie  
Supérieure de Commerce  
de la Compagnie de Commerce  
de la Compagnie de Commerce  
de la Compagnie de Commerce



NEW YORK  
PUBLISHED BY  
M. J. G. & Co.  
New York City



DEI  
TER OPT. TER MAX.  
FILIAE, SPONSAE, MATRI  
MARIAE,  
CVIVS DE CASTISSIMIS VISCERIBVS NATVS  
IESVS CHRISTVS,  
QVI RVENTI HVMANO GENERI  
ANTIDOTVM DONAVIT  
SACRAMENTA NOVÆ LEGIS,  
REM SENSIBVS SVBIECTAM  
QVÆ SANCTITATEM SIGNARET ATQ. OPERARETVR,  
QVEIS VTENTES  
VITÆ REDDERET, VIRES MINISTRARET,  
A MORBIS SANARET, DIVA ESCA ROBORARET,  
SPIRITALIVM FILIORVM PARENTES CREARET,  
IMMVNDAM CONIVNCTIONEM SANCTIFICARET,  
IN AGONE VLTIMO CERTATVROS  
OLEO SANCTO DELIBVTOS FIRMARET,  
L. M. D. C. Q.  
HOS EGO MEOS SVDORES INDIGNOS TANTO CONSPECTV  
DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS  
GASPAR HVRTADO  
MINIMÆ SOCIETATIS IESV ALVMNVS MINIMVS,  
PARTÆ SALVTIS ANNO M. DC. XXXIII.  
IDIBVS MAIIS.



# VIRGO DEIPARA,



QVARTVM iam ad aram tuæ clementiæ litaturus venio, sacraturusque meos, quales quales, labores; exantlatos tamen pro ingenioli mei tenuitate. Dum typis Hispanis dedi, lallare infantis tui, non contemnere es visa; cum, moderante te corda legentium, benigno favore errores meos dissimulare procurasti, pusionum vt solent matres.

Et mea, & Hispaniæ nostræ tu mater, almæque nutrix. Vix de Symbolo Apostoli conuenerant, cum tonitruum filius, adoptiuus tui IOANNIS germanus, Iudæis doctrinæ eius tonitrua non ferentibus, in prouinciam sibi abs collegis delegatam Hispaniam venit. Ex tunc tu misericordiarum nostratibus Mater vt fieres, agnato tuo IACOBO visendam te præbuiisti in columna marmorea Cæsaraugustæ; rupeam intemeratamque vt istic futuram fidem Christianam adstrueres, non verbis magis quam hieroglyphico. Quemadmodum marmor, quod oculis cernimus, tot sæcula tulit nihil immutatum: sic fides, quam te adiutrice plantauit IACOBVS, nec hæresis vlla, nec Maurica barbarorum rabies, aut immanis persecutorum tyrannis,



tyrannis, inde potis fuit eradicare. Stat hîc, æternúmque stabit promisso tuo securus, & Dei Filij tui cultus, & in te amor atque veneratio.

Aram tibi viuæ templúmque sacrauit Hispania. Meliori vitâ fruenti (heu quàm nihil, si mea specto!) Filij tui Sacramenta Complutensibus characteribus per me explicata, dicare Hispanus præsumpsi, tamquam communi Matri, & cuius ego omnium indignissimus toties etiam benignitatis vbera expertus.

Limaui iterùm, atque in Belgium ad chalcographorum principem Balthasarem Moretum, Plantinianæ virtutis industriæque heredem, transmisi. Circumspexi, num & istic tua vestigia cernerem, vbi nuper impia nouitas, & noua impietas, Mariomastigas Auerni è specu produxit. Veterum monumentorum memoriam vltimam reuoluens, inueni MATERNVM, quem PETRVS Apostolus ad Belgas destinavit; mortuúmque, & quadraginta dies sepultum apud Alsatios, Argentoratensi in agro, scipione Româ misso, ad vitam reuocauit; Tungris, anno post partum tuum circiter nonagesimo, diuo tuo nomini templum sacrauisse, támque tenerum in te affectum instillasse, vt vulgi idiomate alio te nomine non compellent Belgæ, quàm NOSTRA CHARA DOMINA. Tungrorum horum priscis in limitibus est Antuerpia,



uerpia, vbi luci dandum, quod oblaturus venio. Vicinorum proto-Apostoli, SIAGRIVS Cameracensium, PIATVS Neruiorum, DIOGENES Atrebatium, primorum in Belgio Episcopatuum fundatores, se suosque tibi obnoxios voluere: adeo vt non minus Belgium quam Hispania tuum sit; eandem Dominam agnoscat post Deum in caelis, quemadmodum eundem in terris Regem. Hinc dubitandum non fuit, cuius tutelae subiicerem. Accipe igitur, foue, protege ingenioli mei fetum. Quod in eo bonum, tuum esto: quod malum, omne meum permaneto, inexhaustae bonitatis tuae lympham purgandum.





R. P.

GASPARIS HVRTADO

DOCTORIS THEOLOGI E SOC. IESV

D E

SACRAMENTIS

TOMVS PRIMVS,

COMPLECTENS TRACTATVS

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

BAPTISMO, CONFIRMATIONE,

POENITENTIA, ET EXTREMA VNCTIONE.







3

F A C U L T A S  
P R O V I N C I A L I S .

**E**Go Franciscus Aguado, Societatis IESV in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Mutio Vitelleschi, Præposito Generali, facultatem facio, vt Tomus primus de Sacramentis, Auctore Patre Gaspare Hurtado Mondexarensi, nostræ Societatis Doctore Theologo, & eiusdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matrili in nostro Imperiali Collegio die nona Iulij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo octauo.

*Franciscus Aguado.*

---

L I C E N C I A .

**N**Os el Licenciado D. Fernando de Ballesteros y Saauedra, Vicario General en la Audiencia y Corte Arçobispal desta villa de Alcalá, y de todo el Arçobispado de Toledo, por su Alteza el Serenissimo Cardenal Infante de España, por la presente damos licencia al Padre Doctor Gaspar Hurtado, en quanto à nos toca, Religioso de la Compañia de IESVS, Lector de Theologia en el Collegio de la Compañia desta dicha villa, para que en ella y en otra qualquiera parte de todo este dicho Arçobispado, pueda imprimir vn libro, intitulado, Tractatus de Sacramentis in genere, Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, y Extrema vnctione, atento nos consta por la censura del señor Doctor Pedro de Celada, à quien fue remitido, le viesse y examinasse, no hauer en el cosa contra nuestra santa Fè Catolica, y buenas costumbres, y ser vtil y prouechofo y muy docto. Dada en Alcalá en veinte y seys de Junio de mil y seiscientos y veinte y ocho años.

*D. Fernando de Ballesteros  
y Saauedra.*

Por su mandado.  
*Diego Lopez de Olibares.*



## C E N S V R A.

**T**Ractatus de Sacramentis in genere, Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema Vnctione, à P. Doctore Gaspare Hurtado conscriptos, iussu D. Licentiati Dom. Ferdinandi de Vallesteros & Saavedra, in hac Complutensi Archiepiscopali Curia Generalis Vicarij, &c. diligens & attentus legi, nec quidquam in eis reperi, non è Catholica Fide, & bonis fidelium moribus. Admiror viri acumen, quo abstrusiora Theologiæ adyta penetrans, sapientiæ gazas plena manu dat doctis, dat perspicuus tyronibus, dat felix omnibus; implexos huc vsque difficultatum nodos extricat facili explicatione. Suspiciant alij sententiarum delectum, robur in probando, modestiam in refellendo, (quod in re Theologica maximè faciendum est) ego verò admiror strictam verbis ac rebus diffusam valdè, & succi plenam tractandi methodum, quæ gloria huius Auctoris est. Multa breuè amplectitur, diuinæ Theologiæ pretiosos thesauros vno verbo dat affatim. De hoc Auctore, non de suo Phocione, videtur mihi dixisse Plutarchus: *Animaduertit idem orationi conuenire quod nummis; qui eò sunt pretiosiores, quò in minori materia plus valoris ac pretij amplectuntur: sic optimum videtur orationis genus, quo paucis multa sunt grauius, sapienter acuteque significata.* hæc ille, hæc iste præstitit. Ergo res exigit, vt ad communem vtilitatem quàm primum euulgetur. Compluti die x x v i. Iunij, anno Domini M. DC. XXVIII.

*D. Pedro de Celada Silua.*

## C E N S V R A.

**D**isputationes & Controuersias de Sacramentis in genere, Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema Vnctione, quas P. Gaspar Hurtado Societatis I E S V in Complutensi Academia Doctor primarius, in lucem edere conatur, supremi Senatus iussu magna animi voluptate perlegi; & aliis huius Magistri operibus excitatus, in eis nihil Fidei, Sacrorum Conciliorum integritati, sanctorum Patrum consensui, piis moribus repugnans, sed potius opus politum, ex lapidibus quadratis confectum reperi. Auctor hic meritò Magister sententiarum nuncupari debet; siquidem non plura, sed plurima vno verbo complectitur: quapropter Opus hoc typis mandari debere, & animum Auctoris ad vltiora progredientem inducere iudicauit. In quorum fidem subscripsi in Ecclesia parochiali S. Genesij Matritensi, VII. Calend. Octobris, anno Domini M. DC. XXVIII.

*D. Ioseph de Argaiç.*

TRA-



5

# TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De natura & essentia Sacramenti.

#### DIFFICULTAS PRIMA.

*Vtrum usus nominis SACRAMENTVM, qui est  
apud Catholicos, sit rectus.*



**H**ÆRETICI nostri temporis Catholicos irrident, quia nomine *Sacramentum* vtuntur pro signo sanctitatis & gratiæ; quia significatio hæc est noua, & minimè in Scriptura re-  
perta.

Catholici tamen nomine *Sacramentum* pro signo sanctitatis rectè vtuntur; quia nomen *Sacramentum*, quod in Scriptura accipitur pro signo rei occultæ, præsertim sacræ, vt Daniel. 2. & ad Ephes. 5. aptè accommodant ad significandam rem significantem gratiam & sanctitatem quæ est occulta & sacra. Quòd autem nouiter accommodent nomen *Sacramentum* ad gratiam & sanctitatem significantam, non est irrisione, sed laude dignum; quia res ipsa per illud significata, nempe res significans sanctitatem & gratiam, etiam fuit à Deo nouiter ad id instituta.

Nomine autem *Sacramentum* in dicta acceptio-  
ne Catholicorum vtuntur Tertullianus lib. de  
Præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 16. Cy-  
prius lib. 3. Epistola 43. Lactantius lib. 4. Di-  
uinarum institutionum, cap. 17. Hieronymus in  
cap. 44. Ezech. Augustinus Epist. 118. Victor Pa-  
pa Epist. 2. Anastasius II. Epist. ad Anast. cap. 8.  
Nicolaus I. in suis Rescriptis, tit. 11. cap. 5. &  
Concilium Lateranense sub Innocentio III. &  
Constantiense, & Florentinum, & Tridentinum.

*Tertul.  
Cypr.  
Lactant.  
Hieron  
August.  
Vict. Pap.  
Anast.  
Nicolaus.  
Conc. Lat.  
Constant.  
Florentin.  
Trident.*

#### DIFFICULTAS II.

*Vtrum Sacramentum definiiri possit.*

**O** Cham & Aliacensis in 4. quæst. 1. & Ga-  
briel dist. 31. q. 1. art. 3. existimant, Sacra-  
mentum definiiri non posse; quibus fauere videretur Aristoteles 7. Metaph. cap. 4. dum soli sub-

*Ocham.  
Aliacensis.  
Gabriel.*

stantiæ definitionem tribuit: & ratione videtur probari, quia Sacramentum non est vnum per se, sed per accidens ex pluribus aggregatum.

Scotus verò in 4. distinct. 1. quæst. 2. Vasquez *Scotus.*  
disput. 128. & communiter Theologi, existimant *Vasquez.*  
Sacramentum definiiri posse; & meritò, quia quamuis Sacramentum coalescat intrinsecè ex rebus diuersorum prædicamentorum, nempe ex significatione Sacramentali, & ex re materiali, cui conuenit dicta significatio (sicut nomen ex voce & significatione) est tamen verè vnum ex illis coalescens, quia coalescit ex illis tamquam ex potentia & ex actû coniuictis & vnitis: ac proinde definiiri potest per vnum genus, eadem proportionem vnum, qua Sacramentum ipsum; & per vnâ differentiam, sicut definiiri potest, & de facto definiitur nomen ab Aristotele 1. de Interpretatione cap. 2.

Quòd verò Sacramentum non sit vnum omnino per se, sed aliquo modo per accidens ex pluribus verè vnitis aggregatum, non obstat vt definiiri possit, cum sit vnum vera vnione eorum ex quibus coalescit, (vt album ex corpore & ex albedine) & non sola temporis continuatione, vt bellum; neque sola loco coniunctione, vt cumulus lapidum; quæ ex defectu vnionis eorum ex quibus coalescunt, non possunt aptè definiiri.

Aristoteles autem vbi supra; dum ait soli substantiæ conuenire definitionem, tantum intelligit primariè; sicut ipsi soli primariè conuenit esse ens, quia accidentia lun enis enia.

#### DIFFICULTAS III.

*Quid sit Sacramentum.*

**S**acramentum variè à Catholicis definiitur, *Magister.*  
Quia in primis Magister in 4. dist. 1. definiit illud, quòd sit, *Inuisibilis gratia visibilis forma, &*



eiusdem gratie similitudinem gerens, & causa existens. Dicitur visibilis, id est, sensibilis, sumpta denominatione à visu, quia est sensus omnium principalissimus.

Hug. Vid.

Secundò, Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis, part. 9. c. 2. definit Sacramentum, quòd sit, *Corporale vel materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine representans, ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem & specialem gratiam.*

S. Thom.

Tertiò, S. Thomas quæst. 60. artic. 2. definit Sacramentum, quòd sit, *Signum rei sacræ sanctificantis nos: subintelligitur formaliter.*

Catechis. Pij V.

Quartò, Theologi Catechismi Pij V. definiunt Sacramentum, quòd sit, *Res sensibus subiecta, quæ ex Dei constitutione, sanctitatis & iustitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet.*

Tandem quintò Sacramentum definiti potest, & à non paucis definitur, quòd sit, *Signum sensibile sanctitatis.* Definitio hæc, quoad rem attinet, conuenit cum definitionibus prædictis: & nobis maximè probatur, quia clariùs quàm illæ explicat naturam Sacramenti in genere; quia illæ aliæ, vel relinquunt aliquid, quod obscure subintelligitur; vel continent aliquid, quod ad rationem Sacramenti est minimè necessarium.

In hac ergo definitione *signum* (quod intelligitur verum indefectibiliter, seu infallibiliter, quantum est ex parte ipsius, nisi ex parte fuscipientis ponatur obex) est genus; aut ponitur pro genere: & in ea additur *sensibile*, quia etiam si possint à Deo institui Sacramenta in actu aliquo interno spiritali, medio quo gratia significetur ipsi habenti eum actum, quia ex eo actu spiritali sic instituto posset illum habens excitari ad deueniendum in notitiam sanctitatis aut gratiæ, quæ ex institutione Dei danda esset; nihilominùs Sacramentis de facto institutis, de quorum natura communi loquimur, conuenit necessariò esse sensibilia, & ratio sensibilis pertinens intrinsecè ad illud materiale adæquatam Sacramenti, cui inest significatio Sacramentalis illi proueniens ex institutione Christi, quia Christus de facto res sensibiles in Sacramenta instituit.

Et quamuis nulla res sensibilis, neque verbum aliquod sensibile possit esse signum sanctitatis indefectibiliter verum (eo modo quo conuenit Sacramentis) nisi ex institutione Dei, vt patet, quamuis in rebus institutis à Christo ad significandam sanctitatem sit proportio aliqua naturalis ad id, (& in verbis ab ipso institutis sit significatio aliqua sanctitatis, illis ex humana institutione proueniens) nihilominùs institutio Dei non exprimitur, imò neque subintelligitur in dicta quinta definitione nobis maximè probata: quia diuina institutio non pertinet intrinsecè ad significationem sanctitatis, quia tantum est quasi causa efficiens, aut forma extrinseca, ex qua rei sensibili & verbo sensibili aduenit Sacramentalis significatio vera sanctitatis: & quia consecratio, quæ inest verbis & rebus à Christo institutis in Sacramenta, nihil aliud est quàm ipsa Sacramentalis significatio sanctitatis, ideò in ea quinta definitione non fit mentio consecrationis sub nomine consecrationis, quia re ipsa exprimitur nomine signi.

In dicta autem quinta definitione particula *sanctitatis*, aut respectus signi sensibilis ad sanctitatem, ponitur pro differentia; quia signum sensibile per respectum & ordinem ad sanctitatem contrahitur ad esse Sacramenti, & distinguitur ab aliis signis sensibilibus, quæ non sunt propriè Sacramenta.

#### DIFFICULTAS IV.

*Quenam sit sanctitas quam Sacramentum significat, & cuius significatione constituitur.*

Sypponimus, sanctitatem esse duplicem, alteram internam animæ & coram Deo, qua efficiamur iusti, & Deo amici, & heredes ipsius; alteram non simpliciter sanctitatem, sed tantum secundum quid, qualis est remotio alicuius impedimenti ad cultum diuinum, & etiam exterior consecratio seu dedicatio ad illum, qualis erat sanctitas legalis, quæ pluribus Sacramentis veteris legis conferebatur, & qualis in noua lege est absolutio ab excommunicatione, & prima tonsura, & professio solemnisis, & consecratio Abatis.

Hoc ergo supposito, difficultas est, Cuius sanctitatis, ex his duabus, significatione constituatur Sacramentum.

Canus Relectione de Sacramentis in genere, *Canus. Bellarm.* par. 1. ad finem, & Bellarminus de Sacramentis, cap. 12. existimant, Sacramentum in communi constitui significatione sanctitatis in communi, prout abstrahit à sanctitate interna & simpliciter, & à sanctitate externa & secundum quid; quia de ratione Sacramenti in communi est, quòd sit signum practicum seu factiuum eius quòd significat, Sacramenta autem veteris legis efficiebant sanctitatem externam & legalem, & Sacramenta nouæ legis sanctitatem internam & coram Deo, & tam vetera quàm noua significabant id quòd efficiebant: ergo ratio Sacramenti, quæ est communis Sacramentis veteribus & nouis, sita est in significatione sanctitatis in communi, abstrahentis ab interna & externa.

S. Thomas verò quæst. 60. artic. 1. & 2. *S. Thomas. Vasquez.* Vasquez disput. 128. cap. 5. & communiter Theologi docent, rationem Sacramenti in genere, seu in communi, sitam esse in significatione sanctitatis internæ & coram Deo, non sanctitatis externæ, neque sanctitatis in communi. Quòd satis indicat Augustinus 19. contra Faustum *August.* cap. 16. dum ad finem, de Sacramentis nouis ait, per ea significari donum spirituale æternum; & antea dixerat, eandem rem per Sacramenta quæ defierunt, (id est, vetera) significari ac per noua: & Eugenius IV. in suo Decreto fidei, *Eugen. IV.* habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, & approbato ab ipso Concilio, dum supponit, antiquis Sacramentis & nouis commune esse significare gratiam seu sanctitatem internam, & inter se differre, quia noua illam significant & causant, antiqua verò tantum illam dandam esse per Christum figurabant, id est significabant.

Et id ratione probatur: quia Sacramentum, quòd in Scriptura accipitur pro signo rei occulta,



cultæ, præsertim sacræ, aptè etiam in stricta acceptione accommodatum fuit signo gratiæ internæ simpliciter sanctificantis, vt diximus Difficultate I. sanctitas autem externa & legalis neque est occulta, quia est externa & legalis, neque simpliciter sanctificans; ergo ratio Sacramenti in communi strictè accepti, de quo nunc loquimur, non consistit in significatione sanctitatis externæ, neque sanctitatis in communi, sed tantum sanctitatis internæ & simpliciter. Et confirmatur: quia si significatio sanctitatis externæ, aut in communi, adhuc practica & factiua illius, sufficeret ad rationem Sacramenti strictè sumpti, verè in hac noua lege gratiæ, præter septem Sacramenta gratiam conferentia, essent admittenda plura alia strictè Sacramenta veteribus similia, vt prima tonsura, consecratio Abbatis, professio solemnisi in Religione, absolutio ab excommunicatione; quia hæc omnia significant & conferunt sanctitatem quamdam externam, imò eam significant & conferunt infallibiliter, quamuis eam non significant & conferant ex institutione Dei, quia ad sanctitatem externam infallibiliter significandam & conferendam sufficit institutio Ecclesiæ; quia sanctitas hæc ab Ecclesia confertur ex ipsius institutione (excepta absolute ab excommunicatione, quæ dimanat ex institutione diuina) & diuina institutio ex eo tantum est necessaria ad rationem Sacramenti; quia ad hanc requiritur vera & infallibilis significatio sanctitatis internæ; ad hanc autem significationem requiritur diuina institutio, quia sanctitas interna ex solius Dei institutione significari & conferri potest.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum ad rationem Sacramenti requiratur, quòd sit signum practicum & factiuum sanctitatis.*

Canus  
Bellarmin.  
Suarez.  
Ægidius.  
Reginal.

Canus & Bellarminus vbi supra, Suarez disp. I. Ægidius quæst. 60. art. 2. dub. I. & Reginaldus lib. 26. cap. I. partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia in Scriptura, quando sermo est de Sacramentis strictè sumptis, rarò dicuntur significare, & frequenter dicuntur consecrare, sanctificare, aut initiare, vt patet Exodi 28. & Leuitici 8. & de Baptismo ad Tit. 3. dicitur, quòd sit lauacrum regenerationis; ergo Sacramento non solum conuenit significare, sed etiam facere. Secundò, quia si ad rationem Sacramenti sufficeret esse signum sanctitatis, non factiuum illius, matrimonium Adami in statu innocentie fuisset strictè Sacramentum, quia significabat mysterium Incarnationis, & gratiam per Christum dandam: imò etiam esus manna, quia significabat Eucharistiam, & gratiam dandam per ipsam: & transitus Maris rubri, quia significabat Baptismum, & gratiam dandam per ipsum.

Auctores tamen huius sententiæ eam diuersimodè defendunt, quia Canus, Bellarminus & Reginaldus existimant, ad rationem Sacramenti requiri, quòd sit factiuum eiusdem sanctitatis cuius est signum; Suarez verò & Ægidius existi-

mant, ad rationem Sacramenti requiri quòd sit signum gratiæ, & sufficere quòd sit factiuum sanctitatis legalis.

S. Thomas verò quæst. 60. art. I. Sotus in 3. dist. I. q. I. art. 2. Vasquez disput. 128. cap. I. & Ochagua quæst. 3. docent, & meritò, ad rationem Sacramenti strictè sumpti sufficere quòd sit signum nudum sanctitatis & gratiæ, absque eo quòd sit factiuum eiusdem, neque alterius: quòd indicat Eugenius IV. in suo Decreto, dum assignans discrimen inter Sacramenta veteris legis & nouæ, ait in eo differre, quòd Sacramenta veteris legis non causabant gratiam, sed tantum illam dandam esse per passionem Christi figurabant; Sacramenta verò nouæ legis illam continent & conferunt. Vbi supponit, ad rationem Sacramenti sufficere, significare sanctitatem, aut de præsentia collatam, aut postea conferendam, & non esse necessarium conferre sanctitatem aliquam, cum rationem genericam Sacramenti in veteribus, & eorum differentiam à nouis, inuenerit in eo tantum, quòd significabant seu figurabant gratiam conferendam, quamuis non ab ipsis.

Et ratione probatur: quia eo ipso, quòd aliquando Sacramentum significat gratiam sanctificantem, absque eo quòd aliquid efficiat, est specialiter Sacramentum distinctum ab omnibus alijs rebus, & mysterijs significantibus alias res sacras distinctas à gratia & sanctitate sanctificantem; ergo ad rationem Sacramenti specialiter & strictè sumpti, sufficit nudè significare gratiam, & non est necessarium eam aut aliud efficere.

Quòd autem in Scripturâ Sacramentis strictè sumptis frequenter tribuatur quòd aliquid efficiat, non conuincit, id requiri ad rationem Sacramenti; quia Scriptura non definit Sacramenta, sed narrat quid efficiant, quamuis efficere non requiratur ad rationem Sacramenti. Et ex eo, quòd ad rationem Sacramenti sufficiat significare gratiam sanctificantem, non fit, ea, quæ ab aduersarijs enumerantur, esse Sacramenta strictè & specialiter sumpta, quia nullum eorum significabat gratiam sanctificantem esse conferendam, etiam si aliqua eorum ob sui naturalem analogiam & proportionem fuerint umbra, & figura, & aliqualis representatio gratiæ: vt transitus Maris rubri, quamuis fuerit umbra & figura Baptismi, & gratiæ seu ablutionis interioris per Baptismum dandæ; & esus manna, quamuis fuerit umbra Eucharistiæ, & gratiæ seu refectionis interioris per illam dandæ; & matrimonium Adami in statu innocentie, quamuis fuerit umbra & figura incarnationis, & gratiæ seu vnionis interioris per Christum dandæ; nullum tamen eorum fuit strictè Sacramentum, quia nullum eorum significabat gratiam conferri, neque conferendam esse, quia non fuerunt à Deo ad id instituta. ex cuius defectu, multa alia non fuerunt strictè Sacramenta, quamuis fuerint figuræ & aliquales representationes gratiæ sanctificantis, vt serpens æneus, & aqua de petra illa fluens.



## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum ad rationem Sacramenti requiratur, quod sit signum demonstratiuum sanctitatis presentis.*

Canus.  
Bellar.  
Valent.  
Seb. Per.

Canus, & Bellarminus vbi supra, Valentia disput. 3. quaest. 1. punct. 1. & Sebastianus Perez Episcopus Oxomensis, quaest. 60. num. 8. docent, ad rationem Sacramenti requiri, quod sit signum demonstratiuum sanctitatis presentis, quae in ipso vltu Sacramenti confertur; & non sufficere quod sit signum prognosticum futurae (quamuis Canus & Bellarminus nomine sanctitatis intelligant sanctitatem in communi, prout abstrahentem à sanctitate interiori, & à sanctitate legali; Valentia & Episcopus Oxomensis sanctitatem interiorem;) quia significatio prognostica sanctitatis futurae, & danda, etiam conueniebat Sacrificijs veteris legis, quia ex diuina institutione significabant Sacrificium cruentum Christi, cuius erant figura & aequalis representatio naturalis, & etiam fructum dandum per illud, & tamen non erant strictè & absolute Sacramenta: ergo ad rationem Sacramenti non sufficit significatio prognostica sanctitatis futurae, sed necessaria est significatio demonstratiua sanctitatis presentis.

Sotus.  
Vasq.

Sotus verò in 4. distinct. 1. quaest. 1. artic. 2. & Vasquez disputat. 128. cap. 5. docent, & merito, ad rationem Sacramenti sufficere, quod sit signum prognosticum gratiae postea dandae, quod supponit Eugenius IV. in 110. Decreto, dum Sacramentis veteris legis (quae supponit fuisse absolute Sacramenta) tantum attribuit, quod significabant gratiam per passionem Christi, tamquam iustitiam ut essent Sacramenta. Et ratio ne probatur; quia eo ipso, quod aliquid signum sit prognosticum infallibile sanctitatis futurae, est speciale signum & sanctitatis sanctificantis, siue ipsum subiectum cui applicatur signum illud, siue alterum subiectum, ergo est specialiter & strictè Sacramentum.

Quod autem significatio prognostica gratiae futurae conueniret Sacrificijs veteris legis, non obstat: quia etiam erant strictè Sacramenta, ut dicemus Disputatione 11. Difficult. 111. quamuis non in quantum Sacrificia; quia erant Sacrificia, quatenus ipsis recognoscebatur Deus auctor vita & mortis: erant verò Sacramenta, quatenus verè & infallibiliter, quantum est ex parte ipsorum (quia ex Dei institutione) significabant gratiam dandam per Sacrificium cruentum, seu passionem Christi, cuius erant figura & umbra naturaliter.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum significatio sanctitatis in Sacramentis sit realis, vel rationis.*

Conueniunt Doctores, significationem Sacramentalem sanctitatis non esse entitatem aliquam realem in se intrinsecam, sed tantum esse quid extrinsecum in se (extrinseca videli-

cet relatio ad sanctitatem) quia ex institutione diuina, ex qua dicta significatio conuenit Sacramentis, nihil potest illis intrinsecum conuenire, sicut neque vocibus ex institutione hominum.

Est tamen difficultas, An dicta significatio, seu relatio extrinseca ad sanctitatem, sit realis ante conceptionem intellectus, an tantum sit ratio- nis, tantum obiectiue existens in intellectu.

Palacios in 4. dist. 1. disp. 1. Suarez disput. 1. sect. 3. & Aegidius q. 60. art. 2. n. 14. docent esse realem; quia Sacramentum, institutione diuina semel facta, verè, nullo intellectu considerante, significat sanctitatem, sicut paries verè à parte rei videtur, ergo.

Scotus verò in 4. distinct. 1. q. 2. Sotus q. 1. art. 1. & Vasquez disput. 128. cap. 4. docent, tantum esse rationis, ab intellectu formatam; & merito: quia ex institutione diuina extrinseca materiae & formae Sacramenti, nihil illis à parte rei seu reale conuenire potest; quia intelligi nequit, à parte rei esse aliquid reale in se pure extrinsecum, pullulans ex aliquo ex se intrinseco ab intrinseco distinctum à parte rei, sed tantum est quid formatum ab intellectu, praesupposita institutione Dei quasi fundamento: sicut intelligi nequit, visum esse in pariete, esse in se aliquid pure extrinsecum reale, conueniens à parte rei parieti à visione existente in visu, ex ipsa visione oriens & pullulans, sed tantum esse quid formatum ab intellectu, praesupposita visione in visu tamquam fundamento: quando enim paries videtur, tantum est à parte rei paries, & visio, & non aliud extrinsecum.

Vnde, sicut paries à parte rei non est formaliter visus ab aliquo tamquam à forma ipsi parieti intrinseca, quia tantum est visus obiectiue, & quasi fundamentaliter à visione, tamquam ab actu, versante extrinsece circa ipsum parietem, & quasi à fundamento; ita etiam materiale adequatum Sacramenti, cui conuenit significatio Sacramentalis, est significans sanctitatem à parte rei, non formaliter ab aliquo tamquam à forma sibi intrinseca, sed tantum fundamentaliter ab institutione diuina tamquam à forma sibi extrinseca, & quasi à fundamento: dicitur autem formaliter significans à significatione formata, & concepta ab intellectu, quasi à forma intrinseca, sicut paries dicitur formaliter visus ab extrinseca denominatione, seu relatione visus ad visionem, formata ab intellectu.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum Sacramentum uniuocè conueniat nouis & veteribus.*

Non pauci neque indocti existimant, Sacramentum analogicè, & non uniuocè conuenire nouis & veteribus Sacramentis (quod etiam in hac Academia Complutensi docuit Doctor Tena Episcopus Tortosæ) quia Sacramenta noua significant gratiam ut conferendam à se ipsis, vetera verò ut conferendam ab alio; ergo significare Sacramenti, seu significatio Sacramentalis, qua ut forma totali constituitur Sacramentum, analogicè conuenit vtrique, sicut



sicut esse seu ens conuenit analogicè Deo & creaturis, ex eo quòd Deus sit ens à se, & creaturæ sint entia ab alio.

Bellar.  
Vasq.  
Suar.  
Ægid.

Bellarminus verò lib. 1. cap. 12. Vasquez disputat. 128. c. 5. Suarez disput. 1. sect. 2. & Ægidius quæst. 60. art. 4. dub. 2. existimant, Sacramentum vniuocè conuenire Sacramentis nouis & veteribus; & meritò: quia significare, seu significatio gratiæ, qua vt forma totali constituitur Sacramentum, vniuocè conuenit vtrisque, quia ex vna parte res significata, nempe gratia, est eadem, quamuis Sacramenta noua eam significant vt præsentem, & vetera vt futuram; & ex altera parte ipsum significare est eiusdem rationis & speciei.

Ad rationem ergo pro aduersariis adductam, concedimus, ens analogicè analogia attributionis conuenire Deo & creaturis, quia Deus est ens à se, & creaturæ sunt entia ab ipso Deo; negamus tamen, Sacramentum analogicè conuenire nouis & veteribus, quamuis noua significant gratiam causandam à se ipsis, & vetera ab alio: quia Deus, ex eo quòd est ens à se, est ens simpliciter, & infinitum, & per essentiam; creaturæ verò, ex eo quòd sunt entia ab ipso Deo, sunt entia per participationem, & imitationem ad Deum infinitum ens, ac proinde per attributionem ad ipsum: Sacramenta verò noua, ex eo quòd sunt signa gratiæ causandæ ab ipsis, non habent quòd sunt signa per essentiam, & infinita simpliciter; Sacramenta verò vetera, quamuis sint signa gratiæ causandæ ab alio, adhuc à Sacramentis nouis, non sunt signa per participationem, & imitationem, & attributionem ad noua.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum omnia Sacramenta nouæ legis perficiantur rebus & verbis.*

Conueniunt Doctores, quinque Sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Extremam Vnctionem, & Ordinem, perfici rebus & verbis, quod est notissimum.

Est tamen difficultas, an etiam Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonij perficiantur rebus & verbis.

*Durandus.* Durandus in 4. dist. 1. quæst. 3. num. 8. partem negatiuam tuetur: quia Sacramentum Pœnitentiæ perficitur solis verbis, nempe verbis pœnitentis, & verbis Sacerdotis absoluentis, absque rebus; & Sacramentum Matrimonij regulariter fit solis verbis vtriusque contrahentis, & aliquando solis nubibus, absque verbis, loco eorum.

*Eugen. IV.* Reliqui tamen Theologi partem affirmatiuam meritò tradunt: quod expressit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, vbi postquam omnia septem Sacramenta enumerauit, ait: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & personâ ministri.* vbi loquitur de rebus & verbis propriè & strictè, quia paulò post, dum instituit sermonem de Matrimonio, ait hoc regulariter fieri per verba; quod addit, quia aliquando fit nubibus. Per verba ergo intelligit propriè & strictè verba, prout distingui-

tur à quocumque, quod etiam possit gerere vicem verborum, ac proinde per res etiam intelligit propriè & strictè res.

Et ratione probatur: quia Sacramentum Pœnitentiæ non tantum perficitur verbis pœnitentis & absoluentis, sed etiam perficitur dolore pœnitentis, qui verè est res; imò confessio pœnitentis aliquando fit nubibus, & non verbis; & semper, etiam quando fit verbis, versatur circa peccata, quæ sunt res, saltem quoad id quod habent à voluntate, & sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ; quibus omnibus accedit satisfactio, qua pœnitentia integraliter perficitur, & est res saltem quoad id quod habet à voluntate. Et id etiam Matrimonio conuenire, facile ostendi potest: quia in primis perficitur rebus, cum in eo corpora contrahentium, & corporum traditiones & acceptationes, sint materia circa quam, sicut aliæ res, & earum traditiones & acceptationes in aliis contractibus: imò aliquando perficitur nubibus absque verbis, quod non contradicit Eugenio IV. in dicto Decreto generaliter dicenti, omnia Sacramenta perfici rebus & verbis, quia id postea restringit, addendo, Matrimonium (id est vinculum Matrimonij) regulariter effici per consensum verbis expressum: quod addidit, quia aliquando efficitur per consensum nubibus, absque verbis, expressum. Vnde id, quod antea dixit, omnia Sacramenta perfici rebus & verbis, verum est regulariter, non quia in aliis Sacramentis à Matrimonio non semper contingat, sed quia in Matrimonio non semper contingit: & idèò quando dixit Eugenius, omnia Sacramenta perfici rebus & verbis, non addidit illam particulam *regulariter*, ne existimaretur eam particulam etiam habere locum in aliis Sacramentis, sed postea tantum, quando loquebatur de Matrimonio.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum Sacramenta noua perficiantur rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma.*

Conueniunt Doctores, Sacramenta noua perfici rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma, vt expressit Eugenius IV. in suo Decreto fidei: res autem dicuntur materia, & verba dicuntur forma in omnibus Sacramentis; in aliquibus, quia assimilantur materiæ & formæ; & in aliis, quia verè sunt materia & forma. Assimilantur autem res materiæ, & verba formæ, in illis Sacramentis ad quæ res & verba intrinsecè pertinent, vt in quinque Sacramentis, excepto Matrimonio, & etiam Eucharistia: & assimilantur in eo, quòd res ob analogiam plura significantes determinantur per verba, quibus coniunguntur, vt simul cum illis significant effectum Sacramentalem, & non aliam rem, vt videre est in infusione aquæ, ob varias qualitates aquæ, humiditatem videlicet & frigiditatem, ex se significante lotionem & refrigerationem mysticas, quæ per verba illa, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. determinatur, vt simul cum verbis non significet refrigerationem, sed lotionem & mundationem spiritualement; res verò & verba sunt



funt vera materia, & vera forma, quando ambo non pertinent intrinsecè ad Sacramentum, quia tunc res sunt materia circa quam, & verba sunt forma quæ circa illas versatur: in Matrimonio enim, quod non constat intrinsecè rebus & verbis, res, nempe corpora contrahentium, aut eorum traditiones & acceptiones, sunt vera materia circa quam, quia circa eas versantur verba experimentia consensum, ac proinde tunc verba simili proportionem sunt vera forma, non intrinsecè constituens Sacramentum, sed quasi extrinseca, quæ circa materiam versatur. Et in Eucharistia, quæ etiam non constat intrinsecè rebus & verbis, res sunt vera materia circa quam, & verba sunt vera forma quæ circa illas versatur, quia verba quibus Eucharistia perficitur, versantur circa panem & vinum, ex quibus etiam perficitur tamquam ex materia circa quam, ac proinde ipsa etiam sunt forma modo dicto, nempe quasi extrinseca ipsi materiæ, imò etiam ipsi Sacramento consistenti in solis speciebus consecratis.

Caic.  
Vasq.

Observandum est, ut optimè Caietanus q. 60. artic. 6. & Vasquez disput. 129. nu. 20. in Sacramento præter significationem vocum, quam habent ex institutione hominum, & præter aliqualem significationem, seu representationem, seu similitudinem naturalem rerum, esse etiam aliam significationem sacramentalem, ex institutione Christi convenientem toti materiali Sacramenti, siue non composito ex materia & forma, ut speciebus Eucharistiæ, & verbis & consensui Matrimonij; siue composito ex rebus ut materia, & ex verbis ut forma, ut in reliquis quinque Sacramentis; & significationem sacramentalem, etiam eam quæ convenit toti materiali, quod est dicto modo compositum, ipsi soli toti materiali composito convenire, non partibus seorsim sumptis, neque essentialibus, neque integralibus homogeneis, quia Christus ipsum solum totum instituit in signum & causam gratiæ. Imò ipsi toti vnam simplicem & indivisibilem significationem convenire, non divisibilem in partes, quarum vna correspondeat vni parti totius materialis, & altera alteri parti: & non solum esse indivisibilem obiectivè, id est respectu gratiæ, quæ est obiectum dictæ significationis; ita ut vna pars totius materialis, siue pars sit essentialis, siue integralis homogenea, non correspondeat vni parti gratiæ, & altera alteri, sed omnes simul toti gratiæ: sed etiam esse indivisibilem formaliter & in se, & quasi subiectivè, ita ut omnibus partibus simul sumptis ipsius totius materialis vna indivisibilis significatio sacramentalis conveniat, quod significationi sacramentali, utpote respectui extrinsecò, siue reali, siue rationis, qui non indiget extendi ad extensionem subiecti, potest optimè quadrare; Christus enim partes ipsius materialis simul sumptas, siue essentielles, siue integrales homogeneas, instituit indivisibiliter in signum & causam totius gratiæ absque divisione aliqua, & correspondentia significationis, & virtutis causandi, non solum respectu gratiæ significatæ, quod est obiectum ipsius significationis, & effectus virtutis Sacramenti, sed etiam respectu partium totius materialis Sacramenti; ac proinde significatio sacramentalis, & virtus causandi conveniens ex institutione Christi ipsi toti materiali Sacramenti, est indivisibiliter in solo ipso toto

materiali, tota in toto, sed non tota in qualibet parte, (neque pars in parte) eo modo quo significatio humana conveniens cuicumque voci ex institutione hominum, convenit indivisibiliter toti voci, & omnibus litteris simul sumptis, & nullo modo partibus seu litteris seorsim. In quo utraque dicta significatio differt ab anima rationali, quæ non solum est tota in toto corpore, sed etiam est tota in qualibet parte corporis.

#### DIFFICULTAS XI.

*Quomodo res & verba, quibus tamquam materia & forma Sacramenta perficiuntur, pertineant ad ipsa Sacramenta.*

Supponimus, Sacramentum esse quoddam compositum, seu coalescens ex significatione sacramentali tamquam ex forma totali, & ex materiali quoddam, quod est subiectum cui inest & convenit dicta significatio; sicut domus componitur ex figura tamquam ex forma totali, & ex materialibus tamquam ex subiecto cui inest & convenit figura illa.

Hoc ergo supposito, difficultas est, quomodo res & verba, quibus totale materiale Sacramenti perficitur tamquam materia & forma, pertineant ad ipsum materiale (ac proinde ad ipsum Sacramentum) an intrinsecè, an verò extrinsecè.

Scotus in 4. dist. 3. & 14. art. 1. docet, in Sacramenti res, quatenus extrinsecè connotant verba, esse partem intrinsecam; non verò ipsa verba, etiam si necessariò connotentur, ut ablationem in Baptismo; quia in artificialibus tota eorum substantia consistit in materia, ut extrinsecè connotante formam, ut sedile in ligno, ut connotante figuram sedilis, & illi soli convenit forma seu figura artificialis sedilis: sed Sacramentum est quoddam artificiatum morale; ergo tota eius substantia consistit in solis rebus, ut extrinsecè connotantibus verba, & illis solis convenit significatio sacramentalis.

Scotus.

Scotus verò in 4. distinct. 3. & 8. & 16. qu. 1. & dist. 14. qu. 4. docet, in Baptismo res & verba esse partes intrinsecas Sacramenti: in Pœnitentia verò sola verba, ut extrinsecè connotantia actus pœnitentis, pertinere intrinsecè ad illam; quia effectus sacramentalis Pœnitentiæ solis verbis absolutio nis, ut extrinsecè connotantibus actus pœnitentiæ, significatur, effectus verò Baptismi rebus & verbis simul; ergo in Pœnitentia solis verbis convenit significatio sacramentalis, & in Baptismo rebus & verbis simul; ergo res & verba in Baptismo intrinsecè pertinent ad totale materiale Baptismi, in Pœnitentia verò sola verba.

Scotus.

Vasquez disp. 129. cap. 3. Suarez disp. 2. sect. 2. Aegidius qu. 60. num. 37. & communiter Theologi docent, & meritò, res & verba, quibus tamquam materia & forma perficiuntur Sacramenta in usu & in actione consistentia, esse partes intrinsecè pertinentes ad ipsa, seu ad materiale totale ipsorum, & illis significationem sacramentalem inesse: ex quibus nonnulli idem docent de rebus & verbis, quibus perficitur Eucharistia: quod plures, & nos negamus; imò id etiam ne-

Vasq.  
Suar.  
Ægid.

gamus



gamus de rebus quibus perficitur Matrimonium.

Et in primis res & verba, quibus perficiuntur Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Ordinatio in usu consistentes, pertinere intrinsecè ad hæc ipsa Sacramenta, ex eo constat, quia ex vna parte in his Sacramentis tam res quam verba habent suam significationem proportionatam gratiæ Sacramentali, quia res habent significationem seu representationem naturalem proportionatam gratiæ, & verba significationem ex institutione hominum, & ex altera parte Christus instituit dicta Sacramenta eis rebus & verbis perfici; ergo absque fundamento, imò contra rationem, negabitur, Christum res & verba simul sumpta instituisse ad sacramentaliter significandam & causandam gratiam, ac proinde intrinsecè pertinere ad dicta Sacramenta, quia intrinsecè pertinent ad materialia totalia, quibus significatio Sacramentalis inest.

Id autem, cui contra nostram doctrinam innititur Scotus, nempe totam substantiam rerum artificiarum, ut sedilis, sitam esse in sola materia, ut extrinsecè connotante formam, falsum est: quia absque dubio res artificata, ut sedile, directè & ex æquo coalescit ex materia & forma, ut sedile ex ligno & ex figura, etiam si nomina significantia res artificatas, quando sunt substantiua, forsan supponant directè pro forma ut extrinsecè connotante materiam, ut statua, sedile, & domus: nomen verò Sacramenti potiùs supponit pro materia, ut connotante formam instar nominum adiectiuorum, sed non pro materia partiali, (in quo etiam deceptus fuit Scotus) sed pro materia totali cui inest significatio Sacramentalis, sicut album supponit pro subiecto, quod est compositum physicum, ut connotante albedinem, & non pro materia prima, ut connotante formam substantialem: atque aded nomen Sacramenti supponit pro materiali totali (siue composito ex rebus & verbis, quando est sic compositum, siue pro non sic composito) ut connotante significationem Sacramentalem, & non pro rebus, quæ sunt materia partialis, ut connotantibus verba, quæ sunt forma partialis.

Id quoque cui innititur Scotus, ut in Sacramento Pœnitentiæ sola verba absolutionis pertineant intrinsecè ad materiale totale illius (& consequenter ad ipsum Sacramentum Pœnitentiæ) & non actus pœnitentis, etiam est falsum, quia non tantum verbis absolutionis, sed etiam rebus conuenit significatio Sacramentalis gratiæ ex institutione Christi, quamuis non seorsim utrisque, sed utrisque simul. Imò significatio non Sacramentalis gratiæ non tantum conuenit verbis absolutionis, sed etiam actibus pœnitentis: his naturaliter, ob analogiam & similitudinem quam habent ad gratiam purgatiuam seu sanatiuam peccatorum; & verbis significatio ex institutione hominum, quamuis his clarè conueniat, actibus verò pœnitentis obscurè.

Ex dictis constat, in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, Extrema Unctione, & Ordinatione esse duplicem compositionem ex materia & forma: alteram, qua Sacramentum coalescit ex toto materiali composito ex rebus & verbis tamquam ex materia totali, seu tamquam ex subiecto totali, & ex significatione Sacramentali tamquam ex forma totali; alteram, qua materiale totale (cui

conuenit significatio Sacramentalis) componitur ex rebus tamquam ex materia partiali, & ex verbis tamquam ex forma partiali: sicut in domo etiam est duplex compositio, altera ex omnibus materialibus tamquam ex materia totali, & ex figura tamquam ex forma totali; & altera, qua materiale totale (cui inest figura) coalescit ex fundamento & parietibus tamquam ex materia partiali, & ex tecto quo completur & formatur materiale domus, tamquam ex forma partiali.

Quòd verò res & verba in Eucharistia, nempe panis & vinum & verba consecrationis, quibus tamquam materia & forma perficitur Eucharistia, non pertineant intrinsecè ad ipsam, sed tantum extrinsecè panis & vinum ut materia circa quam, & verba consecrationis ut forma extrinsecè, quæ versatur circa panem & vinum, & efficit consecrationem specierum, probatur: quia solis speciebus consecratis continentibus Corpus & Sanguinem Christi, conuenit significare & causare gratiam Sacramentalem Eucharistiæ, non panis & vino iam corruptis, neque verbis quæ iam transierunt. Et quòd corpora contrahentium, & eorum traditiones & acceptationes, quibus perficitur Matrimonium, non pertineant intrinsecè ad ipsum, sed tantum extrinsecè, & tamquam materia circa quam; & quòd verba exprimentia consensus contrahentium, & ipsi consensus expressi per verba, pertineant intrinsecè ad Matrimonium, probatur: quia verbis & consentibus conuenit significare & causare gratiam, ut dicimus Tractatu de Matrimonio Disp. III. Diffic. XXI. quia in eis saluatur tota substantia contractus Matrimonij, quem Christus instituit & eleuauit ad significandam & causandam gratiam.

Id autem quod dicimus, nempe res quibus perficitur Matrimonium tamquam materia, & res & verba quibus perficitur Eucharistia, non pertinere intrinsecè ad ipsa Sacramenta, non contradicit Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dicenti, omnia Sacramenta perfici rebus ut materia, & verbis ut forma, quia notanter non dixit, Sacramenta constitui aut constare rebus ut materia, & verbis ut forma, quo denotaret, res & verba intrinsecè pertinere ad Sacramenta; sed dixit, Sacramenta perfici, quo non denotat intrinsecè pertinere (quamuis sic possint pertinere intrinsecè) quia res non solum perficiuntur partibus intrinsecis, sed etiam causa efficiente, & materia ex qua, & materia circa quam, & alijs; & ided etiam dixit Sacramenta perfici ministro, quamuis minister & eius intentio non pertineant intrinsecè ad Sacramentum.

Inter ea autem, quibus Sacramenta intrinsecè constant siue tamquam partibus essentialibus, siue tamquam partibus integralibus, requiritur aliqua vnio, aliàs ex eis non poterit componi, & fieri vnum. Hæc autem vnio, utpote moralis cuiusdam compositi moralis, consistit in habitudine morali: qua forma, salua sua veritate, dicitur accedere ad materiam, & vna pars integralis ad alteram. Ad hanc autem vnionem non semper requiritur simultas aliqua temporis inter partes ipsas quæ vniuntur, sed aliquando; & numquam requiritur simultas temporis physica, sicut neque vnio inter partes ipsas est physica, sed sufficit simultas moralis, talis videlicet, qualis requiritur, & sufficit, ut formæ secundum moralem æstima-



æstimationem, & communem hominum usum, dicantur cadere supra materiam proximam. Vnde in Baptismo, & Confirmatione, & in Extrema Unctione, & in Ordinatione, in quibus requiritur simultas temporis, non sufficit parua, quia formæ horum Sacramentorum non erunt veræ, si inter materiam proximam & formam adsit magna temporis distantia, quia multo tempore post tractatam ablutionem, aut multo tempore ante ipsam non erit verum, Ego te baptizo, aut abluo, & sic de alijs tribus dictis: in Pœnitentia verò post actus pœnitentis multo tempore post, potest absolutio validè conferri, sicut etiam in iudicio forensi (instar cuius Pœnitentia est instituta) multo tempore post discussionem causæ fieri solet absolutio aut condemnatio, toto scilicet tempore post quo actus pœnitentis dicuntur moraliter permanere: tamdiu autem dicuntur moraliter permanere, quamdiu permanent habitualiter, id est, quamdiu non retractantur, neque expressè neque implicite. Et eodem modo in Matrimonio, quod intrinsicè ex consensibus utriusque contrahentis expressis, & eorum expressionibus, quasi integraliter componitur, tamdiu potest consensus & expressio posterioris differri, quamdiu prioris habitualiter perseverat, ut dicimus Tractatu de Matrimonio Disput. III. Difficul. VIII.

In Eucharistia verò (quamvis non composita ex materia & forma, ac proinde inter ea quibus perficitur non requiratur unio) requiritur magna simultas temporis inter ipsa verba & inter res, ob Pronomen demonstrativum, quo sub speciebus materiæ demonstratur Corpus aut Sanguis Christi: & in Matrimonio inter verba & inter corpora, inter quæ non est necessaria unio, requiritur omnimoda simultas temporis.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum verba, quibus Sacramenta perficiuntur, sint concionatoria, an consecratoria.*

**E**RROR est hæreticorum nostri temporis, verba, quibus perficiuntur Sacramenta, aut quibus fructus eorum percipitur (in quo hæretici variant) non esse consecratoria, seu Sacramentalia, quibus insit significatio & vis cauſandi ex diuina institutione, sed tantum esse concionatoria, seu instructoria, quibus proponitur diuina promissio iustificationis ab ipso Deo faciendæ, ut excitetur fides diuina iustificationis promissæ, cui fidei hæretici attribuunt iustificationem: & ideo ipsi aut non vtuntur verbis determinatis quibus Ecclesia vtitur, sed quibuslibet alijs, quibus excitent populum ad credendum diuinam promissionem iustificationis; aut si eis vtuntur, siue solis, siue simul cum alijs concionatorijs, non tamen vt consecratorijs, sed vt instructorijs ad excitandam fidem dictæ promissionis. Quibus fauere videtur Augustinus Tractatu 80. in Ioannem, dum ait: *Vnde ista tanta virtus aque, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei quod predicamus.* vbi Augustinus denotat, verbum, ex quo

August.

in aquam deriuatur virtus iustificandi, esse verbum concionis, quia loquitur de verbo quod prædicatur; & fidei, quod dum creditur, abluat cor: & loca Scripturæ, quibus id ostendit Augustinus, id indicant, quia id ostendit locis, in quibus mundatio cordis tribuitur fidei, & verbo fidei.

De Fide tamen est, verba, quibus Sacramenta perficiuntur, esse consecratoria, quibus vel significatur & cauſatur gratia, vel materia Sacramentalis consecratur; & eis solis perfici absque alijs concionatorijs. Quod perpetua & constante Ecclesiæ traditione constat, quæ semper vsa est verbis Sacramentorum non ad instruendum (ad quod apta non sunt) sed ad significandum & efficiendum vel gratiam, vt in sex Sacramentis; vel consecrationem specierum, vt in Eucharistia (ad quod sunt maximè apta) & non est vsa alijs concionatorijs.

Augustinus autem vbi supra potius fauet Catholicis quàm hæreticis, quia ibi explicans illud Ioann. 15. *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*, intendit generatim ostendere, verbum Dei, siue Sacramentale siue doctrinale, habere vim mundandi; vt etiam constat ex testimonijs quibus id confirmat: quia in quibusdam est sermo de verbo doctrinali seu concionatorio, & in alijs de Sacramentali seu consecratorio. Docet ergo, verbum Dei, siue Sacramentale siue doctrinale, habere vim iustificandi, non quatenus dicitur, id est, non ratione soni, sed quatenus creditur, id est, quatenus significat rem quæ creditur, quamvis diuerso modo; quia verbum Sacramentale fidei mundat perfectè significando & efficiendo in nobis ipsam sanctitatem ex opere operato, quamvis non excitet neque generet fidem in nobis: verbum verò doctrinale seu concionatorium fidei, tantum mundat inchoatiuè & dispositiuè, excitando in nobis fidem quæ est initium iustificationis.

August.

## DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum res & verba, quibus Sacramenta nouæ legis perficiuntur, sint determinata.*

**H**ÆRETICI, dicti Pauliciani, affirmarunt, Sacramenta nouæ legis verbis determinatis perfici, non determinatis rebus: econtrà verò hæretici nostri temporis affirmant, perfici rebus determinatis, non determinatis verbis.

De Fide tamen est, omnia Sacramenta nouæ legis perfici rebus & verbis determinatis, id est, præscriptis à Christo, & non relictis humano arbitrio: quod perpetua traditione constat, cui Eugenius IV. innixus assignauit in suo Decreto fidei determinatas res, & verba determinata, quibus omnia Sacramenta nouæ legis perficiuntur. Et in Scriptura sacra pro Baptismo & Eucharistia, res determinatæ, & determinata verba, quibus perficiuntur, exprimentur à Christo: & pro Pœnitentia verba determinata, quibus vt formâ perficitur, facillè deducuntur ex illis verbis Christi Ioannis 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.*

Ex quo constat, Sacramenta nouæ legis non posse



posse validè perfici aliis verbis, neque aliis rebus, nisi præscriptis à Christo; quia nihil potest verè significare & efficere gratiam Sacramentalem, nisi quod fuerit à Deo institutum ad id, aut ab altero habente à Deo commissiõnem ad id; Deus autem nihil aliud instituit ad id, neque alicui commisit facultatem instituendi res & verba in Sacramenta, nisi soli humanitati Christi.

Innoc. IV.  
Felinus.

Obseruandum est, in quo Theologi conueniunt, Christum easdem res & eadem verba instituisse & præscripsisse in Sacramenta pro toto orbe, & non varias res & varia verba pro Ecclesia Latina, & Græca (in quo decepti sunt Innocentius IV. in cap. 1. de Baptismo & eius effectu, Felinus, & alij Iurisperiti) quia non constat varias res neque varia verba pro variis Ecclesiis instituisse: neque id erat expediens, sed potius oppositum, vt sic fideles omnes magis sub eisdem Sacramentis sint vniti, sicut sunt sub eodem Domino, & sub eadem fide, & sub eodem Sacrificio.

Vnde forma, & etiam materia, quæ Ecclesiæ Latinae (id est ministris illius) sufficit ad valorem Sacramenti, etiam sufficit Ecclesiæ Græcæ, & econtrâ, quia scilicet eadem materia & etiam eadem forma instituta est à Christo pro toto orbe, ac proinde Ecclesia Græca validè baptizaret sub ea forma, sub qua validè baptizat Latina, nempe, *Ego te baptizo*, &c. & Ecclesia Latina validè baptizaret sub ea forma sub qua validè baptizat Græca, nempe, *Baptizetur seruus Christi*, &c. Et Græci validè consecrarent in pane azymo, in quo consecrauit Christus, & validè consecrarent Latini: & Latini validè consecrarent in pane fermentato, in quo consecrarent Græci, quamuis Latinus peccet non seruando vsum suæ Ecclesiæ dum in ea existit, & Græcus non seruando vsum suæ, dum in ea existit. Sufficit autem Ecclesiæ Græcæ ad valorem Baptismi, dicta forma Ecclesiæ Latinae, & econtrâ, quia scilicet est eadem substantialiter, quia in vtraque idem sensus continetur, qui est anima verborum: & Græcus validè consecraret in pane azymo, & Latinus in fermentato, quia vterque panis non est materia substantialiter distincta, sed substantialiter eadem, quia vterque est verè panis, imò eiusdem speciei infimæ.

Et non solum Sacramenta noua perficiuntur rebus & verbis, sed etiam Sacramenta veteris legis constabant rebus determinatis, sed absque vllis verbis, vt circumcisio, consecratio Sacerdotis, lustrationes, & sacrificia.

In lege verò naturæ, si aliqua fuerunt Sacramenta, quæ in lege scripta non fuerunt, quamuis constabant rebus, sed non determinatis: quia sicut tunc homines nulla lege externa regebantur a Deo, sed tantum inspiratione & instinctu Dei, ita etiam nullus illis fuit à Deo præscriptus ritus, nullaque res, sed vnusquisque, prout Deus inspirabat, utebatur Sacramentis, aut aliis remediis.

## DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum mutatio materiae & formæ Sacramentorum inualidet illa.*

Conueniunt Doctores, Sacramenta inualidari, quoties materia aut forma à Christo præfixa ita variatur, vt non maneat eadem substantialiter absolute & simpliciter, quia quæcumque materia aut forma, quæ substantialiter & absolute & simpliciter est alia & distincta ab ea quam Christus præfixit, est insufficientis ad valorem Sacramenti, quia solus Christus potest instituere materiam & formam sufficientes & validas ad conferendam gratiam; non verò inualidari quoties materia aut forma non variantur substantialiter, sed tantum accidentaliter, nisi forsan in forma Baptismi & Confirmationis variatio nominum trium personarum illa inualidet, ob peculiarem rationem in propriis Tractatibus assignandam.

Tunc autem res, qua Sacramentum perficitur vt materiâ, quamuis varietur, solum varietur accidentaliter, & non substantialiter, vt aduertunt Suarez, & Ægidius quæst. 60. num. 79. *Suarez. Ægidius.* quamdiu manet eadem moraliter, id est, quamdiu manet apta ad vsum, ad quem Christus voluit esse aptam. Vnde quia Christus pro materia Baptismi instituit aquam naturalem, vt aptam ad vsum communem lauandi, quamdiu sic manet apta, dicitur manere eadem substantialiter, siue frigida sit, siue calida. Et quia pro materia consecrationis corporis instituit panem, vt aptum ad manducationem communem, quamdiu est sic aptus, est idem substantialiter, siue sit azymus, siue fermentatus: quoties verò res, qua Sacramentum perficitur vt materiâ, non manet eadem saltem moraliter, id est, saltem apta ad eum vsum ad quem Christus voluit esse aptam, non dicitur manere eadem substantialiter, sed substantialiter distincta; vt aqua rosacea, siue differat specie physica, siue non, ab aqua naturali, quia non est apta ad communem vsum lauandi: & massa non cocta, siue specie physica differat siue non differat à massa cocta, quia non est apta ad communem vsum manducandi.

Tunc verò verba, quibus vt formâ Sacramentum perficitur, etiam si varientur, tantum dicuntur variari accidentaliter, & non substantialiter (vt aduertunt Vasquez disp. 124. cap. 7. Suarez, *Vasquez. Suarez. Ægidius.* & Ægidius, & communiter Doctores) quamdiu in verbis, siue antiquis siue nouis, in quæ fit mutatio antiquorum, manet aut inest eadem significatio sensus intenti à Christo, quia significatio est anima verborum: sed non sufficit, quòd maneat aut inest eadem significatio ex conuentione tantum aliquorum verbis conueniens, sed requiritur quòd maneat eadem significatio communis & vsualis; quia sicut Christus non instituit res pro materia, nisi vt aptas ad communem vsum, ita non instituit verba pro forma, nisi vt significantia communi & vsuali significatione. quoties verò in verbis, siue antiquis siue nouis, non manet neque eis inest eadem significatio sensus à Christo intenti, dicuntur variari, & esse distincta substantialiter.



Ex dictis constat Primò, solam variationem idiomatis in verbis non necessariò esse substantialiter (ac proinde illam non necessariò vitare verba à Christo instituta) quia possunt mutari in verba alterius idiomatis habentia eandem significationem, & continentia eundem sensum, sicut de facto mutata sunt ex idiomate Syriaco, aut Hebraico (in quo Christus verba Sacramentorum instituit) in varia & distincta idiomata: neque necessariò variari substantialiter ex eo, quòd in verbis eiusdem misceantur idiomata, quia etiam tunc possunt eundem sensum & eandem sententiam significare & continere: neque necessariò variari substantialiter ex eo, quòd mutantur in alia verba à consuetis, quia possunt mutari in alia æquivalentia, habentia eandem significationem (imò in alia synonyma;) ad hoc autem, quòd dicantur habere eandem significationem, non sufficit quòd significant confuse idem quod alia significant distinctè, sed etiam est necessarium quòd significant idem distinctè, ex defectu cuius, nomen *Trinitas* non solum non est synonymum, sed neque æquivalens nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Secundò constat, transpositionem verborum non necessariò variare substantialiter ipsa verba, quia potest non mutare significationem, ut contingit quando dicimus, *Ego baptizo te in nomine Spiritus sancti, & Filij, & Patris*: mutat tamen significationem (quidquid dicat Ægidius) quando dicimus, *Ego baptizo in nomine Patris, &c.* quia tunc nullus est legitimus sensus.

Tertiò constat, interpolationem verborum non necessariò variare substantialiter ipsa verba, quia potest esse tam parva, ut moraliter ceaseantur vna oratio, ac proinde quòd retineatur eadem significatio; ut contingit, quando minister propter tussim detinetur à prolatione verborum sequentium: variabit autem illa substantialiter, quoties interpolatio est tanta, ut moraliter non ceaseantur vna oratio, quia tunc verba amittent suam significationem cum qua Christus illa instituit.

Quartò constat, additionem verborum non necessariò variare illa substantialiter, siue verba, quæ adduntur, misceantur cum verbis formæ, siue his iam completis superaddantur; quia non quæcumque additio corrumpit significationem sensus à Christo intenti, neque illum falsificat, ut contingit quando Græci consecrantes dicunt, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; & quando dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij sapientis, & Spiritus sancti paracliti*. Et hoc est verum, quamvis id quod additur, sit error, aut errorem contineat, si non pugnet cum veritate verborum formæ, ut si dicatur: *Hoc est corpus meum, & Filius non est æqualis Patri*: imò etiam quando dicitur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis non tradetur* (quidquid Vasquez dicat num. 106.) quia quamvis hoc additum sit falsum, verba tamen antecedentia, in quibus forma sufficienter continetur, nempe, *Hoc est corpus meum*, remanent vera, quia additum illud non est determinatiuum corporis, sed tantum est propositio, in qua particula quod refert corpus, quod est subiectum ipsius propositionis additæ: posset

autem esse determinatiuum corporis, si in Christo fuissent duo corpora, quorum vnum fuisset traditum, & alterum non. Additio autem variat substantialiter verba formæ, quando corrumpit sensum eorum à Christo intentum, ut quando dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus sancti minimi*; & etiam quando dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Virginis*. Si hæc addatur ad inuocandam Virginem, tamquam habentem auctoritatem, ut verè significatur, quia particula *in nomine*, sub qua cadit dictum additum, communi vsu auctoritatem denotat.

Quintò constat, subtractionem alicuius verbi formæ non necessariò variare substantialiter verba, quia non quæcumque subtractio destruit sensum à Christo intentum, ut contingit, quando à forma Baptismi auferatur particula *ego*, & à forma consecrationis particula *enim*: variat autem illa substantialiter, quando corrumpit dictum sensum, ut si à forma Baptismi auferatur nomen alicuius personæ, & à forma consecrationis particula *meum*.

Sextò constat, corruptionem verborum formæ non necessariò variare illa substantialiter, quia non semper destruit sensum à Christo intentum, ut contingit quando verba corrupta non efficiunt, adhuc ex vsu accommodatione, alium sensum legitimum, nisi à Christo intentum, ut contingit quando dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filia, & Spiritu sancta*; quia quamvis qualibet vox seorsim non significet quod necessarium est ad formam baptismi; omnes tamen simul in eo actu baptizandi efficiunt sensum à Christo intentum, non ex rigore sermonis, sed ex communis vsu accommodatione, quod sufficit ad valorem Sacramenti: aliàs balbi & blæsâ linguâ non possent validè Sacramenta administrare: corruptio autem verborum variat illa substantialiter, quando verba ob corruptionem neque ex rigore sermonis, neque ex vsu accommodatione efficiunt sensum à Christo intentum, ut quando dicitur, *Hoc est cor meum; Ego baptizo te; Ego te baptizo in nomine Matris, &c.*

Observandum est, in quo Doctores conueniunt, variationem seu mutationem substantialiter materiae aut formæ, quantumvis exigua sit, non solum inuadere Sacramentum, sed etiam esse mortalem: accidentalem verò, quamvis non inuadit Sacramentum, esse illicitam, utpote contra præscriptum Ecclesiæ; & esse mortalem, quando est magna, ut quando quis in consecratione calicis omittit illa verba, *nomini & æterni testamenti, &c.* esse tamen solum venialem, quando est exigua, ut quando in consecratione omittitur particula *enim*. In casu tamen necessitatis nullum committitur peccatum in variatione accidentali, quamvis magna, ut si occurrat necessitas Baptismi, & non sit alius qui possit baptizare, nisi ille qui nequit proferre verba absque corruptione, aut nisi ille qui nescit baptizare nisi vernaculo sermone.

Ægidius.

Vasquez.



## DIFFICULTAS XV.

*Utrum variatio seu mutatio verborum, facta intentione introducendi errorem, inualidet Sacramenta.*

**D**ifficultas hæc tantum procedit, quando non mutatur significatio substantialis verborum formæ: quia si ita mutatur vt destruat, certum est Sacramentum inualidari, quamuis mutatio non fiat intentione introducendi errorem, sed inaduertenter; & si ita mutetur significatio substantialis, quod fiat æquiuoca, continens plures sensus, intentum videlicet à Christo, & alium, tunc ex intentione ministri pendet efficere validè Sacramentum, aut illud annullare: quia si verba sic mutata & æquiuoca proferat in sensu intento à Christo, efficiet validè Sacramentum, & si in alio sensu (quod est in sua potestate) annullabit Sacramentum. Vnde, qui vteretur hoc verbo *Absoluatur*, seu *absoluaris*, quod est æquiuocum; vt significet absolutionem per modum imperantis, & iudicis (quod est de essentia formæ absolutionis) & vt significet absolutionem per modum deprecantis, verè absoluit, si illo vtatur in priori sensu; secus verò, si in posteriori.

*Richard. Aliacensis. Antonin.* Richardus ergo in 4. distinct. 3. art. 2. quæst. 3. Aliacensis quæst. 2. art. 1. & Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 13. docent, mutationem formæ, quamuis solum accidentalem, eo ipso quod sit animo introducendi nouum errorem, aut eo ipso quod sit ex errore, quo existimatur eam mutationem esse necessariam ad valorem Sacramenti, illud annullare. Quod expressum videtur in canone 86. *Retulerant*, de Consecratione, distinct. 4. qui desumptus fuit ex Zacharia Epistola 2. ad Bonifacium Episcopum, dum de quodam, qui baptizatus fuit sub illis verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritu sancta*, dixit: *Si ille qui baptizauit, non errorem introducens aut heresim, sed pro sola ignorantia locutionis, infringendo linguam, baptizans dixisset, non possimus consentire vt denno baptizetur.* Vbi à contrario sensu videtur supponi, intentionem introducendi errorem irritare Sacramenta, quamuis verba aliàs contineant sensum à Christo intentum, sicut prædicta verba continent, aliàs quamuis ex ignorantia proferrentur, non sufficerent ad valorem, & tamen in eo Canone dicitur tunc sufficere.

Et ratione probatur: quia qui mutat verba formæ à Christo instituta, existimans eam mutationem esse necessariam ad valorem Sacramenti, non potest habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & quod Christus instituit, quia existimat, ad valorem Sacramenti non sufficere quod Christus verè instituit, & Ecclesia facit tamquam sufficiens: quod præcipuè verum videtur in eo qui mutat formam aliquid addendo, quod existimat esse essentialia formæ; vt si quis verbis consecrationis Corporis addat, *quod pro vobis tradetur*, existimans id esse necessarium ad valorem consecrationis (vt de Græcis refertur) quia tunc non intendit eisdem verbis, quibus Christus & Ecclesia, signifi-

ficare & efficere quod Christus voluit significari & effici.

Durandus verò in 4. distinct. 3. quæst. 2. Paludan. quæst. 1. Suarez disput. 2. lect. 5. Valquez disput. 129. cap. 7. & Egidius quæst. 60. art. 8. dub. 1. docent, nullam mutationem verborum formæ, quamuis factam ex intentione introducendi errorem, etiam quo falsò existimetur esse necessariam ad valorem Sacramenti, illud inualidare, dum eorum significatio substantialis permaneat, & dicta intentio non sit contra eam significationem. Et merito: quia ex vna parte in verbis formæ manet significatio substantialis, vt fieri potest & supponimus, & dicta intentio non est contra eam significationem substantialem, vt fieri potest, præsertim quando mutatio fit aliis modis distinctis ab additione; & ex altera parte potest esse intentio sufficiens ad valorem Sacramenti, nempe intentio efficiendi Sacramentum, aut faciendi quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit: quia etiam ille, qui existimat, verbi gratia, ad essentialiam formæ Baptismi necessarium esse miscere idioma, aut auferre aliquod verbum, aut verba corrumpere, & id intendit introducere mediâ illâ mutatione, optimè potest intendere efficere Sacramentum, aut quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, aut quod Christus instituit; quia intentio hæc non est impossibilis cum eo errore, saltem in illo qui non existimat se opponere veræ Ecclesie, & institutioni Christi, vt patet. Imò, quamuis in illo qui errat, existimans in eo se opponere veræ Ecclesie & institutioni Christi, nequeat esse intentio efficiendi quod vera Ecclesia facit, neque quod Christus instituit; potest tamen in illo esse intentio efficiendi Sacramentum, si ignoret Sacramenta fuisse à Christo instituta, & veram Ecclesiam institutioni Christi conformari: & hæc intentio sufficeret ad valorem Sacramenti, vt dicemus Disput. iv. Diffic. iv. Quod etiam potest contingere, quando fit additio verborum ex intentione introducendi errorem in Ecclesia, etiam quo falsò existimetur verba addita esse necessaria ad essentialiam formæ: quia etiam si tunc minister intendat non solum verbis verè essentialibus, sed etiam aliis verbis additis efficere Sacramentum, id tamen potest intendere non omnino absolute, sed conditionatè, saltem implicite, sub ea scilicet conditione aut exceptione, nisi id obstat effecti Sacramenti; imò de facto, nisi sit omnino pertinax, sic intendit, quia omnino absolute vult efficere Sacramentum, & id assecurare, quod est impossibile cum intentione omnino absolute efficiendi Sacramentum, etiam verbis additis; ac proinde, deficiente conditione illa, quamuis implicite, deficit intentio consecrandi etiam verbis additis, & præualet intentio efficiendi Sacramentum. Et ideo Græci verè consecrant, quamuis verbis consecrationis corporis addant illa, *quod pro vobis tradetur*, existimando verba hæc etiam esse essentialia, & intendendo etiam mediis illis consecrare, quia id intendunt sub conditione dicta saltem implicite, eo ipso quod omnino absolute intendunt consecrare, & magis firmiter, quam consecrare etiam illis verbis additis, quia intentio consecrandi omnibus verbis essentialibus & additis est modo dicto conditio-



ditionata, & intentio verè consecrandi non admittit secum intentionem consecrandi omnibus dictis verbis: quia qui omnibus illis intendit consecrare, intendit non consecrare illis solis, quibus solis inest vis ad consecrandum, ac proinde eis solis non consecrat, neque ipsis simul cum aliis non essentialibus, quia his non essentialibus nulla inest vis ad consecrationem adhuc in consortio essentialium. Ex quibus constat ad rationem aduersariorum.

Addidimus, quando intentio illa introducendi errorem non est contra significationem substan-

tialem verborum; quia si sit, vt contingit, quando quis profert verba illa, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia & Spiritu sancta*, intendens nomine *Filia*, non significare Filium, quem tunc significat ex communis vsus accommodatione, sed Filiam, quam ex rigore sermonis significat, irritat Sacramentum, quia intentio hæc est contra significationem & sensum substantialem, & tunc potius irritat illud defectu significationis Sacramentalis, quàm defectu intentionis, & id tantum voluit Zacharias in dicto Canone *Retulerunt*, de Consecratione, dist. 4.

## DISPUTATIO II.

## De existentia Sacramentorum.

## DIFFICULTAS PRIMA.

*Vtrum institutio Sacramentorum fuerit conueniens.*

Porphyr.



ORPHYRIUS absolutè & in vniuersum damnat Sacramenta, quia indignum videtur hominibus, subiici rebus sensibilibus, quas Deus posuit sub pedibus ip-

Irenæus.

orum: quem errorem tenuerunt antea discipuli cuiusdam Marci, quos refert Irenæus lib. 1. Aduersus hæreses, cap. 18. Et specialiter Sacramenta nouæ legis damnantur à pluribus hæreticis, tam antiquis quàm recentioribus, de quorum vsu Bucerus ait, id esse reuerti ad Synagogam antiquam, ad infirma & egena elementa, & pusillis occasionem præbere existimandi, nos colere Cererem & Bacchum oblatione panis & vini.

Bucerus.

De Fide tamen est, institutionem Sacramentorum, præsertim nouæ legis fuisse conuenientissimam & prudentissimam, utpote factam à Deo, qui nihil temerè & absque vtilitate efficit. Fuit autem institutio Sacramentorum, præsertim nouæ legis, conueniens, Primò ex parte Dei, quia in eorum institutione ostenditur Dei misericordia, dum remedia instituit in his quæ in promptu sunt: & Dei iustitia, dum peccatum hominis superbientis, supra omnes creaturas cupiendo esse vt Deus, emundat, instituens vt remedium quærat ex creaturis ipso inferioribus: & Dei omnipotentia, dum infirma mundi (id est res sensibiles) eligit, vt confundat fortia, id est, vt expellat ab anima spirituales nequitias: & Dei sapientia, dum sub signis sensibilibus occultat spiritualia.

Deinde fuit etiam conueniens ex parte hominis, quia huic fuit conueniens vt humilietur, capiendo remedium ab his rebus inferioribus, quæ ipsi fuerunt occasio peccandi: & vt fructuosè exerceatur conformiter ad suam naturam, dum propensus ad exercitium circa res externas, exercetur in externis sacris, quo impeditur ab occupatione in rebus vanis: & vt instruat, dum inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt visibilia, conspicit.

Ad rationem ergo Porphyrij respondemus,

quòd quamuis homini sit indignum subiici rebus sensibilibus propter ipsas, non tamen, vt ab ipsis remedium capiat in ipsis à Deo institutum; quod non tam est ipsis subiici, quàm ipsis vi ad remedium in ipsis à Deo institutum. Et ad rationem Bucerii respondemus, vti Sacramentis nouæ legis, non esse reuerti ad Synagogam antiquam, neque ad infirma & egena elementa, sed vti elementis ex Christi institutione, potentibus & secundis ad sanctificandas animas iuxta præscriptum Christi, & non iuxta cærimonias Moysis: neque in hoc damus occasionem pusillis existimandi nos colere Cererem & Bacchum oblatione panis & vini, quia constat, oblationem hanc à nobis fieri Deo viuo & vero.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum post aduentum Christi in lege noua sint verè Sacramenta.*

NON defuerunt hæretici, qui (vt refert Vasquez quæst. 61. art. 4) affirmauerint, post aduentum Christi nullum fuisse institutum Sacramentum, quia præsentè veritate non est necessaria figura: Sacramenta autem sunt quædam figura gratiæ, & Christi gratiæ auctoris; ergo iam præsentè Christo, & iam facta gratia per ipsum, non sunt necessaria Sacramenta.

Vasquez.

De Fide tamen est, post aduentum Christi in lege noua esse ab ipso instituta septem vera Sacramenta, quod Catholicis notissimum est, & perpetua traditione firmatum, & ab Eugenio IV. in suo Decreto definitum, & etiam à Tridentino sess. 7. per totam. Sed quantæ sit utilitatis vsus Sacramentorum nouæ legis hominibus, dicimus Disput. III. & etiam dum de singulis Sacramentis sigillatim agimus: & quantò perfectiora sint Sacramentis veteribus, dicemus etiam Disputaione III.

Eugen. IV.

Trident.

Institutio autem Sacramentorum nouæ legis, & abrogatio antiquorum, fuit conueniens, Primò,



mò, quia sicut antiqui iustificabantur in fide Christi venturi, & nos in fide Christi præsentis; sic etiam conueniens fuit, vt antiquis essent quædam Sacramenta, quibus protestarentur fidem Christi venturi, & nobis alia, quibus profiteamur fidem Christi præsentis. Secundò, quia populo antiquo, vt pote duræ ceruicis, & habenti feruilem statum, conueniens fuit esse sub elementis debilibus, & vacuis, & numero pluribus; nobis verò vt pote filijs & heredibus, conueniens fuit non esse sub illis quæ patres nostri portare non potuerunt, sed sub alijs virtute maioribus, utilitate melioribus, & numero paucioribus.

Ratio tamen hæreticorum nullius est momenti: quia quamuis præsentem veritatem non sit necessaria figura quæ illam significet futuram, imò esset falsa; nihilominus conueniens est signum aliquod significans illam præsentem ad meliùs conseruandam memoriam illius, præsertim quando veritas non videtur, qualis est Christus in cælo tantum visibiliter existens, & gratia spiritalis facta per ipsum, quæ per noua Sacramenta significantur.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum in lege veteri scripta ante aduentum Christi fuerint verè Sacramenta.*

Conueniunt Primò Theologi, Circumcisionem, quæ fuit in lege veteri scripta, & antea cæperat à tempore Abrahami, fuisse verè & propriè Sacramentum, quia ex institutione Dei saltem figurabat & significabat Baptismum, & gratiam per ipsum dandam, quod sufficit ad rationem Sacramenti: sed an Circumcisio conferret gratiam, aut saltem illam vt præsentem significaret, dicemus Disput. III.

Conueniunt Secundò, in lege veteri scripta præter Circumcisionem fuisse plures alias carimonias institutas à Deo ad significandam gratiam dandam per Christum; ac proinde in ea lege fuisse plura alia propriè Sacramenta, quod supponit Eugenius IV. in suo Decreto fidei. Huiusmodi autem in ea lege fuerunt vnctioes, quibus Sacerdotes Leuitici consecrabantur, & esus Agni paschalis, & purificationes quibus fideles purgabantur à quibusdam immunditijs legalibus; quia absque dubio non fuerunt à Deo institutæ tantum propter id quod exterius apparebat, sed etiam, & magis principaliter, ad significandam sanctitatem internam conferendam ex meritis Christi: vnctio quidem Sacerdotis ad significandum Ordinem Euangelicum, & gratiam per ipsum conferendam; esus Agni paschalis ad significandam sumptionem Eucharistiæ, & refectionem spiritualem conferendam per illam; purificationes ad significandam Pœnitentiam, & remissionem peccatorum conferendam per illam. Et Sacrificia etiam fuerunt propriè Sacramenta, quia non tantum fuerunt à Deo instituta ad cultum & recognitionem ipsius tanquam auctoris vitæ & mortis, sed etiam ad significandum Sacrificium cruentum Christi, & gratiam per ipsum conferendam, vt aduertit Valquez quæst. 61. art. 3. in fine.

Ita tamen existimamus, Circumcisionem carimonias, & Sacrificia veteris legis fuisse à Deo in-

stituta ad significandam gratiam conferendam ex meritis Christi, vt institutio hæc non fuerit facta per modum promissionis, qua Deus medijs illis moueretur ad postea conferendam gratiam (sicut modò mouetur nouis Sacramentis ad conferendam illam eis quibus applicantur) aliàs non solum significarent, sed etiam conferrent gratiam, sed per modum puræ impositionis, qua voluit homines deuenire in notitiam infallibilem gratiæ conferendæ medijs nouis Sacramentis, & alijs vijs, quam conferendam præuidit nondum præuisa institutione ipsorum Sacramentorum veteris legis. Sed an in vsu Sacramentorum veteris legis fuerit collata gratia, dicemus Disput. III.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum ante Circumcisionem in lege naturæ fuerint verè Sacramenta.*

Conueniunt Theologi (vno excepto Cano. *Canus.* Relect. de Sacramentis, par. 3.) in lege naturæ ante Circumcisionem nullum fuisse propriè Sacramentum pro adultis, quia in ea lege, quamuis fuerint externæ professiones fidei, & oblationes, & Sacrificia etiam pro adultis, adhuc oblatio panis & vini facta à Melchisedech; nihil fuit à Deo institutum pro adultis ad significandum gratiam præsentem, neque futuram, quia de tali institutione nullatenus constat: prædicta tamen, quia ob sui naturalem proportionem erant aliquo modo figura rei sacræ & occultæ, sicut etiam Matrimonium aliquo modo figurabat mysterium Incarnationis, fuerunt latè & aliquo modo Sacramenta, quod tantum volunt S. Thomas art. 3. & plures Patres, dum dicunt, in lege naturæ fuisse Sacramenta: vnde Suarez *Suarez.* disp. 4. sect. 4. absque sufficienti fundamento affirmat, oblationem panis & vini Melchisedech fuisse ex priuilegio Sacramentum propriè pro adultis familiæ ipsius.

Est tamen difficultas, An in lege naturæ ante Circumcisionem fuerit aliquod propriè & strictè Sacramentum pro paruulis.

Prius tamen supponimus, in quo conueniunt Theologi, in lege naturæ ante Circumcisionem fuisse remedium, quo paruuli iustificabantur ab originali: quod expressè tradiderunt Augustinus *Augustin.* lib. 5. Contra Iulianum, cap. 9. & lib. 2. de Nuptijs, cap. 11. Gregorius libr. 4. Moralium, cap. 3. Beda libr. 1. in Lucam, cap. 8. Bernardus Epist. 77. & Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis, par. 11. cap. 6. quia quamuis id non constet ex Scriptura, neque ex certa aliqua traditione, constat tamen ex efficaci ratione, desumpta ex Dei misericordia; quia credi non potest, Deum, cuius misericordiæ non est numerus, & cuius clementiæ infinitus est thesaurus, & qui ob id vult omnes homines saluos fieri, tantam infantium morientium multitudinem reliquisse absque remedio, & inuitabili damnationi expositam.

Hoc ergo supposito, conueniunt Theologi, dictum remedium situm fuisse in fide præsertim parentum paruulis applicata, quia nihil aliud videtur aptius ad id. Nomine autem fidei parentum omnes, excepto Abulenfi, intelligunt *Abulenfi.*

Eugen. IV.

Valquez.

S. Thomas.  
Suarez.

Augustin.

Gregor.  
Beda  
Bernardus  
Hugo Vi.  
Florinus.



oblationem, qua parentes Deo suos paruulos offerbant, aut deprecationem, quam pro ipsis faciebant ex fide Dei iustificatoris, quia hæc oblatio aut deprecatio est aptissima ad id. Addidimus, præsertim parentum, quia paruuli non solum iustificabantur oblatione ipsorum Deo facta à parentibus, sed etiam facta à quibuscumque alijs: quia nullo sufficienti fundamento dici potest, iustificationem paruulorum alligatam fuisse ad solam parentum oblationem. Dicitur tamen communiter, paruulos fide parentum iustificari, quia parentibus principaliter incumbat pro suis paruulis ex fide orare ut iustificarentur, & communiter soli parentes id faciebant.

Est tamen difficultas, Primò, An ad iustificationem paruulorum sufficiens fuerit oblatio interna ex fide Dei iustificatoris facta, an etiam fuerit necessarium signum aliquod externum expressiuum dictæ oblationis internæ.

Alexand.  
Scotus.  
Durand.  
Palud.  
Bellarmin.  
Suar.  
Laiman.

Alexander 4. parte quæst. 2. memb. 5. art. 1. & 2. Scotus in 4. dist. 1. quæst. 6. Durandus quæst. 8. Paludanus quæst. 5. art. 5. Bellarminus 1. de Sacramentis, cap. 1. Suarez disp. 4. sect. 2. Laimannus Tractatu 1. cap. 3. partem affirmatiuam tuentur: quam tradidisse videtur Augustinus vbi supra, dum ait, paruulos illos Sacramento fuisse ab originali iustificatos: Sacramentum autem in signo externo consistit. Et ratione probatur, Primò, quia paruuli dicto remedio non tantum iustificabantur, sed etiam fiebant membra Ecclesiæ visibilis, sicut modò per Baptismum; ergo dictum remedium etiam erat situm in aliquo signo externo, sicut Baptismus. Secundò, quia dictum remedium. erat humanum, quo homines utebantur, ergo etiam debuit compleri aliquo signo sensibili & corporeo, sicut nos sumus sensibiles & corporei.

Ex Auctoribus tamen huius sententiæ alij existimant, dictum signum externum non fuisse à Deo assignatum, sed relictum arbitrio offerentium paruulos Deo: alij verò, fuisse præscriptum à Deo, quamuis illud non assignent.

Bonauen.  
Richard.  
Sotus.  
Abul.  
Vasquez.

Bonauentura autem in 4. dist. 1. 2. par. distinctionis, art. 1. quæst. 2. Richardus art. 5. quæstione 3. Sotus dist. 2. quæst. 1. art. 4. Abulensis in cap. 25. Matth. quæst. 67. Vasquez disput. 265. cap. 3. docent, & meritò, ad iustificationem paruulorum in lege naturæ ante Circumcisionem satis fuisse fidem internam, seu oblationem internam ex fide factam, absque exteriori aliquo signo expressiuo illius, etiam si regulariter fuerit ex deuotione exhibitum: quod S. Thomas expressit in 4. dist. 1. q. 2. artic. 6. quæstiuncula 2. & significat 3. par. quæst. 70. art. 4. ad 2. Imò id expressisse videntur Gregorius, Beda, & Bernardus vbi supra, dum dicunt, solam fidem paruulos saluare ab originali, & solam fidem fuisse ipsis sufficientem ad salutem.

S. Thom.

Greg.  
Beda.  
Bernar.

Et ratione probatur, quia nullo firmo fundamento constat, in ea lege ad iustificationem paruulorum necessarium esse signum aliquod externum; quia non ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex Patribus, neque ex aliqua efficaci ratione, ergo absque fundamento dicitur, interiorem oblationem seu deprecationem pro paruulis ex fide factam, non fuisse sufficientem ad ipsorum salutem.

Augustinus verò vbi supra, nomine Sacramenti quo antiqui iustificabantur, non intellexit nisi mysterium & secretum fidei (id est virtutem absconditam fidei, seu oblationis ex fide) ad iustificandum, & ideò lib. illo 2. de Nuptijs cap. 11. illud appellat Sacramentum iustificationis ex fide.

Ad primam autem rationem aduersariorum respondemus, paruulos remedio illo fieri membra Christi, quoad influxum interiorem, non verò Ecclesiæ quoad exteriorem influxum & gubernationem (sicut neque modò adulus per iustificationem ante Baptismum) sed exteriori aggregatione ad fideles, ad Sacrificia, & ad oblationes exteriores. Et ad secundam respondemus, dictum remedium fuisse humanum, non quia necessariò fuerit sensibile, sed quia erat ab hominibus liberè exhibitum.

Secundò ergo est difficultas, An dictum remedium fuerit propriè Sacramentum. Scotus in 4. dist. 1. q. 7. Gabriel q. 2. art. 3. Paludanus, Suarez, Bellarminus, Laimannus vbi supra, partem affirmatiuam tuentur: quia remedium illud ex Dei institutione situm erat in signo sensibili, & ex eadem institutione iustificabat paruulos.

Scotus.  
Gabriel.  
Palud.  
Suarez.  
Bellarm.  
Laiman.

Bonauentura verò, Durandus, Sotus & Vasquez vbi supra, partem negatiuam tradunt, & meritò; quia oblatio illa interior, siue sola, siue coniuncta cum exteriori (quæ quando habebatur, etiam iustificabat paruulos simul cum interiori) non erat à Deo instituta ad iustificandum paruulos, neque ad significandam gratiam futuram, quia de hac institutione nullatenus constat, ac proinde non iustificabat tamquam opus ad id institutum, sed solum tamquam opus operantis, & meritum de congruo iustificationis promissæ à Deo dictæ oblationi, promissione facta Adamo, aut alij Patriarchæ.

Bonau.  
Durand.  
Sotus.  
Vasquez.

Ad iustificationem ergo illorum paruulorum necessaria erat oblatio bona facta pro illis, ex actu fidei bono procedens, aliàs non posset esse imperatoria, seu meritoria adhuc de congruo dictæ iustificationis: ad id autem sufficiebat oblatio bona ex bono actu fidei; imò ex sententia Paludani & Soti sufficiebat oblatio procedens ex actu fidei humanæ, & in infideli, quia talis oblatio potest esse meritoria apud Deum, quia potest esse bona, & ipsi placens.

Constat ergo, in lege naturæ ante Circumcisionem nullum fuisse propriè Sacramentum: quia si aliquod, maximè pro paruulis; pro eis autem non fuit, vt dicimus.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum in statu innocentie futura essent Sacramenta, si Adamus non peccaret.*

Conueniunt Theologi, de facto nullum fuisse proprium Sacramentum pro primis parentibus ante peccatum, quia nullo fundamento constat fuisse aliquod à Deo pro eo statu institutum.

Est tamen difficultas, An si status ille innocentie & absque peccato perseveraret in Adamo, & in suis posteris, futura essent Sacramenta. Procedit autem ex vi præsentis decreti, quo Deus de facto meritis Christi motus decreuit instituere Sacramenta.

Circa



Circa difficultatem sic intellectam conueniunt Theologi, in casu dicto nullum futurum Sacramentum in eo statu, quia Deus de facto tantum decreuit instituere Sacramenta, excitatus & motus meritis Christi: imò meritis passionis illius; ergo non veniente Christo saltem passibili, vt verè non veniret saltem passibilis, & meritis ipsius, saltem suæ passionis, non futuris, Deus nullum Sacramentum institueret ex vi decreti, quod de facto habuit.

Sed an perseverante statu innocentiae absque peccato in primo parente, & in posteris ipsius, Deus haberet aliud decretum, quo de facto institueret Sacramenta, incertum est, & conijci nequit, quia

nullum pro hac parte apparet firmum indicium.

Sed an si, Adamo non peccante, aliqui posteriori ipsius mortaliter peccarent (vt credi potest ex eo, quòd non recepissent gratiam magis inamissibilem, quàm ipse Adamus, qui eam habens peccauit mortaliter) futura essent aliqua Sacramenta pro illis qui peccarent, neque affirmatiuè neque negatiuè responderi potest, nisi temerè & absque fundamento; quia ex vna parte in eo casu Deus omnino esset liber ad vtrumuis, & ex altera nullum apparet firmum indicium; neque vestigium, quo id possimus conijcere sicut conijcimus aliquos peccaturos, quamuis Adam non peccaret.

## DISPUTATIO III.

## De causalitate &amp; effectu Sacramentorum.

## DIFFICULTAS PRIMA.

*Vtrum Sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato.*

ONVENIUNT omnes, etiam hæretici, Sacramenta nouæ legis non esse causas principales gratiæ, quia gratia est ordinis supernaturalis, & Sacramenta sunt ordinis naturalis, quibus eo ipso nequit inesse virtus proportionata ad illam, qualis requiritur in causa principali ad suum effectum.

Est tamen difficultas, An per se ipsa causent gratiam, quamuis non vt causæ principales.

Non desunt hæretici, qui quamuis credant esse Sacramenta à Christo instituta, & eorum vim ad iustificandum verbis attollant, re tamen ipsa, non minùs quàm olim Messaliani, eam omnino ab illis tollunt, dum ipsis non aliam virtutem ad sanctificandum attribuunt, quàm mediatam, mediante scilicet quadam fide, seu fiducia, quam dicunt Sacramenta in suscipiente excitare, & media ea fiducia fieri iustificationem; ac proinde non maiorem vim sanctificandi attribuunt Sacramentis, quàm verbis prædicationis, quibus in audientibus potest dicta fiducia excitari, quia ipsi pertinaciter negant, Sacramenta per se ipsa, seu ratione sui, gratiam causare, & ex opere operato: imò inuehuntur in Catholicos, quòd modo loquendi *ex opere operato* vtantur, quia sit barbarus, & Grammaticæ minùs conueniens.

Catholici tamen contra hæreticos docent, Sacramenta nouæ legis ratione sui, & immediatè, & absque media excitatione ad fidem, seu fiduciam, causare ex opere operato gratiam in suscipientibus illa. Ita Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, Vasquez disp. 131. & Ægidius quæst. 62. art. 1. dub. 1. qui veritatem hanc optimè ex Scriptura deducunt, & ex constante Patrum & Ecclesiæ traditione, quibus Eugenius IV. innixus, veritatem hanc definiuit in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 7. can. 6. & 8. Et id de Baptismo non parum indicarunt Concilium Constantinopolitanum I. in Symbolo, & Mileuitanum II.

can. 2. & Arauficanum II. canone 25. & Nicæ-  
norum antè can. 8.

Araufic.  
Nicæn.

Et ratione probatur, desumpta ex verbis, quibus vtimur pro formis Baptismi & Pœnitentiæ; quia eis verè significatur, ipsis ratione sui, & non media dicta excitatione, fieri remissionem peccatorum; quia verbis illis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, &, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. satis significatur, ministrum per illa spiritualiter absolueri à peccatis, & spiritualiter abluere. Quod autem respondent hæretici, nempe dictis verbis idem denotari ac si minister diceret, *Ego testificor tibi remissa esse peccata*, &c., *te esse spiritualiter ablutum*, est omnino ineptum: sicut qui tantum vellet testificari vestem esse mundam; ineptè diceret, *Ego abluo vestem*: & sicut tabellio, qui vellet testificari debitum esse solutum ab aliquo, ineptè diceret, *Ego remitto debitum tibi*. Quòd si in Baptismo & in Pœnitentia reperitur vis & efficacia ad causandam gratiam immediatè, & ratione sui, absque excitatione ad fidem aliquam, negandum non est etiam in reliquis reperiri.

Sed obijciunt hæretici Primò nonnulla Scripturæ testimonia, in quibus iustificatio adultorum tribuitur fidei, ergo tribui non debet Sacramentis immediatè, sed media excitatione ad fidem. Respondemus, in eis testimonijs tribui iustificationem adultorum fidei solùm tamquam principio, fundamento, & radici, quod non tollit iustificationem etiam adultorum fieri per Sacramenta tamquam per instrumenta, sicut etiam id non tollit iustificationem fieri per contritionem perfectam, siue tamquam per formam, siue tamquam per vltimam dispositionem, & per Christum tamquam per causam meritoriam vniuersalem.

Obijciunt Secundò, quòd Baptismus nequeat nobis magis prodesse quàm Hebræis Circumcisio, quibus hæc non profuit nisi ad excitandam fidem, quia data est in signum fidei, vt

dicatur

Bellarmin.  
Vasquez.  
Ægid.

Eugen. IV.

Trid.  
Conc. Constantin.  
Mileuit.







dit Vasquez disp. 57. cap. 5. & 1. part. disp. 175. & 176. quia id aperte repugnat; sed in Sacramentis nulla agnoscitur virtus innata, adhuc imperfecta, & inchoata ad productionem gratiæ (qualis in intellectu quasi per experientiam agnoscitur ad cognitionem supernaturalem) neque ad productionem coniunctionis gratiæ cum anima, quia in Sacramentis nullum est vestigium talis virtutis, quia nulla in illis apparet proportio, nec præparatio accommodata ad productionem gratiæ, neque coniunctionis illius cum anima; ergo absque fundamento dicitur Sacramenta posse assumi vt instrumenta physica ad productionem gratiæ, & ad coniungendum illam cum anima.

Et quamuis assumi possent, admittendum non est, de facto assumi; quia modus causandi gratiam adeo extraordinarius, de quo est tanta difficultas an sit possibilis de potentia Dei absoluta, non est de facto tribuendus Sacramentis absque vrgenti fundamento: ad id autem nullum est vrgens fundamentum, quia in primis ad id non sufficit, quod in Scriptura & à Patribus Sacramenta dicantur animam sanctificare & abluere, & gratiam continere, quia ad hoc sufficit quod cauent moraliter gratiam; sicut qui demonia moraliter eiecit, dicitur id absolute efficere; & Medicus qui moraliter solum & directione sanat, dicitur absolute sanare; & Iudex, qui solo imperio aliquem suspendit, dicitur illum absolute suspendere. Quod verò modus physice causandi gratiam sit dignior, & magis ostensiuus omnipotentiae Dei (quod Vasquez negat) non sufficit, vt absque maiori & vrgentiori fundamento modum adeo extraordinarium & mirabilem causandi attribuiamus Sacramentis.

Sacramenta ergo nouæ legis, quæ sunt instrumenta gratiæ, & non physica, sunt à fortiori instrumenta moralia. In huius tamen explicatione variant Auctores nostræ sententiæ: quia Durandus existimat, Sacramenta tantum operari ad gratiam tamquam conditiones & causas sine quibus non. Hoc tamen non satisfacit, quia modus iste causæ & conditionis non sufficit, vt Sacramenta dicantur continere & conferre gratiam, & animam sanctificare. Scotus verò existimat, Sacramenta tantum operari ad gratiam tamquam dispositiones proximas ad illam ex parte suscipientis: quod nobis non probatur, quia Sacramenta neque sunt dispositiones naturales ad gratiam, vt patet, neque semper sunt morales, vt constat in Baptismo & in Confirmatione susceptis à paruulis, & in Eucharistia & in Extrema Vnctione, & in alijs susceptis à carentibus vsu rationis, & tamen Sacramenta tunc non sunt aliter instrumenta, quam sunt in adultis habentibus vsu rationis. Sunt ergo instrumenta moralia gratiæ, eam moraliter causantia, quia sua applicatione inducunt, imò obligant Deum ad collationem gratiæ, ratione institutionis & promissionis, quæ facta est ab ipso dandi gratiam sub conditione applicationis ipsorum, in quo efficacia & causalitas moralis consistit. Sunt autem instrumenta Dei ad gratiam, quia ipsis Deus quasi iuuatur ad collationem gratiæ non physice, sed moraliter, quia ipsis excitatur ad conferen-

dam gratiam; & hoc modo eam impetrant à Deo, non tamquam retributionem eam merendo à Deo, sed excitando Deum ad collationem gratiæ: & non solum Sacramenta, sed etiam minister ipse est instrumentum Dei, quamuis non aliter quam efficiendo Sacramentum quo Deus immediatè excitatur; ac proinde minister remotius concurret quam Sacramentum.

Conferunt verò gratiam in instanti terminatio totius motus Sacramentalis, quia vsque ad illud nondum est Sacramentum perfectum, siue in eo instanti nullum indiuisibile motus producat, & instans sit omnino extrinsecum Sacramento, vt quibusdam placet; siue in eo producat indiuisibile perfectum Sacramenti, & sit ipsi intrinsecum, vt nobis probatur.

Ex dictis constat, Sacramenta habere virtutem moralem ad producendam gratiam, & eam continere, imò & continere virtutem ipsam, hanc formaliter, & gratiam virtualiter.

Ad rationem ergo aduersariorum negandum est antecedens, nempe Sacramenta posse assumi vt instrumenta physica gratiæ: imò, eo admissò, neganda est consequentia, ob rationes dictas.

### DIFFICULTAS III.

#### *Quam gratiam conferant Sacramenta nouæ legis.*

Supponimus, in quo Catholici conueniunt, Sacramenta nouæ legis gratiam iustificantem conferre, aut primam, vt Baptismus & Pœnitentia (quæ ob id dicuntur Sacramenta mortuorum;) aut augmentum illius, vt reliqua Sacramenta, (quæ ob id dicuntur viuorum;) imò etiam duo Sacramenta mortuorum, quando applicantur homini iusto, seu spiritualiter viuo. Ita tamen Sacramenta conferunt gratiam iustificantem, vt etiam dicantur conferre gratiam Sacramentalem, singula proprias gratias, in quo Theologi conueniunt, & tradit Bernardus Sermone de Cœna Domini, dum docet, diuisiones gratiarum esse in diuersis Sacramentis, & merito, quia Sacramenta ad distinctos fines ordinantur.

Hoc ergo supposito, difficultas est in explicando quid sit gratia Sacramentalis, seu in quo consistat gratiam esse Sacramentalem.

Paludanus in 4. distinct. 2. quæst. 3. docet, gratiam Sacramentalem esse habitum quemdam superadditum gratiæ iustificanti, diuersum in singulis Sacramentis. Id tamen ab Scholasticis communiter reicitur, quia dicitur absque fundamento & necessitate.

Capreolus in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. qui non multum dissentit à Paludano, docet, gratiam Sacramentalem esse qualitatem superadditam gratiæ iustificanti, & diuersam in singulis Sacramentis, quam in Sacramentis imprimantibus characterem aut esse characterem ipsum, & in alijs non imprimantibus characterem esse alias qualitates. Quod etiam communiter reicitur, quia etiam absque fundamento & necessitate in Sacramentis non imprimantibus characterem constituit qualitates illas à gratia iustificante distinctas, & ipsi superadditas: & quia contra rationem in Sacramen-

Durandus.

Bernardus.

Paludanus.

Capreolus.



mentis imprimantibus characterem constituit gratiam Sacramentalem in characterem ipso: quia contingit, characterem imprimi absque gratia, ut quando Baptismus confertur adulto peccatori non habenti dolorem peccati; & e contra conferri gratiam absque characterem, ut quando post Baptismum hæc receptum recedit fictio.

*Bonauent.*

Bonauent. in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 6. docet, gratiam Sacramentalem esse ipsam gratiam iustificantem, quatenus curat animam à peccatis. Quod etiam nobis non omnino probatur: quia quamuis gratia, qua in Sacramentis remittuntur peccata, specialius opponatur peccatis, quam gratia collata extra Sacramenta, quia illa, utpote collata intuitu doloris peccatorum quæ remittit, specialem inducit respectum oppositionis ad peccata remissa, etiam venialia; nihilominus hoc modo insufficienter explicatur gratia Sacramentalis, & discrimen ipsius à gratia iustificante collata extra Sacramenta, saltem in aliis Sacramentis à Baptismo & Pœnitentia, quia in illis aliis aliquando non confertur gratia cum dicto respectu, vel quia suscipiens illa caret peccatis venialibus, vel quia de illis non dolet.

*S. Thomas.  
Caietanus.  
Ægidius.  
Vasquez.  
Suarez.*

S. Thomas ergo, Caietanus & Ægidius quæstione 62. art. 2. Vasquez disp. 131. Suarez disp. 7. sect. 3. & communiter recentiores docent, & merito, gratias Sacramentales in omnibus Sacramentis distingui inter se, & à gratia iustificante secundum se, in eo quod gratia iustificanti ex vi Sacramenti collatae annexa sunt auxilia gratia ad finem peculiarem, ad quem Sacramentum, ex vi cuius collata est, institutum fuit, quod non habet gratia iustificans secundum se, seu collata extra Sacramenta.

*Trident.  
Bernardus.*

Et in primis id habere gratiam Sacramentalem, seu collatam ex vi Sacramenti, significat Tridentinum sessione 14. in præmio ad Extremam Vnctionem, & etiam Bernardus ubi supra. Quod verò in eo consistat gratiam esse Sacramentalem, non leuiter indicat Bernardus, dum diuersas gratias Sacramentorum assignat per ordinem ad diuersa auxilia: & constat ex eo, quod gratia per Sacramentum collata distinguitur per id à collata extra Sacramentum; & gratia per vnum collata, à gratia collata per alterum.

Christus autem gratia collata per Sacramentum annexit collationem auxiliorum efficacium, non verò auxiliorum tantum sufficientium; quia non satis aptè instituatur peculiare instrumentum, quo applicarentur merita Christi ad auxilium, quod nullum est habiturum effectum (quamuis non ex defectu ipsius auxilij, sed hominis cui confertur) ad finem ad quem datur. Et id indicat Tridentinum quoad gratiam Sacramentalem Eucharistia, dum sess. 13. cap. 2. ait, Christum voluisse Eucharistiam sumi tanquam antidotum quo à peccatis mortalibus præseruemur; præteruamur autem auxilio efficaci, & non auxilio tantum sufficienti: ita tamen Christus annexit auxilia efficaciam, ut non certo & infallibiliter conferantur (aliàs qui semel dignè suscipit Eucharistiam, quæ ad perseuerantiam ordinatur, perseueraret infallibiliter vsque ad mortem) sed tantum conferuntur pro libito Dei, quod optimè fieri potuit, annexendo gratia Sacramentali

tamquam inductrici & excitatrici Dei ut ipse conferat auxilia illa; & non annexit illa gratia tamquam indefectibiliter obtinenti à Deo ipsa auxilia: id est, fieri potuit annexendo auxilia gratia Sacramentali tamquam suadenti, & non tamquam indefectibiliter persuadenti, conferendo gratia vim moralem ad quasi suadendum, & non ad indefectibiliter seu infallibiliter persuadendum, ad eum modum, quo quæcumque oratio bona est impetratiua, sed non indefectibiliter. Ob dictam autem annexionem factam gratia per Sacramentum collata, sæpè conferuntur auxilia personæ habenti, gratiam illam, quæ non conferrentur si eam non haberet.

#### DIFFICULTAS IV.

*Vtrum omnia Sacramenta habeant vim conferendi primam gratiam.*

Supponimus Primò, in quo Doctores conueniunt, quædam esse Sacramenta instituta ad viuificandam animam spiritualiter mortuam, ac proinde ad conferendam primam gratiam iustificantem, qua anima mortua viuificatur, Baptismum videlicet & Pœnitentiam, quæ ob id dicuntur Sacramenta mortuorum: reliqua verò quinque Sacramenta instituta esse ad augendam vitam spiritualem animæ, ac proinde ad conferendum augmentum gratia iustificantis, quæ ob id dicuntur Sacramenta viuorum.

Supponimus Secundò, in quo etiam Doctores conueniunt, omnia Sacramenta, etiam mortuorum, conferre augmentum gratia iustificantis suscipientibus illa in statu gratia, quia, ut definitur in Tridentino sess. 7. can. 7. omnia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam dignè suscipientibus illa; qui autem in statu gratia, acceptæ per contritionem, aut aliter, accedit etiam ad Baptismum & ad Pœnitentiam, dignè accedit, si aliàs accedat cum aliis requisitis; ergo recipit augmentum gratia, cum iam præhabeat primam gratiam. Unde duo Sacramenta mortuorum, quamuis primariò instituta sint ad conferendam primam gratiam, secundariò tamen instituta sunt ad augmentum, quando in suscipiente præsupponitur gratia.

*Trident.*

His ergo præsuppositis, est Primò difficultas, An duo Sacramenta mortuorum ita habeant vim conferendi primam gratiam, ut etiam aliquando illam de facto conferant. Et procedit de adultis, quia certum est, Baptismum, qui à paruulis suscipi potest, ipsis primam gratiam conferre.

Gabriel in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 2. docet, duo dicta Sacramenta numquam conferre primam gratiam adultis, quia ad effectum gratia Baptismi & Pœnitentia recipiendum ab adultis habentibus peccatum mortale, prærequiritur in illis perfecta contritio, per quam præsupponitur collata prima illa gratia.

*Gabriel.*

Vasquez verò disp. 158. Suarez disp. 7. & communiter Doctores docent, Baptismum & Pœnitentiam sæpè de facto conferre primam gratiam adultis; & merito: quia hæc duo Sacramenta instituta sunt ad tollendum ex opere operato peccatum etiam mortale; ergo illud aliquando tollunt,

*Vasquez.  
Suarez.*



tollunt, aliàs frustra fuissent ad id instituta; ergo aliquando conferunt primam gratiam, quia absque ea non tollitur peccatum saltem mortale. Quòd verò ad effectum gratiæ Baptismi & Pœnitentiæ in adultis non prærequiratur perfecta contritio, dicitur ex professo in propriis Tractatibus.

Secundò est difficultas, An quinque Sacramenta viuorum conferant primam gratiam aliquando.

Suarez disput. 7. sect. 2. Egidius quæst. 62. artic. 1. dub. 2. Reginaldus lib. 26. num. 45. Laimannus cap. 6. & plures alij, partem affirmatiuam tuentur, quando peccator accedit attritus, existimans bona fide se esse in statu gratiæ absque peccato mortali; quia de diuina clementia credi potest, quòd voluerit sic accedenti conferri primam gratiam. Id tamen non eodem modo defenditur ab auctoribus huius sententiæ: quia alij existimant, id habere dicta Sacramenta per se, & ex primaria institutione eorum, secundum rationem genericam Sacramenti, quamuis secundum specificam fuerint instituta ad conferendum augmentum gratiæ: alij verò existimant, id habere dicta Sacramenta ex institutione ipsorum secundum rationem specificam, secundario tamen & per accidens.

Vasquez. Vasquez verò disp. 205. loquens de Eucharistia, & alij plures in peculiaribus Tractatibus de Sacramentis viuorum, docent, Sacramenta hæc numquam conferre primam gratiam. Quod nobis probatur quoad reliqua quatuor Sacramenta, excepta Extrema Vnctione: quia de aliis quatuor nullatenus constat instituta fuisse ad conferendum aliquando primam gratiam, quia id non constat ex Scriptura, neque ex definitione aliqua Ecclesiæ, vt patet; neque ex aliqua Patrum traditione, quia nullus eorum id affirmavit, & si aliqui dicunt per ea Sacramenta remitti peccata, explicandi sunt de remissione venialium, quia verè remittuntur per illa, vt de Eucharistia tradit Tridentinum sess. 13. c. 2. Imò postquam dixit per Eucharistiam remitti peccata venialia seu quotidiana, addit, per eam nos præseruari à mortalibus, quo indicat, per Eucharistiam non remitti. Neque id constat ex aliqua efficaci ratione, quia sola diuina clementia absque vrgentiori ratione non sufficit ad id, quia non debet durum censei, Sacramenta, quæ tantum scimus instituta fuisse ad augendam vitam spiritualem spiritualiter viuus, non conferre vitam spiritualem spiritualiter mortuis, quamuis attritis & bona fide accedentibus.

Trident. Excepimus Extremam Vnctionem, quia existimamus, per hanc etiam conferri primam gratiam attritis, & absque mala fide suscipientibus illam; quia id efficaciter deducitur ex Scriptura Iacobi 5. & ex Tridentino sessione 14. canon. 1. & 2. de Extrema Vnctione, & ex verbis formæ Extremæ Vnctionis, vt expendimus Tractatu de Extrema Vnctione Diffic. VIII.

## DIFFICULTAS V.

Vtrum Sacramenta conferant æqualem gratiam.

Non procedit difficultas de Sacramentis diuersæ speciei inter se comparatis, quia incertum est, quod eorum, quantum est ex se, ceteris paribus ex parte dispositionis suscipientis, conferat maiorem gratiam; quamuis vero simile sit, Eucharistiam copiosiore gratiam cōferre quàm quodlibet aliud, ex eo quòd realiter contineat auctorem gratiæ: sed procedit de Sacramentis eiusdem speciei diuersis numero, vt de duobus Baptismis.

Circa difficultatem hanc Paludanus in 4. dist. 4. quæst. 1. docet, Sacramenta eiusdem speciei diuersis applicata, semper vi sua conferre inæqualem gratiam; quia existimat, homines creatos fuisse ad reparandas sedes Angelorum qui ceciderunt, & tot homines subrogandos esse Angelis lapsis, quot lapsi fuerunt, & in tanta gloria, quantam illi haberent si in gratia perseuerarent: & existimat, Angelos lapsos, si perseuerarent, habituros inæqualem gloriam, sicut etiam haberunt inæqualem gratiam, iuxta illud Augustini, *Erat Deus in Angelis simul condens naturam, & largiens gratiam*; ac proinde Sacramenta, quantum est ex se, inæqualem conferre gratiam: aliàs infantes, qui post Baptismum moriuntur, æqualem gloriam consequerentur.

Sed Paludanus incerto & infirmo nititur fundamento; quia homines creatos esse occasione lapsus Angelorum, & tot esse illis subrogandos, & in tanta gloria, incertum est & absque fundamento, & non minùs, Angelos ipsos habituros inæqualem gloriam: quia quamuis creati fuerint in inæquali gratia, vt significat Augustinus, potuissent tamen qui in minori creati fuerunt, meritis supplere defectum gratiæ acceptæ, ac proinde saltem in iure ad gloriam æquare, imò & superare creatos in maiori gratia.

Scotus. Gabriel. Scotus in 4. dist. 4. quæst. 7. art. 1. & Gabriel quæst. 2. art. 2. conclus. 7. docent, paruulis, & etiam adultis aliquando, ceteris paribus ex parte dispositionis, in Baptismo (& idem in reliquis Sacramentis) conferri inæqualem gratiam, non vi Sacramentorum, sed adultis ex sola voluntate Dei, & paruulis ex vi meritorum, vel baptizantis, vel parentum, vel adstantium; quia illos tam paruulos quàm adultos prædestinavit ad tantam gloriam, ad quantam aliquando non sufficit gratia quæ vi Sacramenti confertur.

Sed Scotus & Gabriel absque fundamento docent, post instituta Sacramenta nouæ legis Deum pro sola sua voluntate, aut ex merito aliorum conferre immediatè gratiam iustificantem: quia quamuis admittamus, Deum prædestinasse homines ad tantam gloriam ante præuisionem iustificationis, non deesset Deo modus, quo, seruata lege ordinaria, sic prædestinatos perduceret ad ius ad tantam gloriam, absque eo quòd prædicta gratia conferretur modo ad eò extraordinario, qui ordinariè tantum contingebat ad iustificationem paruulorum antiquorum media oblatione



tione parentum, aut aliorum, tamquam merito de congruo, ne tanta paruulorum multitudo absque ordinario remedio periret.

Suarez.  
Ægidius.

Alij, vt referunt Suarez & Ægidius, docent, Sacramenta eiusdem speciei semper conferre æqualem gratiam adhuc inæqualiter dispositis, quia Sacramenta operantur tamquam agentia naturalia, quæ, vbi non est impedimentum, operantur quantum possunt, ac proinde Sacramenta in subiectis capacibus carentibus obice, quantumvis inæqualiter dispositis, causabunt æqualem gratiam, quia operantur quantum possunt, & quantum est ex se, semper possunt idem.

Trident.

Sed horum doctrina iam post Tridentinum sustineri non potest, quia sess. 6. cap. 7. agens de iustificatione adultorum, quæ fit in Baptismo, ait, in ea vnumquemque recipere gratiam secundum propriam dispositionem, & cooperationem (& idem est absque dubio de reliquis Sacramentis); ergo Baptismus, & reliqua Sacramenta inæqualiter dispositis conferunt inæqualem gratiam, & æqualiter dispositis æqualem; aliàs gratia non conferretur secundum vniuscuiusque dispositionem. Dicuntur tamen operari vt agentia naturalia, quia absque sui libertate operantur, sed tamquam instrumenta causæ liberæ, quæ illa assumit ad maiorem vel ad minorem gratiam, vel potius illis ad maiorem vel minorem gratiam conferendam excitatur, iuxta suscipientis dispositionem.

S. Thomas.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

S. Thomas ergo quæst. 69. artic. 8. Vasquez disp. 135. Suarez disp. 7. Ægidius quæst. 62. art. 1. dub. 3. & communiter Theologi docent, Sacramenta eiusdem speciei gratiam conferre iuxta vniuscuiusque suscipientis dispositionem, inæqualiter dispositis inæqualem, & æqualem æqualiter dispositis, iuxta æqualitatem & inæqualitatem dispositionum: quod definitum est à Tridentino de Baptismo cap. illo 7. (& idem est de reliquis Sacramentis.) Et meritò sic institutum est à Christo: quia æquitas exigit, vt æqualiter dispositi æqualem fructum è Sacramento percipiant, aliàs maior cura & diligentia ad suscipiendum Sacramentum careret fructu Sacramentali. Vnde duo Baptismi duobus paruulis applicati, æqualem illis conferunt gratiam, quia illi æqualiter se habent ad Baptismum, nempe absque dispositione, & absque obice seu impedimento.

Sed quæ sit dispositio ad quodlibet Sacramentum, & quæ sit necessaria, commodiùs dicitur in propriis Tractatibus: nunc tamen dicimus, voluntatem suscipiendi Sacramentum, & deuotionem erga Sacramentum quod suscipitur, & reuerentiam in suscipiendo illud, & actum fidei quo credimus Deum esse auctorem gratiæ, & Sacramentum illud habere virtutem ad conferendam gratiam, & actum spei, quo medio illo Sacramento speramus à Deo fructum gratiæ; & etiam dolorem peccatorum, quando per Sacramentum remittuntur, esse dispositionem proportionatam ad perceptionem fructus Sacramenti. Status tamen gratiæ, quamuis necessarius sit ad susceptionem Sacramentorum viuorum, tamquam fundamentum & inchoatio ad augmentum gratiæ ad quod instituta sunt, non est dispositio; quia dispositio aliquem ordinem

importat ad effectum (vt calor ad ignem) quæ non importat sanctitas ad sui augmentum, ac proinde Sacramenta conferunt gratiam iuxta mensuram voluntatis suscipiendi illa, & deuotionis & reuerentiæ erga illa, & fidei, & spei, & doloris; non tamen iuxta mensuram sanctitatis personæ suscipientis.

Addimus, ad perceptionem fructus Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ in paruulis, nullam esse illis necessariam dispositionem, sed tantum statum gratiæ ad fructum Confirmationis & Eucharistiæ, & in adultis ad perceptionem fructus Sacramentorum necessariam esse voluntatem suscipiendi illa saltem implicitam, aut interpretatiuam, & specialiter ad fructum Pœnitentiæ etiam esse necessarium actum fidei & spei, & dolorem sanctum peccatorum, & ad fructum gratiæ Baptismi, etiam actum fidei & spei, & quando est peccatum actuale mortale, etiam dolorem illius; de quibus ex professo in propriis Tractatibus.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum Sacramenta in voto conferant eandem gratiam, quam conferunt realiter sumpta.*

Supponimus, Matrimonium & Ordinem in voto seu in desiderio tantum suscepta, non conferre ex opere operato gratiam, quam conferunt quando realiter suscipiuntur, quia hæc duo Sacramenta instituta sunt ad conferendam gratiam Sacramentalem valde vtilem ad statum conjugalem & Ordinis, ratione auxiliorum ipsi gratiæ annexorum; ergo absque fundamento dicitur, eam gratiam conferri ob votum seu desiderium ipsorum, quod non constituit ipsum desiderantem in eo statu.

Est ergo difficultas de aliis quinque Sacramentis, An votum, seu desiderium suscipiendi illa quando realiter suscipi nequeunt, conferat ex opere operato gratiam, quam Sacramenta ipsa realiter suscepta conferunt.

Non desunt qui partem affirmatiuam tueantur, quando Sacramenta nequeunt realiter suscipi ab eo qui illis valde indiget, quia Sacramenta instituta sunt à Christo ad lubuendum necessitati spirituali; ergo quando est hæc necessitas, & Sacramenta suscipi nequeunt, idem efficiunt suscepta in voto ex institutione Christi, quia hoc maximè decet benignitatem ipsius.

Sotus verò in 4. dist. 11. quæstione 2. artic. 1. Suarez disp. 8. Ægidius quæst. 62. art. 1. dub. 4. & communiter Doctores, partem negatiuam tradunt, & meritò; quia promissio Christi conferendi gratiam Sacramentalem, non est facta voto seu desiderio suscipiendi Sacramenta, sed Sacramentis ipsis realiter susceptis, v.g. reali manducationi Corporis Christi, & reali ablutioni, & absolutioni, & vnctioni; ergo absque sufficienti fundamento tribuitur voto Sacramentorum significatio & vis conferendi gratiam ex opere operato.

Non negamus, per actum contritionis perfectæ, & per quemcumque alium actum dilectionis amicitiae Dei, in quo includitur votum suscipiendi



Trienz. piendi Sacramentum, quod est sub precepto, conferri peccatori primam gratiam iustificantem, & iusto augmentum illius ex opere operantis, & etiam per desiderium expressum suscipiendi Sacramentum, idem augmentum conferri iusto ex opere operantis, quod tantum voluit Tridentinum sess. 13. c. 8. dum dixit, eos, qui voto Panem caelestem edunt fide viua, fructum & utilitatem illius sentire, id est, augmentum iustificationis, quantum non Sacramentalis; sed tantum asserimus, per dilectionem Dei, in qua continetur votum implicitum, & per votum expressum Sacramenti non conferri gratiam ex opere operato, ac proinde neque Sacramentalem, cui annexa sunt auxilia ad finem proprium cuiuscumque Sacramenti.

Quod verò homo constitutus sit in necessitate Sacramenti, & in impotentia suscipiendi illud, non sufficit, ut desiderio illud suscipiendi tribuamus, quod non constat Christum tribuisse.

## DIFFICULTAS VII.

Quando Sacramenta conferant gratiam.

Non desunt qui existiment, Sacramenta conferre gratiam non in instanti, sed in tempore immediato ante instans ultimum terminatum temporis in quo fit motus Sacramentalis, seu actio Sacramentalis, quia ex vna parte Sacramentum nequit gratiam conferre antequam sit, neque postquam iam desinit esse & non est, quia nulla res operatur quando non est; & ex altera parte Sacramentum consistens in motu (in quo sex Sacramenta, excepta Eucharistia, consistunt) non potest esse in aliquo instanti, sed in tempore; quia tantum est, seu existit, quando fit; & non fit in instanti, sed in tempore: ergo Sacramenta conferunt gratiam in tempore, & non in alio quam in tempore immediato ante dictum instans terminatum, quia in eo tempore, utpote immediato ante dictum instans fit & perficitur motus ipse Sacramentalis, seu Sacramentum.

Vasquez. Suarez. Henric. Egidius. Vasquez verò disp. 32. Suarez disp. 8. Henriquez libro 1. c. 19. Egidius q. 62. art. 1. dub. 4. & communiter Theologi docent, Sacramenta non conferre gratiam in tempore, sed in instanti, & non in alio quam in ultimo termino totius temporis, in quo successiue fit Sacramentum, & merito: quia Sacramenta non conferunt gratiam, nisi quando sunt perfecta & completa, qualia non sunt usque ad dictum instans, quia usque ad illud semper superest aliquid motus & actionis Sacramentalis, & in eo instanti iam nihil superest, ergo in tempore immediato antecedente ad dictum instans, siue indeterminato siue determinato non conferunt gratiam. Accedit, quod Sacramenta nequeunt connaturaliter ipsi gratia eam conferre, nisi in instanti; quia gratia, utpote spiritualis, & quoad extensionem indiuisibilis, & carens contrario diuisibili, & habens subiectum omnino indiuisibile & vltimatè dispositum, exigit in instanti produci.

Sotus. Maior. Vnde, ut contra Sotum & Maiorem aduertunt Suarez & Henriquez, Sacramentum administratum homini qui in dicto ultimo instanti moritur, non confert illi gratiam, quia in eo instanti iam non est homo ille.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, Sa-

cramenta conferre gratiam in instanti vltimo terminatio motus, seu actionis sacramentalis (siue instans istud sit omnino extrinsecum ipsi Sacramento, quia in eo nihil adhuc indiuisibile producit, ut quibusdam placet; siue sit aliquo modo intrinsecum, quia in eo producitur indiuisibile Sacramenti, ut nobis probatur) quia usque ad illud non sunt completa & perfecta Sacramenta. Quod autem in eo ultimo instanti nihil sit Sacramenti, seu motus Sacramentalis, nisi forsan indiuisibile illius, non impedit ut causare possit; quia Sacramenta tantum causant moraliter, ad quod non requiritur existentia actualis Sacramentorum, sed sufficit ipsa fuisse.

## DIFFICULTAS VIII.

Utrum Sacramenta fictè suscepta, postea, recedente fictione, conferant gratiam.

Difficultas procedit de Sacramentis fictè sumptis, fictione tantum effectui gratia opposita, ut quando Baptismus suscipitur ab adulto peccatore absque dolore peccati mortalis, & non opposita valori Sacramentorum, quia sic fictè suscepta, utpote inualida, nullam vquam conferunt gratiam.

Circa difficultatem ergo Durandus in 4. dist. 4. quæst. 4. & Canus de Pœnitentia, part. 5. docent, Baptismum & Pœnitentiam gratiam conferre, dicta fictione recedente. Quod autem id habeat Baptismus, probatur: quia alias peccata ante Baptismum commissa remitti possent absque Baptismo in re & in voto, quia tunc tantum possunt remitti per contritionem, aut per accidens per Sacramentum Pœnitentiæ, quæ tunc non continent in voto Baptismum, seu susceptionem Baptismi, quia tunc non est obligatio iterum suscipiendi Baptismum. Et quod idem habeat Pœnitentia, probatur: quia alias mortalia post Baptismum commissa, etiam possent remitti absque Sacramento Pœnitentiæ in re & in voto, illa scilicet peccata quæ confessa fuerunt in dicto Sacramento fictè factò, quia possunt remitti per contritionem absque Sacramento Pœnitentiæ, in re, ut patet, & etiam absque ipso in voto, quia tunc contritio, per quam remittuntur, non continet votum Sacramenti Pœnitentiæ quoad dicta peccata, quia non est obligatio iterum illa confitendi, quia iam fuerunt ritè & legitime confessa.

Maior in 4. dist. 4. quæst. 2. & Couarruias in Maior. cap. Alma mater. 1. part. 5. 4. num. 23. docent, hæc Couar. tria Sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem & Ordinem, fictè suscepta, conferre gratiam recedente fictione, quia alias fictè suscipiens illa maneret per totam vitam fructu illorum priuatus; quia cum imprimant characterem, repeti non possunt. Addunt Paludanus in 4. distinct. 4. quæst. 5. & Siluester v. Baptismus 4. id etiam conuenire Sacramento Pœnitentiæ, ob rationem Durandi & Cani.

Egidius quæst. 62. art. 1. dub. 5. docet, non solum Baptismum, Confirmationem & Ordinem conferre gratiam recedente fictione, sed etiam Matrimonium, pro tempore quo durat vinculum ipsius, & Extremam Vnctionem pro tempore quo in infirmitate, in qua datur, durat periculum mor-



tis; quia pro dictis temporibus nequeunt iterari & repeti: quod etiam in hac Academia docuit Ludouicus Tena Cathedræ Scoti moderator, & postea Episcopus Tortuensis.

Tena.

Suarez.

Suarez disp. 28. sect. 6. docet, non solum Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, & Extremam Vnctionem conferre gratiam recedente fictione, ob rationem dictam, sed etiam Pœnitentiam, ob rationem Durandi & Cani.

Caietanus.  
Sotus.

Caietanus tom. 1. Opusc. tract. 5. & Petrus Sotus de Institutione Sacerdotum, lect. 5. de Baptismo, docent, omnia septem Sacramenta fictè recepta conferre gratiam recedente fictione. Quia Baptismus ideò confert gratiam recedente fictione, quia quamuis gratia Baptismi suppleri possit per contritionem, id tamen est melius & vtilius hominibus; sed etiam est illis melius & vtilius, quòd reliqua Sacramenta fictè suscepta, postea, recedente fictione, conferant gratiam; ergo id etiam est illis tribuendum sicut Baptismo.

Sotus.  
Vasquez.

Sotus ergo in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8. & Vasquez disput. 161. docent, conferre gratiam recedente fictione, nulli Sacramento conuenire nisi Baptismo, si alicui conuenit; & meritò, quia si Sacramenta hanc virtutem haberent, eam haberent ex institutione Christi; ex hac autem illam non habent, quia nullo firmo fundamento constat, Christum virtutem hanc contulisse aliis Sacramentis à Baptismo, quia non constat Scripturam, neque traditionem, neque testimonio Patrum, nec efficaci aliqua ratione, vt constabit ex solutione eorum quæ ab aduersariis afferuntur. Sed, an Baptismus virtutem hanc habeat, dicimus Tractatu de Baptismo Disp. IV. Diffic. VIII.

Quòd autem absque Pœnitentia in re vel in voto nequeant remitti mortalia post Baptismum commissa, non conuincit, Pœnitentiam fictè susceptam conferre gratiam remittentem mortalia recedente fictione, quia illud saluatur, quamuis post dictam receptionem conferatur gratia, & remittantur peccata per contritionem, absque eo quòd in ea contineatur votum Pœnitentiæ; quia tunc gratia illa remittens peccata non confertur absque Sacramento illo Pœnitentiæ antea realiter & fictè suscepto, ac proinde etiam tunc est verum, quòd Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium in re vel in voto, quia absque illo iam antea suscepto non confertur gratia, quamuis non per illud, sed per contritionem perfectam.

Quòd verò Sacramenta imprimentia characterem numquam repeti possint, & Matrimonium durante vinculo ipsius, & Extrema Vnctio durante eodem periculo mortis infirmi, non conuincit, illa fictè suscepta, postea, recedente fictione, conferre gratiam; quia gratia ipsorum non est necessaria ad saluationem, quamuis sit maximè vtilis, præsertim cum malitia aut negligentia suscipientis Sacramentum, non fuerit adepta. Quòd si Baptismus id habet (quod Vasquez & alij negant) non est, quia gratia Baptismi sit quocumque modo vtilis, sed quia est vtilis ad remissionem mortaliū, absque qua non contingit saluari, & quia iterari non potest; gratia verò aliorum Sacramentorum non est vtilis ad id nisi Pœnitentiæ, hæc tamen iterari potest.

## DIFFICULTAS IX.

*Utrum Sacramenta veteris legis iustificarent non tantum ex opere operantis, sed ex opere operato.*

Supponimus, Sacramenta veteris legis, vt pote Opera bona ad cultum Dei pertinentia, & ex auxilio Dei facta, habuisse vim iustificandi ex opere operantis (sicut reliqua opera bona) quia in statu gratiæ facta causabant gratiam, tamquam merita de condigno augmenti illius; & facta in statu peccati, impetrabant à Deo spiritum contritionis (quamuis non infallibiliter) mediâ quâ remittebantur peccata. Cui non obstat Paulus ad Roman. cap. 3. & 4. & ad Galat. 2. dum ait, neminem ex operibus legis iustificari; quia tantum significat, neminem obseruatione legis, facta ex sola notitia legis, & ex propriis viribus iustificari, non excludens opera legis bene facta ex auxilio gratiæ.

Hoc supposito difficultas est, An Sacramenta illa etiam iustificarent ex opere operato.

Conueniunt communiter Doctores, Sacramenta veteris legis, Circumcisione excepta, non contulisse gratiam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, quod absque dubio tradit Eugenius IV. in Decreto fidei, dum ait, Sacramenta nouæ legis multum differre à Sacramentis antiquæ legis, quia hæc non causabant gratiam, sed tantum significabant per passionem Christi dandam; & satis significat Paulus ad Gal. 4. dum Sacramenta & ceremonias antiquæ legis appellat elementa infirma & egena; & ad Hebræos 9. dum ab ipso dicuntur iustitiæ carnis, quæ secundum conscientiam mundare non possunt; & cap. 7. dum affirmat, factam fuisse reprobationem antiquæ legis propter eius infirmitatem & inutilitatem; quia si illa aliter quam ex proprio merito, seu ex opere operantis, iustificarent, non possent in ratione Sacramentorum & ceremoniarum dici inutilia, & infirma, & egena, & non posse mundare conscientias.

Eug. IV.

Superest ergo difficultas de Circumcisione, an contulerit gratiam ex opere operato, non attenda ratione meriti circumcisi, neque ministri circumcidentis.

Alexander 4. part. quæst. 4. memb. 3. Bonauentura in 4. dist. 1. art. 3. quæst. 3. Scotus quæst. 6. Durandus quæst. 7. Henriquez lib. 1. c. 6. & Bonacina disp. 1. quæst. 1. punct. 3. docent, Circumcisionem ex opere operato, seu ex Dei institutione contulisse gratiam paruulis, per quam eorum originale delebatur. Quod tradidisse videntur Augustinus & alij Patres, quos refert Vasquez vbi infra; imò id tradidisse videtur Innocentius III. in cap. *Maiores*, de Baptismo, dum ait, Baptismum successisse Circumcisioni; & dum, assignans discrimen inter Baptismum & Circumcisionem, ait: *Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad Regnum eorum.* Quod etiam significari videtur Gen. 17. illis verbis: *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Vbi cum Deus minaretur etiam paruulis, qui non circumcidebantur, perpetua inter-

Alexand.  
Bonauent.  
Scotus.  
Durandus.  
Henriq.  
Bonacina.

interi-



interitum, nequit aliter verificari, nisi quia per Circumcisionem liberandi erant à peccato originali & morte perpetua.

S. Thomas verò quæst. 62. art. 6. & quæst. 70. art. 4. Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, à cap. 13. Valentia disp. 3. quæst. 3. punct. 3. Suarez disp. 10. Vasquez 1. 2. disp. 184. & Ægidius quæst. 62. ar. 6. docent, Circumcisionem non contulisse gratiam ex opere operato, quod tradunt plures Patres quos Vasquez refert: & id absque dubio definiuit Eugenius I V. in Decreto fidei, dum de Sacramentis antiquæ legis ait non causasse gratiam, sed tantum figurasse dandam per passionem Christi: sub Sacramentis autem antiquæ legis absque dubio comprehendit Circumcisionem, quia quamuis instituta fuerit ante legem Moyſis, fuit tamen etiam præcepta illi populo cui data fuit lex illa, & cum ipsa lege permansit tamquam vnum præceptum illius. Et quidem mirum esset, Pontificem tantum voluisse comparare Sacramenta noua cum Sacramentis antiquæ legis, excludendo Circumcisionem, quæ erat vnum ex Sacramentis & præceptis in ea lege vigentibus. Quod etiam deducitur ex testimoniis Scripturæ iam adductis, in quibus Sacramenta & carimonie veteris legis dicuntur infirma & egena elementa, & lex vetus dicitur infirma & inuulilis. Imò Paludanus ad Rom. 3. Circumcisioni nullam aliam vtilitatem attribuit, quam quod esset in signum populi, cui Deus commisit eloquia sua.

Et ratione probatur: quia si Circumcisio iustificaret amplius quam ex opere operantis, & attenda ratione meriti, id tantum haberet ex institutione Dei; nullo autem fundamento constat, Deum id instituisse, quia neque constat ratione aliqua efficaci, neque traditione, vt patet: neque ex Scriptura, quia si ex aliquo testimonio, maximè ex illo Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*; tamen ex hoc testimonio id non constat, quia in eo ad litteram tantum est sermo de morte corporali infligenda adultò transgredienti præceptum Circumcisionis, quod in eo capite dicitur *pactum*; & non de morte spiritali, vt denotatur addito illo, *delebitur anima illa de populo suo*, quo mors corporalis, & non spiritalis denotatur. Neque id constat ex testimonio Patrum; quia pro parte negatiua est maior numerus Patrum, quam pro affirmatiua, si pro hac sunt aliqui, quod non est certum: quia Augustinus & alij Patres, qui videntur parti affirmatiuæ fauere, exponi possunt, vt tantum velint in Circumcisione conferti gratiam & remissionem peccati originalis, sed non virtute ipsius vt Sacramenti, teu vt operis ad id instituti à Deo, sed tantum vt operis meritorij de congruo; quamuis infallibiliter ex promissione Dei, vt Disp. II. Diff. IV. dicimus de remedio pro paruulis in lege naturæ. Et hoc modo exponi potest Innocentius III. vbi supra, præsertim, quod quamuis id dixerit in sensu aduersariorum, id tamen non definiuit, vt aduertit Vasquez, quia id tantum adduxit in exemplum secundum opinionem probabilem, quod non incongruè fit à Pontificibus, quando id non est vnicum fundamentum eius quod definiunt, quale non erat in præsentis; vnde neque constat ex definitione Ecclesiæ.

Per Circumcisionem ergo conferebatur paruu-

lis gratia iustificans, non tamquam per opus operatum, & ex sola institutione Dei, sed tamquam per opus bonum, & meritum congruum ministri operantis: & non conferebatur adultis, quia isti non premebantur necessitate huius remedij, sicut neque remedij legis naturæ, quia iustificari poterant contritione perfecta. Conferebatur autem paruulis, quatenus per Circumcisionem offerebantur Deo à ministro ex fide Dei iustificatoris; & conferebatur infallibiliter ex promissione Dei, non aliqua peculiari Circumcisioni facta, quia de ea non constat, sed ex generali, qua generaliter oblationi pro paruulis factæ tamquam merito de congruo promissa erat remissio originalis ipsorum, ne carerent certo remedio, ac proinde quocumque alio signo, quo ex fide dicta paruulus offerretur Deo, iustificaretur; imò sola interiori oblatione, absque signo exteriori adhuc Circumcisionis, vt etiam dicimus Disp. II. Diffic. IV. Circumcisio ergo non solum non erat iustificans ex opere operato, sed neque necessaria erat vt opus seu meritum operantis; quia absque ipsa fieri poterat iustificatio per aliam exteriorem oblationem, imò & per solam interiorem.

Qua autem ratione, & quas personas, & quo tempore Circumcisio obligabat, & quo ritu, & quo instrumento faciendâ erat, aduertunt Vasquez disp. 162. & 163. Suarez quæst. 70. art. 3. Henriquez lib. 5. cap. 6.

Vasquez.  
Suarez.  
Henriq.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum per aliqua Sacramenta imprimatur character.*

**H**æretici nostri temporis negant esse Sacramenta aliqua imprimantia characterem, quia non constat Scriptura, vt patet; neque traditione, quia vsque ad Innocentium III. nulla inuenitur mentio characteris; neque id constat ratione aliqua efficaci.

De fide tamen est, esse tria Sacramenta characterem imprimantia, nempe Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, quod admittunt omnes Scholastici, etiam Gabriel, quamuis de hac re non sit omnino certus. Et id definirunt Innocentius III. in cap. *M.iores* 3. de Baptismo & eius effectu, & Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 7. can. 9. innixi perpetuæ & constanti traditioni Ecclesiæ, cuius nullum post Apostolos agnoscitur initium.

Characteris autem Baptismi expressam mentionem faciunt Cyrillus Ierosolymitanus in Præfatione in Catecheses, Basilius Homil. 13. Nazianzenus Orat. 40. Epiphanius Hæresi 8. Augustinus Epist. 25. & sæpè alibi. Et per Confirmationem etiam imprimi characterem, significat Augustinus lib. 2. Contra litteras Petiliani, c. 104. Et etiam imprimi per Ordinem, significat Nyssenius Orat. de Sancto Baptismo. Et tanè, semel admisso caractere Baptismi, facile est eum etiam admittere in Confirmatione & Ordine, quia etiam nequeunt repeti, sicut neque Baptismus.

Quod ratione Theologica probatur: quia Baptismus, Confirmatio, & Ordo nequeunt iterari, vt notissima traditione constat; id autem ex nullo alio capite prouenire potest, nisi quia imprimant

Gabriel.  
Innoc. III.

Eug. IV.  
Trident.

Cyrillus  
Ierosol.  
Basilius.  
Nazianz.  
Epiphanius.  
Augustinus.

Nyssenius.



characterem indelebilem, ne duplex character frustra imprimatur: ergo.

Ad fundamentum ergo hæreticorum constat, ante Innocentium III. non paucos Patres mentionem fecisse characteris: & quamvis id non constet ex Scriptura, constat tamen ex perpetua traditione, quia ei innixi fuerunt Pontifices, & Patres Concilij Tridentini, ad id definiendum.

## DIFFICULTAS XI.

*Utrum character Sacramentalis sit qualitas, an relatio.*

Scotus.  
Durandus.  
Guillel.

Scotus in 4. dist. 6. quæst. 10. Durandus dist. 4. q. 1. & Guillelmus Parisiensis Tract. de Baptismo c. 1. docent, characterem non esse qualitatem, sed relationem, qua homo deputatur seu insignitur ad actiones sacras, Primò, quia relatio sufficit ad saluanda omnia quæ Ecclesia attribuit characteri. Secundò, quia character est signum, quo homo insignitur ad aliquam actionem sacram; signum autem est in genere relationis. Prædicti tamen Doctores in eo dissentiunt, quòd Scotus existimat esse relationem extrinsecam, & rationis; Durandus verò & Guillelmus, esse intrinsecam & realem.

S. Thomas.  
Caietanus.  
Vasquez.  
Suarez.

S. Thomas verò, Caietanus & recentiores Thomistæ q. 63. art. 2. Vasquez disp. 134. Suarez disp. 11. sect. 2. & communiter Theologi docent, characterem non esse relationem, sed esse rem absolutam, & non aliam quàm qualitatem; & meritò: quia in primis non est relatio extrinseca, neque rationis, quia character animæ imprimitur, & est signum indelebile, ut dicitur in Tridentino. Relatio autem extrinseca, & rationis, non propriè dicitur imprimi, (quamvis dicatur conferri;) neque dici potest signum, id est, cui conveniat significatio. Deinde, non est relatio realis intrinseca prædicamentalis, quia hæc nunquam producitur, nisi in ipsa re quæ refertur, aut in alia producatur aliquid absolutum, ex quo relatio illa oriatur, ut inductione constare potest. Ut autem character producatur in anima, non est necessarium, quòd in ipsa, neque in alia re producatur aliquid, quia ipse solus potest absque gratia, & absque aliquo alio produci & imprimi, ut supponitur ab Scholasticis; ergo character non est relatio, sed res absoluta.

Quòd verò character sit qualitas, ex eo constat, quòd non possit esse substantia, quia imprimitur animæ; neque possit esse quantitas, quia imprimitur animæ spirituali; neque possit ad aliud prædicamentum distinctum à qualitate pertinere, quia id absque indicio aliquo dicitur; & tandem, quòd sit qualitas ab anima & ab eius potentiis re ipsa distincta, constat ex eo, quòd anima, & eius potentiæ re ipsa separata existunt à characterem, quia sunt absque eo ante receptionem Sacramentorum, per quæ imprimitur.

Ad primam ergo rationem constat, relationem non sufficere ad saluanda ea quæ à Tridentino dicuntur de characterem. Et ad secundam concedimus characterem esse signum, & ipsi convenire significationem sitam in relatione extrinseca, & rationis; nihilominus ipsum characterem, cui convenit dicta significatio, ratione cuius dicitur signum, esse qualitatem realem.

## DIFFICULTAS XII.

*Ad quam speciem qualitatis pertineat character Sacramentalis.*

Doctores, qui admittunt characterem esse qualitatem realem, conveniunt (excepto Richardo) illum directè & per se ad prædicamentum qualitatis pertinere; quia est qualitas permanens, utpote indebilis, imò in suo genere perfecta: quòd autem sit supernaturalis, cum sit supra exigentiam cuiuscumque rei creatæ, & sit impressa, & infusa à Deo, non obstat ut uniuocè conveniat cum qualitate naturali, & cum ea in eodem prædicamento collocetur, ut constat in actionibus naturali & supernaturali.

Richardus.

Est tamen difficultas, Ad quam speciem qualitatis pertineat character.

Marsilius in 4. quæst. 4. art. 1. & Catherinus in Opusc. de Characterem, docent, characterem Sacramentalem ad quartam speciem qualitatis pertinere, nempe ad figuram, quia sit figura spiritualis qua anima figuratur. Immeritò tamen: quia figura propriè sumpta nequit inueniri nisi in corporibus, utpote resultans ex terminis quantitatis; in spiritualibus autem solum per metaphoram. Et ita Aristoteles pro quarta specie qualitatis tantum adduxit exempla figurarum Mathematicarum.

Marsilius.  
Catherin.

Altiſiodorensis lib. 4. tract. 3. cap. 2. docet, characterem pertinere ad tertiam speciem qualitatis, nempe ad passibilem qualitatem, quia sit lumen spirituale, quo intellectus illuminatur ut melius videat quod faciendum est. Immeritò tamen, Primò, quia absque fundamento dicitur esse lumen intellectus, & principium manifestationis seu intellectiois in actu. Secundò, quia quamvis esset lumen, potius esset habitus, quia disponderet intellectum ad melius intelligendum.

Altiſiodor.

Caietanus q. 63. art. 2. & Scotus in 4. dist. 1. q. 4. art. 2. docent, characterem pertinere ad secundam speciem qualitatis, nempe ad potentiam, quia characteri Baptismi convenit positiua ratio potentia passiva ad recipiendum, quia constituit hominem potentem, & habilem ad recipiendum reliqua Sacramenta; & characteri Confirmationis & Ordinis convenit positiua ratio potentia activa, characteri Confirmationis ad defendendam fidem coram tyranno, & characteri Ordinis ad ministrandum in Ecclesia iuxta varietatem Ordinis.

Caietanus.  
Scotus.

Immeritò tamen character dicitur ad secundam speciem qualitatis pertinere, quia ad eam non pertinet nisi quod est principium physicum (imò non nisi actiuum, quia substantia non indiget potentia aliqua accidentali ad receptionem) character autem Sacramentalis non est principium physicum, quia non est ad physicè agendum, neque ad physicè recipiendum, ut patet; quia character Baptismi tantum est principium morale quasi passivum, seu quasi conditio moralis ex voluntate Dei ad recipienda validè Sacramenta, & quasi actiuum ad efficiendum Sacramentum Matrimonij; & character Confirmationis tantum est principium morale quasi actiuum ad propugnandam fidem; & character Ordinis, si sit Diaconi aut Subdiaconi, ad ministrandum in Sacrificio; & si sit Sacerdotis, ad efficienda Sacramenta,

quia



quia illud physicum, quod fit ab insignitis caractere, non fit medio caractere, sed mediis aliis principiis physicis, & ideo illud etiam fieri potest ab aliis non habentibus caractere, vt receptio physica Sacramentorum, quæ fit ab habentibus caractere Baptismi; & applicatio materia, & prolatio formæ, quæ fit ab habentibus caractere Ordinis; & propugnatio fidei, quæ fit ab habentibus caractere Confirmationis, etiam si physicum, quod fit ab habentibus caractere, habeat, vel acquiritur ex Dei institutione valorem aliquem moralem, aut aliquem extrinsecum respectum, quem non habet physicum illud factum à non habentibus caractere. Et ob id caractere dici potest principium morale, vel conditio moralis: & ideo S. Thomas quæst. 63. art. 2. reduxit caractere ad secundam speciem qualitatis, non negando pertinere directe ad aliam. Et quamuis caractere esset principium physicum alicuius operationis aut effectus, non pertineret ad secundam speciem, quia non esset principium natium ipsi animæ, quod requiritur ad secundam speciem qualitatis, ob quod hæc species dicitur potentia & impotentia naturalis, id est nativa, in quo secunda species distinguitur ab habitu operatio ad primam speciem pertinente; quia iste non est principium natium ipsi rei, sed aliunde requiritur.

S. Thomas.

Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

Vasquez ergo disp. 134. num. 70. Suarez disp. 11. sect. 3. & Ægidius quæst. 63. docent caractere pertinere ad primam speciem qualitatis, & merito: quia ad hanc pertinet qualitas, qua subiectum conuenienter vel disconuenienter se habet vel in suo esse substantiali, vel in ordine ad operandum, quæ dicitur habitus, vel dispositio; caractere autem est qualitas, qua anima conuenienter physicè se habet non in ordine ad physicè operandum, sed in suo esse physico; quia homo illo ornatur & insignitur physicè, vel tamquam domesticus Dei, vt caractere Baptismi; vel tamquam miles Dei, vt caractere Confirmationis; vel tamquam ministrator & dispensator mysteriorum Dei, vt caractere Ordinis.

## DIFFICULTAS XIII.

In quo caractere Sacramentalis subiectione  
tur proximè & immediatè.

Scotus.  
Bassol.

Scotus in 4. dist. 6. quæst. 11. & Bassolis dist. 5. & 6. q. 2. docent, caractere proximè & immediatè subiectione in voluntate, quia caractere est dispositio ad gratiam quæ est in voluntate, dispositio autem est in eodem subiecto in quo est forma ad quam est dispositio.

Caietanus.  
Valent.  
Sotus.

Caietanus quæst. 63. art. 4. Valentia disp. 3. q. 4. punct. 4. & Sotus in 4. dist. 1. q. 4. art. 4. docent, caractere immediatè subiectione in intellectu, quia est potestas quædam physica adtribuendum vel recipiendum Sacramenta, quæ sunt diuini cultus, qui consistit in quadam fidei testificatione & professione; fides autem est in intellectu, & consequenter etiam caractere, qui ad fidei testificationem ordinatur.

Alexand.  
Bonauentura.

Alexander 4. part. q. 8. memb. 8. art. 1. & Bonauentura in 4. dist. 6. art. 1. q. 3. docent, caractere immediatè subiectione in intellectu & in vo-

luntate, quia conformatur animam nostram ad similitudinem Dei; similitudo autem Dei, quam habet anima, est in intellectu & in voluntate.

Marsilius verò in 4. quæst. 4. art. 1. Vasquez disp. 134. cap. 4. Suarez disp. 11. sect. 4. & Ægidius q. 63. art. 4. docent, caractere immediatè subiectione in anima ipsa, & merito: quia caractere non est principium physicum alicuius operationis, sed tantum est habitus, vel dispositio, qua anima in suo esse substantiali benè & conuenienter se habet (qualis est gratia habitualis in opinione distinguendum illam à charitate) ergo immediatè est in ipsa anima, sicut etiam est gratia in opinione prædictorum.

Marsilius.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

Ad rationem ergo pro Scoto & Bassole negamus, caractere esse dispositionem ad gratiam: & quamuis esset, tantum esset moralis, quæ potest esse in alio subiecto, vt patet de fide, quæ est moralis dispositio ad gratiam, & tamen fides est in intellectu, gratia verò in anima vel in voluntate.

Ad rationem verò pro Caietano, Valentia & Soto negamus, caractere esse potestatem physicam conferendi vel recipiendi Sacramentum, quia tantum est qualitas qua anima benè se habet in suo esse, & aliqui caracteres sunt qualitates, quibus anima non solum benè se habet in suo esse, sed etiam quibus homo ex Dei institutione redditur moraliter aptus vel ad recipiendum vel ad efficiendum Sacramentum; & quamuis esset potestas physica ad diuinum cultum, non esset in intellectu, sed potius in voluntate, in qua virtus religionis, qua Deus colitur, reperitur.

Et ad rationem pro Alexandro & Bonauentura, quamuis admittamus, nos medio caractere conformari similitudini Dei, negamus tamen, ipsum esse in vtraque potentia, quamuis similitudo Dei esset in vtraque; quia caractere est quædam simplex qualitas, quod non conuenit similitudini Dei, quæ sita est in ipsa anima cum vtraque potentia, aut potius in relatione quadam extrinseca, & denominatione extrinseca, qua non inconuenit plura simul denominari.

## DIFFICULTAS XIV.

Vtrum caractere Sacramentalis sit  
indelebilis.

Conueniunt Theologi, caractere esse indelebilem (ad minus quamdiu homo viuit) quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto, & à Tridentino sess. 7. can. 9. & constat ex perpetua & constante traditione Ecclesie.

Eug. IV.  
Trident.

Caractere autem dicitur indelebilis, non respectu Dei, qui suspendendo concursus quo ipsum conseruat, eum destrueret, & qui posset illum, quamuis conlisteret in extrinseca relatione, & denominatione proueniente ex Sacramento, delere & destruere, statuendo, vt qui reciperet Sacramentum conferens caractere, non maneret habilis, neque deputatus ad recipienda Sacramenta, neque ad illa conficienda, neque ad propugnandam fidem, nisi vsque ad tantum tempus, aut nisi vsque ad commissionem alicuius peccati: sicut etiam consecratio templi posset ab Ecclesia deleri, statuendo, vt non esset consecratum nisi vsque ad tantum tempus, vel nisi vsque



ad occasionem aliquam. Sed character dicitur indelebilis ab agente creato, quia agens creatum neque potest illum physicè destruere, quia caret contrario, medio quo posset illum destruere, neque potest moraliter, seu demeritoriè, quia Deus statuit vt homo non amittat illum, quamuis peccet.

Et quamuis certum non sit, characterem non esse delendum post mortem, tamen est valdè verisimile, delendum non esse post mortem, ( in quo S. Thomas quæst. 63. art. 5. & communiter Theologi conueniunt ) sed post illam manere in æternum in anima iusti ad eius decorem, & in anima damnati ad eius ignominiam & confusionem. Et

fanè, si post mortem non maneret, defunctus, qui à Deo resuscitaretur, esset iterùm baptizandus, & confirmandus, & ordinandus, quod dici non potest.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Ægidius, quòd quamuis character maneat post mortem in anima defuncti, in ea tamen non manet potestas aut habilitas illa moralis, aut deputatio characteri annexa; quia ei tantùm pro hoc statu annectitur, quia pro alio est superflua.

Sed, an character intendi & remitti possit, incertum est, & nullo principio indagabile: est tamen certum, imprimi æqualem omnibus, quia non imprimitur iuxta mensuram alicuius dispositionis.

## DISPUTATIO IV.

## De causa Sacramentorum.

DVplex est causa Sacramentorum, altera instituens illa, & altera illa efficiens & ministrans; & de vtraque disputandum est, priùs de causa instituente, & postea de causa efficiente & ministrante.

## DIFFICULTAS I.

*Utrum possit creatura communicari potestas instituendi Sacramenta conferentia gratiam ex opere operato.*



ONVENIUNT Doctores, potestatem primariam & principalem, & independentem ab altero tamquam à superiore ad instituenda Sacramenta collatiua gratiæ ex opere operato, non posse creaturæ communicari; quia impossibile est, creaturam fieri independentem à Deo in collatione efficacitatis & virtutis faciendæ alicui signo ad conferendam gratiam.

Est tamen difficultas, An ex commissione Dei possit communicari creaturæ potestas instituendi dicta Sacramenta pendens à Deo, & ipsi subordinata.

Scotus in 4. dist. 1. q. 3. Gabriel q. 2. art. 3. dub. 2. & Vasquez disp. 135. partem negatiuam tuentur, quia instituere dicta Sacramenta, est nouiter & primò statuere signum collatiuum gratiæ: nulla tamen creatura id potest primò & nouiter statuere adhuc ex commissione Dei, quia quodcumque statutum seu decretum creaturæ circa impositionem dicti signi supponeret decretum Dei, ex quo decretum creaturæ exordium sumeret, ac proinde creatura non primò statueret illud, sed Deus.

Sotus verò in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 4. Valentia disp. 3. quæst. 3. punct. 1. & Suarez disp. 12. sect. 2. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia non repugnat, Deum committere alicui creaturæ potestatem iustificandi homines modo ipsi creaturæ placito, & creaturam ipsam ex hac potestate sibi commissa eligere modum iustificandi homines ex opere operato, & infallibiliter, mediis signis

exterioribus hominibus applicatis, & ea assignare & imponere ad id: sed hæc assignatio & impositio signorum sic collatiuorum gratiæ esset vera institutio Sacramentorum de quibus loquimur, ergo non repugnat, dictam potestatem communicari & committi creaturæ. Consequentia patet, & etiam Maior: Minor autem, in qua est tota difficultas, probatur; quia assignatio illa & impositio dictorum signorum esset prima, & noua statutio eorum, quia tantùm supponeret decretum Dei, quo committeret creaturæ iustificationem hominum, & electionem mediocum ad id; & non supponeret impositionem seu institutionem aliquam illorum signorum à Deo factam: quia commissio illa Dei, & decretum quo potestatem illam committeret, non esset impositio & statutio signorum, vt patet; neque decretum Dei esset immediatè circa impositionem, sed tantùm circa potestatem iustificandi homines, & eligendi media ad id; ergo impositio & assignatio signorum facta à creatura illa, esset prima & noua, ac proinde vera institutio. Ex quo patet ad rationem aduersariorum.

Vnde ob eandem rationem etiam potuit creaturæ à Deo communicari potestas instituendi Sacramenta veteris legis, quibus ex vi institutionis conueniebat denotare infallibiliter gratiam dandam per passionem Christi.

Obseruandum tamen est, potestatem excellentiæ, qua humanitas Christi de facto instituit Sacramenta noua, non posse creaturæ puræ communicari eo modo quo humanitati Christi communicata fuit, nempe ob merita condigna, quibus de condigno eam potestatem meruit, & effectum Sacramentorum: quia nulla pura creatura potuit hæc de condigno mereri, quia gratia adoptionis, qua pura creatura posset esse prædita, non potest esse semen & principium merendi de condigno, nisi augmentum sui ipsius, & etiam gloriam, & non nisi habenti ipsam gratiam, & non aliis: id tamen potuit & potest mereri de congruo, ac proinde quòd ipsi potestas communicetur, & quòd Sacramenta instituta ab ipsa impetrent gratiam.

Scotus.  
Gabriel.  
Vasquez.

Sotus.  
Valentia.  
Suarez.



## DIFFICULTAS II.

*Utrum omnia Sacramenta nouæ legis fuerint de facto à Christo immediatè instituta.*

**C**irca hanc difficultatem non tam est controversia inter hæreticos & Catholicos, quam inter Catholicos ipsos, quia hæretici expressè affirmant, Sacramenta, quæ ipsi esse admittunt, fuisse à Christo instituta.

Non ergo defuerunt Catholicos, qui existimauerint aliqua ex septem Sacramentis, præsertim Confirmationem & Extremam Vnctionem, non fuisse à Christo immediatè instituta.

Iam tamen Catholicos omnes conueniunt, omnia septem Sacramenta fuisse à Christo immediatè instituta: quod iam est adeò certum, vt negari nequeat absque iniuria fidei, & definitum videtur à Tridentino sess. 7. can. 1. dum dicitur: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* vbi absque dubio sermo est de institutione à Christo immediatè facta, & non mediatè per Apostolos & Ecclesiam, potestate ab ipso accepta, quia illud verba apertius significant, & verba in definitionibus dogmaticis in apertiore significatione accipienda sunt, quod maximè confirmat Tridentinum sess. 14. can. 1. dum de Extrema Vnctione, quæ Iacobi 5. videbatur à Christo instituta per Iacobum, ait institutam esse à Christo, & à S. Iacobo promulgatam, ac proinde non institutam immediatè à Iacobo, sed à Christo.

Trident.

Ambros.

August.

Quod etiam significant Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. dum ait: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus?* Et Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 9. dum loquens de Sacramentis nouæ legis ait: *Ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina.* hoc verò quod addit de Apostolica disciplina, non addit, quia sentiat, Christum quædam, & Apostolos alia instituisse, vt constat ex eodem Epist. 118. cap. 1. vbi supponit omnia fuisse à Christo instituta, & non ab Apostolis, neque à Conciliis plenariis; sed eo addito solum significat, ea quæ à Christo fuerunt instituta, fuisse in nos per Apostolos deriuata.

Cyprianus.

Quod verò ab hæreticis obijcitur ex Cypriano in Sermonem de Ablutione pedum, vbi significare videtur, solam Eucharistiam esse à Christo institutam, est parui momenti; quia Sermo ille non est Cypriani, sed alterius, qui ibi plura obscure tradit: nihilominus id ita exponitur à Vasquez disputat. 135. c. 1. vt non aduersetur dictæ doctrinæ.

Vasquez.

Ita tamen Sacramenta nouæ legis fuerunt à Christo Domino immediatè instituta, vt non fuerint ab ipso vt Deo instituta, aliàs institutio Sacramentorum non attribueretur peculiariter Christo; sed fuerunt instituta ab ipso vt homine, potestate excellentiæ sibi à Deo ex meritis condignis communicata & commissa.

Sacramenta verò veteris legis, etiam Circumcisionis, instituta fuerunt immediatè à Deo, sicut & lex vetus fuit ab ipso immediatè lata, & per Angelum Moysi intimata, & per Moysen populo promulgata, quia nullo fundamento dici potest illa fuisse ab homine aliquo instituta.

In lege autem naturæ nullum fuit propriè Sacramentum adhuc pro paruulis, qui sola eorum oblatione Deo ab adultis facta iustificabantur ex opere operantis, ipsorum videlicet offerentium, infallibiliter tamen ex promissione Dei, sicut ex eadem iusti morientes cum meritis infallibiliter adipiscuntur gloriam ex opere operantis.

## DIFFICULTAS III.

*Utrum soli & omnes homines sint ministri Sacramentorum nouæ legis.*

**C**onueniunt Theologi, etiam Scotus, contra Lutherum, solos homines, & non Angelos, esse ministros efficientes & ministrantes Sacramenta, quia officium & potestas efficiendi & ministrandi Sacramenta pendet ex institutione Christi, quæ non constat facta esse pro Angelis, & constat facta esse pro hominibus, non solum generaliter quoad omnia Sacramenta, ex perpetuo sensu & vsu Ecclesiæ; sed etiam specialiter quoad Baptismum, ex illo Matth. 28. *Baptizantes eos;* & quoad Eucharistiam, ex illo Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem;* & quoad Pœnitentiam, ex illo Ioan. 20. *Quorum remisistis peccata;* & quoad Extremam Vnctionem, ex illo Iacobi 5. *Inducat presbyteros Ecclesiæ;* & quoad Confirmationem, ex Act. 8. vbi Apostoli mittuntur ad confirmandum baptizatos in Samaria; & quoad Ordinem, constat ex traditione Ecclesiæ: pro Matrimonio autem res est certissima, quia soli contra-hentes sunt ministri. De his tamen ex professo in propriis Tractatibus.

Ea verò quæ obijciuntur à Luthero, ad probandum etiam Angelos habere potestatem efficiendi & ministrandi Sacramenta, omittimus, quia facilia sunt, & illa soluit Vasquez disp. 138. Nihilominus si contingat Angelum bonum Sacramentum aliquod efficere & ministrare, censendum est validum, vt aduertit S. Thomas q. 64. art. 7. non quia ad id habeat potestatem ordinariam, sed quia credendum est id efficere ex peculiari Dei commissione & ordinatione. Et ideò habita fuit vt valida ordinatio, qua Amphilocheus ordinatus fuit Episcopus ab Angelo, vt refert Nicephorus libro 11. cap. 20.

Vasquez.

Nicephorus.

Ita tamen soli homines sunt ministri Sacramentorum, vt id tantum conueniat hominibus viatoribus, & non Beatis, neque damnatis (vt contra Suarez disp. 13. sect. 1. aduertit Egidius q. 64. art. 7.) vt constat ex perpetuo sensu & vsu Ecclesiæ. Et sanè neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque aliunde agnoscitur facultas ministrandi Sacramenta inesse, & collata, nisi viatoribus: quod etiam docet Vasquez disp. 134. c. 5. loquens de ministris Sacramentorum, ad quorum ministerium requiritur character, qualia sunt reliqua, excepto Baptismo.

Vasquez.

Et quamuis soli homines viatores sint ministri Sacramentorum, sed non omnes omnium absque delectu, etiam si à Republica eligantur, vt contra Lutherum definitur in Tridentino sess. 7. can. 10. dum dicitur: *Si quis dixerit, in Sacramentis ministrandis omnes habere potestatem, & tantum opus esse vocatione & electione, anathema sit.*

Trident.



## DIFFICULTAS IV.

*Quid debeat intendere minister, ut valide efficiat & conferat Sacramentum.*

*Lutherus.  
Calvinus.*

**L**utherus & Calvinus ad valorem Sacramenti nullius alius obiecti intentionem in ministro requirunt, quam faciendi illud exterius cui conuenit ratio Sacramenti, v. g. ablutionem & prolationem verborum Baptismi, quamuis fiat animo irridendi & ludendi, absque intentione aliqua adhuc confusa efficiendi Sacramentum: & illis absque dubio adhæret Catherinus in Opusc. de Intentione ministri Sacramentorum, quamuis se subiiciendo Apostolicæ Sedi. Quibus sane re videtur Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 53. dum significat, simulationem & iocum ex parte conferentis Sacramentum non nocere valori ipsius, dum in recipiente absit simulatio. Eis quoque fauere videtur, & non parum, historia illa Athanasij: qui cum esset puer, alios pueros per iocum baptizauit, & tamen Baptismus ab ipso factus habitus fuit ut validus ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, ut refert Rufinus 1. Historiæ cap. 14.

*Catherinus.*

*Augustinus.*

*Rufinus.*

Et id ratione probatur Primò, quia ad valorem Sacramenti non requiritur intentionem alius obiecti, quam efficiendi exterius illud, seu materiale Sacramenti, est conuenientius ad securitatem valoris illius, & consequenter ad tranquillitatem conscientie suscipientis, ut patet. Secundò, quia semel facta institutione vocis ad significandum, non requiritur intentio proferentis, ut vox instituta significet; ergo semel facta institutione Christi, qua instituit exterius illud ad significandum gratiam, non est necessaria in ministro intentio aliqua, dum efficiat illud à Christo institutum ad id. Tertio, quia in contractibus & negotiis humanis non est necessaria in ministris alia intentio, quam efficiendi exterius illud quod à Domino præscribitur; ergo etiam in Sacramentis, quæ à ministris loco Christi tamquam Domini fiunt, non est necessaria alia intentio, quam efficiendi exterius illud quod à Christo institutum est in Sacramentum.

*Magister.  
Alexand.  
S. Thomas.*

Magister verò in 4. dist. 6. Alexander 4. p. q. 8. memb. 3. ar. 1. S. Thomas q. 64. art. 10. & reliqui Doctores (excepto Catherino, & forsitan etiam Siluestro v. *Baptismus* 3. q. 12.) docent, ad valorem Sacramenti in ministro requiri intentionem efficiendi Sacramentum, saltem confusam, intendendo videlicet facere quod facit Ecclesia, vel quod ministri Christiani faciunt, vel quod Christus instituit, vel aliud æquiuale. Quod absque dubio definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & oppositum damnatum est in Tridentino sess. 7. can. 10. dum ad valorem seu perfectionem Sacramenti dicitur necessariam esse intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, id est faciendi totum quod Ecclesia facit: Ecclesia autem non tantum efficit exterius illud cui ex institutione Christi conuenit ratio Sacramenti, sed etiam efficit Sacramentum. Et id specialiter definit Tridentinum sess. 14. can. 9. de Sacramento Pœnitentiæ, dum ait, Sacerdotem ioco absoluentem nihil agere, & tamen ille profert verba absolutionis ex intentione

*Eug. IV.  
Trident.*

proferendi illa. Quod generaliter quoad omnia Sacramenta absque dubio constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, cui Eugenius IV. innixus id generaliter definiuit, & cui Tridentinum innixum generaliter damnauit oppositum.

Id quoque ab absurdo probatur: quia si ad valorem Sacramenti sufficeret intentio adhibendi res & verba quæ adhibet Ecclesia, & non esset necessaria intentio efficiendi Sacramentum saltem confusa, fieret verus Baptismus ab illo qui luditer & irrisorie aliquem in fonte demergeret, dicens: *Ego te baptizo, vel, Ego te demergo, in nomine Patris, &c.* quia iste adhibet res & verba quæ adhibet Ecclesia, & illa adhibet ex intentione ea adhibendi. Consequens autem est absurdum, ergo etiam Antecedens.

Sed quamuis ad valorem Sacramenti necessaria sit intentio efficiendi illud exterius formaliter, id est tamquam cærimoniam Christianorum, tamen non est necessaria intentio formalis conferendi gratiam. In quo Doctores conueniunt, & sentit Ecclesia, dum non rebaptizat baptizatos ab illis hæreticis, qui existimant per Baptismum non conferri gratiam, & consequenter non intendentes illam conferre. Ad valorem ergo Sacramenti sufficit intentio adhuc confusa efficiendi Sacramentum, in qua virtualiter continetur intentio conferendi gratiam, quæ est effectus Sacramenti ea proportione, quæ effectus virtualiter continetur in sua causa.

Augustinus autem ubi supra non fauet hæreticis, quia in illo cap. nihil concludit, sed se remittit reuelationi Dei, aut resolutioni alicuius plenarij Concilij. Neque illis fauet historia illa Athanasij: quia Athanasius non solum habuit intentionem adhibendi exterius illud & materiale Sacramenti, sed etiam efficiendi illud Sacramentum; quia quamuis fuerit iocosè operatus, seu ad iocum & delectationem capiendam, ad id tamen usus est materiali Sacramenti, tamquam cærimoniam Christianorum, non mimicè & purè representatiuè id fingendo, sed intendendo serio efficere quod Alexander Patriarcha efficiebat, eius officium vsurpando ad iocum & delectationem (sicut puer, qui ab aliis ludi & ioci causa constituitur Rex, solet non mimicè sed serio imperare) & ideo Athanasius non baptizauit nisi pueros iam catechumenos.

*Augustinus.*

Ad primam ergo rationem pro aduersarijs respondemus, quod quamuis ad securitatem valoris Sacramenti, & consequenter ad tranquillitatem conscientie suscipientis, melius esset ita instituere Sacramenta, ut ad ipsorum valorem necessaria non esset intentio efficiendi Sacramentum, nihilominus absolutè melius fuit ita instituere illa, ut dicta intentio sit necessaria: quia conuenientius fuit Sacramenta fieri religiosè à ministris, nempe tamquam cærimonias sacras, quo Sacramenta magis reuerenter fiunt & suscipiuntur, quam quod ex malitia ministri aliquando non fiat Sacramentum, & quam quod suscipiens habeat Metaphysicam certitudinem valoris Sacramenti, cum possit habere certitudinem moralem, præfertim quod quamuis intentio illa non esset necessaria, minister, si vellet, posset facillè irritare Sacramentum, detrahendo aut mutando aliquid essenziale formæ, saltem submissè proferendo formam.

Ad secundam concedimus Antecedens, & negamus



gamus Consequentiam ob discrimen inter institutionem vocum & Sacramentorum, quia voces institutæ sunt ab hominibus ad significandum independentem ab intentione proferentis: materia verò & forma Sacramentorum dependenter ab intentione ministri, quod Christus potuit & congruenter fecit, ob rationem prædictam.

Ad tertiam respondemus, in contractibus & negotiis humanis non requiri in ministro aliud, quam quòd fideliter referat verba à domino præscripta, quia dominus, quantum est ex parte sua, nihil aliud exigit ad valorem & firmitatem contractus; Christus verò ad valorem Sacramentorum non fuit eo solo contentus, sed requisivit in ministris intentionem efficiendi Sacramenta.

Ex dictis constat, deficiente dicta intentione in ministro adhibente materiam & formam, non fieri Sacramentum, quia ex vna parte intentio illius requisita est ad valorem Sacramenti, & ex altera defectus intentionis ministri nequit suppleri intentione alterius ministri, vt patet; neque intentione Ecclesiæ, quia Ecclesia non habet aliam intentionem quam suorum ministrorum: deficiente autem Sacramento, quamuis solius intentionis defectu, non fit effectus Sacramenti à Deo adhuc in paruulis (in quibus nequit aliã viã suppleri, excepto martyrio, sicut suppleri potest in adultis contritione perfecta) quia id nullo fundamento constat.

Obseruandum est, quòd quando in ministro sunt duæ intentiones oppositæ, (quæ esse non possunt, nisi quando ignoratur esse oppositæ) vt quando minister adhibens materiam & formam, intendit efficere Sacramentum, vel id quod Christus instituit, & simul etiam intendit non efficere quod Romana Ecclesia efficit, existimans eam in hoc discordare ab institutione Christi; tunc si minister ita pertinaciter velit non efficere quod Ecclesia Romana, vt id velit & intendat omnino absolute, excludendo quamcumque conditionem, cum qua stare & compati possit intentio efficiendi Sacramentum, vel quod Christus instituit, vt quando id ita pertinaciter vult, vt malit non efficere Sacramentum, quam conformari Ecclesiæ Romanæ, quamuis hæc conformetur Christo, non efficit Sacramentum, quia intentio hæc sic absoluta est impossibilis cum intentione faciendi Sacramentum (quia Ecclesia Romana id intendit & facit) & præualet contra intentionem illam. Si verò econtrâ minister omnino intendit efficere Sacramentum, vel quod Christus instituit, & id intendit omnino assecurare, tunc verè efficiet Sacramentum, quamuis expressè nolit efficere quod Ecclesia Romana efficit; quia tunc cum hac intentione non efficiendi quod Ecclesia Romana, compati potest altera intentio, & præualet contra illam, vtpote omnino absoluta. De facto tamen nullus minister, quamuis habeat expressè vtramque intentionem oppositam, est adeo peruersus, vt saltem tacite non præferat intentionem efficiendi Sacramentum, intentioni non faciendi quod Ecclesia Romana facit, & illi firmitus non adhareat; ac proinde tunc intentio non faciendi quod Ecclesia Romana facit, includit tacite conditionem hanc, *Si intentio hæc stare potest cum intentione faciendi Sacramentum, & cum effectione Sacramenti;* quia hoc intendit assecurare, & non aliud, & ideo intentio non faciendi quod facit Ecclesia Romana, corri-

gitur per alteram intentionem, vel potius euanescit defectu conditionis in ipsa intentione tacite inclusa. Quòd si minister esset adeo peruersus & pertinax, vt expressè malit non efficere Sacramentum, quam conformari intentioni Ecclesiæ Romanæ, tunc non efficit Sacramentum, quia intentio non faciendi quod Ecclesia Romana, præualet contra alteram.

Addimus, de facto numquam, aut rarissimè, in ministro, quantumuis peruerso, & existimante Ecclesiam Romanam in administratione Sacramentorum non efficere quod Christus instituit, reperiri duplicem illam intentionem, sed tantum faciendi Sacramentum, aut quod Christus instituit, aut quod sua particularis Ecclesia facit, aut quod ministri debent facere: vel quia nihil cogitat de faciendi aut non faciendi quod Ecclesia Romana facit; vel quia, quamuis aliqua huius cogitatio ipsi occurrat, & existimet Christum aliud instituisse ab eo quod Ecclesia Romana facit, tamen non tam curat intendere non efficere quod Ecclesia Romana facit, quam efficere quod Christus instituit, & debet fieri.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum ad valorem Sacramenti sufficiat intentio efficiendi Sacramentum, quando præterita est.*

Conueniunt Doctores, Primò, ad valorem Sacramenti non sufficere intentionem indirectam, quam minister velit indirectè adhibere materiam & formam Sacramenti, volendo directè & expressè causam adhibitionis materiæ & formæ, non adhibitionem ipsam: vt quando quis sciens se in ebrietate adhibere materiam & formam Sacramenti, expressè & directè vult se inebriare, quia tunc intentio illa indirecta non fertur adhuc indirectè in materiam & formam formaliter, nempe tamquam carimoniam Ecclesiæ, sed tantum fertur indirectè in illas materialiter, quia in ebrietate non adhibentur formaliter, sed tantum materialiter. Neque sufficet, vt aduertunt Vasquez disp. 138. & Suarez disp. 13. intentio indirecta, qua minister velit ebrietatem, præuidens quòd in ea adhibiturus est materiam & formam, in ebrietate ipsa directè intendendo efficere Sacramentum: quia intentio hæc directà in ebrietate habita, ex qua in ebrietate ipsa adhibet materiam & formam, non est humana, vtpote elicità ab homine ebrio, carente vsu rationis. Imò neque sufficet, vt prædicti aduertunt, quòd minister ex intentione expressà & directà adhibendi materiam & formam formaliter, tamquam carimoniam Ecclesiæ, in ebrietate, eligat ebrietatem, & se inebriet, & in ebrietate illas adhibeat formaliter: quia quamuis intentio illa directà, ex qua ebrietas elicità & assumpta est, sit humana, ipsa tamen adhibitio materiæ & formæ facta in ebrietate, & intentio adhibendi illas formaliter elicità in ebrietate, aut in ea perseuerans, non est humana; Christus autem absque dubio tantum actionem in se humanam, aut saltem in statu vsus rationis factam instituit in Sacramentum, vt ablutionem, & prolationem verborum; aut in factiuam Sacramenti, vt consecrationem verbalem.



Conteniunt Secundò Doctores, intentionem directam & liberam efficiendi Sacramentum, quæ actu & formaliter est quando adhibentur materia & forma, esse sufficientem ad valorem Sacramenti; quia nulla alia melior intentio excogitari potest: & hanc actualem intentionem non esse necessariam ad valorem illius, quia credi non potest Christum ita scrupulosè instituisse Sacramenta, & tanto periculo nullitatis exposita, vt si minister accedens cum intentione efficiendi Sacramentum, & in eo momento, in quo adhibet materiam & formam, naturali inconsideratione distractus ab ea intentione cesset, non efficiat Sacramentum: aliàs Sacramenta passim & absque humana negligentia fierent irrita, quia dicta naturalis inconsideratio, saltem quantum ad aliquam partem materiæ aut formæ, passim & absque negligentia humana accidit.

Tertiò ergo conueniunt Doctores, ad valorem Sacramenti sufficere intentionem directam & liberam efficiendi Sacramentum, quamuis sit præterita, & actu non sit, quando adhibentur materia & forma; sed non sufficere habitualem, quæ neque in se neque in aliquo effectu sui manet, & dicitur habitualiter permanere, ex eo quòd præcessit, & reuocata non est: sed tantùm sufficere virtualem, quæ quamuis in se non sit quando adhibentur materia & forma, est tamen virtualiter in earum adhibitione, quæ ex intentione efficiendi Sacramentum immediatè inchoata est, aut in alia actione præuia ordinata ad ipsam actionem Sacramentalem, seu adhibitionem materiæ & formæ, cum qua actio illa præuia habet connexionem, vt pote in effectu ab ipsa intentione actuali efficiendi Sacramentum deriuato, siue immediatè siue mediatè.

Et in primis quòd intentio efficiendi Sacramentum, quando nec actualiter in se ipsa neque virtualiter in aliquo effectu sui perseverat, sed tantùm habitualiter, non sufficiat ad valorem Sacramenti, patet, quia ad hunc est necessarium, quòd materia & forma adhibeantur ex intentione faciendi Sacramentum, vt constat ex dictis Difficultate præcedenti; & quando intentio id efficiendi tantùm est habitualis, tunc adhibitio materiæ & formæ non fit ex illa intentione adhuc remote, & mediante aliquo effectu ipsius, quia intentio habitualis nullo modo adhuc remote influit in dictam adhibitionem, quia hæc non deriuatur ex intentione illa, vt ponimus.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Suarez vbi supra, & Ægidius quæst. 64. art. 8. dub. 2. quòd quamuis intentio habitualis non sufficiat ad efficiendum Sacramentum, neque ad efficiendum Sacrificium, quia ad id requiritur intentio factiua, quod conuenire nequit intentioni non perseveranti actualiter in se, neque virtualiter in aliquo effectu sui; sufficit tamen ad applicandum valorem seu fructum Sacrificij faciendi ex alia intentione actuali aut virtuali, quia ad applicandum valorem & fructum Sacrificij, non est necessaria intentio factiua Sacrificij, neque valoris illius, sed sufficit intentio applicatiua valoris futuri Sacrificij faciendi ex alia intentione, & respiciens ipsum valorem vt purum obiectum, & non vt effectum; quia ex eo tantùm, quòd celebrans tunc quando fit Sacrificium, aut antea velit suum Sacrificium tunc existens, aut postea futurum alicui prodesse,

dicitur illi sufficienter applicare valorem; ad id autem sufficit intentio habitualis, quia sufficit intentio non factiua, & purè volitiua.

Ad valorem ergo Sacramenti, sufficit intentio virtualiter perseverans in ipsa actione Sacramentali, seu adhibitione materiæ & formæ tamquam in effectu sui, siue immediato, vt quando immediatè inchoata est ex ipsa intentione, nempe efficiendi actionem ipsam Sacramentum; siue mediato, vt quando actio Sacramentalis deriuatur ex dicta intentione, mediante alia actione præuia ad ipsam actionem Sacramentalem ordinata, & connexa cum ipsa, & per quam ad ipsam actionem Sacramentalem peruenitur: quia ex vna parte ad valorem Sacramenti non est necessaria intentio actualis, vt iam diximus; & ex altera parte ex illa intentione, quamuis non perseverante actu adhuc confusè, aliquo modo fit actio Sacramentalis, quia ex illa intentione, quamuis mediatè, peruenitur ad ipsam actionem Sacramentalem, & fit; & non fieret, nisi dicta intentio præcessisset: vt quando minister ex intentione baptizandi aliquem se confert ad Ecclesiam, & induit se superpelliceo, & vadit ad fontem Baptismi, & non aduertens ad Sacramentum Baptismi, sed ad alia distractus abluit, & profert verba formæ.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez, Suarez, & Ægidius, quòd quamuis ad hoc, quòd actio, quæ procedit ex intentione præterita, sit moraliter bona aut mala ex ea intentione, necessarium sit, quòd actio illa non desinat esse libera, imò & quòd intentio seu voluntas illa aliquo modo perseveret actu, si non expressè, saltem confusè, mutata voluntate seu intentione illa actionis expressa in confusam, vt aduertit Vasquez 1. 2. disp. 75. cap. 3. nihilominus ad hoc, quòd actio Sacramentalis, seu adhibitio materiæ & formæ, fiat Sacramentum, non solum non est necessarium, quòd intentio, ex qua procedit, maneat actu adhuc confusè ob rationem dictam, sed neque quòd actio Sacramentalis fiat liberè absque distractione naturali; quia quamuis fiat inconsideratè, fit Sacramentum: aliàs Sacramenta passim fierent nulla absque negligentia humana, quia absque hac passim contingit distractio & inconsideratio naturalis eius, quod actu facimus, saltem quoad aliquam partem actionis. Requiritur tamen perseverantia status vsus rationis, vt actio illa saltem fiat ab homine, qui possit operari, vt homo (quamuis fiat modo simili ei quo fit ab homine experte vsus rationis) quia modum hunc operandi non semper possumus euitare: & credendum est, Christum actiones tantùm hominis habentis statum vsus rationis in Sacramenta instituisse, quamuis non exegerit illas esse humanas & liberas, quia, iuxta communem modum operandi hominum, non rarò fiunt inaduertenter & absque libertate, saltem quoad aliquam partem ipsarum.

#### DIFFICULTAS VI.

*Vtrum intentio conditionata efficiendi Sacramentum sufficiat ad eius valorem.*

Conueniunt Doctores, intentionem efficiendi Sacramentum elicitam sub conditione de præterito aut de præsentì, sufficere ad valorem illius,



illius, si conditio subsistat, & sit impleta. Quod satis significatur in cap. 2. de Baptismo, dum precipimur baptizare sub conditione eos, de quibus est dubium an sint baptizati: & constat ex eo, quod tunc intentio conditionata efficiendi Sacramentum, ex qua adhibentur materia & forma, statim ac adhibentur perficitur, & desinit esse suspensa, subsistentia & veritate conditionis; ac proinde ex ea intentione potest statim, absque expectatione alicuius, aduenire actioni materiali Sacramenti ratio Sacramenti intenta ea conditionata intentione, quod absque dubio sufficit ad valorem Sacramenti, quia tunc verè adhibentur materia & forma ex intentione efficiendi Sacramentum, quæ post adhibitionem materiæ & formæ non manet suspensa, expectans aliquid in futurum; & relinquens illas absque ratione Sacramenti, quod non posset à ministro fieri. Et id etiam existimamus verum, quamuis subsistentia conditionis sit ignota, & talis, vt post adhibitionem materiæ & formæ ex dicta intentione factam maneat incertum, an persona receperit Sacramentum (vt quando quis baptizatur sub conditione, si sit predestinatus) quia eadem est ratio, ac quando Sacramentum administratur sub conditione relinquente certam receptionem Sacramenti, vt quando quis baptizatur sub conditione, si non sit baptizatus.

Sed quamuis validè fiat Sacramentum sub conditione de præterito aut de præsentis, non tamen licitè, nisi adsit necessitas; quia administrando Sacramentum sub conditione, exponitur periculo nullitatis, si fortè non subsistat conditio. Addidimus, nisi adsit necessitas sic administrandi: quia si adsit, vt verè adest, quando post factam prudentem diligentiam manet dubium, an quis, verbi gratia, sit baptizatus, vel an sit capax absolutionis, potest licitè Sacramentum sic administrari, quia in ea necessitate nulla fit irreuerentia Sacramento, illud exponendo dicto periculo: & id est verum, siue conditio, sub qua adhibentur materia & forma, sit tantum interius & mentaliter concepta, siue etiam exterius prolata.

Est tamen difficultas, An intentio efficiendi Sacramentum, habita sub conditione de futuro contingenti, sufficiat ad valorem Sacramenti, vt quando Baptismus vel absolutio fit sub conditione restitutionis postea faciendæ.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, dictam intentionem non sufficere ad valorem Sacramentorum: quod nos verum existimamus non in Matrimonio, sed in aliis sex. Ratio huius doctrinæ est, quia qui in dictis sex Sacramentis adhibet actionem materialiter Sacramentalem ex intentione faciendi illam Sacramentum, habita sub conditione de futuro contingenti, prius tempore perficit actionem illam materialiter Sacramentalem, quam intentio efficiendi Sacramentum perficiatur, & fiat absoluta, & desinat esse suspensa; ergo dicta intentio non sufficit ad eorum Sacramentorum valorem, quia ad hunc requiritur, quod intentio non sit suspensa, sed perfecta & absoluta antè vel statim, ac actio materialiter Sacramentalis perfecta est. Quia quamuis in manu seu potestate ministri sit, quod vna pars essentialis Sacramenti, verbi gratia ablutio, expectet completionem seu perfectionem alterius partis essentialis, verbi gratia, prolationis verborum, non tamen quod vtraque pars iam perfecta ex-

spectet rationem Sacramenti nondum existentem, vtpote pendentem ex intentione perficienda per impletionem conditionis futuræ. Quod autem actio materialiter Sacramentorum prius tempore perficiatur, quam intentio illa, patet, quia actio illa nequit penderè & suspendi: prolatio enim verborum, verbi gratia Baptismi, & ablutio, statim ac fiunt, sunt absolutæ & perfectæ, & non suspensæ, quia non fiunt sub conditione de futuro, quantumuis ipsis intendatur addi. Imò nequit intendi, nisi ab ignorantibus dictam impossibilitatem, sicut addi non potest actui ambulandi; quia qui ambulat, nequit verè affirmare, Ambulo si crastina die pluat, quamuis addi possit intentioni efficiendi illas, vt carimonias sacras & Christianorum.

Et idem est, quando fit actio materialiter Sacramentalis ex intentione pendente à conditione de futuro necessaria (verbi gratia, quando ablutio & prolatio verborum fiunt ex intentione pendente à conditione, Si Sol cras oriatur) si intentio verè & seriò eliciatur dependenter ab ea conditione, quod scilicet dicta intentio non sufficiat ad valorem Sacramenti ob rationem dictam, quia scilicet tunc dicta intentio manet suspensa post actionem materialiter Sacramentalem iam perfectam. Fatemur, conditionem necessariam cognitam, vt talem, si aliquando apponitur, non tam apponi ad suspendendam intentionem, quam ad significandam certitudinem intentionis absolutæ & perfectæ, ac proinde tunc, quando aliud non constat, Sacramentum censendum est validum.

Quia verò actio materialis Matrimonij, nempe contractus ipse coalescens essentialiter ex intentione, seu consensu in traditionem proprii corporis, & in acceptationem corporis alterius, & ex expressione sensibili illius consensus, potest, quoad vnâ partem sui, nempe quoad intentionem & consensum, fieri dependenter à positione futuri, & suspendi vsque ad eam positionem, & hac positione perfici & absolui, quamuis expressio sensibilis illius consensus non possit, ideò ad valorem Sacramenti Matrimonij sufficit intentio efficiendi Sacramentum sub conditione eiusdem futuri, sub qua præbetur consensus in traditionem proprii corporis, & in acceptationem corporis alterius, ex quo consensu coalescit contractus Matrimonij, quia tunc intentio illa conditionata efficiendi Sacramentum Matrimonij, ex qua inchoatus est contractus ipse, postea impletionem conditionis perficiendus, desinit esse suspensa, & fit perfecta & absoluta, statim ac perficitur contractus; quia sub eadem conditione elicitur intentio efficiendi Sacramentum, & consensus ipse in dictam traditionem & acceptationem, ex quo coalescit dictus contractus, qui est actio materialiter Sacramentalis, cui conuenit ratio Sacramenti: & multò meliùs fiet Sacramentum Matrimonij ex intentione elicitâ sub conditione alterius rei distinctæ futuræ, si prius impleatur quam conditio futuri, sub qua elicitur dictus consensus; quia tunc intentio efficiendi Sacramentum Matrimonij prius perficitur & absoluitur, quam contractus ipse, quoad dictum consensum.



## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum ad valorem Sacramenti necessarium sit, intentionem ministri ferri in personam certam sine errore.*

Conueniunt Doctores, quando intentio ministri ita determinatè fertur in aliquam certam personam, vt expressè excludat alias, non fieri Sacramentum, si personæ exclusæ conferatur per errorem, vt patet: & dictam exclusionem esse illicitam, & mortaliter, quia ea exclusionem exponitur Sacramentum periculo nullitatis, si conferatur personæ exclusæ, quod est illicitum mortaliter, nisi ad id sit rationabilis causa, vt esset, quando in collatione Ordinis timeretur aliquam personam supponendam esse pro altera.

Est tamen difficultas, An quando intentio ministri fertur in personam certam, verbi gratia in Petrum, quem credit habere præsentem, sufficiat ad valorem Sacramenti quod conferatur alteri, quando hic alter non est expressè exclusus.

*Siluester.*

Siluester v. *Baptismus* 3. quæst. 15. loquens de Baptismo, partem negatiuam tuetur; quia ad valorem Sacramenti necessarium est intentionem ministri ferri in personam cui conferatur: quando autem conferatur alteri personæ, & non personæ quæ creditur esse præsens, intentio ministri non fertur in personam cui conferatur, sed in alteram.

*Scotus. Vasquez. Suarez. Egidius.*

Scotus verò in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8. Vasquez disp. 158. cap. 7. Suarez disp. 13. sect. 4. Egidius quæst. 64. art. 8. dub. 4. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt quoad alia Sacramenta, excepto Matrimonio, & meritò: quia qui administrat quodcumque Sacramentum ex alijs, ita intendit illud administrare certæ personæ quam existimat esse, vt suam intentionem non restringat ad eam personam existimatam, quia intendit illud administrare personæ præsentem, quæcumque illa sit, quia tunc parum interest huic aut alij illud administrare: & si tunc expressè fertur in vnâ personam, v. g. in Petrum, non est quia restringatur ad Petrum, sed quia præsens creditur esse Petrus: intentio verò contrahentis Matrimonium ita fertur in certam personam, v. g. in Mariam, vt ad eam restringatur, & quamcumque aliam excludat, quia tantum intendit contrahere cum illa, & non cum præsentem, quæcumque illa sit; & tunc expressè fertur in Mariam, non tantum quia ipsa creditur esse ea cum qua contrahitur, sed quia cum illa sola intendit contrahere, quia non parum interesse potest cum hac vel illa contrahere.

*Suarez. Egidius.*

Et ob dictam rationem, vt optimè Suarez & Egidius, proferens verba consecrationis super decem Hostias, credens non esse nisi octo, consecrat omnes decem, nisi expressè intentionem restringat ad octo; & quando profert verba consecrationis super duas Hostias, credens vnâ esse tantum, etiam consecrat duas, nisi expressè restringat intentionem ad vnâ tantum.

Ad rationem ergo in oppositum constat, intentionem ministri in alijs Sacramentis à Matrimonio, etiam ferri in personam incognitam, etiam si circa eam erretur, quia fertur in præsentem quæcumque illa sit.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum ad valorem Sacramentorum requisita sit fides & sanctitas in ministro.*

Conueniunt Catholici contra hæreticos, ad valorem Sacramentorum non esse necessariam in ministro fidem, neque sanctitatem. Ita quoad fidem definitur in Concilio Nicano I. canone 19. vt constat ex ipso canone, & ex Innocentio I. epist. 22. cap. 5. & in Constantiensi sess. 8. & quoad fidem & sanctitatem in Tridentino sess. 7. can. 4. de Baptismo, in quo est sermo de fide, & can. 12. de Sacramentis in genere, in quo est sermo de sanctitate; quod Christus meritò sic instituit, quia minister non est nisi instrumentum Dei, qui est idem respectu ministri peccatoris, etiam infidelis, & iusti fidelis.

*Concilium Nicani I. Innoc. I. Conc. Constantiense. Trident.*

Quòd si Sacramenta validè fiunt ab infidelibus, & ab alijs peccatoribus, vt fieri possunt, etiam erunt fructuosa suscipientibus illa, si in suscipientibus non sit obex, vt potest non esse; quia absque fundamento negabitur fructus Sacramentis validis, quantumuis factis à dictis ministris. imò id etiam negabitur contra Tridentinum sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere, dum generaliter ait Sacramenta gratiam conferre non ponentibus obicem.

Sed obijciunt hæretici Primò, Quòd nemo dat quod non habet; sed infidelis, imò & fidelis peccator, non habet sanctitatem, ergo nequit illam dare alijs, & consequenter neque conferre validum Sacramentum, quia hoc, quantum est ex se, confert sanctitatem. Respondemus, falsum esse quòd nemo dat quod non habet formaliter, quando non dat vt causa vniuoca, vt contingit soli danti calorem, quem non habet formaliter, præsertim quando dans non dat immediatè, sed mediatè, vt contingit Medico infirmo danti sanitatem mediâ Medicinâ; & etiam quando dans non dat vt causa principalis, sed vt minister & instrumentum alterius, vt contingit procuratori conferenti dominium rerum domini cuius est procurator; minister autem Sacramentorum non dat sanctitatem vt causa vniuoca, neque immediatè, sed mediante Sacramento, & non nisi vt minister Dei, ac proinde potest sanctitatem conferre, quamuis eam non habeat formaliter.

Quòd si obijcias Secundò illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* ergo minister, qui non habet Spiritum sanctum, qualis est peccator siue fidelis siue infidelis, nequit gratiam remissionis peccatorum conferre, ac proinde neque validè efficere Sacramenta collatiua illius: Respondemus, dictis verbis Ioan. 20. conferri Sacerdotibus in ipsorum ordinatione gratiam iustificantem significatam per Spiritum sanctum, & etiam conferri characterem; ex his autem character sufficit, & necessarius est ad validè remittenda peccata; gratia verò iustificans, per Spiritum sanctum significata, necessaria est non ad validè, sed ad licitè remittenda illa.

Quòd si Tertio obijcias, In eo qui diseredet Ecclesiam efficere Sacramentum gratiam conferens, & id Christum instituisse; non potest esse int. nio effi-

effi-



efficiendi Sacramentum, quamuis intendat efficere quod Ecclesia facit, & Christus intendit; & in eo qui discredet mysterium Trinitatis, nequit esse intentio baptizandi in nomine illius, vt intendit Ecclesia; ergo saltem fides harum rerum requiritur in ministro ad valorem Sacramenti. Respondemus, etiam in eo qui discredet illud prius, posse esse intentionem efficiendi Sacramentum, si, quando adhibet materiam & formam, intendat efficere quod facit Ecclesia, & quod Christus fieri voluit, quidquid illud sit, si Ecclesia medijs illis aliquid facit, & Christus aliquid fieri voluit & is qui discredet illud posterius, nempe Trinitatem, verbis formæ Baptismi significatam, etiam potest, eo errore interiori retento, verba illa nihil mutando proferre intentione faciendi medijs illis quidquid Ecclesia facit, & quidquid Christus fieri voluit, si medijs illis aliquid fieri voluit, quia istæ intentiones sufficiunt ad valorem Sacramentorum, & impossibiles non sunt cum dictis erroribus & dissentibus.

Ex Patribus verò, qui significant Sacramenta ab hæreticis collata potius inquinare suscipientem quam mundare, nonnulli id dicunt, quia loquuntur de Sacramentis intentatis fieri à quibusdam hæreticis, qui formas Sacramentorum substantialiter peruertebant: & alij id dicunt etiam loquentes de Sacramentis valide factis ab hæreticis, quia regulariter nequeunt absque peccato mortali suscipi à ministris hæreticis illa conferentibus, vt dicemus Difficultate x 11.

Nonnulla alia, quæ contra dictam veritatem obijciuntur, videantur apud Bellarminum lib. 1. cap. 26. & apud Vasquez disp. 137.

Bellarmin.  
Vasquez.

## DIFFICULTAS IX.

*Utrum in ministro requisita sit sanctitas, vt licite administret Sacramenta.*

**S**upponimus, ministrum requisitum ad valide conficiendum Eucharistiam, Pœnitentiam, & Extremam Vnctionem, esse Sacerdotem; & ad valide conficiendum Confirmationem & Ordinem, esse Episcopum (quamuis etiam simplex Sacerdos possit ex commissione Papæ valide confirmare;) ad valide verò conficiendum Sacramentum Matrimonij sufficere laicum baptizatum; & ad valide conficiendum Sacramentum Baptismi sufficere laicum, quamuis non baptizatum.

Hoc supposito, conueniunt Doctores, ministrum consecratum, conficientem Sacramenta in statu peccati mortalis, per se seu ex obiecto peccare mortaliter, nisi per accidens excusetur impossibilitate saltem morali se iustificandi, quia extrema necessitas suscipientis, ita ad illud celeriter conficiendum cogat, vt nequeat saltem moraliter ad gratiam preparari.

Et in primis id esse illicitum & peccatum, satis significat Augustinus lib. 2. Contra epist. Parmeniani, c. 10. post medium, dum ait: *Omnia sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, profunt tamen per eos digne suscipientibus.* Appellat autem indignè tractare Sacramenta, ea in peccato ministrare. & Nicolaus I. in suis Rescriptis habitis 3. Tom. Conciliorum, tit. 11. nu. 5. Gregorius IX. in cap. finali de Temporibus ordinationum, & in cap. finali de Cohabitatione Clericorum. Quod

August.

Nicol. I.  
Greg. IX.

etiam ratione constat, quia id est prohibitum non Iure aliquo positiuo: quia non humano, quia id nullibi prohibetur, etiam si in nuper dictis capitulis Iuris supponatur esse illicitum; neque Iure aliquo positiuo diuino voluntate Dei lato, quia de eo nullatenus constat: sed est prohibitum Iure diuino naturali, orto ex natura Sacramentorum quam ex Dei institutione habent, quia est irreuerentia contra Sacramentum institutum ad sanctificandam & mundandam conscientiam, effici ab immundo & sordido ministro ad id consecrato.

Quòd verò id sit per se & ex suo obiecto peccatum mortale, constat ex eo, quòd effectio Sacramenti est res grauis, & non parui momenti, ac proinde cum facta in statu peccati mortalis sit illicita, erit per se & ex suo obiecto grauiter & mortaliter illicita.

Addimus, vt optimè Vasquez disp. 136. & Vasquez Ochagua q. 19. contra Suarez disp. 16. sect. 4. & Ochag.

contra Bonacinam disp. 1. q. 3. puncto 2. quemcumque, quamuis non consecratum, efficientem Sacramentum in statu peccati mortalis, vt laicum baptizantem in eo statu, quamuis in extrema necessitate, peccare mortaliter, (nisi extrema necessitas suscipientis non relinquat tempus ministro, vt saltem moraliter possit ad iustificationem preparari) quia quicumque validè efficiens Sacramentum, quamuis laicus, & in extrema necessitate, est minister à Christo deputatus & institutus ad id; & est contra reuerentiam Sacramenti, ipsum effici à ministro instituto ad id in statu peccati mortalis: quod maiorem vim habet in Sacerdote peccatore efficiente Sacramentum, quamuis in extrema necessitate, & quamuis non solemniter, quia etiam efficitur à ministro non solùm ad id instituto, sed etiam ad id consecrato.

Addidimus, nisi extrema necessitas suscipientis non relinquat tempus ministro, vt saltem moraliter possit ad iustificationem preparari, quia quando sic urget, potest licite in statu peccati mortalis illud efficere & administrare (in quo Doctores conueniunt) non quia obligatio Religionis cesset ob occursum obligationis misericordiæ, quasi hæc sit maior, quia verè non est, sed minor; sed quia hac necessitate succurrendi proximo urgente, & existente impossibilitate saltem morali iustificationis ministri, nulla sit irreuerentia Sacramento illud in statu peccati mortalis efficiendo & ministrando, quia Sacramentum institutum est in remedium hominum, & tunc non potest homini subueniri, nisi illud in eo statu ministrando.

Obseruandum est, vt optimè Vasquez, ministrum in statu peccati mortalis distribuentem Eucharistiam antea factam, non peccare mortaliter, quia in hac distributione non apparet grauis aliqua irreuerentia contra Eucharistiam, quamuis appareat, & sit in effectio illius: & multò minus erit mortale, in statu peccati mortalis transferri Eucharistiam de loco in locum, & eam eleuando benedicere populum, quia in hoc multò minus apparet irreuerentia grauis: & nulla adhuc leuis in eo, quòd quis Eucharistiam lapsam in terram (quamuis sit laicus, non existente Sacerdote) leuet, & in loco decente reponat.

Ita tamen minister Sacramentorum tenetur in statu gratiæ Sacramenta conficere, vt quamuis



fit conscius peccati mortalis non confessi, non teneatur confessionem illius ad effectum Sacramentorum adhuc Eucharistia præmittere, sed factis sit, si perfectam contritionem eliciat, ut contra Adrianum & Marfilium aduertunt Vasquez, Suarez & communiter Doctores, quia talis præcepti & obligationis nullum extat sufficiens fundamentum: nihilominus Sacerdos celebrans ad id tenetur, sed non quia conficit Eucharistiam, sed quia illam recipit.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum Diaconus & Subdiaconus, in statu peccati mortalis cantantes solemniter Euangelium & Epistolam, peccent mortaliter.*

Medina.  
Angelus.  
Siluester.  
Victoria.

Medina Cod. de Pœnitentia tract. 1. q. 6. Angelus v. Clericus 8. & Siluester v. Clericus 2. §. 8. & Victoria de Sacram. q. 29. partem affirmatiuam tuentur. Quod deduci videtur ex cap. vltimo de Temporibus ordinationum, vbi postquam Gregorius IX. dixit Clericos ob crimina occulta non esse impediendos in susceptis Ordinibus ministrare, postquam egerint pœnitentiam, addit: *Quod si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione diuini iudicij obtestandi, vt in susceptis Ordinibus non ministrent.* Et ratione probatur, quia ex vna parte id fit indignè & irreuerenter in statu peccati mortalis, & ex altera id est materia grauis sufficiens ad mortale, vt patet in eo, qui suspensus, aut irregularis id efficit. Et ob eandem rationem Medina addit, Episcopum in mortali conficientem Chrisma, vel benedicentem oleum, vel consecrantem, aut benedicentem Ecclesiam, peccare mortaliter, & id generaliter docet de quacumque actione propria Ordinis sacri.

Sotus.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.  
Ochag.  
Bonacina.

Sotus verò in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 6. Vasquez disp. 136. cap. 4. Suarez disp. 16. sect. 3. Ægidius q. 64. art. 6. dub. 1. Ochagua q. 19. Bonacina disp. 1. q. 3. puncto 2. & communiter recentiores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia quamuis prædictæ actiones sint graues, in earum tamen exercitio, factò in statu peccati, non reperitur grauis irreuerentia (etiã si indecentia aliqua reperiat) quia non sunt actiones ex opere operato sanctificant. Et idem ob eandem rationem docent Vasquez, Suarez & Ægidius contra Medinam, & meritò, de Episcopo, & de Presbytero, consecrante, & benedicente, & quacumque alia Sacramentalia efficiente, nempe quòd in eis actionibus Sacramentalibus in statu peccati factis, non sit irreuerentia & malitia mortalis.

Vasquez.  
Ægidius.  
Bonacina.

Addunt Vasquez, Ægidius & Bonacina contra nonnullos, in nulla actione ex dictis, in statu peccati facta, esse malitiam mortalem, quamuis sapissimè fiant, & repetantur, & meritò: quia frequentatio & repetitio actionis non mortalis, non fit mortalis, nisi quando materia continuatur, vt in furtis paruis; vel quando effectus relictus ex repetitionibus continuatur, vt in pluribus comestionibus paruis in die ieiunij; vel quando frequentatio notabiliter nocet fini legis, vt in frequentatione omissionis audiendi Missam in illustri Collegio D. Idephonsi in diebus non festis, quæ in præfenti non habent locum.

Addunt Vasquez & Ochagua, in actione solemnem Diaconi & Subdiaconi, & in consecratione Chriftimatis, & in benedictione Aquæ, & in effectione aliorum Sacramentalium in statu peccati factis, non solum non esse malitiam mortalem, sed neque esse venialem, quia id non fit contra præceptum aliquod: quia non est contra positium aliquod, vt patet; neque contra naturale virtutis religionis, quia in eo nulla apparet irreuerentia.

In cap. autem illo vltimo de Temporibus ordinationum, non supponitur, Clericos ob peccata mortalia esse prohibitos in susceptis Ordinibus ministrare, sed monendos esse & prohibendos à Superioribus.

Et ad rationem, negamus id fieri indignè & irreuerenter, quamuis fiat indecenter, vt sentit Vasquez.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum concionari in statu peccati mortalis, sit mortale.*

Caietanus quæst. 64. art. 6. & in Summa v. *Predicatorum peccata*, partem affirmatiuam tuetur, tum quia concionari sit actus Ordinis sacri, ex institutione Ecclesiæ applicatum Ordini sacro, quamuis ex institutione Christi conueniat Episcopo; tum etiam, quia concionari in statu peccati, est iniuriam irrogare prædicationi, quia eo denotatur, prædicatores esse à Christo institutos, vt solo verbo & non opere prædicent.

Sotus verò in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. Vasq. disp. 136. c. 5. Suarez disp. 16. sect. 3. Ægidius q. 64. art. 6. Ochagua q. 19. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò, quia id non est contra præceptum aliquod: quia non est contra aliquod positium, vt patet, nec contra naturale virtutis religionis, quia in concionando in statu peccati, non irrogatur iniuria prædicationi, quia qui in mortali prædicat, non denotat Christum instituisse prædicatores, vt solo verbo prædicent, & non opere, sed prædicat in eo statu, quia existimat, & verè, nullo iure teneri ad prædicandum in statu gratiæ; neque irrogatur iniuria Ordini, quia concionari non est actus Ordinis, quamuis ab Ecclesia sit annexum Ordini sacro: aliàs qui suspensus ab Ordine prædicaret, fieret irregularis, quod est falsum: & quamuis esset actus Ordinis, & sacri, non fieret mortalis, vt patet ex dictis Difficultate præcedenti.

Addunt Sotus, Vasquez & Ochagua, concionari in statu peccati non esse peccatum adhuc veniale, quia id non est contra præceptum aliquod.

Sotus.  
Vasquez.  
Ochag.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum licitum sit accipere Sacramentum ab eo, quem scio in administratione peccaturum.*

Supponimus, ministrum dupliciter peccare posse Sacramentum administrando; vno modo, quia in peccato mortali illud ministrat; & altero, quia illud censura aliqua ligatus ministrat, quamuis iustificatus sit à peccato ob quod illam incurrit.

Circa



Suarez.  
Egidius.  
Bonacina.

Circa prius, quia pertinet ad Tractatum de Scandalo, breuiter dicendum est, licitum esse cui-  
cumque petere & recipere Sacramentum à mini-  
stro existente in peccato mortali, quamuis mini-  
ster non sit proprius Pastor petentis, & quamuis  
paratus non sit Sacramentum conferre, si receptio  
Sacramenti à dicto improbo ministro futura sit  
commodior vel utilior petenti, quam ab altero  
probo ministro, qui etiam possit administrare. Ita  
Suarez d. 18. sect. 2. Egidius q. 64. ar. 6. dub. 2. Bo-  
nacina disp. 1. q. 6. punct. 5. Quod nos restringi-  
mus, vt verum sit, quando minister administraturus  
est ex malitia in statu peccati mortalis (ex qua  
regulariter fit in presenti materia) & non ex igno-  
rantia, neque ex passione, seu infirmitate. Ratio  
huius doctrinæ est, quia in casu dicto, petens Sa-  
cramentum ab improbo ministro, quamuis eum  
inducat ad administrandum, tamen non inducit  
illum ad peccandum, neque illum actiue scan-  
dalizat, quia si ipse minister velit, potest Sa-  
cramentum licite administrare: quia si velit,  
potest iustificari, sed ipse ex se ipso, & non in-  
ductus ad peccandum, peccat, & passiuè scan-  
dalizatur. Nemo autem tenetur id quod sibi est  
vile (quamuis solum temporaliter) ommittere, vt  
euitet scandalum passiuum alterius, nisi ortum ex  
ignorantia, vel ex passione, ex quibus in presenti  
materia raro oritur: quia non iustificari in casu dic-  
to, regulariter euenit ex malitia ipsius ministri.  
Quòd si minister ex ignorantia aut ex passione ad-  
ministraturus est in eo statu peccati, illicitum est  
ab eo petere & recipere Sacramentum, nisi cessante  
ignorantia media admonitione, aut aliter, vel  
cessante passione: excepto quando receptio Sacra-  
menti est sub precepto, & non est alius minister  
probus à quo recipi possit, quia non sunt omitten-  
da ea quæ sunt sub precepto, vt euitetur scandala-  
rum passiuum adhuc puillorum, seu ortum ex  
ignorantia vel ex passione.

Circa posterius, quia pertinet ad Tractatum de  
Censuris, breuiter dicendum est, à ministro ex-  
communicato, vel denunciato, vel notoriè excom-  
municato ob percussorem Clerici (qui dicitur  
minister vitandus, seu non toleratus) non posse fi-  
deles recipere Sacramentum, nisi in articulo mor-  
tis, & non quodcumque Sacramentum, sed tan-  
tum Baptismi & Pœnitentiæ, & etiam Eucharis-  
tiæ, quando non potuit suscipi Sacramentum Pœ-  
nitentiæ, & etiam Sacramentum Extremæ Vn-  
ctionis, quando non potuit suscipi Sacramentum  
Pœnitentiæ nec Eucharistiæ, de quo dicimus Tra-  
ctatu de Excommunicatione Disp. 14. Diffic. 11.

Est tamen difficultas, An fideles possint recipere  
Sacramenta à ministro excommunicato non  
denunciato, nec notoriè excommunicato ob per-  
cussorem Clerici (qui toleratus dicitur, & non  
vitandus) quam generaliter examinamus eodem  
Tractatu Disp. 1. Diffic. 14.

Circa quam etiam breuiter dicendum est, fi-  
des posse licite à dicto ministro tolerato recipere  
Sacramenta, quamuis neque sit proprius Pastor,  
neque sit paratus ad collationem Sacramentorum;  
quia in Extrat. *Ad emendanda scandala*, conceditur  
fidelibus facultas ab Ecclesia communicandi, et-  
iam in administratione & receptione Sacramen-  
torum, cum ministro excommunicato tolerato, ac  
si non esset excommunicatus, etiam eum inducen-  
do & prouocando ad id quod fieri potuit ab Ec-

clesia, cum ab ea pendeat tota vis excommunica-  
tionis, quoad effectum ipsius; ac proinde fideles  
possunt licite Sacramenta à ministro excommu-  
nicato tolerato petere & recipere; & non solum li-  
cite absque peccato contra prohibitionem Eccle-  
siæ, sed etiam absque peccato cooperationis ali-  
cui peccato ministri: quia etiam ipsi ministro,  
quamuis non directè intendendo ipsi fauere, sed  
indirectè, in fauorem fidelium, quatenus his est  
necessarium, vt liberè absque peccato cooperatio-  
nis possint cum ipso communicare, conceditur li-  
centia, vt possit tractari & communicari à fide-  
libus, ac si non esset excommunicatus, eo ipso quòd  
fidelibus conceditur licentia, vt cum eo tractent  
& communicent ac si non esset excommunicatus.  
Addimus, quatenus his est necessarium, vt liberè  
absque peccato aliquo, etiam cooperationis, possint  
cum eo communicare, quia aliquando fideles pos-  
sunt licite ab ipso petere & recipere Sacramenta,  
quamuis ipse illa illicitè administret: vt quando  
minister ex se ipso incipit, & se ingerit admini-  
strationi, & etiam quando, antequam necessarium  
sit administrare, habet in sua manu absolui ab ex-  
communicatione, & non absoluitur, de quibus ex  
professo dicimus vbi supra.

## DIFFICULTAS XIII.

*Qui sint capaces Sacramentorum; & An  
ad eorum Valorem requiratur con-  
sensus in recipiente.*

Circa prius Doctores conueniunt, solos ho-  
mines, & viatores, esse capaces Sacramento-  
rum, quia ad ipsos solos tamquam ad subiecta sus-  
ceptiua Sacramentorum, directa fuit institutio  
Christi, & pro ipsis solis facta: quod etiam con-  
stat ex sensu & vsu Ecclesiæ. Ita tamen soli homi-  
nes viatores sunt capaces Sacramentorum, vt non  
solum prædestinati, sed etiam reprobri capaces  
sint; & non solum iusti, sed etiam peccatores (de  
quo contra hereticos videndus est Suarez disp. 14. *Suarez*,  
sect. 1.) quamuis non omnes viatores sint capaces  
omnium absque delectu, vt in proprijs Tractati-  
bus dicitur.

Circa posterius (quod non habet locum in Sa-  
cramento Eucharistiæ, quia præsupponitur valide  
factum independentè à suscipiente; neque in Sa-  
cramento Matrimonij, in quo, quia suscipientes  
etiam sunt ministri, idem consensus requisitus ad  
valorem illius in ministris, etiam requiritur in sus-  
cipientibus) conueniunt Catholici, in paruulis  
nullum requiri consensum ad valorem Sacra-  
mentorum quorum pro ea ætate capaces sunt, quia  
nequeunt naturaliter absque miraculo consen-  
sum habere; miraculosus autem consensus, quem  
in paruulis fingunt heretici, nullum habet funda-  
mentum.

Est tamen difficultas, An ad valorem Sacra-  
mentorum in adultis requiratur consensus seu vo-  
luntas suscipiendi illa.

Circa difficultatem hanc certum est, quod ne-  
gari nequit; (vt male negarunt Glossæ in can. *Solet*, *Glossæ*,  
de Consecrat. dist. 4. & Glossæ in cap. *Maiores*,  
de Baptismo) eum, qui omnino resistit suscepi-  
oni Sacramenti, non suscipere validum Sacramen-  
tū, vt exprimit Innocentius III. in cap. *Maiores*, de *Innoc. III.*  
Baptismo: quod Christus merito ita instituit, quia



indecens erat omnino resistenter initiari sacris Christianis: & ob id sumptio Eucharistiæ ab omnino resistente non est sacramentalis, sed materialis (sicut fieret à cane) qua non impletur præceptum diuinum suscipiendi Eucharistiæ.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An ad valorem Sacramenti (& idem est de susceptione Sacramenti vt sit sacramentalis) requiratur positiuus consensus suscipiendi illud in adultis, an in eis sufficiat non resistere.

Caietan.  
Ledesm.

Caietanus q. 68. art. 7. & Ledesma in 4. part. 1. q. 9. art. 7. docent, ad valorem Sacramenti in adultis non requiri positiuum consensum suscipiendi illud, sed sufficere quod non resistant. Quod expressisse videtur Innocentius III. in d. cap. Maiores, dum ait: *Sacramentalis operatio imprimi characterem, cum obicem voluntatis contraria non inuenit obstitentem.* Et id non leuiter insinuat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum ait: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* ergo Sacramentum verè perficitur absque consensu & intentione suscipiendi illud. Et ratione à simili probatur, quia in paruulis non requiritur consensus suscipiendi Sacramentum ad valorem illius, ergo neque in adultis, quia idem est in vtrisque Sacramentum.

Innoc. III.

Eug. IV.

S. Thomas verò q. 68. art. 7. Scotus in 4. dist. 4. q. 4. Vasq. disp. 1. 38. n. 65. Suarez disp. 14. sect. 2. Egidius q. 64. art. 8. dub. 5. & communiter Theologi docent, ad valorem Sacramenti in adultis, qui aliquando fuerunt domini propriæ voluntatis, requiri positiuum consensum suscipiendi illud. Quod expressisse videtur Augustinus lib. 4. de Baptismo c. 24. Et meritò, quia ex vna parte conuenientissimum est, adultos aliquando dominos propriæ voluntatis non initiari sacris Christianis absque proprio consensu positiuo, quamuis paruuli & amentes, qui numquam fuerunt domini propriæ voluntatis, validè absque positiuo consensu inueniuntur: & ex altera parte facile est, & facile fieri potuit, vt idem materiale Sacramenti ex Christi institutione requireret, vt sit & fiat signum & causa gratiæ in adultis, dictum consensum tamquam conditionem; & non in paruulis, neque in perpetuò amentibus, cum isti non possint illum habere, & possint illi; ergo credendum est, sic fuisse à Christo institutum. Ex quo constat ad rationem à simili adductam pro Caietano & Ledesma.

S. Thom.  
Scotus.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægid.

August.

Innocentius III. verò in dicto cap. *Maiores*, dum ait, quod sacramentalis operatio imprimi characterem, cum obicem voluntatis contraria non inuenit obstitentem, per contrariam intelligit contrariam etiam priuatiuam, quæ etiam priuatiuè obstitit, vt ex contextu deducitur. Et Eugenius IV. quando ait, Sacramenta tribus perfici, materia, & forma, & intentione ministri, tantum loquitur de his quæ sunt generaliter necessaria omnibus Sacramentis ad ipsorum valorem & perfectionem, & susceptis à quibuscumque; & idè nullam fecit mentionem consensum suscipientis, quia iste non est generaliter necessarius, quia necessarius non est ad perfectionem seu valorem Eucharistiæ, neque ad valorem Sacramentorum, quæ suscipiuntur à paruulis, & à perpetuò amentibus.

Ita tamen in adultis suscipientibus requiritur positiuus consensus ad valorem Sacramentorum, vt sufficiat habitualis (id est præteritus non reuocatus) vt supponitur in dicto cap. *Maiores*, & satis congruenter; quia suscipiens non se habet vt agens & operans (sicut se habet minister) sed tantum se habet vt patiens, ac proinde non est necessarium consensum esse actualiter, neque virtualiter, vt ex eo tamquam ex efficiente deriuetur, & fiat Sacramentum, sed sufficit quod suscipiens aliquo modo consentiat in susceptionem Sacramenti, ad quod sufficit consensus præteritus nondum reuocatus. Et etiam sufficit consensus ex metu coactus, vt supponitur in dicto cap. *Maiores*, & in Concilio Toletano IV. can. 55. quia consensus iste est simpliciter voluntarius & liber, quamuis aliquid inuoluntarij habeat admixtum: imò non est necessarius consensus specialis, sed sufficit quilibet etiam generalis, quia quolibet suscipiens dicitur in susceptionem Sacramenti consentire, vt consensus, quo quis Catholicè viuens desiderat aliquando vt medijs Ecclesiæ, vel ea sibi conferri quando ipsis indigeat: & hunc ad minus præsumit Ecclesia in moribundo, quem extremè vngit, quamuis id non petierit.

Præter consensum autem suscipiendi Sacramentum, non est necessarius in suscipiente, quamuis adulto, actus fidei ad valorem Sacramentorum (in quo etiam Catholici conueniunt) quia dicta necessitas nullo fundamento ostendi potest.

Præter consensum autem suscipiendi Sacramentum, non est necessarius in suscipiente, quamuis adulto, actus fidei ad valorem Sacramentorum (in quo etiam Catholici conueniunt) quia dicta necessitas nullo fundamento ostendi potest.

Præter consensum autem suscipiendi Sacramentum, non est necessarius in suscipiente, quamuis adulto, actus fidei ad valorem Sacramentorum (in quo etiam Catholici conueniunt) quia dicta necessitas nullo fundamento ostendi potest.

## DISPUTATIO V.

### De ordine & numero Sacramentorum.

#### DIFFICULTAS I.

##### Quot sint Sacramenta nouæ legis.



Rror est hæreticorum, existimantium Sacramenta nouæ legis pauciora esse quàm septem (quamuis ipsi in eorum numero non conueniant) quia numerus iste septenarius Sacramentorum neque ex Scriptura neque ex Patribus constat. Imò addit Kemnitius, si credendum esset Patribus, plura essent assignanda Sacramenta quàm septem: quia Ambrosius li-

Kemnit.

Ambr.

bro 3. de Sacramentis, cap. 1. & Cyprianus Serm. de Ablut. pedum, & Bernardus de Cæna Domini, lotionem pedum factam à Christo in nocte Cænae Ioannis 13. appellant Sacramentum: quod verò ex institutione Christi conferat gratiam, significare videtur Christus illis verbis, *Si non laueris te, non habebis partem mecum*, per gratiam videlicet: & eam etiam pro reliquis hominibus in Sacramentum institutam mansisse significare videtur Christus illis verbis, *& vos debetis alter alterius lauare pedes.*

Catholici tamen conueniunt, Sacramenta nouæ legis esse septem, neque plura, neque pauciora, nempe



Eugen. IV.  
Trid.

hempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto, & clariùs à Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, quorum definitio innixa est non Scripturæ, sed traditioni, etiam si non pauca ex septem Sacramentis ex Scriptura constent, vt dicitur in proprijs Tractatibus.

Patres verò, quamuis nullibi omnia septem Sacramenta simul enumerent, quia huius nulla ipsis necessitas occurrit, tamen omnium eorum (parum mentionem faciunt, vt in proprijs Tractatibus dicimus, & non aliquorù aliorum: quia etiam si aliquando aliquas alias cœrimonias appellent Sacramenta, tamen tunc sumunt Sacramentum latiori significatione pro quouis signo rei sacræ, non pro signo sanctificante ex opere operato. Nonnulli verò Patres, qui lotioni pedum à Christo factæ, & quasi pro nobis institutæ, attribuunt remissionem peccatorum, non id ei attribuunt tamquam causæ ex opere operato, sed tamquam bono operi charitatis, & insignis humilitatis, quod verè extinguit reatum peccatorum relictum post remissionem culpæ, imò hanc impetrat, quamuis non infallibiliter.

Christus verò Ioan. 13. illis verbis, *Si non lauerote, non habebis partem mecum*, non est minatus Petro exclusionem à gratia neque à Regno celorum, sed à Cœna, tam communi seu vlti, ad quam nullus solebat recubere, nisi lotis pedibus; quam à corpore & Sanguine suo, quæ in ea Cœna consecraturus erat; quamuis tunc Petrus hoc posterius non intellexerit vltiq; ad tempus consecrationis. Neque illis verbis, *Et vos debetis*, &c. instituit lotionem pedum pro posteris in sanctificationem ex opere operato, sed illis tantum proposuit nobis exemplum imitandi suam humilitatem & charitatem.

Nonnulla verò, quæ hæretici obijciunt ad probandum Sacramenta pauciora esse quam septem, desumpta sunt ab auctoritate negativa, quæ solent esse parui momenti. Tamen videri possunt apud Bellarminum lib. 2. de Sacramentis cap. 27.

Bellarm.

Observandum tamen est, quòd, quamuis definitum sit esse tantum septem Sacramenta, non est tamen definitum quodlibet ex illis esse vnum secundum speciem infimam, ita vt sub se non contineat plures species, quod est sub controuersia apud Theologos de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Eucharistiæ.

De numero Sacramentorum veterum non constat, quia quamuis omnia in Scriptura exprimentur, non tamen sub nomine Sacramenti: sunt tamen innumera, vt aduertit Episcopus Oxoniensis 3. par. q. 61. num. 9. quia erant varia Sacrificiorum genera, & variæ purificationes, & esus Agni paschalis, & panes propositionis, & vnctiones sacerdotales, ob quod Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 11. meritò dixit, Sacramenta nostra esse numero pauciora veteribus, etiã si virtute maiora.

Oxomen.

August.

## DIFFICULTAS II.

*Quem ordinem habeant inter se Sacramenta nouæ legis.*

Sacramenta nouæ legis à Theologis hoc ordine numerantur: Baptismus, Confirmatio, Eu-

charistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium; & eodem ordine recensentur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere. Ordo autem iste non desumitur ex causalitate, imò neque ex perfectione (nisi inter Ordinem & Matrimonium) neque ex tempore, sed ex habitudine ad diuersos fines vitæ spiritualis, ad quos ordinantur.

Eugen. IV.  
Trid.

Et quia in vitâ spirituali priorem locum obtinent quæ sunt ad se, quam quæ sunt ad alterum, idè priùs enumerantur quinque Sacramenta, quæ sunt ad singulas personas, quam Ordo & Matrimonium, quæ ordinantur ad Rempublicam Christianam: & inter quinque illa Sacramenta primum locum obtinet Baptismus, quia est spiritualis regeneratio; secundum obtinet Confirmatio, quia est completio & perfectio Baptismi, qua homo regeneratus munitur, roboratur, & crescit; tertium obtinet Eucharistia, quia est nutritio, qua vita spiritualis conseruatur, & quia per Eucharistiam etiam potest nutriri & conseruari vita spiritualis per Baptismum communicata, absque eo quòd præsupponatur necessariò completa & roborata per Confirmationem, idè Eucharistia potest etiam ante Confirmationem enumerari, vt numerata fuit à Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia, agente priùs de Eucharistia cap. 3. & postea ca. 4. agens de Confirmatione: & post tria dicta Sacramenta quartum locum obtinet Pœnitentia, & non anteriorem, quia tantum est utilis aut necessaria per accidens, lapsis videlicet in morale ad illius remissionem; & post Pœnitentiam quintum locum obtinet Extrema Vnctio, quia est consummatiuâ pœnitentiæ, cum ordinetur ad auferendas reliquias quæ ex peccatis iam remissis remanent; & inter Sacramenta, quæ ad alterum ordinantur, priorem locum obtinet Ordo, quia magis habet de spiritualitate ad quam Sacramenta ordinantur.

Dionys.

De ordine verò perfectionis inter Sacramenta nouæ legis, ex Tridentino sess. 7. can. 3. de Sacramentis in genere constat contra Lutherum, non omnia esse æqualia (quo non significatur omnia esse inæqualia) & sess. 13. can. 3. constat, Sacramentum Eucharistiæ esse omnium præstantissimum, quia re ipsa continet Christum auctorem gratiæ, ex quo etiam habet quòd copiosorem gratiam conferat quam reliqua. Quòd autem Sacramentum inter reliqua maiorem gratiam æqualiter dispositis conferat, incertum est: quomodo verò Sacramenta, quoad alias rationes se inuicem excedant, ostendit Bellarminus lib. 2. cap. 28. etiam si Sacramentum Eucharistiæ ob rationem dictam sit & absolutè dicatur omnium præstantissimum.

Trid.

Bellarm.

De ordine verò temporis quoad susceptionem Sacramentorum, certum est, Baptismum ita necessariò ex Christi institutione præsupponi omnibus alijs, & esse ianuam ad illa, vt nullum aliud validè suscipiatur à non baptizatis: inter reliqua verò per se loquendo non est necessaria dicta præsuppositio, etiam si per accidens ex præsuppositione peccati mortalis, Sacramentum Pœnitentiæ necessitate præcepti præsupponatur ad Eucharistiam, non ad reliqua adhuc viuorum.



# TRACTATUS DE BAPTISMO.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De institutione & necessitate Baptismi.

#### DIFFICULTAS PRIMA.

##### *Quid sit Baptismus.*



T à nomine exordiamur, Sacramentum Baptismi in primis dicitur *Baptismus*, quia nomen *Baptismus* quamcumque abluionem significat, & Sacramentum Baptismi fit abluione. Secundò dicitur *lauacrum regenerationis*, Ioannis 3. quia per illum regeneramur & renascimur Deo. Tertio dicitur *circumcisio non manufacta*, ad Colossenses 2. quia per Baptismum circumcidimur, & expoliamur, non carne, sed peccatis, & eis morimur. Quarto dicitur *sepultura*, Ioann. 3. & 6. quia vetus homo in Baptismo moritur, & quasi sepelitur. Et ob id quinto dicitur *crux*, quia scilicet, vt dicitur Ioan. 6. vetus homo in Baptismo crucifigitur. Sextò à Patribus dicitur *illuminatio*, iuxta illud ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt*, &c. ratione videlicet splendoris fidei quæ per Baptismum datur. Et ob id Septimò ab Augustino Epist. 23. dicitur *Sacramentum fidei*. Octauò dicitur *vnctio*, quia per Baptismum consecramur Deo in Reges & in Sacerdotes spirituales. Nonò dicitur *donum*, quia per Baptismum fit maxima peccatorum remissio, quia fit culparum & totius pœnæ illis debitæ. Decimò dicitur *indumentum*, quia nuditas, quam peccatum induxerat, tegitur gratiâ per Baptismum collatâ. Vndecimò dicitur *sigillum*, quia omnes oues Christi primò signantur caractere Baptismi.

*Catech.  
Rom.*

Ad rem verò accedendo, variè à multis definitur Baptismus: optimè tamen à Catechismo Romano part. 2. cap. 2. quòd fit *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*. Quibus verbis Baptismus duplici definitione definitur, quia illis prioribus verbis, *Sacramentum regenerationis*, definitur Metaphysicè, seu definitione Metaphysica, quia definitur per *Sacramentum*, quod est genus ad Baptismum. & per *regenerare*, quod est differentia, qua ab alijs Sacramentis nouæ legis distinguitur, adhuc à Pœnitentiâ; quia quamuis hæc etiam viuificet mortuos spiritualiter, non tamen dicitur regenerare, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est institutum ad dandum vitam spiritualement omnino primam, sicut Sacramentum Baptismi, sed dicitur resuscitare; quia ex se iustificat iam mortuum spiritualiter post vitam spiritualem per Baptismum collatam. Illis verò posterioribus verbis, *Per aquam in verbo vitæ*, definitur physicè,

quia definitur per omnes suas partes physicas intrinsecas, nempe per aquam, seu abluionem aquæ, quæ est materia Baptismi; & per verbum vitæ, id est per inuocationem Trinitatis, quæ est forma illius.

Deinde physicè, & clariùs quàm dictis posterioribus verbis Catechismi Romani, definitur Baptismus à Magistro in 4. dist. 3. quòd sit *ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum*. Quam definitionem recipiunt Scholastici omnes: quia quamuis in ea non exprimatursignificatio Sacramentalis, qua tamquam forma totali constat Sacramentum Baptismi, datur tamen per materiam & formam partiales, quibus physicè constat Baptismus, nempe per abluionem & per prolationem verborum, quibus solis constat tamquam toto & integro materiali, & subiecto cui inest Sacramentalis significatio: ac proinde sub illis facilè intelligitur significatio ipsa. Et optimè per synecdochen in ea definitione ponitur pars totalis materialis pro toto ipso Baptismo coalescente ex ipsa & ex significatione Sacramentali, vnde sensus illius est, quòd Baptismus sit ablutio corporis, & præscriptæ formæ prolatio, regenerationem spiritualem significantes.

Ex eo autem, quòd Baptismus definiatur per abluionem, non definitur per sibi synonymum: quia quamuis Baptismus in sua primæua significatione idem fuerit Græcè, quod Latine ablutio, iam tamen extensione nominis *Baptismi* facta per vsus accommodationem, qua extensum est ad significandum totum ipsum Sacramentum Baptismi, desierunt esse synonyma.

#### DIFFICULTAS II.

##### *Quæ sit materia remota Baptismi.*

IN omni Sacramento, quod in vsu & fieri consistit, duplex materia partialis reperitur: vna remota, vt peccata in Sacramento Pœnitentiæ, & oleum in Sacramento Extremæ Vnctionis; & altera proxima, vt confessio peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, & vnctio in Sacramento Extremæ Vnctionis. Est ergo difficultas de materia Baptismi; in præsentî de remota, & Difficultate sequenti de proxima.

Circa præsentem difficultatem Lutherus in *Luther. Colloquijs symposiacis*, cap. 17. ausus est dicere, vinum, & lac, & quidquid aliud potest balneo deservire,



seruire, esse idoneam & sufficientem materiam Baptismi.

Veritas tamen Catholica est, aquam naturalem seu elementarem esse propriam & necessariam materiam ad valorem Baptismi, quod constat ex perpetua Ecclesie traditione & praxi, & definitur ab Eugenio IV. in Decreto fidei, habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem; & à Tridentino sess. 7. can. 2. & constat ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*: vbi nomine aqua intelligitur naturalis, quia nullum est fundamentum cogens confugere ad Metaphoram. Idem quoque constat ex illo Act. 8. *Eccc aqua, quis prohibet me baptizari?* & ex Act. 10. & ex ad Ephes. 5. & ex alijs locis, in quibus describitur aqua naturalis, quæ sit materia.

Quod si obijcias illud Matth. 3. vbi Baptista ait se baptizare in aqua, & Christum baptizatum in Spiritu sancto & igne; quò videtur supponere, Baptismum Christi non futurum ex aqua, sicut erat Baptismus ipsius Baptistæ; omisissis varijs expositionibus existimantium in adducto testimonio non esse sermonem de vero Baptismo Christi, sed de Metaphorico, quæ non sunt contemnendæ, & quibus obiectioni satis fit, respondemus, admittendo, in eo testimonio sermonem esse de vero Baptismo instituto à Christo, quem Baptista verè opposuit suo Baptismo: tamen in hoc tantum opposuit, quòd Baptismus ipsius erat in sola aqua, abique effectu aliquo interiore gratiæ & charitatis; Baptismus verò Christi non erat futurus in sola aqua absque effectu gratiæ & charitatis, quæ peculiariter attribuitur Spiritui sancto; & absque cõsumptione & destructione peccati, quæ etiã specialiter appropriatur Spiritui sancto instar ignis cõsumenti rubiginem peccatorum; sed futurus erat in aqua & Spiritu sancto, iuxta illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.*

Obseruandum tamen est pro Catholicis, vt optimè Valentia d. 4. quæst. 1. punct. 2. Vasquez disp. 141. Egidius quæst. 66. art. 4. dub. 1. & communiter Doctores, ita aquam naturalem esse necessariam ad valorem Baptismi, vt etiam sufficiat quantumcumque accidentaliter mutetur, dummodò retineat naturam aquæ naturalis, & maneat apta ad abluendum; ac proinde aquam, siue calidam siue frigidam, esse sufficientem ad valorem Baptismi: & non solum aquam puram, sed etiam alijs rebus permixtã, quamuis notabiliter, vt est in fluminibus turbidis, & in lixiuio, & in aqua qua caro decocta est, & appellatur ius; dum non sit adeò permixta, vt plus sit alterius substantiæ quàm aquæ naturalis, vt contingit quando aqua valdè densata est luto aut pinguedine, quia tunc non sufficit ad valorem Baptismi: quia quamuis tunc maneat physicè aqua naturalis, tamen non manet apta ad abluendum; imò moraliter non censetur aqua, sed lutum, aut pinguedo. Si tamen ex his permixtis, in quibus plus est alterius substantiæ quàm aquæ, vt ex luto, & ex iure valdè spisso, purior & subtilior aqua exprimat, hæc sufficet ad valorem Baptismi; & multò melius sufficet aqua in quam nix, gelu, glacies, & grando resoluntur, vt specialiter aduertunt Henriquez lib. 2. de Baptismo cap. 6. Valentia & Egidius, quia verè est aqua omnino naturalis. Imò, vt contra nonnullos Henriquez & Ochagavia quæst. 3. etiam

sufficet aqua in quam sal resoluitur, quia etiam est aqua naturalis.

Ita tamen aqua permixta cum alijs substantijs sufficit ad valorem Baptismi, vt extra necessitatem vt aqua notabiliter permixta, sit sacrilegium: quia est contra consuetudinem Ecclesie, volentis non fieri Baptismum, nisi ex aqua moraliter pura: imò etiam est sacrilegium, vt aqua non benedicta, quamuis pura, vt deducitur ex Clementina vnic. de Baptismo. In extrema tamen necessitate licitum est vt aqua, quamuis notabiliter permixta, imò & dubia, vt niue nondum resoluta, sub hac tamen conditione, (siue exteriori siue mentaliter tantum apposita) nempe, *si materia hæc est idonea*, quia extrema necessitas excusat irreuerentiam, quæ aliàs fieret conficiendo Sacramentum sub conditione, & illud temerè exponendo periculo nullitatis.

Liquores verò herbarum, & aliarum rerum, qui per stillicidia extrahuntur, non sunt materia sufficiens ad valorem Baptismi, in quo omnes Doctores conueniunt, quia non sunt vera aqua: sputum quoque & sudor non sunt materia sufficiens, quia etiam non sunt vera aqua, quod de sputo tradit Pontifex in cap. panult. de Baptismo.

### DIFFICULTAS III.

#### *Quæ sit materia proxima Baptismi.*

Conueniunt Doctores, materiam proximam Baptismi esse non aquam ipsam, sed ablutio-nem mediã aquã factam; quia verba ministri, quæ in hoc Sacramento, sicut in alijs, habent quòd sint forma quæ accedit materiæ proximæ, & super eam cadit, non accedunt ipsi aquæ, sed ablutio: ablutio autem essentialiter consistit in motu locali, siue quo aqua mouetur circa corpus ipsum tangendo, siue quo ipsum corpus mouetur circa aquam ipsam tangendo. Et in vtrouis sufficienter consistit: quia vtrouis sufficienter abluatur corpus per aquã, quia tam motu corporis circa aquam, quamuis immotam, (si possit tangi absque eo quòd moueatur) quàm motu aquæ circa corpus, quamuis immotum, dicitur corpus abluere per aquã; quia vteruis, quantum est ex se, est sufficiens ad abstergendas sordes: ille enim dicitur abluere, & sufficienter, corpus aliquod, aut quando circa illud mouet localiter aquam illud tangentem, aut quando mouet localiter corpus circa aquam, eam tangens.

Est tamen difficultas, An materia proxima Baptismi cõsistat in ablutio-nem vt actiua, id est, vt facta à ministro, & ad ipsum relata, siue actiue siue passiuè significetur, vel in ablutio-nem vt passiuã, id est, vt recepta vel quasi recepta in corpore baptizati, & vt de nominante ipsum qui baptizatur, ablutum seu baptizatum, siue ablutio sic sumpta sit vera passio ipsius circa aquam, siue non sit vera passio corporis ablu-ti, sed tantum sit passio Grammaticalis, seu significata, vt passio, vt contingit quando corpus abluatur motu locali aquæ circa corpus ipsum immotum; vel an consistat in ablutio-nem, tam vt actiua quàm vt passiuã.

Sotus in 4. dist. 3. art. 1. §. Ex quo fit, & Suarez Sotus. SHAR. d. 20. sect. 2. docent, materiã proximam Baptismi sitam esse in ablutio-nem vt passiuã, & non vt actiua: quod indicare videtur Augustinus Tract. 80. in Ioannem, dum ait: *Quæ est ista tanta virtus aquæ, quæ corpus tangit, & cor abluunt?*

Eug. IV.

Trid.

Valent.  
Vasquez  
Ægid.Henr.  
Valen.  
Ægid.  
Henr.  
Ochag.



Alij econtrà docent, ablutionem non vt passiuam, sed vt actiuam esse materiam proximam Baptismi, quia verbis formæ Baptismi, nempe *Ego te baptizo*, non significatur ablutio vt passiuam, sed tantum vt actiuam.

Vasquez.  
Ægid.  
Ochag.  
Racon.

Vasquez verò disp. 141. c. 2. Ægidius q. 66. artic. 4. dub. 2. Ochagauius q. 3. & Raconis q. 3. art. 1. docent, ablutionem tam vt actiuam quam vt passiuam, utrius modo esse materiam Baptismi, & merito: quia materia proxima Baptismi consistit in eo quod significatur per verba formæ Baptismi, quia verba formæ accedunt materiæ proximæ, & supra eam cadunt; per hæc autem significatur ablutio, tam vt actiuam quam vt passiuam, quia verba formæ siue actiuam, vt quando Latinus dicit, *Ego te baptizo*, siue passiuam, vt quando Græcus dicit, *Baptizetur seruus Christi*, subintelligendo à me, verè significant ablutionem vt actiuam, & relatam ad personam quæ baptizatur, & vt passiuam, & relatam ad personam quæ baptizatur, quia eis ablutio utroque modo significatur: quia quando verba formæ actiuè proferuntur, significatur ablutio vt actiuam, vt directè & in recto relata ad personam baptizantem, & etiam vt passiuam, vt indirectè & in obliquo relata ad personam baptizatam; & quando passiuè proferuntur, econtrà ablutio significatur vt passiuam, directè & in recto relata ad personam baptizatam, & etiam vt actiuam, vt indirectè & in obliquo relata ad personam baptizantem.

Vnde iuxta ea, quæ dicimus Difficultate VII. & Difficultate VIII. nempe ad essentiam formæ Baptismi necessarium esse personam baptizati exprimere, & etiam actionem ministri, & hanc ita vt denotatur esse actionem ministri, saltem personam ministri subintelligendo, consequenter dicendum est, ad materiam proximam Baptismi requisitam esse ablutionem vt actiuam, & vt Grammaticaliter passiuam simul; & non sufficere vt actiuam tantum, nec vt passiuam tantum, quia requisita est vt ablutio relata ad personam baptizatam expressam verbis formæ, & vt relata ad personam baptizantem verbis formæ denotatam.

#### DIFFICULTAS IV.

##### *Quæ ablutio sufficiat ad valorem Baptismi.*

Conueniunt Primò Doctores, quamcumque ablutionem, siue fiat immersione, vel infusione, siue asperione, quantum est ex se sufficere ad valorem & essentiam Baptismi, quia quæcumque ex his est vera ablutio, quæ verbis formæ Baptismi significatur. Quod etiam constat ex vsu Ecclesiæ, quæ omnibus dictis modis vsa est baptizare, nempe infusione, vt modò fit; & immersione, vt olim fiebat, & vt modò in Manuali Romano fieri permittitur; & asperione, vt ex S. Laurentio in eius Legenda dicitur instante martyrio quemdam asperione aquæ baptizasse; & de Apostolis creditur asperione baptizasse, quando vna die quinque millia baptizarunt, vt dicitur Act. 4. Et idem est de ablutione facta tinctione. In praxi tamen, vt ablutio licitè fiat, seruandus est modus in vnaquaque Ecclesia pro tempore præscriptus & vsitatus.

Quòd si obijcias, Baptismum esse figuram & umbram mortis & sepulturæ Christi, vt significat

Paulus ad Rom. 6. dum baptizati dicuntur commori & sepeliri cum Christo in Baptismo; sepultura autem non figuratur neque denotatur effusione neque asperione, sed tantum immersione, qua quasi in sepultura condimur sub aqua; ergo sola immersio est sufficiens ad valorem Baptismi, & non asperio, neque effusio;

Respondemus, Baptismum non dici figuram sepulturæ Christi, neque nos per Baptismum configurari Christo sepulto: quia immersio materialis, qua in Baptismo condimur sub aqua, sit similis sepulturæ, qua Christus conditus est sub terra, neque id contendit Paulus vbi supra; sed quia ablutio spiritualis à peccatis facta per Baptismum, est mors spiritualis, qua morimur peccatis, & eis quasi sepelimur & abscondimur, in quo assimilamur Christo mortuo & sepulto; quod eodem modo denotatur ablutione spirituali, siue fiat immersione, siue effusione, siue asperione.

Conueniunt Secundò Doctores, trinam ablutionem, siue immersionem, siue effusionem, siue asperionem non esse necessariam ad valorem & essentiam Baptismi, sed sufficere vnâ, quia ad valorem Baptismi sufficit vera ablutio; ad veritatem autem ablutionis non est necessarium, quòd sit trina, sed sufficit quòd sit vna. Quod etiam constat ex vsu Ecclesiæ, quæ ob varias rationes occurrentes aliquando vsa est trina, & aliquando vna tantum immersione, vt constat ex Gregorio libro 1. Epist. 41. & ex Concilio Toletano IV. c. 4. vbi statuitur, vt deinceps Baptismus non nisi vna immersione conferatur.

Greg.  
Com. il.  
Toletan.

Quòd si obijcias Pelagium Papam in Epist. ad Gaudentium, & relatum can. Multi, de Consecrat. dist. 4. dum ritum trinæ immersionis affirmat traditum esse à Christo; ergo est necessarius ad valorem Baptismi, cum sit necessarius ex intentione Christi; Respondemus, quòd si verba Pelagij expendantur, vt ea expendit Vasquez disp. 145. c. 1. conijcietur, ipsum tantum asserere, inuocationem Trinitatis esse traditam & præceptam in Baptismo à Christo, non trinam immersionem: hanc tamen Apostoli præceperunt, vt constat ex can. 49. ipsorum, vt concordaret inuocationi trium diuinarum personarum. Et id tantum volunt nonnulli Patres, dum ritum trinæ immersionis enumerant inter traditiones quæ seruari debent, quia suo tempore perseuerabat sub præcepto Apostolico. Dictum tamen præceptum Apostolicum postea abrogatum est ab Ecclesia in multis Prouincijs ob rationes occurrentes, & in Hispania abrogatum fuit in Concilio Toletano IV. c. 5. ob quemdam errorem hæreticorum circa significationem trinæ immersionis, & præcepit Baptismum vnica immersione conferri.

Pel Pap.

Qui ergo vult trina ablutione Baptismum validè conficere, debet verba ita proferre, vt illa non abfoluat priusquam tertiam ablutionem fecerit: quia si post primam ante alias, aut post duas ante tertiam verba formæ finiat, statim perficiet Baptismum, quia ad eius valorem & essentiam non sunt necessariae tres ablutiones, neque duæ; sed sufficit vna & prolatio verborum: positus autem sufficiens materia & forma, non est in potestate ministri detinere significationem Sacramentalem. Quòd si tunc intendat trina ablutione Sacramentum Baptismi conficere, & non aliter, nihil efficiet ex defectu intentionis requisitæ, nempe efficiendi Sacramentum quando potuit, quia eam non habuit.

Vasquez.



## DIFFICULTAS V.

*Vtrum ad valorem Baptismi, qui submer-  
sione fit, necessaria sit emersio ipsi  
submersioni succedens.*

Scotus.  
Palud.  
Marfil.  
Sotus.  
Siluest.

**S**COTUS in 4. dist. 5. quæst. 3. Paludanus dist. 6. quæst. 1. artic. 3. Marsilius q. 4. art. 4. Sotus dist. 3. q. vnica, art. 8. & Siluester v. *Baptismus* 4. q. 10. partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia Christus solam ablutionem communem & vniuersalem in proximam materiam Baptismi instituit; submersio autem absq; emersione seu extractione ipsi succedente, non est ablutio, vt communiter fit. Secundò, quia Christus non instituit in materiam proximam Baptismi ablutionem destructiuam vitæ baptizandi; submersio autem, cui non succedit emersio, est destructiua vitæ baptizandi. Tertio, quia per Baptismum configuramur Christo mortuo, & sepulto, & resurgenti, vt constat ex Paulo ad Rom. 6. per submerisionem autem, cui non succedit emersio, etiam si configuremur Christo mortuo & sepulto, sed non resurgenti.

Panor.  
Rosella.  
Suarez.  
Vasquez.  
Valen.  
Ægidius.

Panormitanus in cap. *Vt non apponeres*, de Baptismo & eius effectu, Rosella v. *Baptismus* 4. n. 1. Suarez disp. 20. sect. 3. Vasquez disp. 145. cap. 3. Valentia disp. 4. quæst. 1. puncto 2. & Ægidius quæst. 66. art. 7. dub. 1. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia submersio corporis, quamuis ei non succedat emersio seu extractio illius, est vera ablutio, quia tunc aqua ita mouetur supra superficiem corporis, dum eam intrat, vt si sordidum esset, verè illud emundaret; ergo sufficiens est ad valorem Baptismi.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, negamus submerisionem absque emersione non esse ablutionem, etiam si res, quæ per se ipsas nequeunt extrahi & emergi, communiter submergamus animo illas educendi seu emergendi, non vt verè abluamus, sed emerguntur, vt submersæ & non emerisæ non pereant.

Ad secundam respondemus, Christum in materiam proximam Baptismi quamcumque veram ablutionem instituisse, siue per eam destruat & ægrotet baptizandus, siue non.

Ad tertiam concedimus, per Baptismum nos conformari Christo mortuo, sepulto, & resurgenti; non tamen immediatè ratione ipsius Baptismi, sed ratione effectus ipsius, vt deducitur ex ipso contextu Pauli: quia effectu Baptismi, nempe gratia iustificante, morimur & sepelimur peccato, & regeneramur Deo, quod efficit Baptismus, quamuis sola submersione, absque emersione, fiat, imò & quando fit infusione aut aspersione. Quòd verò nonnulli Patres innuunt, baptizatos videlicet per ipsam submerisionem & emersionem Baptismi configurari Christo sepulto & resurgenti, est verum, hic tamen sensus non est literalis quem Paulus intendit, & tantum conuenit Baptismo factò media submersione & emersione, non verò factò sola submersione, aut infusione aut aspersione.

Vasquez.  
Ægidius.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Ægidius, Baptismum factum proiectione seu submersione baptizandi in puteum, aut in flumen in quo moriturus est, quamuis validum, esse illicitum, quamuis baptizandus nequeat aliter baptiza-

ri, & si eo modo non baptizetur, sit absque Baptismo moriturus; quia proiectio hæc per se, & seclusis circumstantijs, est directa occisio innocentis, imò inhumana, quæ adhuc ob salutem illius nequit à malitia excusari (quod ob rationem dictam contra Ochaguiam q. 7. verum existimamus, *Ochag.* quamuis baptizandus iam iam animam agat) ac proinde baptizans in casu dicto erit irregularis. Et ob eandem rationem, quamuis parturiens sit statim moritura, & sit euidentis periculum mortis infantis in vtero absque Baptismo, non est ante mortem secunda, quamuis ipsa consentiat, vt puer baptizari possit, quia scilicet est directa & inhumana occisio innocentis. Nihilominus, quamuis baptizandus adèd infirmus sit, vt exiguum aquæ aspersionem, qua baptizetur, ferre non possit absque periculo vitæ (quod moraliter accidere nequit) baptizandus est, ne moriatur absque Baptismo, quia acceleratio illa mortis hominis aliàs morituri, cui ratione dictæ aspersionis exponitur, adèd exigua & insensibilis est, & fit modo ita humano, vt ob salutem æternam non sit contra rationem, ac proinde sic baptizans non manet irregularis, quamuis re ipsa sequatur dicta acceleratio.

## DIFFICULTAS VI.

*Quanta ablutio sufficiat ad valorem  
seu essentiam Baptismi.*

**P**rimò est difficultas circa partem corporis, An sufficiat quamlibet partem, quamuis minimam, ablui. Supponimus, in quo conueniunt Doctores, necessarium esse, partem aliquam corporis immediatè aqua ipsa tangi, & non sufficere tangi velles, nec corium, nec vterum matris in quo puer sit inclusus, quia tactu isto mediato nullus dicitur ablui, sed tantum tactu immediato: sufficere tamen aqua tangi partem aliquam homini naturaliter coniunctam, quæ dicatur pars hominis, vt capillos, & pellem secundinam, quia ratione illius, vt pote partis hominis, dicitur homo tangi.

Hoc supposito, difficultas est, An sufficiat quamlibet tangi & ablui. Circa quæ conueniunt Doctores, sufficere quamlibet principalem ablui, nempe aut caput, aut pectus, aut humerum, aut scapulas, quia ablutione partis principalis homo dicitur simpliciter & absolute ablui. Punctum ergo difficultatis est, an sufficiat quamlibet partem adhuc minimam, v. g. digitum, ablui.

Sotus in 4. dist. 3. q. vnica. artic. 7. Valentia disp. 4. q. 1. punct. 2. & Suarez disp. 20. sect. 2. partem negatiuam tuentur, quia ad valorem Baptismi necessaria est ablutio illius partis, ratione cuius homo dicatur absolute ablutus seu lotus: ablutio autem aliquarum partium, vt digiti, non sufficit vt homo dicatur absolute ablutus seu lotus; ergo.

Durandus verò in 4. dist. 6. quæst. 1. Vasquez disp. 145. c. 4. & Ochagua quæst. 4. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia ablutio cuiuscumque partis, quantumuis minimæ, est vera ablutio, sicut & vera tinctio aquæ, & vera motio localis aquæ supra corpus, aut econtrà, & qua dicitur homo absolute & simpliciter ablui, sicut dicitur simpliciter tangi aqua, & maderieri; ergo est sufficiens ad valorem Baptismi. Consequenter patet, Antecedens autem probatur: quia quamuis ea, quæ rei secundum omnes eius partes, aut saltem secun-

Duran.  
Vasquez  
Ochag.



secundum principales regulariter conueniunt, ut albedo & nigredo, non denominent simpliciter ipsum totum, nisi conueniant omnibus aut saltem precipuis partibus, tamen ea, quæ ita conueniunt rei, ut etiam non raro conueniant alicui soli parti etiam non præcipuæ, ut vulnerari & tangi, etiam simpliciter denominant totum, quamuis vni tantum parti, adhuc minimæ, conueniant: & ob id homo dicitur absolute vulnerari, quamuis vulnus tantum sit in vna minima parte; & etiam dicitur tangi, quamuis in vna tantum minima parte tangatur. Ablutio autem communiter & amplè sumpta non raro conuenit cuiusque parti soli, adhuc minimæ, ergo ablutio cuiusque partis solius etiam minimæ, ut digiti, simpliciter denominat ipsum hominem ablutum: quæuis ablutio ordinariè, qua homines solent faciem & manus lauare, non denominet simpliciter hominem ablutum, nisi sit faciei & manuum, quia hæc fit regulariter in vtraque parte. Nihilominus ablutio solius faciei sufficiens est ad Baptismum, quia ablutione illius dicitur homo absolute ablutus, loquendo de ablutione non strictè & peculiariter sumpta pro ablutione ordinaria, quæ solet ante meridiem fieri, sed pro ablutione communiter & amplè sumpta, quam Christus in materiam proximam Baptismi instituit.

Secundò est difficultas circa quantitatem aquæ, An ad valorem seu essentiam Baptismi sufficiat quæcumque quantitas aquæ, adhuc minima, ut vna gutta.

Sotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ochag.

Sotus & Suarez negant, quia non quæcumque parua quantitas aquæ sufficit ut homo dicatur simpliciter ablutus. Vasquez verò & Ochagavia affirmant, & merito, quia quæcumque quantitas aquæ, quantumuis minima, sufficit, ut supra corpus immediatè moueatur, & illud tingat, & e contra; ergo sufficit ut illud abluat, quia ablutio nihil aliud est quàm motio localis aquæ immediatè supra corpus, aut e contra.

Obseruandum est Primò, quòd, quia quoties est subcontrouersia, valor alicuius Baptismi potest licitè sub conditione reiterari, ut quis maneat absque dubio aliquo baptizatus, ut dicimus Difficul. XII. Ideò quoties Baptismus fit in aliqua parte non principali, ut quando fit in pede, aut in manu, vel quando fit paruissima quantitate aquæ, ut vna gutta (qui, quando urget extrema necessitas, potest licitè fieri, si aliter fieri nequeat) potest licitè reiterari sub conditione, nempe, *si non est baptizatus* (siue exterius expressa, siue interius tantum concepta): quia, ut vidimus, est sub cõtrouersia, an valeat Baptismus factus in parte non principali, & an valeat quando fit modicissimâ aquâ. Sed an tunc sic baptizatus teneatur iterum sub conditione baptizari, dicemus dicta Difficultate XII.

Obseruandum est Secundò, eo ipso quòd finitur forma Baptismi, perfici Baptismum antequam finiatur ablutio, si, quando finitur forma, sit ablutio inchoata, quamuis post finitam formam perseueret; quia quæcumque pars ablutionis, utpote homogenea, est vera ablutio: positis autem forma & sufficienti materia, statim perficitur Sacramentum, ita ut non sit in potestate ministri perfectionem Sacramenti seu Sacramentalem significationem differre, ut generaliter de omnibus Sacramentis diximus Disputatione I V. Difficultate VI.

## DIFFICULTAS VII.

*Quæ verba sint de essentia formæ Baptismi.*

Missis varijs erroribus antiquis circa formam Baptismi relatis à Bellarmino lib. 1. de Baptismo cap. 3. & à Vasquez disp. 142. heretici nostri temporis, quamuis communiter admittant formam Baptismi qua utitur Ecclesia, nempe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, esse legitimam, tamen plures ex illis affirmant non esse necessariam, quia existimant Sacramenta non aliter iustificare, quàm excitando fidem in suscipiente, quod alijs diuersissimis verbis etiam fieri potest: & ideò, quamuis communiter dicta forma vtantur, aliquando tamen nonnulli hæretici, omissa dicta forma, alia sibi placita vtuntur.

Nihilominus Catholici conueniunt, ad essentiam formæ Baptismi requisita esse verba, quibus actio ministri, nempe actus baptizandi, exprimitur, & quibus tres diuinæ personæ inuocentur. Ita definiit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum ait: *Cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur minister, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum.* Quod clariùs definiuit Alexander III. in cap. I. de Baptismo & eius effectu, dum ait: *Si quis puerum ter in aqua immerferit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen, non est puer baptizatus.* Quod etiam constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba illa Matthæi ultimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, ut Christus non tantum voluerit, quòd in actu baptizandi inuocetur Trinitas, sed etiam quòd actus ipse verbis exprimitur.

Ita tamen ad essentiam formæ Baptismi necessarium est exprimi actionem ministri, ut exprimitur verbo *baptizo*, ut etiam sufficiat quocumque alio verbo, siue synonymo, ut verbo *abluo*; siue æquiualente, ut verbo *intingo*, (quæuis verbo alio uti quàm *baptizo*, sit illicitum, utpote contra consuetudinem Ecclesiæ, volētis eo fieri Baptismum, quamuis solum venialiter, quia est mutatio parui momēti) & sufficit uti verbo *baptizo*, aut alio synonymo aut æquiualente, non solū actiue, ut vtuntur Latini, sed etiam passiuè, ut vtuntur Græci: quia idem actus baptizandi per vtramque vocem actiuam & passiuam significatur, quamuis ministro, tam Latino quàm Græco, sit illicitum à consuetudine propriæ Ecclesiæ discordare.

Circa personam ministri, quæ exprimitur verbis formæ Latinorum, conueniunt Doctores ad essentiam formæ Baptismi non esse necessarium illam exprimere, quia in forma Græcorum, nempe, *Baptizetur talis seruus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quæ sufficiens est, non exprimitur, imò neque est necessarium, quòd implicite contineatur in ipso verbo, ut contineatur quando dicitur *Baptizo*: quia neque in forma Græcorum continetur, quamuis subintelligatur, ut postea dicemus; & non solum non est necessarium Græcis



Innoc. IV.

ad essentiam formæ personam ministri exprimere, sed neque Latinis; in quo contra Innocentium IV. in cap. 1. de Baptismo & eius effectu, conueniunt Doctores, quia in omni Ecclesia est eadem essentia formæ & materiæ Sacramentorum, quia Christus non instituit diuersas pro diuersis Ecclesijs, quamuis Latinis sit illicitum personam ministri non exprimere, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ, volentis quod exprimat, sed non est illicitum mortaliter, sed tantum venialiter, vt aduertit Sotus, Vasquez & Egidius, quia est parui momenti: erit tamen illicitum mortaliter, Latini vti forma Græcorum, & e contra Græcum vti Latinorum forma, & non tantum venialiter, vt falsò affirmat Valentia, quia id non censetur parui momenti. Vnde quando Alexander III. in dicto cap. 1. dixit puerum non esse baptizatum, si minister non dixerit, *Ego te baptizo*, non requisit expressionem particulæ *ego*, sed actus baptizandi, qui in ea forma ab ipso Pontifice reprobata non exprimitur, sed tantum inuocatio Trinitatis.

Vasquez.  
Egidius.

Valentia.

Circa personam baptizati etiam conueniunt Doctores, ad essentiam & valorem formæ Baptismi necessarium esse eam personam exprimere. Quod constat ex traditione Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba illa Matthæi ultimo, *baptizantes eos*, vt Christus non solum voluerit, quod non baptizati, significati particulâ *eos*, re ipsa baptizantur, sed quod etiam verbis exprimentur: & satis congruenter; aliàs si persona baptizati non exprimitur, actus baptizandi non significabitur, neque denotabitur determinatus in indiuiduo, quia determinatur per personam quæ baptizatur; sed significabitur & denotabitur indeterminatus, & indifferens ad hanc & ad illam personam, & ad personam ipsius baptizati, & ad personam alterius. Quia quamuis persona baptizati sit quæ baptizatur, eâ tamen non expressâ, nihil in forma proferatur, quo actus baptizandi denotetur determinatus, quamuis forma proferatur personam illam baptizando: ita tamen necessarium est ad essentiam formæ Baptismi, personam baptizati exprimere, vt sufficiat eam quouis modo exprimere, siue pronomine *te*, siue pronomine *vos*, auctoritatis baptizati causa, siue pronomine demonstratiuo *hunc*, siue nomine proprio, siue nomine appellatiuo, in quo Doctores conueniunt.

Vasquez.

Tandem conueniunt Doctores, ad essentiam formæ Baptismi necessarium esse in ea exprimi particulam *in nomine*, quia ad essentiam formæ Baptismi, qui est Sacramentum fidei, necessarium est proferre mysterium Trinitatis, quod est primum & præcipuum mysterium fidei. Mysterium autem Trinitatis consistit in Trinitate personarum in vna essentia: absque particula autem *in nomine*, & in numero singulari, non significabitur vnitas essentia, quia per eam particulam auctoritas & virtus Deitatis personarum significatur, in quo Patres conueniunt, quos refert Vasquez disp. 143. c. 5. Vnde si in forma Baptismi non dicatur *in nomine*, sed *in nominibus*, non fit Baptismus, in quo Doctores conueniunt: quia Deitas, à qua prouenit auctoritas & virtus personarum, est tantum vna; per particulam autem *in nominibus* plures Deitates & auctoritates denotantur. Nihilominus si in forma Baptismi dicatur, *In nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti*, verè het Baptismus, vt aduertunt Sotus, Vasquez & Egidius:

Sotus.  
Vasquez.  
Egidius.

quia ea repetitione non denotatur pluralitas Deitatum & auctoritatum, sed tantum pro singulis personis eandem repeti, sicut idem est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ac Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus.

Ex quibus constat, quod si quis dicat, *Ego te baptizo in Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto*, aut *in essentia*, aut *in virtute Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, validè baptizat, (quidquid dicant Valentia & Egidius) quia particula *in Deo*, aut *in essentia*, aut *in virtute*, æquualet particulæ *in nomine*.

Valentia.  
Egidius.

Et quamuis ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit exprimere particulam *in nomine*, sed non particulam *in* (etiam si oppositum affirmat Toletus lib. 2. cap. 19.) quia idem est baptizare *in virtute Patris*, &c. ac baptizare *in nomine Patris*, &c.

Toletus.

Neque necessarium est (quidquid nonnulli dicant) exprimere particulam *&*, qua personæ copulantur, & earum distinctio denotatur, quia secundum modum satis vsitatum subintelligitur.

Neque particulam *amen*, (in quo Doctores conueniunt) quia nihil iuuat ad perfectionem sensus Sacramentalis. Erit tamen peccatum omittere particulam *in*, & particulam *&*, & particulam *amen*, quia contra consuetudinem Ecclesiæ: sed non erit mortale omittere particulam *amen*, vt aduertit Egidius, quia est ommissio parui momenti: imò nec particulam *in*, neque particulam *&* (vt contra Sotum aduertit Henriquez) quando suscipiens admonetur de periculo nullitatis, quia etiam ommissio vtriusque, facta ea admonitione, est parui momenti.

Egidius.

Henriq.

## DIFFICULTAS VIII.

*Utrum ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit exprimi actionem ministri, vt etiam denotetur esse actionem illius.*

Sotus in 4. dist. 3. q. vnic. art. 3. docet, ad essentiam formæ Baptismi non esse necessarium, ita in ea actionem ministri exprimi, siue actiue siue passiue, vt denotetur esse actionem illius, seu ab eo procedere, dum id non negetur, ac proinde sufficere, si baptizans dicat, *Baptizet te Christus*, dum non addat, *quem ego non te baptizo*. Quod probat Sotus exemplo formæ Confirmationis, in qua actio ministri confirmantis non ita exprimitur, vt denotetur quod sit actio illius, vt constare videtur in forma qua Constantinus Imperator confirmatus est, quæ habetur in edicto eiusdem, quod est ante Concilium Nicænum I. nempe, *Signet te Deus sigillo fidei sue, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in consignatione fidei*. Quod etiam probari potest exemplo formæ Baptismi Græcorum, nempe, *Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quia in hac non ita exprimitur actio ministri, vt denotetur esse ipsius ministri, seu ab eo procedere, sed potius vt est actio Christi vel Dei: quia quando dicitur, *Baptizetur talis seruus Christi*, subintelligitur *à Christo*, vel *à Deo*; quia Græci vsi sunt dicta forma ad euitandum errorem, qui tempore Pauli exortus fuit inter Corinthios, qui virtutem Baptismi non Christo, sed ministro tribuebant.

Sotus.

Concilium  
Nicæni I.

Alexan-



Alexand.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Ochag.

Alexander verò p. 4. q. 8. memb. 3. art. 3. Vasquez d. 142. c. 2. Ægidius q. 66. art. 6. n. 36. & Ochagua q. 8. docent, ad essentiam formæ Baptismi necessarium esse, in ea ita exprimi actionem ministri, seu actum baptizandi, siue actiue siue passiue, vt denotetur esse actionem, & actum ipsius, seu ab ipso procedere. Quod deducitur ex traditione Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba illa Matthæi vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vt Christus non tantum voluerit quod Apostoli re ipsa baptizarent, sed etiam quod exprimerent & denotarent id quod eo participio *baptizantes*, vt ibi prolato à Christo exprimitur & denotatur. Eo autem participio, vt ibi prolato, ita exprimitur actus baptizandi exercendus ab Apostolis, & ab eorum successoribus in potestate baptizandi, vt etiam denotetur eum actum ab ipsis procedere: dicitur enim, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; actus ergo baptizandi ita debet exprimi in forma, vt etiam denotetur ministrum re ipsa baptizantem esse qui baptizat. Et id est maxime congruum, quia maxime congruum est, vt in forma ita exprimaturs actus baptizandi, siue actiue siue passiue, vt saltem denotetur prout ab aliqua persona determinata factus, aliàs valde confuse & imperfecte exprimeretur: sed non est ita exprimendus, vt denotetur procedere à Christo vel à Deo, quia ineptè diceretur, *Deus vel Christus te baptizat*, aut *baptizetis à Christo*, vel à Deo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quia Deus, vel Christus vt Deus, non baptizat auctoritate Patris & Filij & Spiritus sancti; ergo actus baptizandi ita exprimendus est, vt denotetur à ministro procedere, quia non est aliud à quo procedere possit, nisi à Deo vel à ministro.

Vnde in forma Græcorum, *Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, nequit subintelligi à Christo, vel à Deo, sed à me, quia baptizans loquitur se cum quasi cum altero, vt non raro fit. Et id denotatur verbo illo Imperatiui *baptizetur*, quia eo ipso quod imperatiue baptizat, dicendo *baptizetur*, denotat se habere potestatem ad baptizandum, & esse qui baptizat: quia si eam potestatem non haberet, ineptè diceret *baptizetur*, quia imperare proprium est habentis potestatem. Dirigitur autem dictum imperium non ad effectum ipsum, quia effectus non significatur à verbo *baptizetur*, quia in primis non significatione verbali quam habet ex hominum impositione, vt patet; nec significatione Sacramentali, quia hæc significatio conuenit toti formæ, & toti materiæ proximæ indiuisibiliter; sed dirigitur ad ipsummet ministrum actu exercentem actum baptizandi, non imperium strictè & propriè, sed latè & impropiè, quod solum potest eo verbo significari, ad quemcumque dirigatur. Qui autem baptizaret absque imperio, dicendo, *baptizatur talis seruus Christi, vel baptizaris*, non denotaret eum Baptismum ab ipso procedere, quia non baptizat imperatiue, nec proferendo aliquid quo id denotetur, ac proinde inualidè baptizaret, quidquid dicat Vasquez num. 19. Et ideò Eugenius IV. in suo Decreto fidei, quamuis tradat, vt sufficien-tem, hanc formam Græcorum, *Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris*, &c. non tamen hanc, *Baptizatur in nomine Patris*, &c. nisi addendo, *baptizatur manibus meis*. Ex quibus

Vasquez.  
Eugen. IV.

constat ad posterius exemplum adductum pro Soto.

Et ad prius exemplum ab ipso adductum, quamuis admittamus, Constantinum ea forma confirmatum fuisse, (quod non est certum, vt Vasquez aduertit) nihilominus eo exemplo nihil contra nos fit, quia etiam in ea forma significatur actio ministri, denotando à ministro procedere, eo ipso quod verbo imperatiui (quamuis non imperando, sed deprecando) signat, & sigillat signo Crucis in fronte confirmandi: quia eo ipso denotat se habere potestatem signandi & sigillandi, vt ministrum Dei, & se esse qui signat & sigillat; ac proinde sensus illius formæ est: *Signet te Deus sigillo fidei sue (id est signo Crucis) subintellige à me exhibitio, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in consignatione fidei*, id est *consignatione interiori*, quæ fit medio caractere: vnde illud, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non cadit supra illud, *signet te Deus*, sed supra illud *sigillo fidei*, subintelligendo à me exhibitio.

### DIFFICULTAS IX.

*Vtrum ad essentiam formæ Baptismi necessaria sit inuocatio explicita Trinitatis.*

Inuocationem Trinitatis necessariam esse ad essentiam formæ Baptismi, constat ex dictis Difficultate VII. restat tamen difficultas, An sufficiat implicita, an necessaria sit explicita.

Magister in 4. dist. 3. & Adrianus in 4. q. 2. de Baptismo, §. *Ad rationes*, docent, ad essentiam formæ Baptismi non esse necessariam explicitam inuocationem Trinitatis, dicendo, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sed sufficere implicitam, dicendo, *in nomine Christi*, aut *in nomine Dei*, aut in nomine alicuius personæ diuinæ, quia in quolibet ex his tribus est tota Trinitas, & multò melius in nomine Trinitatis, nullam exprimendo personam. Quod tradidisse videtur Ambrosius lib. de Spiritu sancto cap. 3. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 2. Beda in cap. 10. Actorum, Bernardus Epist. 140. & Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum cap. 104. Et refertur de Consecratione dist. 4. can. *A quodam Iudæo*, & indicari videtur Actor. 2. & 8. & 10. & 19. dum dicitur Apostolos baptizasse in nomine Christi, nullius alius personæ mentione facta.

S. Thomas verò quæst. 66. Canus 6. de Locis, cap. 8. ad 7. Bellarminus lib. 1. de Baptismo, cap. 3. Suarez disput. 21. sect. 3. Vasquez disp. 143. Ægidius art. 6. num. 62. & communiter Doctores docent, & meritò, ad essentiam formæ Baptismi requiri explicitam inuocationem Trinitatis, dicendo, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Quod tradunt plures Patres, quos refert Vasquez, & id indicatur Matth. vltimo, illis verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Vbi ex communi totius Ecclesiæ sensu traditur forma Baptismi, & apertè definitum est à Zacharia Papa can. *In Synodo*, de Consecratione, dist. 4. Quod etiam definitum videtur à Pelagio Papa in can. *Multi*, eadem dist. & ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi, vt traditur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate & fide Catholica; & ab Alexandro III. in cap. 1. de Baptismo & eius effectu, & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum

dum



dum assignantes formam Baptismi, in ea exprimunt tres personas Trinitatis.

Patres verò pro aduersariis adducti, à nonnullis intenduntur in aliquo bono sensu pro nobis explicari, re tamen vera non possunt, quia verè sunt in sententia aduersariorum, etiam Nicolaus Pontifex. Hic tamen, vt aduertunt Canus, Vasquez & Ægidius, id tantum affirmavit vt priuatus Doctor, priuatam opinionem secutus, & non definiuit vt Pontifex, quia de eo nullatenus fuit interrogatus, sed id tantum dixit obiter & per transennam, exempli gratia, & absque dubio ipsi dum id scripsit, non occurrit definitio Zachariae, qui verè id definiuit vt Pontifex, confirmans Synodum Anglicanam prouincialem.

Ad capita vero Actorum, in quibus dicitur Apostolos baptizasse in nomine Christi, respondent S. Thomas, Altrifiodorensis lib. 3. Summarum tit. 3. c. 4. quæst. 2. Bonauentura in 4. dist. 3. 1. p. distinctionis, art. 2. q. 2. Durandus & Paludanus quæst. 1. Apostolos ex peculiari dispensatione ipsis facta baptizasse in nomine solius Christi, vt nomen Christi fieret illustrius: Armacanus verò lib. 8. de Quæstionibus Armenorum, c. 3. Canus, Bellarminus, Suarez, Vasquez & Ægidius existimant, nec Apostolos in nomine solius Christi baptizasse; & non absque fundamento, quia Apostoli can. 5. reprobant Baptismum collatum in morte Christi, id est, in nomine solius Christi mortui. Vbi huius redditur hæc ratio, quia scilicet non dixit Dominus, *in morte mea baptizate*, sed, *docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Et can. 49. præscribitur, vt Baptismus conferatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nulla mentione facta permissionis baptizandi in nomine solius Christi, imò Clemens lib. 7. Constitutionum Apostolicarum c. 23. & Dionys. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. aliàs 2. qui cum Apostolis conuersati sunt, nulla mentione facta dictæ permissionis, affirmant Baptismum conferendum esse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quòd ergo in dictis capitibus Actorum dicitur plures baptizatos fuisse in nomine Christi, à pluribus Patribus & Scholasticis ita exponitur, vt *in nomine Christi* non sit idem quod inuocatione Christi, sed auctoritate & virtute accepta à Christo, sicut quando Marci ultimo dicitur, *in nomine meo demonia eiecient*, & ab aliis non paucis ita exponitur, & melius, vt *in nomine Christi* idem sit, quod inuocatione Christi, non tamen solius, sed etiam Patris, & Spiritus sancti, siue sub nomine tantum Filij, quia Christus est verè Filius Dei; siue sub nomine Filij simul & Christi, dicendo, *In nomine Patris, & Christi Filij, & Spiritus sancti*.

Ita tamen ad essentiam formæ Baptismi est necessaria inuocatio explicita trium personarum in vnitatem essentiam vt necessarium sit denotari, Deum vnum & trinum esse auctorem & causam principalem Baptismi, non minùs quàm quòd baptizans sit minister à quo procedat actus baptizandi, vt aduertit Vasquez num. 48. & insinuat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, quod optimè denotatur verbis pro forma præscriptis, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.*

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit tres personas exprimi nominibus consuetis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Glossa in can. *Multi*, de Consecratione dist. 4. Caietanus quæst. 66. art. 5. Victoria in Summa §. 14. de Baptismo, docent, ad essentiam formæ Baptismi non esse necessarium exprimi personas diuinas nominibus consuetis *Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sed sufficere eas exprimi nominibus *Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque*: imò & quibuscumque aliis æquiualentibus, quamuis non synonymis, quibus ex vsu accommodatione possint exprimi: in quod etiam inclinat Ægidius art. 6. num. 55. & probari potest, quia in aliis formis mutatio verborum in alia, quamuis non synonyma, quæ non destruit sensum eorum, non obstat valori Sacramentorum, ergo nec in forma Baptismi; ergo Baptismus collatus in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque, validus erit, & sub quibuscumque aliis nominibus æquiualentibus, quamuis non synonymis, quia idem est sensus omnium eorum.

S. Thomas verò quæst. 66. art. 5. Scotus in 4. distinct. 3. quæst. 2. §. 3. de Forma, Vasquez disp. 144. & communiter Doctores docent, ad essentiam formæ Baptismi necessariam esse inuocationem explicitam trium personarum sub nominibus consuetis Patris & Filij & Spiritus sancti, & non sufficere sub aliis, quamuis idem significantibus; & meritò: quia cum Sacramentum Baptismi sit Sacramentum fidei, quo fideles initiuntur, vt illud suscipiendo profiteantur fidem in facie Ecclesiæ, conuenientissimum fuit non fieri validè nisi sub inuocatione trium personarum sub vna essentia, & auctoritate essentiali, quod est primum & præcipuum mysterium nostræ fidei; & sub illis nominibus, sub quibus tres personæ sunt fidelibus in quolibet idiomate communiter notæ, vt in idiomate Latino sunt sub nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti, & sub aliis quæ his in quolibet idiomate respondent, & non sub aliis, sub quibus non sunt communiter notæ nisi Theologis, vt sub nominibus Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque, & sub nominibus Omnipotentis, & Sapientis, & Boni. Quod quamuis non conuincat sic esse à Christo institutum, verisimile tamen sit ob dictam maximam conuenientiam. Imò idem etiam credimus institutum fuisse pro forma Confirmationis, quia etiam est Sacramentum fidei, quo in ea roboramur.

Ad rationem ergo aduersariorum respondeamus, quòd quamuis in aliis formis possit absque nullitate fieri mutatio in alia verba æquiualentia, non tamen in formis Baptismi & Confirmationis, quoad personas diuinas, ob dictam peculiarem rationem.

Vnde non valebit Baptismus collatus in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti, tum quia Filius non est communiter notus sub nomine Iesu Christi; tum præcipuè, quia nomen Iesus Christus non significat idem quòd Filius; valebit tamen si addatur, & *Iesu Christi Filij eius*; & etiam

Canus.  
Vasquez.  
Ægidius.

S. Thomas.  
Altrifiodor.  
Bonauent.  
Durandus.  
Paludanus.

Armac.  
Canus.  
Bellarmin.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

Clemens  
Roman.  
Dionysius  
Areopag.

Glossa.  
Caietanus.  
Victoria.

Ægidius.

S. Thomas.  
Scotus.  
Vasquez.

Vasquez.  
Eugen. IV.



Vasquez.

valebit, quamvis tertia persona tantum inuocetur sub nomine *Spiritus*, non addendo *sancti*, ut Vasquez aduertit, quia *Spiritus* absque *sancto* est nomen proprium seu appropriatum Spiritui sancto, quo communiter cognoscitur, quamvis communiter addatur *sanctus*; quia non additur tamquam aliquid nominis, sed tamquam epitheton: ac proinde non obstat valori Baptismi, si fiat inuocatione Spiritus paraleti, quia tunc retinetur nomen ipsi appropriatum, & ei additur paraleti tamquam epitheton; sicut etiam non obstat valori Baptismi, quando Patri additur nomen omnipotentis, & Filio nomen sapientis.

## DIFFICULTAS XI.

*Utrum Sacramentum Baptismi iterari possit.*

Supponimus, in quo Doctores conueniunt, Sacramentum Baptismi in lege noua esse unum secundum speciem: quod satis significat Paulus ad Ephes. 4. *Vnus Deus, una fides, unum baptisma*: & esse unum secundum speciem infimam, quia constat una materia & una forma secundum speciem infimam, & ad unum finem secundum speciem infimam ordinatur.

Hoc supposito, est difficultas, An Baptismus, qui in omnibus est unius & eiusdem speciei infimae, & in diuersis est numero multiplicabilis, possit in uno & eodem numero multiplicari, seu iterari & repeti.

Circa hanc rem quamvis Marcionistae errauerint, existimantes, Sacramentum Baptismi iterari posse, ut refert Epiphanius Hæresi 42. & Damascenus lib. de Hæresi. iam tamen non tantum Catholici, sed etiam hæretici conueniunt, Sacramentum Baptismi validè collatum, & repeti & iterari non posse; quod communiter tradunt Patres, quos refert Vasquez disp. 146. & constat ex perpetua Ecclesiae traditione; & ita definitum est Canone 46. Apostolorum, & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refert in cap. *Firmiter* 1. de Summa Trinit. & fide Catholica, & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & in Tridentino sess. 7. can. 9. de Sacramentis, & can. 11. de Baptismo. Et id deducitur primò ex significatione & causalitate Sacramentali ipsius Baptismi, quia Baptismus est signum spiritualiter generans, & qui eo iustificatur, dicuntur spiritualiter nasci, ut constat ex Ioan. 3. natiuitas autem & generatio uni semel tantum contingit, & non amplius. Secundò id etiam deducitur ex eo, quod imprimis characterem; ac proinde si Baptismus repeti posset, etiam possent esse simul plures characteres, ex quibus vnus tantum esset sufficiens, & reliqui superflui.

Obseruandum tamen est, quòd quamvis ex Patribus & Pontificibus nullus exprimat, secundum Baptismum eidem applicatū esse nullum, nihilominus certum est, non solum esse illicitum, sed etiam nullum; & id absque dubio Pontifices & Patres intendunt. Et sanè si post semel validè susceptum Baptismum, nullus unquam illud potest licitè recipere, absque dubio nullus ex Christi institutione est capax illius: ad quid enim Christus instituisset capacem Baptismi eum, qui numquam potest illum licitè recipere? Sicut ergo nullus est

absque characterem capax aliorum Sacramentorum, ita etiam nullus, qui characterem Baptismi non careat, est capax Baptismi.

## DIFFICULTAS XII.

*Quando possit Baptismus sub conditione iterari.*

Supponimus, in quo Doctores conueniunt, baptizatum aliquando posse licitè baptizari sub conditione (siue exteriorè expressa, siue interiorè tantum concepta) sub ea videlicet: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. & id traditur in cap. *De quibus* 2. de Baptismo.

Hoc supposito, difficultas est, Quando id liceat. Circa quam conueniunt Doctores, quando dubium est an Baptismus fuerit collatus, posse licitè reiterari sub conditione, quia tunc reiteratione sub conditione nulla irrogatur irreuerentia Sacramentum Baptismi, quia non fit absque graui & prudenti causa, quia scilicet est periculum manendi re ipsa absque Baptismo. Ita definitur ab Alexandro III. in dicto cap. *De quibus*. Et idem est, quando est dubium an Baptismus sit integrè & essentialiter collatus, quia est dubium, an caruerit aliquo essentialiter requisito; in quo etiam Doctores conueniunt, quia etiam tunc est idem periculum. Et idem etiam est, quando est dubium an Baptismus fuerit validus, quia est dubium an materia, aut forma, aut intentio, quam constat fuisse adhibitam, sit sufficiens ad valorem (quod dicitur dubium Iuris) ut aduertunt Vasquez disp. 146. c. 4. & Egidius q. 66. art. 9. dub. 1. quia etiam tunc est idem periculum. Dicitur autem dubium in presentiarum, quoties pro parte negatiua siue facti siue iuris est probabilis opinio, aut saltem est prudens seu probabilis coniectura aut suspicio, quamvis pro parte affirmatiua sit prudens & probabilis opinio, seu iudicium, quia tunc Baptismus non est omnino moraliter certus, & est prudens timor, ac proinde periculum manendi re ipsa absque Baptismo.

Quando verò ita certum est aliquem esse baptizatum, & validè, ut pro parte negatiua, seu in oppositum, nulla sit prudens coniectura nec suspicio, quamvis adsint aliqui leues scrupuli, nullatenus licitum est, adhuc sub conditione reiterare Baptismum, ut docent communiter Doctores, & traditur in Catechismo Romano, seu Tridentino p. 2. c. 2. de Baptismo, §. 43. quia tunc nulla adest prudens causa reiterandi Baptismum adhuc sub conditione, cum Baptismus præteritus sit omnino moraliter certus, quo ipsi Baptismo, qui semel tantum est conferendus, irreuerentia irrogatur.

Vnde qui inter Christianos natus est, & à parentibus Christianis, & ab eis aut ab aliis Christianis educatus usque ad ætatem in qua omnes paruuli solent esse baptizati, quamvis leuiter dubitet an sit baptizatus, non est adhuc sub conditione baptizandus, quamvis nullus adsit qui id possit testari, quia tunc est omnino moraliter certum illum fuisse baptizatum. Et eodem modo non est baptizandus, neque sub conditione, infans expositus in terris Christianorum, quando scripto aliquò dicitur esse baptizatus; si aliàs in oppositum non adsit prudens aliquis timor: secus verò quando absque dicto testimonio seu scripto expositus est,

Epiphanius.  
Damasce.Vasquez.  
Can. 46.  
Concil. Lateranense.Eugenius IV.  
Trident.

Alex. III.

Vasquez.  
Egidius.Catechis.  
Roman.



est, quia tunc sub conditione est baptizandus: absolute verò, quando adsit scriptura, qua dicitur non esse baptizatus, quia tunc est omnino moraliter certum non esse baptizatum.

Obseruandum est, eum cui aliàs extra necessitatem ex officio incumbit baptizare, teneri etiam extra necessitatem baptizare sub conditione eum, cuius Baptismus non est omnino moraliter certus modo supradicto, siue sit paruulus siue adultus, quia sic baptizatus habet ius, aut quasi ius, vt baptizetur sub conditione. Imò & quemcumque alium, qui ob necessitatem potest sic baptizatum licite sub conditione baptizare, teneri ex misericordia id facere in ea necessitate, & non tantùm paruulum sic baptizatum existentem in articulo mortis, sed etiam adultum qui vult baptizari, quia misericordia exigit, vt proximo existenti in ea necessitate, volenti adhuc interpretatiuè vt sibi prouideatur, remedium securius adhibeatur: ipsum verò adultum, qui est incertus an sit validè baptizatus absque opinione probabili pro parte affirmatiua, teneri baptizari sub conditione, & ex virtute religionis, vt satisfaciatur præcepto suscipiendi saltem probabiliter Baptismum; non verò teneri, quando probabile est baptizatum esse validè (quidquid dicat Ochagauia q. 11.) quia prudenter iudicatur se esse validè baptizatum, & satisfecisse dicto præcepto suscipiendi validè Baptismum.

Quando verò adultus, qui absolute rebaptizatur, & qui eum absolute rebaptizat, & qui sic rebaptizanti ministrat, fiant irregulares, dicimus Tract. de Irregularit. Disp. 11. Diffic. 1.

## DIFFICULTAS XIII.

*Quando fuerit Sacramentum Baptismi à Christo institutum.*

Supponimus, in quo conueniunt non solùm Catholicici, sed etiam illi hæretici qui aliqua Sacramenta admittunt, Sacramentum Baptismi fuisse à Christo institutum. Quod expressum est Matth. ultimo, Marci 16. & Ioan. 3. & definitum in Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere.

Hoc supposito, difficultas est circa tempus in quo fuit institutum. Et primò est difficultas, An fuerit institutum ante mortem Christi.

Rupertus lib. 4. in Ioannem, in illa verba cap. 3. *Veni Iesus in terram Iudæam*, & Albertus in 3. distinct. 3. art. 3. docent, Sacramentum Baptismi non fuisse à Christo ante mortem institutum, sed post mortem & resurrectionem. Quod probabile existimat Canus 8. de Locis, cap. 5. & in id maximè inclinant Leo I. Epist. 4. cap. 3. & Chrysostomus Hom. 28. in Ioannem. Et ratione probari potest, quia ante mortem Christi non legitur eius Discipulos baptizasse, nisi viuente Ioanne Baptista, ac proinde solo Baptismo Ioannis Baptista; & solùm post resurrectionem legitur Matth. ult. missos fuisse à Christo ad baptizandum, & eis designasse formam; ergo Baptismus Christi non fuit ante resurrectionem, sed post institutus.

Magister verò in 4. dist. 3. S. Thomas 3. p. q. 66. art. 2. Vasquez disp. 140. & communiter Theologi docent, Sacramentum Baptismi fuisse à Christo ante mortem institutum: quod etiam sensit Augustinus Tract. 15. in Ioan. & Cyrillus lib. 2. in

Ioan. cap. 57. & Hugo de S. Victore 2. de Sacram. par. 6. c. 4. & id efficaciter deducitur ex Ioan. 3. & 4. vbi tempore Ioannis Baptista Christus dicitur baptizasse, & non per se ipsum, sed per Apostolos; quo clarè significatur, Apostolos tempore Baptista Baptismo à Christo instituto baptizasse, non Baptismo Ioannis; aliàs potius Ioannes diceretur per illos baptizasse, quàm Christus. Quod non leuiter confirmatur ex eo quòd Ioan. 3. discipuli Ioannis Baptista apud ipsum conquerebantur, quòd Christus eo tempore baptizaret (subintellige per Discipulos) quòd non facerent, si Discipuli Christi Baptismo Ioannis baptizarent, cum id esset Ioanni maximè honorificum: Baptismus autem à Christo institutus, & quo Christus per Apostolos utebatur etiam tempore Ioannis Baptista, gratiam & Spiritum sanctum conferebat, vt prædixit Ioannes Baptista Matth. & Luc. 3. Marc. & Ioan. 1. dum opponens suum Baptismum Baptismo à Christo instituendo & conferendo, ait, se baptizare in aqua, Christum verò baptizatum in Spiritu sancto; Baptismus ergo institutus fuit à Christo in signum collatiuum gratiæ & Spiritus sancti, seu in Sacramentum ante mortem. Quod autem Ioan. 7. dicitur, *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, non obstat, vt dicatur Baptismus fuisse institutum in Sacramentum conferens gratiam & Spiritum sanctum ante resurrectionem, in qua Christus fuit glorificatus; quia ibi tantùm est sermo de donatione visibili Spiritus sancti, modo visibili futura in die Pentecostes, & postea; aliàs Eucharistia non habuisset in cœna vim iustificandi, seu conferendi inuisibiliter gratiã quæ appropriatur Spiritui sancto.

Et id ratione Theologica probatur; quia Christus in cœna antequam pateretur, contulit Apostolis Sacramentum Eucharistiæ & Ordinis, vt constat ex Matthæi 26. & ex Luca 22. & ex Tridentino sess. 22. cap. 1. ergo etiam ante mortem & passionem instituit Sacramentum Baptismi; & illud per se ipsum, aut per Apostolos, aut utroque modo contulit, cum instituerit Sacramentum Baptismi ianuam ad recipienda reliqua Sacramenta.

Ad prius autem fundamentum aduersariorum, desumptum ex Leone & ex Chrysostomo, concedimus ipsos fauere aduersariis, eorum tamen auctoritatem non obstare; quia pro nobis sunt Augustinus, Cyrillus & Hugo de S. Victore, quibus maximè fauent Scriptura, & ratio Theologica. Neque obstat, quòd id dixerit Leo Pont. in Epist. decretali: quia, vt Vasquez ait, id non dixit definiendo auctoritate Pontificia, sed auctoritate priuata Doctõris priuati; quia id tantùm dixit vt Episcopis Sicilia persuaderet, ne conferrent Baptismum in die Epiphaniæ, sed illum differrent vsque ad Resurrectionem & Pentecosten.

Et ad posterius ex ratione desumptum respondemus, quòd quamuis non legatur Apostolos ante mortem Christi, nisi viuente Ioanne Baptista, baptizasse, neque legatur Christum designasse formam ante mortem, non sufficit vt dicamus Baptismum Christi non fuisse ante mortem ipsius institutum: quia legitur Christum, & non Ioannem, baptizasse per Apostolos; quo satis significatur baptizasse Baptismo nõ Ioannis, sed instituto ab ipso.

Ita tamen Christus solitus erat per Apostolos baptizare (quod Ioannis 4. significatur, & non amplius) vt verisimile sit Christum per se ipsum aliquos

Ochagau.

Trident.

Rupertus.

Albertus.

Canus.

Leo I.

Chrysost.

Magister.

Vasquez.

August.

Cyrillus.

Hugo de S. Victore.

Trident.

Vasquez.



aliquos baptizasse, vt B. Virginem, & etiam Petrum, vt iste iam baptizatus aliquos Apostolos & alios baptizaret: quia incredibile videtur, Christum per se ipsum numquam baptizasse; & conueniens erat, nullum non baptizatum, præter Christum, alios baptizare.

Secundò est difficultas, Quo tempore ante mortem instituerit Sacramentum Baptismi.

Conueniunt Theologi, Christum non instituisse suum Baptismum antè quàm ipse baptizaretur à Ioanne Baptista; vt ita posset Baptismo Ioannis baptizari, non contempto Baptismo qui ab ipso Christo fuisset institutus: & institutum fuisse non post multos menses à tempore quo Christus fuit baptizatus à Ioanne, quia non post multos menses Discipuli Christi baptizabant (vt deducitur ex Ioannis 3. & 4.) & non nisi Baptismo Christi, vt antè dicebamus.

Est ergo difficultas, An fuerit institutus à Christo eo tempore quo ipse fuit baptizatus à Ioanne, eadem videlicet hora, aut die.

Magister.  
Sotus.  
Caietanus.  
Valentia.  
Vasquez.  
Tertull.  
Ambros.  
August.  
Beda.  
Hilarius.  
Hieron.  
Nazianz.

Magister in 4. dist. 3. Sotus q. vnica, art. 2. Caietanus 3. p. q. 66. art. 2. Valentia disp. 4. punct. 4. & Vasquez 140. cap. 6. docent, Baptismum fuisse à Christo institutum eo tempore quo ipse fuit à Ioanne baptizatus; quod sensisse videntur Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Beda, Hilarius, Hieronymus, & Nazianzenus, à Vasquez relati, dum dicunt, Christum Baptismo, quo ipse tinctus est, aquas Iordanis, & in his reliquis sanctificasse & mundasse; & dum Ambrosius & Beda dicunt, aquas Baptismo ipso, quo Christus baptizatus est, ius Baptismi induisse. Et id suadet, quòd Christo baptizato à Ioanne, statim Ioannes baptizatus fuerit à Christo; vt deduci videtur ex eo, quod Matth. 3. postquam Ioannes dixit Christo, *Ego à te debeo baptizari*, respondit Christus, *sine modo*; quo indicasse videtur, quòd ipse statim baptizatus erat Ioannem.

Scotus.  
Gabriel.  
Suarez.  
Egidius.

Scotus verò in 4. dist. 3. quæst. 4. art. 1. Gabriel q. 1. art. 3. dub. vlt. Suarez disp. 19. sect. 2. & Egidius q. 66. art. 2. docent, Baptismum institutum fuisse à Christo non eo tempore quo ipse baptizatus est à Ioanne, sed paulò post tempore alio opportuno. Et non immeritò: quia in primis Christus non instituit tunc suum Baptismum in actu exercito, id est opere aliquo, quia non receptione ipsa Baptismi Ioannis, vt patet, quamuis receptione illius, & suo tactu, aquam moraliter sanctificauerit, & eam reddiderit moraliter aptiorem ad lauandum nos à peccatis, vt partem materialem Sacramenti Baptismi, & sic aquam quodammodo induisse ius Baptismi: neque illum tunc instituit, quia ipse tunc suo Baptismo baptizauerit Ioannem; quia nulla prudenti coniectura conijci potest Christum tunc baptizasse Ioannem: imò potius Matth. 3. vbi refertur Ioannem baptizasse Christum, insinuat, Christum tunc non baptizasse Ioannem. Et quia Ioanni prohibenti Christum baptizari ab ipso illis verbis, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* solum respondit Christus, *Sine modo*, quasi diceret, Non recuses me baptizare, quamuis ego modò non te baptizem, sed postea; & reddidit rationem: *Sic enim decet nos implere omnem iustitiam*; id est, quia oportet me efficere hoc opus pium virtutis humilitatis, recipiendo à te Baptismum pœnitentiæ. Et tamen, si Christus statim esset baptizatus Ioannem, etiam re-

spondisset, Ego enim etiam te statim baptizabo; quia optime congrueret verbis, quibus Ioannes recusabat baptizare Christum; & quia immediate, postquam dicitur, *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam*, additur, *tunc dimisit eum* (id est non prohibuit Christum ab ipso baptizari) *baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua*. Nec tunc instituit Baptismum in actu signato, præscribendo videlicet materiam & formam, & eis tribuendo vim iustificandi, quia id nullatenus constat, imò potius oppositum deducitur ex eo quòd fiat mentio Baptismi Ioannis recepti à Christo, & non fiat mentio institutionis Baptismi Christi: imò Historia sic contextitur, vt supponatur tunc non fuisse institutum.

#### DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum Baptismus sit necessarius necessitate mediæ ad salutem.*

**E**Rror fuit Pelagianorum, Baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis, quia illud contrahi negabant, sed tantum ad adeptionem gloriæ. Hæretici nostri temporis, quamuis admittant in paruulis esse peccatum originale, negant tamen Baptismum esse necessarium ad remissionem illius, si sint filij fidelium, quia eo ipso illis non imputatur; neque esse necessarium ad adeptionem gloriæ in eisdem: imò sunt qui affirmant ad id sufficere, quòd eorum parentes, aut aliqui alij eorum ascendentes fuerint aliquando fideles.

Veritas tamen Catholica est, Baptismum post Christum esse necessarium ad salutem omnibus hominibus qui peccatum originale contrahunt: quod Patres communi consensu tradunt, & definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei; & à Tridentino sess. 7. can. 5. de Baptismo. Quod etiam definierunt Siricius Papa in Epist. 1. ad Himerium cap. 2. Innocentius I. in Epist. 26. ad Concilium Mileuitanum, & Leo I. Epist. 8. ad Episc. Campaniæ; & aperte traditur Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*. vbi absque dubio sermo est de Baptismo, quem Christus tunc instituit, aut instituire promisit.

Sed obijciunt Primò hæretici illud Gen. 17. vbi Deus Abrahamæ & posteritati illius promittit terram optimam, & sub hac patriam caelestem; sed nos per Christum etiam sumus filij Abrahamæ, vt dicitur ad Roman. 9. ergo nobis promissa est patria caelestis, ac proinde ad eam adipiscendam, & ad remissionem peccati originalis, sine qua nequit adipisci, non est nobis necessarius Baptismus.

Respondemus, quòd quamuis Abrahamæ & filiis ipsius carnalibus promissa fuerit terra Chanaan, & sub ea patria caelestis; hæc tamen non nisi ipsi Abrahamæ & deli fide viuæ, & filiis fidei ipsius eum in fide imitantibus: & quia paruuli absque Baptismo in re suscepto non sunt filij fidei viuæ Abrahamæ, id eò ipsis non intelligitur facta promissio gloriæ, nisi iam baptizatis, qui eo ipso habent fidem habitualem viuam.

Obijciunt Secundò illud 1. ad Corinth. 7. *Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*; quibus verbis Paulus supponere videtur, eo ipso

Pelagian.

Eugen. IV.  
Trident.

Siricius  
Papa.  
Innoc. I.  
Leo I.



ipso quòd aliquis est filius eorum quorum saltem alter est fidelis, esse sanctum.

Respondemus, filios natos ex vno saltem parente fidei, dici sanctos non re ipsa & perfectè, sed inchoatiuè & in spe, quia sperari potest eos futuros fideles & sanctos industriâ parentis fidelis, sicut ibidem etiam dicitur infidelem coniugem sanctificari per fidelem, quòd tantum est verum inchoatiuè, & in spe; quod dixit Paulus, vt suaderet Corinthiis fidelibus, non separari à coniugibus infidelibus volentibus cohabitare absque iniuria Creatoris.

Est autem Baptismus omnibus, tam paruulis quàm adultis, necessarius necessitate medij; in quo Doctores conueniunt, & constat ex eo, quòd in dicto loco Ioannis, & in dictis Decretis & definitionibus generaliter dicitur esse necessarium omnibus, tam videlicet paruulis quàm adultis, & tamen paruulis nequit esse necessarius necessitate præcepti, quia sunt incapaces præcepti. Est tamen Baptismus diuerso modo necessarius necessitate medij paruulis & adultis; quia paruulis est necessarius determinatè in re susceptus, quia ipsi est vnicum medium, quia præter Baptismum reipsa susceptum, non est illis aliud remedium (saltem ordinarium) quo liberari possint à peccato originali. Adultis verò non est necessarius determinatè Baptismus in re susceptus, sed in re vel in voto sub disiunctione.

In explicando tamen quo pacto Baptismus in re vel in voto sit adultis necessarius necessitate medij ad salutem, non parum variant Doctores: omnis verò variis modis id explicandi, vel quia continent falsam doctrinam, vel quia obscuri sunt, ex eo Baptismus in re vel in voto est adultis necessarius necessitate medij ad salutem (id est ad iustificationem, & consequenter ad saluationem) quia scilicet nequeunt iustificari, & consequenter neque saluari, nisi Baptismo in re suscepto, vel contritione perfecta (siue expressa siue virtuali) in qua votum & propositum suscipiendi Baptismum continetur, ex eo tempore quo Baptismus cæpit esse sub præcepto; & vtrovis eorum absque altero iustificari possunt, id est, quia nequeunt iustificari nisi vno vel altero; & vtrovis possunt, quia neque vnum neque alterum est adultis determinatè medium necessarium, nisi aliquando per accidens, vt contingit, quando quis post intentionem suscipiendi Baptismum, & post elicitam attritionem, incidit in amentiam ante susceptionem Baptismi; quia tunc huic ad iustificationem est determinatè necessarius Baptismus in re susceptus, quia in amentia nequit perfectè conteri; & etiam quando quis existit in articulo mortis, & caret copia Baptismi, vel ex defectu baptizantis, vel ex defectu aquæ; quia tunc huic ad iustificationem est determinatè necessaria contritio perfecta, quia non potest aliter iustificari.

Dicuntur autem peccatores adulti non baptizati iustificari Baptismo in voto, quando contritione perfecta iustificantur ante realem susceptionem Baptismi, non quia ex Baptismo deriuetur virtus aliqua in contritionem, vt iustificare possit, quia contritio ex se absque dependentia à Baptismo est sufficiens ad iustificandum, siue tamquam forma, siue tamquam vltima dispositio; sed quia in contritione, per quam tunc iustificantur, continetur votum & desiderium efficax suscipiendi

Baptismum suo tempore, non minùs quàm votum seruandi quodcumque aliud præceptum graue; quia, qui conteritur, proponit saltem virtualiter non peccare mortaliter, ac proinde neque transgredi præceptum aliquod graue: & ad denotandum, post iustificationem contritione factam manere obligationem suscipiendi reipsa Baptismum (ia quo posset aliquis dubitare, sicut circa Sacramentum Pœnitentiæ dubitauit, imò errauit Petrus Oxomensis; quia Sacramentum Baptismi, sicut & Pœnitentiæ, ordinatur in remissionem peccatorum) dicitur communiter, & à Tridentino sess. 6. Trident. c. 4. Baptismus in re vel in voto necessarius ad iustificationem.

Vnde si Baptismus non esset adulto sub præcepto, iustificatio per contritionem facta adscriberetur ipsi contritioni absque voto Baptismi, quia tunc votum Baptismi non contineretur in contritione, ac proinde Baptismus tunc non esset necessarius in re vel in voto: esset tamen tunc necessarius Baptismus in re, aut contritio perfecta sub disiunctione, quia non posset fieri iustificatio, nisi Baptismo, aut contritione, & vtrovis posset.

## DIFFICULTAS XV.

*A quo tempore Baptismus cæperit esse necessarius necessitate medij.*

Quamuis tempore Bernardi fuerint, qui dixerint, Baptismum cæpisse esse necessarium ab eo tempore, quo Christus Ioan. 3. dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*, vt Bernardus ipse refert Epist. 77. iam tamen conueniunt Doctores, non cæpisse esse necessarium ante mortem Christi, neque necessitate medij; quia ante mortem Christi non euauerunt antiqua remedia ad iustificationem instituta, quia ante mortem Christi non fuit abrogatum vetus Testamentum; quia nouum, cuius confirmatione erat abrogandum, non fuit confirmatum vsque ad mortem Christi, vt supponit Paulus ad Hebræos 9. neque necessitate præcepti, aliàs eo ipso Christus abrogasset antiqua remedia instituta ad iustificationem, quæ posset fieri Baptismo, si Baptismus ex tunc mansisset sub præcepto. vnde verba illa Christi, *Nisi quis renatus*, &c. dicta fuerunt à Christo non pro eo tempore in quo dicebantur, sed pro futuro.

Est tamen difficultas, A quo tempore Baptismus cæperit esse necessarius necessitate medij; & eadem est de tempore à quo cæperit esse necessarius necessitate præcepti, quia hæc semper est coniuncta cum necessitate medij in operibus quæ sunt in nostra potestate.

Suarez d. 27. sect. 4. Filiucius tit. 2. cap. 6. Egidius quest. 69. art. 1. dub. 2. & alij plures docent, Baptismum non cæpisse esse necessarium neque necessitate medij, neque necessitate præcepti, ante Pentecosten, quia tempore Pentecostes, & non antea, Euangelium fuit ab Apostolis promulgatum: ante promulgationem autem non fuit Baptismus necessarius, non solum necessitate præcepti, quia præceptum ante sui promulgationem non obligat, sed neque necessitate medij, vt videtur supponere Tridentinum sess. 6. cap. 4. dum loquens de iustificatione, quæ est translatio abstatu, in quo



quis nascitur filius Adæ, ad statum gratiæ, ait: *Que quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Vbi supponit, ante promulgationem (quæ verè facta fuit ab Apostolis in die Pentecostes) iustificationem fieri potuisse aliter quàm Baptismo & eius voto.

Auctores tamen huius opinionis diuisi sunt: quia Ægidius & alij existimant, à Pentecoste ubique cœpisse Baptismum esse necessarium, & utroque modo; quia eo die promulgatum fuit Euangelium ab Apostolis: Suarez vero & Filiucius existimant, à Pentecoste non cœpisse ubique, sed in vnaquaque Prouincia cœpisse quando in ea Euangelium fuit sufficienter promulgatum, vt expressit Bernardus Epist. 77.

Vasquez.  
Ochagan.

Vasquez disp. 145. cap. 3. Ochagua quaest. 14. & plures alij docent, Baptismum cœpisse esse necessarium necessitate medijs & præcepti à tempore mortis Christi, quod tradidisse videntur Hugo de S. Victore lib. 6. de Sacram. cap. 4. Hieronymus quoque & Augustinus in Epistolis, quas sibi mutuo de legalibus scripserunt, dum supponunt, carimonias legis morte Christi fuisse mortuas, & consequenter absque vtilitate ad iustificandum mansisse; quibus in hac re magis acquiescimus, quàm Bernardo: & idem est, & non minori ratione, de quocumque alio remedio ad iustificandum, etiam legis naturæ.

Hugo de  
S. Victore.  
Hieron.  
August.

Et ratione Theologica probatur. Et in primis, Baptismum reipsa susceptum, cœpisse à morte Christi esse paruulis necessarium necessitate medijs, quia morte ipsa Christi remedia antiqua ad iustificationem paruulorum euauerunt; ergo non mansit illis aliud remedium, quàm Baptismus, qui iam erat institutus in Sacramentum habens vim iustificandi, ac proinde à morte Christi fuit illis necessarius necessitate medijs. Consequentia pater; Antecedens autem, nempe, morte ipsa Christi euauisse dicta remedia, probatur: quia morte Christi abrogatum fuit Testamentum vetus, quia morte ipsa confirmatum fuit nouum, vt supponit Paulus ad Hebr. 9. prius autem Testamentum confirmatione posterioris abrogatur. Deinde, Baptismum in re vel in voto cœpisse esse necessarium adultis necessitate medijs ad iustificationem, probatur: quia ex vna parte adulti non baptizati, à morte Christi non poterant iustificari, nisi Baptismo iam instituto, aut contritione perfecta, siue expressa, siue virtuali; & ex altera parte à morte Christi cœpit Baptismus esse sub præcepto, ac proinde à morte Christi cœpit in contritione perfecta contineri votum suscipiendi Baptismum, ergo à morte Christi cœpit Baptismus in re vel in voto esse adultis necessarius necessitate medijs ad iustificationem. Quòd autem à morte Christi cœperit Baptismus esse adultis sub præcepto, probatur: quia ex vna parte ante mortem Christi Baptismus institutus erat, & erat impositum præceptum illius pro tempore futuro illis verbis Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & morte Christi Domini fuit confirmatum & consummatum, sicut totum Testamentum nouum quod viuendo disposuerat; & ex altera parte, vt Baptismus ex tunc esset sub præcepto, non fuit necessaria promulgatio aliqua, neque quæ facta fuit in die Pentecostes, neque quæ facta fuit postea: quia si promulgatio est ne-

cessaria pro lege humana, vt habeat vim legis, tantum est necessaria ex Iure humano, & non ex natura rei, quia absque promulgatione ex Iure humano Princeps non loquitur vt Princeps & vt publica persona, quod ad rationem legis requiritur, & si Princeps vellet Ius illud abrogare, & ei non stare, posset: Christus autem ante promulgationem illam factam in die Pentecostes locutus est vt publica persona, quando præcepit Baptismum pro tempore futuro; nempe pro tempore mortis suæ; ergo Baptismus ante Pentecosten à tempore mortis Christi cœpit esse sub præcepto; promulgatio ergo Baptismi, & totius legis Euangelicæ in die Pentecostes, & postea facta solum, fuit necessaria, vt lex Baptismi, & tota alia mundo innotesceret, & non ignoraretur, non verò vt haberet vim legis obligantis.

Tridentinum verò dum ait, iustificationem à peccato originali post Euangelium promulgatum non posse fieri sine lauacro regenerationis, aut sine eius voto, non supponit adhuc tacitè ante promulgationem non posse fieri; quia dictis verbis, eis non aduersando, posset addere, *imò & ante promulgationem à morte Christi*, quod non addidit, vt solum definiret quod erat certum, & taceret id quod erat sub opinione.

Dicitur autem Baptismus adultis necessarius in re vel in voto, quia possunt iustificari & saluari, vel Baptismo in re, vel contritione perfecta, in qua continetur votum suscipiendi Baptismum, ab eo tempore à quo Baptismus est sub præcepto.

## DIFFICULTAS XVI.

### Quando teneatur adultus Baptismum recipere.

Supponimus, adultos (qui eo ipso sunt capaces præceptorum) teneri præcepto diuino Baptismum suscipere, in quo Doctores conueniunt, & constat ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest, &c.* vnde ad minus tenentur baptizari in extremo vitæ periculo, quia ad id tenentur dum viuunt.

Est tamen difficultas, An teneantur ante dictum extremum periculum vitæ. Circa quam etiam conueniunt Doctores, teneri ante illud baptizari, quod Patres communiter significant, dum reprehendunt eos qui Baptismum differunt vsque in finem vitæ, vt constat ex Clemente Romano lib. 6. Constitutionum Apost. cap. 15. ex Basilio Hom. 13. ex Nazianzeno Oratione in sanctum Baptismum, quæ est 40. ex Chrysofomo Homil. 1. in Acta Apostolorum.

Clemens  
Romanus.  
Basilus.  
Nazianz.  
Chrysof.

Punctum ergo difficultatis est in assignando tempore, pro quo adulti teneantur baptizari ante finem vitæ.

Ledesma 1. p. quarti, q. 9. art. 3. dub. 1. docet, præceptum diuini Baptismi pro nullo tempore determinato ante finem vitæ obligare, sed pro tempore indeterminato, sicut Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quia nullum videtur discrimen inter hæc duo ex vna parte, & inter Baptismum ex altera.

Ledesma.

Caietanus verò & Ægidius quaest. 68. art. 3. Vasquez disp. 149. cap. 4. Suarez d. 3. sect. 2. & communiter Doctores docent, adultos ex præcepto diuino teneri baptizari statim atque commodè possunt;

Caietanus.  
Ægidius.  
Vasquez.  
Suarez.



sunt; & merito: quia sicut ex præcepto fidei tenetur quisque statim, atque ei mysteria fidei sunt sufficienter proposita, credere, ita etiam verisimile est, Christum, qui ad Baptismum adultos obligauit, voluisse ipsos statim atque commodè possint, obligare ad susceptionem Baptismi, quia Baptismus est professio fidei, & per quem, qui baptizantur, recipiuntur in numerum fidelium, & fiunt Ecclesiae subditi, & capaces aliorum Sacramentorum; in quibus omnibus Baptismus differt à Pœnitentia & Eucharistia, & idè ad hæc duo non obligauit statim.

Addimus, *adultos statim, atque commodè possint, teneri*, quia quando adest aliqua rationabilis causa ad differendum Baptismum, possunt, in quo Auctores nostræ opinionis conueniunt, vt quando dilatio expedit, vt baptizandus meliùs instruatur, vel vt solemnitàs baptizetur, vel vt euitetur damnum aliquod considerabile corporis aut diuitiarum, siue proprium siue alienum, vel quando expedit fructui spirituali, siue proprio siue alieno. Ita tamen possunt ex rationabili causa Baptismum differre, vt ad maiorem dilationem maior requiratur causa. Vnde magni viri, qui Baptismum distulerunt, id fecerunt vel ex iusta causa, vt constat de S. Sebastiano & de aliis, aut ex ignorantia inuincibili dictæ obligationis, & bona fide.

## DIFFICULTAS XVII.

*Vtrum Ecclesia possit determinare & prescribere tempus præcepti diuini suscipiendi Baptismum ante finem vitæ.*

**C**aietanus quæst. 68. art. 3. Sotus in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 3. & Ledesma 1. part. 4. q. 9. art. 3. dub. 1. docent, Ecclesiam posse determinare tempus præcepti diuini, quo adulti obligantur baptizari ante finem vitæ, quia Christus Ecclesiae commisit Sacramentorum dispensationem, ergo potest determinare tempus pro susceptione Baptismi, sicut determinauit pro susceptione Pœnitentiæ & Eucharistiæ.

Confirmatur, quia Ecclesia de facto determinauit Vigiliis Resurrectionis & Pentecostes in can. *Non ratione.* & in can. *Duo tempora,* & in can. *Proprie,* de Consecratione, dist. 4. ergo in Ecclesia verè reperitur potestas ad id.

Vasquez verò disput. 150. cap. 2. Suarez d. 31. sect. 2. & Ochagauia quæst. 15. docent, in Ecclesia non esse potestatem determinandi tempus præcepti diuini, quo adulti ante finem vitæ baptizari tenentur, & merito: quia præcepto diuino determinatum est hoc tempus, nempe cum primùm commodè possint, ergo Ecclesia nequit aliud determinare, non solum definiendo, sed neque interpretando; etiam si, quando occurrit dubium, an causa aliqua sit sufficiens ad dilationem Baptismi, id possit interpretari, non minùs quàm quilibet vir doctus, imò multò meliùs.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis Ecclesia ex commissione, quam habet dispensandi Sacramenta, possit definire tempus præcepti diuini Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quia tempus præcepti eorum ante finem vitæ relictum fuit à Christo indeterminatum, non tamen potest definire tempus aliquod pro præ-

cepto diuino, quia præcepto ipso fuit à Christo determinatum.

Ad confirmationem respondemus, in dictis canonibus, in quibus decernitur Baptismum tantum esse conferendum in Vigiliis Resurrectionis & Pentecostes (nisi urgente necessitate) non fuisse definitum pro baptizandis, vt antea non tenerentur, sed pro ministris, vt probare possent infideles, qui petebant Baptismum, an sincerè illum peterent, ne ab eis facillè deciperentur, & etiam ob reuerentiam Baptismi: prædicti tamen Canones iam sunt antiqua consuetudine aboliti.

## DIFFICULTAS XVIII.

*Vtrum paruuli saluari possint absque Baptismo reipsa suscepto, & absque morte pro Christo perpeffa.*

**A**lexander 4. part. memb. 5. art. 1. Gerson Alexand. Alphab. 59. litt. R. Altifiodorensis lib. 3. Gerson. titul. 3. cap. 4. quæst. 2. Bonauentura in 4. dist. 3. Altifiodor. 1. part. dist. art. 2. quæst. 2. & Caietanus quæst. 68. Bonauent. art. 2. partem affirmatiuam tuentur, quam non Caietanus. omnes prædicti eodem modo defendunt: quia Caietanus existimat, paruulos omnes, qui baptizari non possunt, posse saluari remedio legis naturæ, fide videlicet, aut oblatione parentum, quia eo etiam poterant saluari paruuli Iudæorum, quando secundum legem circumcidi non poterant, aut quando ante octauum diem moriebantur, ante quem secundum legem non poterant circumcidi, & tamen nostri paruuli non sunt peioris conditionis quàm illi. Quod Caietanus art. 11. etiam existimat verum de paruulis periclitantibus in vtero materno, quòd scilicet saluari possint fide parentum, aut benedictione aliqua in nomine Trinitatis; quia de diuina misericordia credi non possit, quòd eos ita reliquerit, vt nullum remedium possit illis prodesse. Gerson verò existimat, paruulos, qui baptizari non possunt, posse saluari, quamuis non omnes, neque remedio aliquo communi ex lege diuina certa, sed tamen aliquos, & priuilegio particulari orationibus parentum, quia id possit de diuina misericordia sperari. Altifiodorensis & Bonauentura existimant, eos qui incipiunt baptizari, & non manent verè baptizati, quia in eorum Baptismis fuit defectus aliquis essentialis, vel in materia, vel in forma, vel in intentione, verè saluari particulari priuilegio, Deo suppleto defectum Baptismi, quamuis non omnes, sed tantum aliquos, imò id non esse omnino certum.

Sotus vero in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 2. Vasquez disp. 151. Suarez dist. 27. sect. 3. Sotus. Vasquez. Egidius quæst. 68. art. 2. dub. 1. & Ochagauia quæst. 16. Suarez. partem negatiuam merito tradunt, quam expressit Egidius. Augustinus lib. 3. de Anima & eius origine, cap. 6. Ochag. August. dum ait: *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Et in primis infantes absque Baptismo (aut forsitan absque morte pro Christo perpeffa) saluari non posse aliò remedio communi, & ex lege certò (in quo Doctores communiter conueniunt) adeò certum est, vt oppositum, quod Caietanus affirmat, non benè audiat: quia à Soto & ab aliis



Pius V.

hæreticum, & à Vasquez & ab aliis erroneum iudicatur: ob quod à Pio V. deleti fuerunt Commentarij art. 2. & art. 11. & id manifestè constat ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei;* quod Patres diuines de paruulis & adultis intelligunt, & de paruulis ita vt absque Baptismo reipsa suscepto (aut forsan absque morte pro Christo perpessa) saluari non possint: quod ita esse, communi omnium fidelium sensu existimatur.

Quòd verò nullus infans absque Baptismo reipsa suscepto, & essentialiter perfecto (aut forsan absque morte pro Christo perpessa) possit saluari de potentia ordinaria ex peculiari aliquo priuilegio (in quo contra Gersonem, Altisiodorenses & Bonauenturam conueniunt Sotus, Suarez, Vasquez, Ægidius & Ochagavia, probatur: quia etiam si Deus potuisset decernere aliquos absque Baptismo, & absque morte pro Christo perpessa saluare, adhuc pronuntiata lege illa communi & vniuersali Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei;* nihilominus hac lege communi pronuntiata, & nullo dato à Deo vehementi indicio aut signo quòd decreuerit aliquos aliter saluare, nequit absque temeritate affirmari, quia id affirmatur absque vrgenti fundamento, contra legem communem à Deo manifestè pronuntiatam.

Ad rationem pro Caietano respondemus, in lege scripta non fuisse duo remedia pro paruulis, vnum in defectu alterius; sed tantum fuisse vnicum, nempe legis naturæ, fidem videlicet, aut oblationem parentum, qua Deo illos offerebant, siue tantum interiorem, siue exterius significatam, vel circumcissione, vel alio signo exteriori pro voluntate parentum: & quamuis hoc remedium oblationis, aut fidei parentum, sit facilius quam Baptismus, nihilominus nostri paruuli non sunt peioris conditionis quam illi, quia minor facilitas Baptismi suppletur maiori vbertate fructus & gratiæ. Quod verò pro Gersonem & aliis dicitur de diuina misericordia, non conuincit, quia nihil illius derogatur, ex eo quòd paruuli baptizari non possint (quod rarissimè contingit) & damnentur, quia digni sunt qui à Deo deserantur & damnentur, quia sunt Deo inimici.

Sed an paruuli saluari possint morte pro Christo perpessa, Difficultate xx. dicemus.

## DIFFICULTAS XIX.

*Vtrum adulti saluari possint absque Baptismo reipsa suscepto, & absque martyrio.*

**N**on defuerunt tempore Hugonis & Bernardi, qui existimauerint, nullum adultum saluari posse absque Baptismo reipsa suscepto, aut absque martyrio vice illius, quia Ioannis 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* imò & nostro tempore Michaël Baius Doctor Louaniensis, quibusdam testimoniis Augustini malè intellectus sibi persuasit, adultum catechumenum non posse absque Baptismo reipsa suscepto consequi remissionem peccatorum, etiam si actu contritionis & charitatis possit consequi iustificationem.

Reliqui Doctores vnanimi consensu docent, adultum absque Baptismo reipsa suscepto, & abs-

que martyrio vice illius, posse saluari obtinendo alia via iustificationem & remissionem peccatorum, nempe actu contritionis perfectæ, aut alio actu charitatis. Ita significatur in cap. *Debitum*, de Baptismo, & in cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato, & supponitur in Tridentino sess. 6. *Trident.* cap. 4. dum dicitur, iustificationem à peccatis non baptizati non posse fieri absque Baptismo aut eius voto; & efficaciter deducitur ex eodem Tridentino sess. 13. cap. 4. dum contritioni perfectæ ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ tribuitur vis iustificandi à peccatis, quia eadem vis erit in contritione perfectæ ad iustificandum à peccatis ante realem susceptionem Baptismi.

Et id constat ex Scriptura, in qua pœnitentiæ & dilectioni Dei extra Sacramentum attribuitur iustificatio à peccatis, Ieremia 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam.* & Ezechiel 18. *Agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* & 1. Petri 4. *Charitas operis multitudinem peccatorum.* & Ioan. 3. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* & 1. Ioan. 4. *Qui diligit, ex Deo natus est;* & subditur, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Illud vero peculiare quod Michaël Baius dixit, nempe posse adultum ante susceptionem Baptismi actu charitatis iustificari absque eo quòd ei remittantur peccata, præterquam quòd est contra aliqua testimonia Scripturæ ex suprâ allatis, in quibus pœnitentiæ & dilectioni charitatis tribuitur remissio peccatorum, etiam est peculiariter damnatum à Pio V. & à Gregorio XIII. in Bulla *Pius V.* contra illum peculiariter edita, & est manifestè *Greg XIII* contra rationem, quia vera iustificatio, vtpote vera mundities, omnino pugnat cum sorde peccati mortalis, vt ostendit Vasquez 1. 2. d. 140. *Vasquez*

Neque testimonia Augustini, quibus id sibi persuasit, ipsi fauent, vt aduertit Vasquez 3. p. disput. 152. Illo autem testimonio Ioan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* quo ducti fuerunt Doctores illi tempore Hugonis & Bernardi, nihil aliud probatur, quam Baptismum in re, aut in voto inclusio in actu contritionis, aut in alio actu charitatis, esse necessarium ad saluationem: iste autem dicitur *Baptismus fluminis*, quia est amoris & desiderij; & etiam dicitur *Baptismus pœnitentiæ*, quia est actus pœnitentiæ, siue expressæ siue implicitæ.

Ita tamen vorum seu propositum suscipiendi Baptismum est medium sufficiens absque Baptismo in re suscepto, & absque martyrio ad iustificationem & salutem, vt necessarium non sit quòd sit expressum, sed sufficit implicitum, & contentum in contritione perfectæ, siue formali siue virtuali, etiam illis qui notitiam habent Baptismi, vt contra Sorum, qui existimat necessarium esse expressum illis qui non ignorant inuincibiliter Baptismum, docent Vasquez disp. 152. num. 16. & *Vasquez* communiter Doctores, quia etiam illis sufficit actus perfectæ contritionis, aut alius actus dilectionis Dei, qui haberi potest absque proposito expresso suscipiendi Baptismum, non solum quando non aduertitur esse præceptum suscipiendi Baptismum, sed etiam quando aduertitur, vt in similitudine dicemus Tractatu de Pœnitentiâ Disput. v. 1. Diffic. v. 1. Quamuis verum sit, eum, qui perfectè conteritur, siue formaliter siue virtualiter, & aduertit esse præceptum suscipiendi Baptismum, vix posse

Sotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Ochagavia.

Michaël  
Baius.



posse abstinere à dicto proposito expresso, quia contritio perfecta dum perseverat, vehementer excitat & impellit ad proponendum obseruare quodcumque præceptum graue, quod memoriæ occurrit.

## DIFFICULTAS XX.

*Vtrum paruuli saluari possint morte pro Christo perpeffa absque Baptismo re ipsa suscepto.*

Alexand.  
Armac.

**A**lexander 4. p. q. 8. memb. 9. art. 5. & Armacanus lib. 8. de Quæstionibus Armenorum cap. 37. partem negatiuam tuentur Primò, quia nulla est promissio Dei, qua morti pro Christo perpeffa iustificatio promittatur. Secundò, quia aliàs perpeffio mortis pro Christo esset Sacramentum. Tertio, quia aliàs dicta perpeffio proderet sine charitate, quod est contra Paulum 1. ad Corinth. 3. & 4. quia non iustificaret paruulum dum viueret, sed post mortem; quia dum uiuit, non patitur mortem. Addit Armacanus, ex infantibus propter Christum ab Herode occisis eos tantum fuisse saluatos, qui aliàs circumcissione, aut remedio legis naturæ fuerant iustificati. In quod etiam inclinât Adrianus in 4. q. vlt. de Baptismo §. *Ad rationes.*

S. Thomas.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

S. Thomas verò 2. 2. q. 124. art. 1. Vasquez disp. 153. Suarez d. 29. Ægidius quæst. 66. art. 12. dub. 1. & communiter Doctores docent, paruulos morte pro Christo tolerata iustificari ab originali, & saluari; & meritò: quia negari non potest (vt Armacanus negat) infantes omnes ab Herode pro Christo occisos saluatos fuisse, quia omnes indiscriminatim ab Ecclesia vt Martyres & vt Beati uenerantur & coluntur, & plures ex Patribus omnes illos indiscriminatim Martyres appellant, & eos in numerum Beatorum referunt, vt videre est apud Vasquez cap. 7. & tamen maximè credibile est, aliquos eorum non fuisse iustificatos ante mortem pro Christo perpeffam, præsertim ex infantibus Gentilium qui Iudæis permixti erant, & ex infantibus Iudæorum, qui ante octauum diem, ante quem circumcidi non poterant, & à parentibus non fuerant Deo oblati, occisi fuerunt. Ergo negandum non est, eos infantes, qui in peccato originali ad occisionem arripiebantur, morte ipsa pro Christo tolerata iustificatos & saluatos fuisse; & alios, qui iustificati præsupponebantur, in sanctitate & iustitia creuiffe. Quòd si infantes ab Herode occisi pro Christo (id est, qui intentione occidendi Christum occisi sunt, & qui sua occisione confessi sunt Messiam esse Christum, & regem animarum) morte ipsa iustificati, & saluati fuerunt, idem etiam dicendum est de quibuscumque aliis infantibus, qui pro Christo aut ob eius fidem occisi sunt, & in posterum occidentur, nempe quòd morte ipsa ab originali iustificentur & saluentur; & quòd, si Baptismo suscepto sint iam iustificati, crescant in sanctitate & iustitia: quia eadem est causa & ratio de eis, ac de occisis ab Herode, quod etiam nonnulli ex Patribus, quos Vasquez refert, docent.

Et id est verum non tantum de infantibus, qui iam nati extra uterum maternum occiduntur pro Christo, sed etiam de illis qui in utero maternis pro Christo occiduntur, vt aduertunt Scotus,

Scotus.

Richardus, Gabriel, Paludanus, Vasquez, & Ægidius; quia eos esse intra uterum, non obest iustificationi: quod nos (quidquid Ægidius dicat) solum intelligimus verum, quando tyrannus cognoscit matrem esse grauidam, & aduertit, aut timet etiam occidere infantem, quia aliàs infans non occidetur pro Christo, nisi inaduertenter, & valde per accidens.

Trident.

Quòd autem in Tridentino sess. 6. c. 4. dicitur, remissionem originalis post Euangelium promulgatum non posse fieri absque Baptismo in re, aut in voto in paruulis, tantum est verum ordinariè, in his videlicet qui non occiduntur pro Christo, quia qui sic occiduntur (vt Augustinus ait 13. de Ciuitate, cap. 7.) à Christo excepti sunt ab illa sententia Ioan. 3. *Nisi quis renatus*, &c. illis verbis Matth. 10. & 16. *Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam.*

August.

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, quòd quamuis nulla extiterit promissio Dei pro infantibus ab Herode propter Christum occisis, de conferenda gratia ob perpeffionem mortis, extitit tamen voluntas Dei, quæ nobis traditione constat, & sufficit absque promissione. Iam tamen à prædicatione Christi extat promissio, etiam pro infantibus, dictis verbis Matth. 10. & 16.

Ad secundam respondemus, mortem pro Christo perpeffam, quamuis ex promissione Christi ex opere operato significet & conferat gratiam paruulis, non esse Sacramentum; quia illa non significat & confert gratiam vt illata à tyranno, sed vt tolerata à paruulis; & de ratione Sacramenti est, vt significet & conferat gratiam etiam vt procedens ab aliquo, & vt actio est, siue passiuè significetur aut sumatur, & non vt tantum tolerata, aut recepta, seu quasi recepta, vt videre est in Sacramenti nouæ & veteris legis, vt aduertit Vasquez num. 42.

Vasquez.

Ad tertiam respondemus, mortem pro Christo perpeffam, quamuis non toleretur ex affectu charitatis erga Deum paruulis prodesse, quod non est contra Paulum, qui si loquitur de operibus ex charitate procedentibus, non loquitur in paruulis, sed in adultis.

Ad quartam respondemus, mortem pro Christo perpeffam sanctificare non post hanc vitam, sed ante mortem, in eo videlicet tempore in quo Martyrita affectus est, vt non tantum non possit naturaliter viuere, sed neque possit sensu aliquo uti, quia tunc censetur moraliter mortuus, & mors censetur consummata. Dari autem semper aliquod tempus antè in quo homo nequeat sensibus uti, constat ex eo, quòd dispositio conseruatiua, quæ semper successiuè corrumpitur, requiritur maior ad vsum sensuum, quam vt anima informet, vt experientià constat.

## DIFFICULTAS XXI.

*Vtrum adulti saluari possint morte pro Christo perpeffa absque Baptismo in re & in voto.*

**C**onuertunt Doctores, mortem pro Christo perpeffam posse absque Baptismo in re suscepto adultis sufficere ad iustificationem à peccatis,

catis,



*Clemens Romanus. Cyprianus. August.*  
 catis, & consequenter ad gloriam consequendam. Quod aperte tradunt Clemens lib. 5. Constitutionum, cap. 5. aliàs 7. Cyprianus Epist. 73. Augustinus 13. de Ciuitate Dei, c. 7. & est expressum in Scriptura, Marc. 8. *Qui perdidit animam suam propter me, saluam faciet eam;* & Luca 12. *Viuificabit eam.* & ad id sufficere quando procedit ex perfecta dilectione & charitate erga Deum (in qua votum perfectum Baptismi continetur:) & non mirum, quia dilectio Dei etiam absque dicta mortis perpeffione sufficit ad id.

Est tamen difficultas, An mors pro Christo perpeffa sufficiat ad iustificationem & saluationem, quando non toleratur ex dilectione Dei in qua votum Baptismi continetur, ac proinde an sufficiat etiam absque Baptismo in voto perfecto.

*Bonauent. Durand. Canus. Vasquez. Ochagau.*  
 Bonauentura in 4. dist. 4. 2. parte distinctionis, art. 1. q. 2. Durandus q. 8. Canus Relectione de Pœnitentia, part. 3. Vasquez d. 153. & Ochagauia q. 17. docent, mortem pro Christo perpeffam non sufficere adultis ad iustificationem à peccatis, nisi toleretur ex affectu charitatis erga Deum, ac proinde non sufficere absque Baptismo in voto perfecto; quod sentire videtur Bernardus Epist. 77. dum significat, martyrium non supplere vicem Baptismi, nisi ex merito fidei. Et expressisse videtur Paulus 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ratione probatur: quia si mortis perpeffio pro Christo absque dilectione Dei haberet vim iustificandi à peccatis, eam haberet non ex sua natura, vt patet, sed ex voluntate & lege Dei: nullo autem fundamento constat de ea voluntate, quia non constat Scriptura, neque traditione, neque definitione Ecclesiæ, neque efficaci aliqua ratione.

*Caietanus. Sotus. Suarez. Valentia. Egidius. Raconis.*  
 Caietanus verò 3. part. quæst. 87. art. 1. Sotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. Suarez d. 29. Valentia d. 8. q. 2. punct. 2. Egidius q. 66. art. 12. dub. 2. & Raconis quæst. 2. art. 2. docent, mortem pro Christo perpeffam, quamuis non toleratam ex affectu charitatis erga Deum, sufficere adultis ad iustificationem à peccatis, & ad saluationem, ac proinde etiam absque Baptismo in voto perfecto. Quod expressisse videtur Clemens vbi supra, dum de catechumeno, qui martyrium subit, ait: *Letus discendit (id est moriatur) passio enim, quam pro Christo sustinet, cedit ei in veriore Baptismo: quoniam ipse re ipsa commoritur Christo, alij figurâ.* vbi non ait, passionem ei cedere in veriore Baptismo, quia eam ex maiori charitate subit, sed quia re ipsa

*Cyprianus.*  
 Christo commoritur. Et Cyprianus vbi supra, dum ait: *Numquid potest vis Baptismi esse maior aut potior quam confessio, vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?* vbi vim martyrij tribuit ipsi passioni, non charitati, & illam comparat virtuti Baptismi; Baptismus autem verè remittit peccata, & confert primam gratiam iustificantem absque affectu charitatis. Et Augustinus vbi supra, dum ait: *Quicumque etiam, non suscepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis: qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* vbi nulla facta mentione charitatis, de morte tolerata pro confes-

*August.*  
 sione Christi, ait, valere ad remissionem peccatorum non minùs quàm Baptismum; & non leuiter significat id conuenire dictæ morti ex promissione Christi non minùs quàm Baptismo.

Et id tradidisse videtur Christus Matth. 10. & 16. & Marc. 8. & Luca 12. verbis supra relatis, dum morti proter ipsum & propter suum Euangelium promittit viuificationem animæ, & inuentionem illius, & consequenter iustificationem à peccatis, quæ anima mortua viuificatur, & perditâ inuenitur, & quæ, si in ea steterit, salua fiet: id autem promittit dictæ morti ratione sui, non ratione charitatis, tum quia id promittit morti, nulla mentione facta charitatis, neque alius rei; tum etiam, quia nihil noui & peculiare promitteret ipsi morti, quo induceret ad tolerantiam illius quod intendit, quia charitas id habet ratione sui absque morte.

Et ratione probatur: quia perpeffio mortis pro Christo habet vim iustificandi paruulos, vt diximus Difficultate præcedenti, in quibus nequit oriri ex affectu charitatis, ergo etiam adultos, quamuis in eis non oriatur ex affectu charitatis, quia eisdem verbis vtrisque promittitur salus & vita animæ ob dictam mortem.

Vnde particula *propter me* in dictis testimoniis Scripturæ, non est idem ac *ex affectu charitatis erga Christum*; quod etiam deducitur ex eo, quod Marc. 8. additur, *propter Euangelium*, & tamen Euangelium nequit affectu charitatis diligi: sed est idem, ac pati mortem illatam in odium Christi, aut suæ fidei, vel intentione occidendi Christum; vt contigit Innocentibus, qui occisi sunt intentione occidendi Messiam, & ideò sua morte confessi sunt Christum esse Messiam.

Et non solùm perpeffio mortis pro Christo prodest ex opere operato, & instar Sacramenti, peccatoribus ad iustificationem, sed etiam iustis ad augmentum iustitiæ (sicut Baptismus & Pœnitentia) quia non minùs debet prodesse iustis quàm peccatoribus, cum non minùs confiteantur Christum, quàm peccatores, & Christus omnibus morte consentibus ipsam promisit eos in cælis confiteri.

Ex dictis constat, mortem pro Christo perpeffam, per se non requirere maiorem dispositionem in adulto peccatore peccato actuali, vt eum à peccatis iustificet, quàm veram attritionem eorum, non contritionem, neque alium actum charitatis; aliàs numquam sua vi iustificaret à peccatis, quia id supponeret factum contritione, aut alio actu charitatis. Addidimus *per se*, quia etiam si quis passurus sit mortem pro Christo, tenetur præcepta aliàs obligantia seruare, si possit, vt præceptum Baptismi, & Confessionis, & Eucharistiæ, sed non præceptum contritionis perfectæ, ad quam peccator in articulo mortis obligatur, quando nequit Sacramentaliter confiteri; quia tantum tenetur ad perfectam contritionem, quando nequit alio remedio à mortalibus liberari, ne in statu peccati in æternum discedat, quia tunc passione ipsa mortis, attritione præsupposita, liberabitur, vt supponimus.

Ita tamen existimamus attritionem sufficere in adulto peccatore peccato actuali, vt iustificetur patiendo mortem pro Christo, vt in eo etiam requiratur ad id: quia vt dicitur in Tridentino

*Trident. sess. 14. c. 1. Pœnitentia semper fuit omnibus, qui mortaliter peccarunt, necessaria ex diuina institutione;*



tritione; quia conuenientissimum est, vt qui propria voluntate peccauit, illud retractet, vt ab eo liberetur. Nec huic obstat, quòd morientibus pro Christo promittatur iustificatio à peccatis, quia etiam promittitur suscipientibus Baptismum, & tamen adultis peccatoribus peccato actuali non confertur iustificatio, nisi saltem sint attriti. Nihilominus eo ipso, quòd Ecclesia cognoscit aliquem pro Christo aut pro eius lege aut fide mortuum fuisse, etiam si antea fuerit in peccatis, piè credit, quando aliunde oppositum non constat, iustificatum fuisse præsupposito sufficienti dolore; quia piè credit Deum non deesse in ea occasione suis militibus: & quando id credit, non nisi ab Spiritu sancto directa credit. Præter attritionem autem in adultis peccatoribus etiam requiritur voluntas patiendi mortem ad iustificationem à peccatis, & in iustis ad augmentum iustitiæ, sicut in adultis suscipientibus Baptismum, sed non requiritur in illis voluntas actualis, neque virtualis patiendi mortem, quia adulti nihil ad martyrium efficiunt, sed tantum patiuntur (& voluntas actualis aut virtualis tantum requiritur, quando voluntas est effectiua) sed sufficit habitualis, quæ scilicet præcesserit, & non sit retractata, qua voluerint mori pro Christo: quia conuenientissimum est, vt adultis, qui sunt domini suæ voluntatis, nihil adhuc ex priuilegio conducatur ad iustificationem absque proprio consensu, præsertim ad primam, qua à peccatis propria voluntate contractis liberantur; in iustis verò sufficit voluntas moriendi pro Christo absque at-

tritione, & absque omni alia dispositione, vt passio mortis ipsis ad instar Sacramenti proficiat ad augmentum iustitiæ, sicut illis sufficit voluntas suscipiendi Sacramenta viuorum, vt ipsis proficiant ad augmentum iustitiæ.

Bernardus ergo Epist. 77. dum ait, martyrium habere vim supplendi Baptismum ex merito fidei, non vult id obtineri fide patientis mortem; aliàs non proficeret paruulis: sed tantum vult, martyrium habere à Christo vim supplendi Baptismum ob fidem, id est vt honorificetur fides, cui Martyr passione mortis honorificentissimum perhibet testimonium.

Paulus verò 1. ad Corinth. 13. illis verbis, *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, non fauet aduersariis, quia vel sensus est, dictam passionem, si non procedat ex charitate, vel si ad charitatem non perducatur (vt potest defectu aliquo non perducere) nihil prodesse patienti, vt non pauci exponunt: vel sensus est, prædictam passionem non procedentem ex fine seu affectu virtutis (qui secundum phrasim Augustini dicitur charitas) sed ex malo fine, nihil prodesse patienti, vt Anselmus, Beda, & S. Thomas exponunt.

Anselmus.  
Beda.  
S. Thomas.

Et ad rationem pro aduersariis adductam, constat ex dictis, vim iustificandi instar Sacramenti conuenire morti pro Christo ex priuilegio, & voluntate Dei, quæ non parum est indicata in Scriptura, Matth. 10. & 16. Marc. 8. & Lucæ 12. & à Patribus intellecta & nota.

## DISPUTATIO II.

## De Ministro Baptismi.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum quilibet homo sit minister sufficiens ad validè baptizandum.*

Caluinus.



IRCA rem hanc errauit Caluinus, existimans, neminem, qui non sit minister ordinarius ad id deputatus seu ordinatus, posse adhuc in extrema necessitate baptizare, quia Christus Matth. vltimo non omnibus dixerit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sed tantum Apostolis, ac proinde in ipsis etiam Episcopis eorum successoribus. Sed non explicat Caluinus, an minister sic ordinatus sit necessarius ad validè, an tantum ad licitè baptizandum.

Catholici tamen conueniunt, quemcumque hominem, etiam hæreticum, & non baptizatum, & feminam, esse ministrum sufficientem ad validè baptizandum: quod perpetua & constanti Ecclesiæ traditione constat, & definitum est ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi cap. 1. (& refertur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate & fide Catholica) & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum ait: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare potest.*

Innoc. III.

Eug. IV.

Quòd si quilibet homo in extrema necessitate baptizare potest, etiam poterit validè extra illam: quia qui pro aliquo tempore sufficiens est ad valorem Sacramenti, etiam est pro omni. Addidit autem Eugenius, *in casu necessitatis*; vt ostendat, in eo casu quemlibet non tantum validè, sed etiam licitè posse.

Nonnulli verò Patres, quos refert Vasquez d. 147. qui contra dictam veritatem obijciuntur, tantum intendunt, non quemlibet posse licitè baptizare; quod, excepto casu extremæ necessitatis, verissimum est. Gregorius verò II. in Epist. ad Bonifacium, dum ait, *Quos à Paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, vt denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus*, tantum significat, baptizatos à Paganis iterum esse baptizandos, quia non fuerunt validè baptizati, non quia baptizati fuerint à Paganis, sed quia non fuerunt baptizati in nomine Trinitatis, vt in dicto testimonio indicatur.

Gregorius  
Papa.

Christus ergo Matth. vlt. non dedit nouiter Apostolis potestatem baptizandi, quia creditur illam ante suam mortem dedisse, quando Baptismum instituit, & omnibus generaliter, vt Ecclesiæ traditione, & Pontificum definitione constat; sed præceptum docendi & baptizandi. & quamuis eam potestatem tunc dedisset, potuit illis eam dedisse non vt Episcopis, neque vt Sacerdotibus, sed vt hominibus.

DIFFI-



## DIFFICULTAS II.

*Quibus conueniat ex officio baptizare.*

Conueniunt primo Doctores, non solum Episcopum, vt manifestum est, sed etiam Sacerdotem, quamuis simplicem, ex vi sui Ordinis posse ex officio baptizare. Quod satis constat ex vsu & praxi Ecclesie, & supponunt Clemens Romanus & Gelasius Papa vbi infra, & exprimitur ab Eugenio IV. in suo Decreto, dum de Baptismo ait: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio conuenit baptizare.* Quod satis conuenienter institutum est à Christo, quia Sacerdos ex vi sui Ordinis habet potestatem efficiendi Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, quod est Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis, iuxta Paulum 1. ad Cor. 10. ac proinde fuit maximè conueniens, vt ex vi eiusdè Ordinis etiam possit per Baptismum efficere membra Ecclesie, & participes vnitatis illius.

Ita tamen Sacerdos ex vi sui Ordinis potest ex officio Baptismum administrare, vt eo ipso id possit absque indignitate & irreuerentia in Baptismum efficere independentem à Parocho, seu absque licentia illius, vt contra Vasquez d. 147. c. 3. aduertit Suarez d. 23. sect. 2. (sicut potest efficere Eucharistiam) quia ex vi sui Ordinis habet potestatem completam ad baptizandum quemlibet, ita vt, quantum est ex parte potestatis, non deficiat Sacerdoti aliquid quod egeat à Parocho recipere, quia baptizare non est actus iurisdictionis (sicut est absoluerè à peccatis) sicut neque consecrare: imò Parochus nullam habet in baptizandum, nec Episcopus; quia quousque baptizatus sit, non est Ecclesie subditus. Verum est, Sacerdotem non posse absque voluntate Parochi incolas parochie illius absque iniuria in ipsum Parochum baptizare, & eius communitati aliquem medio Baptismo adscribere: quia ipsi Parocho incumbit extraneos ad suam communitatem admittere; ac proinde Sacerdos contra eius voluntatem baptizans peccat peccato iniustitiæ, imò graui, sed non sacrilegij, seu irreuerentiæ in Baptismum.

Vnde commissio, aut potiùs licentia aut voluntas Parochi requisita in Sacerdote ad baptizandum incolam parochie illius (quæ sufficit interpretatiua, aut præsumpta, & non tantum præsens, sed etiam futura, quæ contingit quando præsumitur, id ignorante Parocho) requiritur vt non baptizet illicitè contra iustitiam, non verò vt non baptizet illicitè contra reuerentiam Baptismi.

Aduertit Vasquez, Sacerdotes non Parochos egere ex consuetudine approbatione Episcopi ad baptizandum. Hanc tamen consuetudinem non inuenimus: quia etiam si in aliquibus Episcopatibus, Sacerdotibus petentibus approbationem requisitam à Tridentino pro administrando Sacramentum absolutionis secularibus, concedatur pro administratione omnium Sacramentorum, sed non in omnibus, & in his in quibus conceditur, non conceditur tamquam quid necessarium, aut saltem non acceptatur vt tale, nisi ab ignorantibus.

Conueniunt secundo Doctores, Diaconum ex vi sui Ordinis non posse ex officio baptizare independentem à Sacerdotibus; quod satis insinuat Eugenius IV. dū solis Presbyteris attribuit esse ministros Baptismi ex officio, & id tradit Gelasius Papa

in Epist. ad Episc. Lucan. (& refertur in can. Diaconos, 93. dist.) dum de Diaconis ait: *Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis Ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat.* & Clemens lib. 8. Constit. Apostol. c. 46. dum ait: *Neque enim fas est Diacono baptizare.* Nihilominus Diacono ex vi sui Ordinis conuenit vt possit, ex commissione aut licentia Sacerdotis, baptizare, vt insinuat Gelasius verbis illis, *absque Episcopo vel Presbytero*, id est absque commissione vel licentia Episcopi vel Presbyteri, supponens, ex ea posse & absque ea non posse, nisi in extrema necessitate, & absentibus Episcopo & Presbytero, sicut neque laicos: & id exprimitur in ordinatione Diaconi illis verbis: *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & predicare.* Quod etiam constat ex eo, quòd Diaconus ex vi ordinationis instituitur vt ministret Episcopo & Presbytero, & eis inferuiat in Baptismo & in aliis Ecclesiasticis ministeriis.

Vnde hoc potest Diacono committi, sed non absque necessitate graui (quia hæc sola in considerationem venit) quia ordinatur vt ministret & iuuet; ergo nequit id adhuc ex commissione efficere, nisi quando iuuamen & ministerium ipsius necessarium est; sed non requiritur necessitas extrema, quia in hac etiam pollunt laici, & absque commissione & licentia.

Conueniunt tertio Doctores, nullum Diacono inferiorem, quamuis Parochum, posse dignè & competenter baptizare adhuc ex commissione, nisi in extrema necessitate, id est, nisi quando aliquis prudenter iudicatur moriturus absque Baptismo, nisi ab aliquo inferiore baptizetur. Et in primis, quòd in extrema necessitate possit, constat ex Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & ex perpetua traditione. Quòd vero extra eam nequeat, constat ex omnibus Patribus & Iuribus, quæ id tantum attribuunt Sacerdotibus & Diaconis, in quibus eo ipso supponitur id non posse Diacono inferiores.

Diaconus ergo absque graui necessitate baptizans, quamuis ex commissione, & quamuis Baptismo non solemnè, peccat peccato mortali sacrilegij, quia absque graui necessitate nequit adhuc ex commissione dignè & competenter baptizare, & etiam reliqui Diacono inferiores baptizantes absque extrema; quia extra hanc non possunt dignè & licitè. Imò omnes prædicti in casibus dictis etiam peccant peccato graui iniustitiæ contra Parochum, si id efficiant in eius parochia absque ipsius aut Episcopi voluntate saltem præsumpta.

An verò qui baptizat quando non potest competenter baptizare, vt Diaconus absque commissione, & absque graui necessitate, & omnis alius inferior absque necessitate extrema, fiat irregularis, dicimus Tractatu de Irregularitate Disput. 11. Diffic. 11.

## DIFFICULTAS III.

*Quis ordo seruandus sit inter eos, qui tantum in extrema necessitate possunt dignè & competenter baptizare.*

Conueniunt Doctores, inter eos qui non possunt dignè & competenter baptizare nisi in extrema necessitate, nempe inferiores Diacono, & hanc absque licentia Sacerdotis, si adsint & bapti-

Clemens  
Romanus.  
Gelasius  
Papa.  
Eug. IV.

Suarez.

Vasquez.

Eug. IV.  
Gelasius  
Papa.

Clemens  
Romanus.

Eug. IV.



baptizare possint, eum qui fuerit Clericus, præferendum esse laico, & Clericum digniorem, verbi gratia Subdiaconum, præferendum esse Clerico non Subdiacono, & virum feminae, & baptizatum non baptizato; & dictum ordinem ita seruandum esse, vt in ipsius inuersione forsan sit peccatum.

*Vasquez.* Est tamen difficultas, An inuersione dicti ordinis sit mortalis, an tantum venialis. Vasquez disp. 147. cap. 5. docet, quamcumque inuersionem ex dictis, etiam qua femina præfertur viro, esse mortalem, quia quæcumque prælatio ex dictis est materia grauis, & Iure diuino præscripta.

*Sorus. Suarez.* Sorus in 4. dist. 4. quæst. vnic. art. 2. Suarez disp. 31. sect. 4. docent, quamcumque inuersionem ex dictis tantum venialem, quia in nullius inuersione est vsurpatio officij; quia nulli ex prædictis conuenit ex officio baptizare, adhuc Diacono, absque licentia Sacerdotis.

*Reginald. Ægidius.* Reginaldus verò lib. 27. num. 44. & Ægidius quæst. 67. art. 5. dub. 2. docent, & meritò, inuersionem, qua inferiores Diacono ei præferuntur, esse mortalem, non verò inuersionem inter alios Diacono inferiores. Et in primis inuersionem, qua inferiores Diacono ipsi præferuntur, esse mortalem (quod etiam tenuit Suarez disp. 23. sect. 2. in fine, & in quo conuenit Vasquez) probatur: quia ex vna parte Diaconus Iure diuino præfertur alijs sibi inferioribus, quia ex vi sui Ordinis est magis aptus ad id quam alij inferiores, & ex altera hæc prælatio est materia grauis & considerabilis, ergo opposita inuersione & prælatio erit mortalis, utpote grauis vsurpatio cuiusdam prælationis & inchoationis officij; & ob hanc rationem inuersione, qua Sacerdote inferiores, etiam Diaconus, illi præferuntur, est mortalis, in quo Doctores conueniunt, quia scilicet Sacerdos Iure diuino, utpote ex vi sui Ordinis, præfertur Diacono & alijs inferioribus, & hæc prælatio est materia grauis.

*Sorus. Suarez.* Quòd verò inuersione inter inferiores Diacono non sit mortalis, in quo etiam conueniunt Sorus & Suarez, probatur: quia inter inferiores Diacono nulla est prælatio Iure diuino præscripta, quia eo iure soli Sacerdoti & Diacono conuenit, quia ipsis conuenit ex vi sui Ordinis, non verò alijs. Ex quo constat ad rationem Vasquez. Neque præscripta est Iure aliquo Ecclesiastico, quia de eo non constat. Quia tamen in inuersione dicti ordinis inter inferiores Diacono nonnulla indecentia reperitur, in eo videlicet quòd femina præfertur viro, & laicus Clerico, & Clericus inferiori digniori, & non baptizatus baptizato, idèd forsan dicta inuersione erit venialis, sed leuissima.

*Nauarrus. Vasquez.* Addunt Nauarrus cap. 22. num. 7. & Vasquez, non excommunicatum præferendum esse excommunicato; & meritò, ob peculiarem prohibitionem Ecclesiæ, qua excommunicatus prohibitus est Sacramenta administrare: quod credimus esse verum, vt contra Henriquez exprimit Nauarrus, & insinuat Vasquez: quamuis non excommunicatus sit laicus, & excommunicatus sit Sacerdos, quia excommunicatus, quamuis Sacerdos, est peculiariter prohibitus, & non laicus; & quamuis excommunicatus non sit nominatim excommunicatus, quia eodem modo est prohibitus, ac nominatim excommunicatus.

## DIFFICULTAS IV.

*Utrum Diaconus possit solemniter baptizare.*

**S**upponimus, in quo communiter conueniunt Doctores, ex dispensatione Pontificis quemlibet, etiam laicum, posse solemniter baptizare in casibus, in quibus Iure diuino potest baptizare, quia solemnitas Baptismi solo Iure Ecclesiastico introducta est, & absque dispensatione id non posse Diacono inferiores: quia solemnitas Baptismi non est præscripta ab Ecclesia pro his, quibus ex vi Ordinis non conuenit dignè & competenter baptizare, sed tantum pro ordinatis ad id.

Est ergo difficultas, An Diaconus absque dispensatione Pontificis possit solemniter baptizare.

Circa quam Doctores, qui eam attingunt, conueniunt, posse solemniter baptizare, quando in casu necessitatis, siue extremæ siue non extremæ, ipsi committitur baptizare. Ita Vasquez disp. 247. cap. 4. Suarez d. 23. sect. 2. & Ægidius quæst. 77. artic. 5. dub. 3. & meritò, quia Diacono ex vi suæ ordinationis posse dignè & competenter baptizare, conuenit ex commissione Sacerdotis in casu necessitatis grauis, siue extremæ siue non extremæ; ergo quando ex commissione baptizat in casu grauis necessitatis, poterit etiam solemniter baptizare, quia ex vna parte solemnitas præscripta est ab Ecclesia pro ministris, quibus ex vi sui Ordinis conuenit dicta potestas, & ex altera parte solemnitas hæc non est Diacono prohibita: imò decentius est ministrum, pro quo præscripta est, cum ea quam absque ea baptizare.

Addimus, quando ipsi committitur baptizare, quia Diaconus absque commissione Sacerdotis nequit solemniter baptizare adhuc in extrema necessitate, vt contra Suarez aduertit Ægidius, quia quamuis in extrema necessitate possit dignè & competenter baptizare absque commissione, absque ea tamen non baptizat vt Diaconus, seu ex vi sui Ordinis, sed vt laicus, quia ex vi sui Ordinis, & vt Diaconus, tantum potest competenter baptizare vt minister Sacerdotis, & vt ei inseruiens, quia Diaconus ad id tantum ordinatur; ac proinde Diaconus absque commissione Sacerdotis non potest solemniter baptizare adhuc in extrema necessitate, ob rationem dictam, quia scilicet solemnitas tantum est præscripta pro ministris ex vi Ordinis.

Sacerdos verò in aliena Parochia posset absque commissione Parochi solemniter baptizare absque irreuerentia erga Baptismum (quamuis non absque iniuria in Parochum) quia Sacerdos etiam absque commissione est minister ex officio, & ex vi sui Ordinis, & tantum eget commissione, vt non irroget iniuriam Parochi: ac proinde etiam absque commissione Parochi posset ex sola voluntate præsumpta illius, quia tunc nulla illi irrogatur iniuria.



## DIFFICULTAS V.

*Vtrum plures simul integrè baptizantes eundem validè baptizent.*

Conueniunt Doctores, quando plures ita concurrunt ad baptizandum vnum & eundem, vt quilibet eum integrè baptizet, integram proferendo formam, & integrè abluendo, & intendendo baptizare per se independentem ab alio, si simul tempore perficiant omnia requisita ad Baptismum, tunc eos plures verè & validè baptizare, quia quilibet ex illis integrè baptizat, ac si solus baptizaret. Quòd autem vnus alterum comitetur in baptizando, ex nullo capite ob stare potest valori Baptismi. Et quando vnus ex illis prius perficit omnia requisita ad Baptismum quàm alter, illum solum validè baptizare: quia qui posterius illa perficit, inuenit hominem iam validè baptizatum, ac proinde incapacem alterius Baptismi validi.

Dictam autem doctrinam existimamus veram, non solum quando quilibet baptizat modo prædicto sub forma Baptismi in numero singulari, nempe *Ego te baptizo* (in quo Doctores conueniunt) sed etiam quando quilibet baptizat modo prædicto sub forma in numero plurali, nempe, *Nos te baptizamus*, &c. vt contra Vasquez d. 148. & contra Egidium q. 67. art. 6. n. 43. aduertunt Durandus in 4 d. 3. q. 3. n. 15. & Suarez d. 25. sect. 3. quia etiam tunc quilibet adhibet sufficientem formam, quia illa æquiualeat huic, *Ego te baptizo*, & iste etiam te simul baptizat. in quibus verbis vera forma continetur, quamuis in ea aliquid non necessarium addatur, illud videlicet, & iste etiam te simul baptizat. quo non destruitur sensus formæ consuetæ, quia verba hæc, *nos te baptizamus*, possunt à ministro proferri ad significandum se abluere vt causam totalem (vt verè requiritur ad valorem Baptismi) quia verba hæc æquiuoca sunt ad significandum, baptizantes sub ipsis verbis baptizare, seu abluere vt causas partiales, & vt causas totales; quia quilibet verè & naturaliter potest, quando alius abluit, abluere, aut partialiter, vt quando abluunt vna infusione ex aliquo vase, aut mergendo baptizandum; aut totaliter, vt quando quilibet diuersa infusione baptizat, præsertim in distincta parte (aliàs non possent plures sub forma in numero singulari validè baptizare) ac proinde illa proferens, potest illis vti ad significandum se abluere vt causam totalem, & in hoc sensu illa proferre. Secus contingit in his verbis, *Nos trahimus nauim*, quia vniuoca sunt, & eis tantum potest quis vti ad significandum se trahere nauim vt causam partialem; quia quando plures illam trahunt, non possunt eam nisi vt causæ partiales trahere.

Sed quamuis, quando plures simul eundem baptizant, validè in casu dicto baptizent, illicitum tamen est, & peccatum (imò graue) plures simul eundem baptizare, quamuis validè, quia saltem se exponunt temerariè manifesto periculo rebaptizandi, quia moraliter semper vnus ex illis prius perficit Baptismum quàm alter; in quo casu posterior rebaptizat, quia baptizat iam baptizatum ab altero: & quamuis periculum istud cesset, & ex eo non peccent, quando quilibet baptizat sub conditione (saltem interiùs concepta) non baptizan-

di, si alter prius perficiat Baptismum, peccant tamen ex eo quòd absque necessitate baptizent sub conditione, quia moraliter numquam erit necessarium plures ita baptizare.

Quòd si plures Sacerdotes recenter ordinati, qui simul consecrant eundem panem & idem vinum cum Episcopo ordinante, non peccant, & excusantur ab irreuerentia, quamuis se exponant manifesto periculo proferendi inaniter verba consecrationis supra materiam iam forè ab altero prius consecratam, est, quia Christus specialiter voluit, & satis congruenter id fieri in ordinatione Sacerdotis, quia ea cærimonia est maximè congrua, & conueniens institutioni Eucharistia, quia in ea Christus simul cum Apostolis Eucharistiam sumpsit, & officium consecrandi illis commisit, & præcepit vt in memoriam suæ passionis illam consecrarent & sumerent, & re ipsa vtrumque simul cum Christo facerent; nisi ad non consecrandum cum Christo præualeret, quod erat maximè conueniens, quòd consecratione à Christo solo facta denotaretur, quòd ipse erat auctor tanti Sacramenti, de quo in Tract. de Eucharistia Disput. xi. Difficul. 11.

Est tamen difficultas, An, quando plures ita simul baptizant eundem, vt quilibet illum integrè baptizet, quia simul tempore perficiunt omnia requisita, ac proinde sint plures numero Baptismi, sint etiam plura numero Sacramenta Baptismi, an tantum vnum.

Sotus in 4. dist. 4. q. vnic. art. 4. Vasquez disp. 148. c. 2. & Ochagauia q. 13. docent, tunc esse vnum tantum numero Sacramentum Baptismi, quia significatio gratiæ, quæ in illis pluribus Baptismis reperitur, est tantum vna numero, sicut & gratia ipsa significata & collata per illos est tantum vna numero; vnitas autem Sacramenti desumenda est ex vnitate significationis Sacramentalis, quia hæc est forma totalis Sacramenti, & non ex vnitate rerum materialium quibus significatio illa inest.

Gabriel verò in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. dubio 4. Caietanus 3. p. quæst. 67. art. 6. & ibidem Egidius dub. 1. docent, tunc esse plura numero Sacramenta Baptismi, & merito: quia tunc ita sunt plura numero materialia totalia Baptismi, coalescentia ex pluribus ablutionibus & ex pluribus formis, vt cuilibet independentem ab alio conueniat ex institutione Christi significatio gratiæ, ac si pluribus personis applicarentur, ergo illis conuenit non vna tantum significatio gratiæ, sed multiplex, sicut si pluribus personis applicarentur. Quòd autem gratia per illos significata & collata sit vna tantum numero, non sufficit vt significatio sit tantum vna numero, sicut neque sufficit quòd Petrus significatus ver vocem Petri sit vnus, vt diuersis vocibus Petri prolatis à diuersis inest vna numero significatio, quia reuera inest multiplex. Nihilominus tunc dicti plures Baptismi possunt virtualiter dici vnum tantum Sacramentum, quia non habent maiorem virtutem quàm si esset vnum tantum Sacramentum: & in hoc sensu à S. Thoma q. 67. art. 6. dicuntur vnum Sacramentum.

Quòd autem quilibet minister in casu dicto sit integer & totalis & sufficiens, & quilibet Baptismus sit integrum signum gratiæ totale & sufficiens, ac proinde plures causæ gratiæ totales ministeriales & instrumentales, non inconuenit: quia quamuis

Durandus  
Suarez.

Sotus.  
Vasquez.  
Ochag.

Gabriel.  
Caietan.  
Egidius.

S. Thomas.



quamuis sint totales & sufficientes in actu primo, quia quælibet est sufficiens vt moueat Deum, & sic causet gratiam independentem ab alia; non tamen sunt totales & sufficientes in actu secundo, quia tunc quælibet non mouet totaliter & sufficienter, sed tantum ipse plures simul, ita vt si quælibet moueret Deum seorsim, aliter moueret, ac quando mouet simul cum alia, ea proportione, qua duo fines, quorum quilibet est sufficiens ad mouendum, quando simul mouent non mouet quilibet totaliter, sed partialiter.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum plures diuidentes ministerium Baptismi, valide baptizent.*

Marfilius.  
Caietanus.

**M**arfilius in 4. q. 4. art. 4. dub. 11. & Caietanus 3. p. q. 67. art. 6. docent, in casu extremæ necessitatis valide fieri Baptismum à duobus diuidentibus ministerium Baptismi, vt si esset infans non baptizatus statim moriturus, & ei non adessent, nisi duo, quorum vnus careret brachijs, qui non posset abluere, & alter esset mutus, qui non posset verba Baptismi proferre, tunc validus esset Baptismus, si mutus ablueret infantem illum, & carens brachijs proferret verba Baptismi.

S. Thomas.  
Ægidius.  
Vasquez.  
Suarez.

S. Thomas q. 67. art. 6. & ibidem Ægidius dubio 1. Vasquez d. 148. c. 4. Suarez d. 23. sect. 3. & communiter Doctores docent, numquam posse fieri valide Baptismum à pluribus, quorum quilibet concurreret tantum ad partem Baptismi, vt quando vnus tantum abluit, & alter tantum profert verba formæ, & meritò: quia in casu dicto proferens verba formæ falsum enuntiaret; ergo nihil efficeret, quia verbis falsis nihil efficitur ex institutione Christi. Quod autem sic proferens verba formæ falsum enuntiaret, patet, quia ipse non baptizaret, neque ablueret exteriore ablutione, quod verba formæ significant. Et quamuis verbum *baptizo* in dicta forma idem esset, ac ministro tibi Baptismum, etiam falsum enuntiaret, quia sic proferens verba non administraret Baptismum, sed tantum partem, nempe formam. Vnde etiam enuntiaret falsò, quamuis vteretur illis verbis in numero plurali, *nos te baptizamus*, quia sensus horum verborum est, *ego te baptizo*, & iste baptizat, & verba hæc, *ego te baptizo* falsa sunt, vt iam diximus. Et eodem modo etiam falsum enuntiaret, quamuis non abluens proferret verba formæ Græcorum, *Baptizetur seruus Christi*, quia hæc verba eundem sensum efficiunt, quem verba formæ Latinorum, *ego te baptizo*, quia eadem est substantialiter forma Latinorum & Græcorum, quia sensus formæ Græcorum est, *Baptizetur à me seruus Christi*, vt diximus Disputatione 1. Difficultate VII. ergo si in casu dicto forma Latinorum non esset substantialiter vera, neque esset forma Græcorum.

Suarez.  
Ægidius.

Addimus, vt optimè Suarez & Ægidius, eodem modo fieri inualidè Baptismum à duobus, quamuis non diuidant ministerium baptizandi, sed vterque simul abluat, & formam Baptismi proferat, quando neuter intendit baptizare vt integer minister, sed vteruis intendit vt causa tantum partialis baptizare, quasi adiuuans alterum ad vnum Baptismum, & quasi cum eo vnum integrum ministrum componens ad illum, quia ea in-

tentio contraria est institutioni Christi, qui voluit vt minister Baptismi eum administraret vt causa totalis, & integra vt vsus Ecclesiæ, quæ semper voluit vt Baptismus ab vno tantum ministraretur, ostendit; quod etiam formam ipsam Baptismi, *Ego te baptizo*, denotatur. Et hac ratione etiam probatur, quod supra diximus, nempe Baptismum à pluribus exteriùs diuidentibus ministerium Baptismi, inualidè fieri, quia tunc à nullo procedit vt ab integro ministro.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum vnus possit plures simul baptizare.*

**C**onueniunt Primò Doctores, vnum posse plures simul valide baptizare his verbis, *Ego vos baptizo*, &c. si adsint reliqua requisita, quia tunc nihil deficit ad valorem Baptismi. Secundò conueniunt, vnum plures simul baptizare extra grauem necessitatem esse illicitum & peccatum, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, nolentis sic fieri Baptismum extra necessitatem grauem; imò id est peccatum mortale, vt contra Sotum existimant Scotus, Gabriel, Ægidius & Vasquez, quia est magna mutatio in re graui.

Scotus.  
Gabriel.  
Ægidius.  
Vasquez.

Est tamen difficultas, An in casu dicto sint plures Baptismi, & plura Sacramenta. Circa quam conueniunt Doctores, esse plures Baptismos, & plura Sacramenta: quia sunt plures ablutiones formaliter & expressè, & sunt plures formæ, quamuis non formaliter & expressè, sed æquiuvalenter, quia, *ego vos baptizo*, æquiuualet his, *ego te baptizo*, & *ego te baptizo*, quia illis verbis, *ego vos baptizo*, verè significantur omnes ablutiones, quibus minister sub his verbis baptizat, quod sufficit, vt ex dicta forma, quæ æquiuvalenter est plures, & ex dictis pluribus ablutionibus plures fiant Baptismi, & plura Sacramenta.

## DIFFICULTAS VIII.

*Quanta coniunctio, seu temporis similitas inter formam & materiam proximam Baptismi requiratur, & sufficiat ad valorem ipsius.*

**C**onueniunt Doctores, ad valorem Baptismi non requiri materiam proximam, nempe ablutionem & formam simul incipere, neque simul finire, quia neque veritas formæ, neque aliquid aliud tantam coniunctionem requirit; & credi non potest, Christum ab hominibus requirere, quod humanam diligentiam nequit discerni. Et conueniunt contra Glossam in can. *Detrahe*. 1. quæst. 1. non requiri materiam proximam perseverare vsque ad ultimam prolationem verborum, quia id nec requirit veritas verborum formæ, quia quamuis finiatur ablutio antequam finiatur verba, verum est dicere, *ego te baptizo*, neque aliquid aliud id requirit.

Circa difficultatem ergo Scotus in 4. dist. 6. quæst. 3. Gabriel quæst. 1. art. 2. & Caietanus tomo 1. Opusculorum, tit. 26. docent, ad valorem Baptismi eam temporis similitatem inter proximam

Scotus.  
Gabriel.  
Caietanus.



materiam & formam requiri, ut neutra finiatur antequam altera incipiat, nempe ut ablutio non finiatur antequam incipiat prolatio verborum, neque econtrà, quia simultas hæc videtur necessaria ad veritatem verborum formæ; quia nequit esse verum, *ego te baptizo*, quod est præsens Indicantis, si ante aut post fiat omnino ablutio, & non tunc quando forma aut aliquid formæ profertur. Et ob eandem rationem idem existimant de similitudine materiæ proximæ & formæ in Sacramento Confirmationis, quia scilicet forma illius etiam significatur verbo præsentis Indicativi.

Sotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

Sotus verò in 4. dist. 3. q. vnica, art. 8. Suarez d. 2. sect. 2. Vasquez d. 138. c. 7. & Ægidius q. 60. artic. 6. docent, ad valorem Baptismi non requiri tantam temporis similitudinem inter materiam proximam & formam illius, ut necessarium sit alteram incipere ante finitionem alterius, & econtrà, sed sufficere, quòd ante vel post alteram incipiat altera, & econtrà, dum inter vnam & alteram non sit magna interpolatio physica, & meritò: quia non requiritur maior simultas inter proximam materiam & inter formam, quam ea quæ sufficit ad veritatem formæ cadentis supra ipsam materiam; quia eo ipso forma & materia possunt ad vnam & eandem actionem Sacramentalem pertinere, & ex eis potest vnum & idem Sacramentum coalescere. Simultas autem inter formam & materiam proximam Baptismi, quamuis cum aliqua discontinuatione & interpolatione, dum non sit magna, sed parua, sufficit ad veritatem formæ Baptismi cadentis supra materiam proximam illius: quia qui, postquam abluo, statim aut paulò post dicit, *ego abluo*, verum dicit, & econtrà, qui, postquam dicit, *ego abluo*, statim aut paulò post abluo, verum dicit, quia tunc moraliter & humano modo actio illa abluendi censetur præsens, quando profertur verbum illam significans; sicut qui, postquam potauit, statim aut paulò post dicit, *ego potò*, verum dicit, & econtrà, qui habens vas plenum aqua in manu dicit, *ego potò*, verum dicit, si statim aut paulò post poterit. Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Addidimus, *dum inter vnam & alteram non sit magna interpolatio physica*, quia quando est, ut quadrantis horæ, imò & minoris temporis, simultas, quæ cum illa interpolatione est, non sufficit ad valorem Baptismi, quia non sufficit ut forma sit vera, quia tunc materia proxima non censetur moraliter præsens, qualiter formâ ipsâ significatur.

Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

Idem quoque existimant Auctores nostræ sententiæ de similitudine inter materiam proximam & formam Confirmationis, ob eandem omnino rationem. Et idem exprimit Suarez, Vasquez & Ægidius de similitudine inter materiam proximam & formam Extremæ Vnctionis, ratione Pronominis *istam*, contenti in forma illius, quia significat præsentiam saltem moralem Vnctionis. Et idem dicunt Suarez & Ægidius de similitudine inter proximam materiam & formam Ordinis ratione verbi contenti in forma illius, quod actionem præsentem, saltem moraliter, significat.

## DIFFICULTAS IX.

Utrum præter ministrum qui confert Baptismum, necessarius sit patrinus.

Quamuis ad valorem Baptismi necessarius non sit qui baptizandum teneat dum baptizatur, & pro eo respondeat, & eum de sacro Baptismatis fonte suscipiat, qui *patrinus* dicitur, Iure tamen Ecclesiastico necessarius est ad Baptismum solemnem, ut licite fiat, ut constat ex consuetudine Ecclesiæ quæ antiquissima est; & illius fit mentio apud antiquos Patres, & Concilia, & in pluribus Canonibus de Consecratione, dist. 4.

Obseruandum est, quòd quamuis Iure antiquo Canonis *Non plures*, de Consecratione, dist. 4. & cap. vltim. de *Cognitione spirituali*, in 6. vnus tantum siue vir siue femina posset esse patrinus in Baptismo, iam tamen Iure nouo Tridentini sess. 24. c. 2. conceditur, ut possint esse duo, vnus & vna; excipiuntur tamen Primò Monachi, qui can. *Monachi*, de Consecratione, dist. 4. prohibiti sunt exercere dictum munus. Sub Monachis tamen, qui sibi solis vacant, ut Ægidius aduertit, non comprehenduntur Religiosi Mendicantes, qui etiam vacant alijs.

Excipiuntur Secundò in can. *In Baptismate*, de Consecratione, dist. 4. qui non sunt baptizati, ut nequeant esse patrini, non prohibitione ad ipsos directa, quia non baptizati non subduntur Ecclesiasticæ prohibitioni, sed directa ad baptizantes, & ad quoscumque alios ad quos pertinet designare patrinos, ne eligant non baptizatos ad munus patrini.

Excipiuntur Tertiò parentes, qui can. *Pervenit*, & can. *Ad limina*, 30. quæst. 1. prohibiti sunt esse patrini propriæ sobolis, quamuis non adsit alius qui possit esse patrinus, quia munus patrini non est magnæ necessitatis; eos tamen non priuari iure petendi, quamuis absque necessitate & absque ignorantia id faciant, dicimus Tractatu de Matrimonio, Disput. x. Diffic. vi.

Maritus tamen & vxor possunt alienæ prolis absque peccato esse patrini, ut aduertunt Sanctius lib. 7. d. 57. Vasquez & Ægidius q. 67. art. 7. quia id nullibi prohibetur, ut fatetur Urbanus. II. in can. finali, 30. quæst. 4. Quòd autem ipse in eo Canone statuatur, quòd non sint patrini, non obstat, vel quia id non prohibet, ut ex contextu deduci videtur, vel quia si id prohibuit, non est vsu receptum.

Sanctius.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Urban. II.

De impedimento autem cognitionis spiritualis dirimente matrimonium contrahendum, ortæ ex munere patrini Baptismi, dicimus Tractatu de Matrimonio Disput. xviii.

Circà obligationem, quam patrinus Baptismi habet instruendi baptizatum in fide & moribus, conueniunt Doctores, eam habere, quoties parentes alij ve id non faciunt, quia munus patrini ad id etiam institutum est: nihilominus, qui est patrinus baptizati inter Christianos commorantis, ab ea obligatione excusatur (nisi aliàs ipsi constet baptizatum carere instructore) quia regulariter sunt alij qui id faciunt.



## DISPUTATIO III.

## De suscipientibus Baptismum.

## DIFFICULTAS I.

*Utrum omnes adulti sint capaces  
Baptismi.*

**CONVENIUNT** Doctores, adultos omnes viatores, vsu rationis præditos, esse capaces Baptismi. Ita supponitur Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* & Matthæi vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Addidimus viatores, quia soli isti sunt capaces Baptismi, quia ad eos solos, tamquam ad subiecta susceptiva Baptismi, directa est institutio illius, vt constat ex dictis testimonijs, & ex sensu & vsu Ecclesiæ, ac proinde ipsis solis prodest Baptismus.

Quod si obijcias illud Paul. 1. ad Corinth. 15. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* quibus verbis supponere videtur Paulus, viatorem, seu viuum, vice mortui seu pro mortuo baptizari posse, & Baptismum à viuo receptum pro mortuo qui baptizari non potuit, ipsi mortuo prodesse;

Respondemus, Paulum in dicto testimonio nomine Baptismi non intelligere Sacramentum Baptismi, sed lamenta & alia opera pœnalia, vt aliquando sumitur in Scriptura, Marc. 10. *Potestis bibere calicem quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* & supponere, lamenta & omnia opera pœnalia pro mortuis assumpta ipsis prodesse, & non inaniter assumi pro illis, vt ex antiquissima Iudæorum traditione, qui ea pro suis defunctis assumebant, inferat corporum resurrectionem: quia ex eo, quod prædicta proficerent animabus ad liberationem à pœna, vt ab ea liberatæ vita æterna perfruerentur, benè inferitur animas esse immortales, ac proinde etiam habituras præmium æternum, aut pœna æterna puniendas; & consequenter etiam in consortio corporum, in quibus existentes factæ sunt dignæ præmio aut pœna, habituras ipsum præmium aut pœnam, quia id valdè consonum est rationi, de quo legendi sunt Vasquez d. 157. c. 3. & Ægidius d. 11. de Purgatorio, dub. 1.

Vasquez.  
Ægidius.

Quod verò ad valorem Baptismi, & aliorum Sacramentorum qui in vsu consistunt, in adultis, qui sunt aut aliquando fuerunt vsu rationis præditi, necessarius sit consensus suscipiendi, & quod sufficiat habitualis (id est præteritus non reuocatus) imò & metu extortus, diximus in Tractatu de Sacramentis in genere, Disputacione 14. Difficultate III. vbi etiam diximus, ad eorum valorem nullum requiri actum fidei in suscipiente.

## DIFFICULTAS II.

*Utrum infantes ante vsum rationis sint  
capaces Baptismi.*

**C**irca rem hanc tempore Bernardi errarunt Henricus quidam, & quidam Petrus de Bruis, existimantes, paruulos ante vsum rationis non esse capaces Baptismi, quia sunt incapaces actus fidei: quia Marci vltimo insinuari videtur, cum, qui non potest credere, non posse baptizari, dum dicitur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* & idem nostro tempore docent Ana-

Henricus.  
Petrus de  
Bruis.

Anabap.

Bellarmin.  
Vasquez.

baptistæ, ducti dicto fundamento, & etiam alijs, quæ videri possunt apud Bellarminum lib. 1. de Baptism. c. 9. & apud Vasquez d. 144. De Fide tamen est, infantes ante vsum rationis capaces esse Baptismi. Ita definitum est in Tridentino sess. 7. can. 3. & à non paucis Pontificibus, quos Vasquez refert. Et id constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam nobis scriptam reliquerunt Clemens lib. 6. Instit. Apostolicarum, c. 15. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. vlt. Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, c. 24. & Origenes lib. 5. in Epistolam ad Roman. in cap. 6. Quod etiam deducitur ex Scriptura Matth. 19. Marc. 10. & Luc. 18. dum dicitur: *Mitte paruulos venire ad me, talium enim est regnum celorum.* vbi Christus supponit, paruulos & infantes esse pro ea ætate capaces Regni celorum: quod si pro ea ætate capaces sunt Regni celorum, etiam sunt capaces Baptismi, quia, vt dicitur Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Quod amplius expendit Vasquez c. 1.

Trident.

Clem. Rom.  
Dionys.  
August.

Origenes.

Vasquez.

Addimus, infantes, adhuc dum sunt intra vterum maternum, capaces esse Baptismi, vt aduertunt communiter Doctores; quia dicti infantes cõceptione ipsa verè sunt nati, vt Baptismo possint dici renasci, vt patet in his, qui tantum exerunt manum, aut exsecatur ex vtero matris iam mortuæ: ac proinde, si industriâ aut artificio aliquo lauentur sub forma Baptismi, validè recipiunt Baptismum.

Id autem quod dictum est de infantibus, etiam est verum de grandibus furiosis aut amensibus, qui numquam vsi sunt ratione, quia eadem omnino est ipsorum & infantium ratio.

Illud verò Marc. vltimo, cui innituntur hæretici, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit,* vbi requiritur fides ad receptionem Baptismi, intelligitur de adultis, vt deducitur ex verbis proximè antecedentibus, *prædicate Euangelium omni creaturæ,* quia infantibus non erat prædicandum. Imò in adultis non requiritur actus fidei ad valorem Baptismi, vt postea dicemus, sed tantum vt dispositio ad recipiendam gratiam; in paruulis verò neque vt dispositio ad effectum gratiæ, in quo Patres & Scholastici conueniunt: alias Baptismus illis nõ prodesset ad salutem, quia paruuli non possunt credere. Et quidè Christus, qui etiam pro



infantibus Baptismum instituit, non potuit ab ip-  
sis actum fidei, quem habere non possunt, requi-  
rere. Id verò quod Lutherus ait, illis accelerari  
vsum rationis, absque fundamento dicitur, &  
contra manifestam experientiam, de quo legi po-  
test Vasquez cap. 3.

Vasquez.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum infantes non baptizatorum validè  
baptizentur inuitis parentibus.*

**C**onueniunt Doctores, infantes baptizato-  
rum, quamuis hæreticorum & apostatarum,  
validè baptizari, inuitis adhuc eorum parentibus,  
quod ex dicendis constabit.

Est tamen difficultas, An infantes non bap-  
tizatorum validè baptizentur eorum parentibus in-  
uitis. Durandus in 4. dist. 6. quæst. 7. Paludanus  
dist. 4. quæst. 4. Marfilus quæst. 4. art. 4. dub. 3.  
Capreolus dist. 5. quæst. 1. artic. 3. Siluester v. Bap-  
tismus 4. quæst. 7. & Catherinus in Opusc. de  
Pueris Iudæorum recipiendis ad Baptismum, do-  
cent, infantes non baptizatorum, quamuis subdi-  
torum Principibus Christianis, non posse validè  
baptizari eorum parentibus inuitis, aut alijs qui-  
bus cura infantium incumbit: quia ad valorem  
Baptismi requiritur consensus aliquis, qui cum in-  
fantibus nequeat esse proprius, requiritur alio-  
rum, & non nisi eorum quibus cura illorum in-  
cumbit, vt sunt parentes, & ijs deficientibus, aut  
non potentibus, illi qui parentibus succedunt  
quoad curam infantium.

Durandus.  
Paludan.  
Marfilus.  
Capreolus.  
Siluester.  
Catherin.

Antonin.  
Caietan.  
Ægidius.  
Vasquez.  
Suarez.

Antoninus verò 3. part. tit. 14. cap. 13. Caietan-  
us & Ægidius quæst. 68. artic. 10. Vasquez  
disp. 155. Suarez d. 25. sect. 1. & communiter re-  
centiores docent, infantes quorumcumque non  
baptizatorum validè baptizari eorum parentibus  
inuitis, & quibuscumque alijs quibus eorum cura  
incumbit, quamuis id fiat cum iniuria parentum,  
aut aliorum quibus infantium cura incumbit, &  
merito: quia infantibus non est possibilis consen-  
sus quo in Baptismum consentiant, ergo non fuit  
à Christo requisitus ad valorem Baptismi ipso-  
rum. Consequentia patet, Antecedens verò pro-  
batur, quia non possunt consentire in Baptismum  
consensu proprio, vt patet; neque consensu paren-  
tum, neque aliorum: quia neque voluntas paren-  
tum, neque quorumcumque aliorum est voluntas  
infantium, sed distincta; neque infantes aliquid  
commiserunt parentibus neque alijs pro se facien-  
dum aut petendum. Verum est Iure ciuili, volun-  
tatem parentum, aut aliorum, aliquando valere  
paruulis ad aliquos ciuiles effectus à voluntate  
Reipublicæ pendentes: eos tamen non dicuntur  
infantes verè velle. Si ergo infantes non possunt  
consentire in Baptismum consensu parentum, ne-  
que aliorum loco parentum, nullo fundamento  
neque colore affirmari potest, consensum eorum  
requiri ad valorem Baptismi ipso-  
rum infantium.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum infantes non baptizatorum possint  
inuitis parentibus licite baptizari.*

**D**ifficultas hæc non procedit de infantibus  
filijs baptizatorum, quamuis hæreticorum

& apostatarum, quia infantes isti possunt licite ba-  
ptizari eorum parentibus inuitis, quia eorum pa-  
rentes, vt pote Ecclesiæ subditi ratione Baptismi,  
cogi possunt ad seruanda omnia præcepta natura-  
lia, & diuina, & Ecclesiastica, ac proinde ad ba-  
ptizandum suos infantes tempore consueto, quia  
ad hoc tenentur ex Iure Ecclesiastico consuetudi-  
ne introducto, & non alio, quia de alio non con-  
stat. Neque procedit de infantibus filijs non ba-  
ptizatorum, qui non sunt subditi Principibus Chri-  
stianis, & debellari non possunt, quia horum in-  
fantes nequeunt extra extremam necessitatem li-  
cite baptizari, eorum parentibus inuitis, quamdiu  
sunt sub cura eorum; quia eorum parentes à nullo  
Principe Christiano, neque iure superioris neque  
iure belli (quando alias debellari non possunt) pri-  
uari possunt patria potestate, qua priuari debent, si  
baptizentur infantes ob periculum peruersionis  
infantium, si perueniant ad adultam ætatem, &  
non sint à parentibus infidelibus separati.

Difficultas ergo procedit de infantibus non ba-  
ptizatorum subditorum Principibus Christianis,  
an possint licite baptizari parentibus inuitis, ex  
consensu saltem interpretatiuo Principum, à qui-  
bus parentes, vt pote eis subditi, aliàs priuari pos-  
sunt patria potestate, quia extra extremam necessi-  
tatem infantium, qui aliàs morituri sunt absque  
Baptismo, non possunt priuata auctoritate absque  
dicto consensu licite baptizari, aliàs extra eam pri-  
uata auctoritate priuarentur patria potestate, vt  
priuari deberent ob dictum peruersionis periculum.

Circa difficultatem sic intellectam Scotus in 4. dist. 4. quæst. 9. & Gabriel quæst. 2. artic. 3. dub. 5. docent, infantes non baptizatorum Principi Chri-  
stiano subditorum, posse inuitis parentibus ex con-  
sensu Principis (siue expresso siue interpretatiuo)  
licite baptizari, etiam extra extremam necessita-  
tem. Quia si pater vellet infantem occidere, aut  
nollet ipsum à periculo mortis, in quo sit, libera-  
re, posset ex consensu Principis inuito patre in-  
fanti subueniri, quamuis necessarium esset ipsum  
de potestate patris eripere & extrahere: imò id  
etiam potest Princeps, quoties videt filium à patre  
prauis moribus instrui, & malè educari; quia ad  
Principem spectat abusum patriæ potestatis in fi-  
lios corrigere & emendare: sed infantes dictorum  
non baptizatorum sunt in manifesto periculo infi-  
delitatis quando adulti fiunt, & sunt in peccato ori-  
ginali, & parentes nolunt illis subueniri, sed vo-  
lunt eos in morte originalis perseuerare, & eos ite-  
rùm morte infidelitatis occidere, si adulti fiunt;  
ergo Princeps, & qui libet alius ex consensu illius  
potest infantes dictorum non baptizatorum ad-  
huc inuitorum licite baptizare, & eos à patria po-  
testate eripere.

Scotus.  
Gabriel.

S. Thomas verò quæst. 68. artic. 10. & ibidem Ægidius & Vasquez disput. 155. Suarez d. 25. sect. 4. & communiter Doctores docent, & meri-  
tò, dictos infantes non posse licite inuitis pa-  
rentibus baptizari. Quod maximè probat consue-  
tudo Ecclesiæ, quæ numquam vsa est infantes non  
baptizatorum, adhuc Iudæorum, Principibus Chri-  
stianis subditorum, inuitis ipsis parentibus bap-  
tizare. Ratio autem est, quia infans, quando bap-  
tizatur inuitis parentibus, debet ab ipsis separari ob  
manifestum periculum apostasiæ, quando perue-  
niat ad adultam ætatem, ex consortio paren-  
tum infidelium, vt ex se patet & exprimitur in

S. Thomas.  
Ægidius.  
Vasquez.  
Suarez.

Concilio



Concil.  
Tolet. IV.

Concilio Toletano IV. Can. 48. & refertur in can. *Iudeorum* 28. quæst. 1. Sed prædicta separatio fieri nequit absque iniuria in parentes contra eorum patriam potestatem; ergo parentibus inuitis nequeunt licitè baptizari adhuc ex consensu Principis Christiani, cui parentes sint subditi, absque iniuria in ipsos. Quòd autem infantes nequeant à parentibus separari, vt baptizentur, probatur; quia parentes Iure naturali parentum habent potestatem habendi curam filiorum non vtentium ratione, & eos secum habendi, & educandi, vt ex se patet; & ea potestate, dum baptizati non sunt, nequeunt à suis Principibus priuari, quia nolint filios suos baptizari, quia id nequeunt Principes vt superiores humani, generali ratione superiorum humanorum: quia vt sic non habent potestatem emendandi, corrigendi, & puniendi abusum patriæ potestatis, nisi quando parentes ea abutuntur, quoad ea quæ sunt contra pacem & gubernationem exteriorem & ciuilem, imbuendo filium prauis moribus contra dictam pacem, quia tantum in ordine ad hanc habent iurisdictionem, & non habent potestatem corrigendi & puniendi abusum patriæ potestatis erga filios quoad Baptismum, & quoad fidem Christianam, nolendo filios suos baptizari, & eos imbuendo erroribus contra fidem; sicut neque vt superiores humani possunt adultis præcipere Baptismum, neque fidem, neque vt filios baptizent, neque ad ea cogere, neque eorum omissionem punire: neque id possunt Principes ex commissione aliqua Christi, quia non constat Christum id illis commisisse; imò potius voluit fidem suam absque læsione aliqua iuris iustitiæ propagari, ne inde magna sequeretur perturbatio, ob quam fides ipsius redderetur infidelibus inuisa.

Ex quo patet ad posteriorem partem rationis aduersariorum. Et ad priorem cōcedimus, quemlibet, etiam priuatam personam, posse subuenire infanti quem pater vellet occidere, aut quæ nollit à periculo mortis liberare, etiam eripiendo illum à potestate patris: quia sicut innocenti licitum est iure suæ defensionis, vt se ab aggressore defendat, ius aggressoris infringere, quando ad sui defensionem necessarium est; ita etiam cuiuscumque alteri, in fauorem innocentis; non verò, quando infanti nulla fit iniuria, vt verè non fit, ex eo quòd non permittatur ad patre baptizari, cum id infans neque petat neque cupiat, neque illi fit iniuria ex eo, quòd erroribus contra fidem imbuatur, nisi cogatur ad id.

Vasquez  
Ægidius.

Obseruandum tamen est Primò, vt optimè Vasquez & Ægidius, infantem in extrema necessitate constitutum, de cuius vita desperatum est, posse licitè baptizari inuitis parentibus, & in eorum præsentia, & quamuis non sint subditi Principi Christiano, quia tunc non est necessarium quòd extrahatur & separetur à parentibus (ad quod est necessaria auctoritas publica) cum tunc in infante ob instantem mortem ante vsum rationis nullum sit periculum apostasiæ ex consortio parentum, & tunc solùm obstat, infantes inuitis parentibus baptizare, quando ad hoc, ob dictum periculum apostasiæ, necessarium sit illos à parentibus separare; quia parentibus tantum fit iniuria in separatione, & non immediatè in eo quòd infantes illis inuitis baptizentur, quia ipsi non habent ius, vt ipsi soli curent de salute spiritali in-

fantium, quia id etiam possunt reliqui; sed tantum, vt nullus id efficiat lædendo patriam potestatem modo dicto, neque per vim ingrediendo domos eorum: ac postquam quis admissus est pacificè in eorum domibus, poterit infantem moribundum baptizare, etiam repugnantibus parentibus. Quòd autem parentes ob id passiuè scandalizentur, sumendo occasionem conijciendi conuicia in fidem & religionem Christianam, & vtendi circa infantem cærimonijs Iudaicis aut Mahumetanis in opprobrium Baptismi, non impedit vt licitè baptizari possit, quamuis tale scandalum sit ex ignorantia, aut ex fragilitate; quia Baptismus est omnino necessarius illi infanti, & ipsi ministro incumbit obligatio ex misericordia illum baptizandi, quæ non sunt diuittenda ob scandalum passiuum adhuc pusillorum.

Ex dictis deducitur, quòd si contingat infantem ita esse separatam à cura parentum, quamuis iniustè, vt iam non sit spes quòd restituetur parentibus, posse licitè baptizari, quamuis parètes scient, & repugnent, quia etiam tunc non est necessarium separare infantem à parentibus; neque ob Baptismum impediatur ad parentes redire, quia aliàs impediendus est, vt supponimus: quod verum est, quamuis parentes non sint subditi Principi Christiano, qui habeat publicam potestatem in illos, quia hæc tantum est necessaria ad priuandum parentes subditos patriæ potestate, separando infantem ab illis, & impediendo reditum ad illos; in casu autemposito non est necessarium separare infantem à parentibus, neque impedire reditum ad illos.

Obseruandum est Secundò, ita necessarium esse consensum parentum ad licitè baptizandum infantem, vt sufficiat consensus vnus, adhuc matris; in quo Doctores conueniunt, & significatur in Concilio Toletano IV. Can. 62. quia quilibet Concil.  
Tolet. IV. habet ius sufficiens ad educandum filium, & non maius est in viro quàm in femina, ac proinde consensus volentis infantem baptizari, quamuis femina, præualere debet, quia vult infantem benè educari; quod alter nequit legitimè impedire, etiam si, quando cetera sint paria, consensus viri præualere debeat.

Quòd si infantes orbatu sint vtroque parente, quamuis sub curatoribus sint, possunt illis inuitis licitè baptizari ex consensu Principis, quia curatores non habent Iure naturali potestatem curandi minores & pupillos, sicut habent parentes, sed tantum Iure ciuili, in quo Princeps dispensare potest: imò tunc Princeps ipse habet suprèmam potestatem curatoris pupillorum, ex quo inferiores illam accipiunt, ac proinde ex consensu illius adhuc tantum interpretatiuo, absque dispensatione, poterit infans licitè baptizari.

Obseruandum est Tertio, quemlibet puerum, cum peruenit ad perfectum vsum rationis, sufficientem ad peccandum mortaliter, ita esse dominum sui, vt possit inuitis parentibus licitè baptizari; in quo Doctores conueniunt: dissentiunt tamen, An, quando est dubium an peruenerit ad perfectum vsum rationis, & non sit in extrema necessitate, possit inuitis parentibus licitè baptizari.

Sorus in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 10. docet, Sorus. posse licitè baptizari ob fauorem fidei & religionis Christianæ.



Vasquez.  
Ægidius.

Vasquez verò n. 36. & Ægidius n. 61. docet, tunc non posse licitè baptizari, sed differendum esse Baptismum vsquequò conset de pleno vsu rationis, & meritò: quia in dicta dilatione nullum est periculum; & in festinatione adest vel peruerfionis, si baptizatus relinquatur apud parentes, vel faciendi contra patriam potestatem. Et eodè modo differendus est in dicto dubio, quando parentes puerum renitentem offerunt ad Baptismum: quia tunc in baptizando illum, est periculù irritandi Sacramentum Baptismi ex defectu consensus pueri, si fortè præditus est perfectò vsu rationis, & apostasiæ in ipso; in differendo verò Baptismum, nullum est periculum. Quòd si dictus puer sit in extrema necessitate, baptizandus est; quia tunc in non baptizando illum, est periculum negandi illi necessaria ad salutem æternam, contra misericordiam spiritualem; quod est magis vitandum quàm periculum irritationis Sacramenti contra Religionem, & apostasiæ contra fidem, quamuis religio & fides sint meliores virtutes, quàm misericordia spiritualis: quia cum Sacramenta instituta sint à Christo in vilitatem spiritualem hominum, potius habenda est ratio extremæ necessitatis fratris, quàm reuerentiæ debitæ Sacramentis. & quàm periculi apostasiæ, cum apostasia futura sit ex propria voluntate pueri baptizandi.

Vasquez.  
Ægidius.

Obseruandum est Quartò, vt optimè Vasquez & Ægidius, extra extremam necessitatem non fuisse licitum in lege naturæ, infantes infidelium Gentilium inuitis parentibus Deo offerre, seu consecrare, remedio legis naturæ; quia etiam tunc erat necessarium illos separare à parentibus ob periculum peruerfionis ex confortio parentum, & peruerfione amittendi habitum fidei & sanctitatis. Et ob eandem rationem postea in lege veteri non erat licitum circumcidere infantes infidelium inuitis eorum parentibus, vtendo circumcissione vt remedio legis naturæ ad iustificationem. Et quamuis esset illicitum, ipsis inuitis eorum paruulos circumcidere, vtendo circumcissione vt cærimonia Iudaica, sed non ob prædictum periculum; quia vt sic non iustificabat, sed tantum ratione vulneris, quia dicti infantes non erant necessariò ex lege circumcidendi.

#### DIFFICULTAS V.

*Vtrum infantes filij non baptizatorum seruorum possint licitè inuitis parentibus à domino baptizari.*

Capreolus.  
Marsilius.  
Caietan.  
Catherin.

Capreolus in 4. dist. 5. quæst. 1. art. 3. Marsilius quæst. 4. dub. 2. Caietanus q. 68. art. 10. & Catherinus in Opusculo de Pueris Iudæorum recipiendis ad Baptismum, docent, infantes filios non baptizatorum seruorum, seu mancipiorum, non posse à dominis, neque ex eorum licentia, licitè baptizari inuitis parentibus, quia infantes Iure naturali subditi sunt parentibus quoad educationem, & Iure diuino quoad Baptismum & salutem spiritualem: his autem Iuribus nequit derogare Ius ciuile, ex quo solo conuenit dominis potestas in seruos. Accedit, quòd Ecclesia notabitur, quòd violenter contra voluntatem parentum baptizet infantes.

Durandus.  
Sotus.

Durandus verò in 4. dist. 4. quæst. 6. & 7. Sotus

dist. 5. quæst. vnica, art. 10. Vasquez disp. 153. Vasquez. cap. 4. Ægidius quæst. 68. artic. 10. dub. vnico, & Ægidius.

communitè recentiores docent, infantes non baptizatorum mancipiorum posse inuitis parentibus à dominis, aut ex ipsorum licentia, licitè baptizari, & meritò: quia dominus potest eos infantes (quamuis isti fortè non sint mancipia) à parentibus separare, ergo tunc poterunt licitè à domino, aut ex ipsius licentia baptizari, si aliàs sufficiens cautela adhibeatur, vt quando adulti nequeant à parentibus conueniri & perueri. Consequentià patet, quia tunc in ea separatione nulla fit iniuria parentibus, quia eam potest dominus iure dominij licitè efficere, & sola iniuria separationis infantium à parentibus id posset illicitum reddere, quando necessaria esset ad vitandum periculum peruerfionis filiorum: & ob id, vt optimè Vasquez & Ægidius contra nonnullos, dicti infantes possunt, antequam ab ipsis separantur parentes, his inuitis licitè baptizari (dummodò antequam perueri possint, sufficiens cautela separantur) quia parentibus nulla fit iniuria in eo præcisè quòd ipsis inuitis baptizentur, etiam dum non sunt separati, quia parentes non habent ius, vt ipsi soli, quamuis secum habeant filios, curam gerant Baptismi & salutis spiritualis eorum, & vt impedire possint Baptismum, qui ab alijs intenditur, ministrari ipsorum infantibus: quia non habent Ius naturale ad id, vt patet, neque diuinum, quia de eo non constat. Imò neque habent Ius naturale, vt ipsi soli educant filios, & eos instruant adhuc in rebus pertinentibus ad pacem & gubernationem exteriorem, neque vt impediunt alios emendare in filijs id in quo errant quoad dictam pacem & gubernationem: quia quicumque, adhuc priuata auctoritate, id emendare potest, & eos instruere, dum non cogat parentes ab illis separari, neque eorum domos vi ingrediatur. Et idem ob rationem dictam dicendum est, quando infantes sunt serui & mancipia, quamuis parentes serui non sint, quòd scilicet possint licitè inuitis parentibus baptizari; quia scilicet licitè possunt extrahi à cura parentum, eos à parentibus separando; & melius, ac quando parentes sunt serui, & infantes liberi.

Vasquez.  
Ægidius.

Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Quòd verò apud ignorantes, siue baptizatos siue non baptizatos, aliqua nota contra Ecclesiam generetur, ex eo quòd infantes inuitis parentibus baptizentur, curandum non est; quia Baptismus est magnæ considerationis, & ea nota absque ratione, imò contra rationem generabitur. Verum est, aliquando ex Baptismo dictis parentibus inuitis factò, tale incommodum, quamuis extrinsecum, oriri posse, vt non liceat sic fieri, quòd iudicio prudentis expendi debet.

Ita tamen licitum est dominis dictos infantes adhuc inuitis parentibus baptizare, vt etiam teneantur ad id non tantum in extrema necessitate, sed etiam extra eam. Quòd manifestum videtur de infantibus separatis à parentibus, quia tunc dominis incumbit obligatio eos educandi, ac proinde eos baptizandi, orta ex præcepto Ecclesiastico, pertinens ad virtutem religionis: imò ex misericordia tenentur ad non restituendos infantes seruos parentibus infidelibus liberis (vt quòd infantes in bello aut aliter capiuntur absque parentibus) ob periculum, in quo constituuntur vt decipiantur, &



vt decepti sectam parentum amplectantur. Quando verò infantes coniuncti sunt parentibus seruis, obligatio est ex misericordia in dominis, separandi infantes antè quàm veniant ad vsum rationis ob dictum periculum. Quamdiu tamen infantes coniuncti sunt parentibus, non incumbit dominis obligatio eos infantes baptizandi, quia non obligatio ex religione, quia ex hac virtute tantum tenentur, quamdiu eis incumbit obligatio educandi illos, neque dominis incumbit obligatio emendandi errorem parentum quoad Baptismum, & educationem spirituales infantium. Ita tamen domini ad prædicta tenentur, vt possint à dicta obligatione etiam misericordie excusari ratione alicuius grauis incommodi, quod etiam arbitrio prudentis expendi debet.

Sed quæres, An Iudæi sint serui & mancipia Principum in quorum regnis habitant, an verò liberi, & ciues.

*Durandus.* Durandus in 4. dist. 4. quæst. 6. & Caietanus quæst. 68. art. 10. docent, Iudæos esse verè seruos Principum in quorum regnis habitant, quia ob

mortem Christo illatam meruerunt libertatem amittere, & eam de facto amiserunt per Titum & Vespasianum.

Valquez verò cap. 5. & Sotus in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 10. docent, & meritò, non esse seruos, sed verè liberos, & ciues politicè & ciuilitè tantum subiectos. Quod significat Innocentius III. in cap. *Et si Iudæos*, de Iudæis & Sarracenis. Et id experientia ipsa demonstrat, quia verè tractantur vt ciues, quia permittuntur ire quò volunt, & bona habere, & sibi negotiari, quamuis non semper permittantur quæcumq; genera bonorum habere, quia sic expedit Reipublicæ, & regulariter nullum peculiare seruitium neque tributum exhibent.

Et quamuis ob mortem Christo illatam digni fuerint vt in seruitutem redigerentur, qui eam Christo intulerunt, & qui ei consenserunt, non tamen alij qui id ignorarunt: imò & illi quamuis digni fuerint redigi in seruitutem, de facto tamen non sunt ab aliquo in seruitutem redacti, neque à Tito & Vespasiano, quia id nullo fundamento constat.

## DISPUTATIO IV.

## De effectibus Baptismi.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum per Baptismum remittantur omnia peccata.*



RROR est hæreticorum nostri temporis, qui, secuti Proclum Origenistam, affirmant per Baptismum non tolli & eradicari peccata, sed tantum radi, tegi, & desinere imputari à Deo (quod generaliter docent de omni remissione peccatorum, etiam de ea quæ fit quocumque alio Sacramento, & extra Sacramentum) quod deduci videtur ex Paulo, qui ad Roman. 7. concupiscentiam, seu fomitem peccati, appellat peccatum, & tamen manet post Baptismum, ergo per Baptismum verè non tolluntur peccata.

De Fide tamen est, per Baptismum verè tolli & eradicari peccata omnia, tam originale quàm actualia. Quod specialiter definitur, & oppositus error specialiter damnatur in Tridético sess. 5. decreto de Peccato originali, & supponitur sess. 14.

*Trident.*

*Eugen. IV.*

cap. 1. & idem etiam definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, §. *Primum omnium*. dum ait: *Huius Sacramenti*, nempe Baptismi, effectus est remissio omnis culpa originalis & actualis. Et id continetur in Symbolo Nicæno in illis verbis: *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum*, &

*Symbolum Nicænum.*

exprimitur in Scriptura ad Ephes. 5. dum dicitur: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vite, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi*, ac proinde verè expertem omnis culpæ, quia si maculæ peccatorum verè manerent post Baptismum, quamuis tectæ, baptizatus non diceretur mundatus, sed sepulchrum dealbatum, immunditijs plenum. Et etiam Act. 2. *Pœnitentini, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, vbi gene-

raliter est sermo de peccatis, nullo excepto, & de vera remissione, cum locutio sit absoluta.

Concupiscentia autem quæ post Baptismum manet, dicitur à Paulo peccatum, non quia verè sit culpa, & verè peccatum, sed quia oritur à peccato, & quia ad peccatum inclinatur, vt exponit Tridentinum decreto de Peccato originali.

*Trident.*

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum per Baptismum etiam remittatur tota pœna peccatis debita.*

Conueniunt Doctores, per Baptismum remitti totam pœnam peccatis etiam actualibus debitam. Quod definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto, §. *Primum omnium*, dum ait: *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoq; pœna quæ pro ipsa culpa debetur*. Et in Tridético sess. 5. Decreto de Peccato originali, si rectè expendatur. Et id supponitur sess. 6. cap. 14. quod ex perpetua Ecclesiæ traditione constat: & deducitur ex perpetuo vsu Ecclesiæ, non iniungentis baptizatis pœnitentiam aliquam in satisfactionem pro peccatis ante Baptismum commissis.

*Trident.*

Quando autem dicimus, totam pœnam omnibus peccatis debitam auferri per Baptismum, non loquimur de pœnalitatibus quæ peccatum primi parentis, & originale in nobis ex illo contractum sequuntur indirectè, vt fames, sitis, morbus, mors, & alia, à quibus aliàs peculiari Dei prouidentia liberaremur, si non fuissent prædicta peccata, quia pœnalitates istæ non auferuntur per Baptismum, vt experientia constat, sicut neque sunt pœnæ directè inflictæ ob dicta peccata: sed tantum loquimur de pœna, quæ per se & directè debita est ob peccata quæ Baptismo remittuntur, quia tota hæc aut tota dignitas ad illam per Baptismum semper

semper



semper aufertur, quamvis non semper per Sacramentum Pœnitentiæ, quod Christus voluit, & instituit valde congruenter diuinæ iustitiæ, quia huic maximè congruit, vt totam pœnam in Baptismo condonet, quamvis aliquando iuste posset aliquid illius exigere, quia peccata infidelium vt plurimum committuntur ex ignorantia (quamvis vincibili) non verò peccata iam baptizatorum.

Trident.

Et id tantum voluit Tridentinum sess. 14. c. 8. dum dictum discrimen inter Baptismum & Pœnitentiæ reducere videtur ad exigentiam diuinæ iustitiæ, id est, in magnam congruentiam ipsi diuinæ iustitiæ.

Vasquez. Observandum tamen est, vt optimè Vasquez disp. 156. c. 4. non semper ex vi iustificationis in Baptismo factæ remitti totam pœnam peccatis debitam, sicut neque ex vi iustificationis factæ in Sacramento Pœnitentiæ, quia gratia iustificans in vtroque collata est eiusdem rationis, & dispositio ad illam in vtroque potest esse eadem, & peccata in vtroque remittenda possunt esse eiusdem rationis, & æqualia: imò contingere potest, quòd dispositio in Baptismo sit minor, & quòd peccata in eo remittenda sint plura & maiora; sed remissionem totius pœnæ, quæ aliquando nequit tota vi iustificationis remitti, compleri ex opere operato, & ex condonatione Dei, sicut etiam per Sacramentum Pœnitentiæ aliquid pœnæ debitæ remittitur ex opere operato, & ex condonatione Dei, vt dicimus Tractatu de Pœnitentiâ Disp. xiv. Diffic. xi. 1.

### DIFFICULTAS III.

#### Quosnam alios effectus conferat Baptismus.

Conueniunt Doctores, tam paruulis quàm adultis per Baptismum conferri gratiam habitualemente, & virtutes infusas, saltem Theologicas. Et in primis, paruulis gratiam habitualemente conferri, negari non potest: quia ab Eugenio IV. in suo Decreto generaliter definitur, Sacramenta nouæ legis (inter quæ numerat Baptismum) gratiam conferre. Quod etiam definitur in Tridentino sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere. Et specialiter, quòd Baptismus conferat paruulis gratiam, per quam deleatur originale, definitur sess. 5. decreto de Peccato originali; quod etiam constat ex eo, quòd paruuli per Baptismum non minùs redduntur immaculati, quàm adulti, vt constat ex dictis Diffic. I. quod nequit fieri absque gratia iustificante. In paruulis autem nulla alia gratia iustificans excogitari potest, quàm gratia habitualis, & permanens; ergo negari non potest, paruulis per Baptismum gratiam habitualemente conferri.

Eugen. IV.

Trident.

Deinde, adultis gratiam habitualemente per Baptismum conferri, quamvis non sit ita certum ac conferri paruulis, quia adulti sunt capaces gratiæ actualis ex se iustificantis, nempe actus contritionis, & cuiuscumque alius actus charitatis, quo iustificari possunt; dubitandum non est, etiam illis gratiam habitualemente per Baptismum conferri, non solum quando attritione disponuntur, quia tunc nulla alia forma iustificans per Baptismum collata excogitari potest qua iustificentur, quàm gratia habitualis; sed etiam quando disponuntur contritione perfecta, qua possunt formaliter iustificari, quia etiam tunc per Baptismum non conferitur

contritio illa, neque alius actus charitatis, & tamen per Baptismum semper conferitur gratia iustificans non ponentibus obicem.

Gratiæ autem habituali per quodcumque Sacramentum collatæ annexam esse à Deo collationem auxiliorum gratiæ, conducentium ad peculiarem finem illius Sacramenti, ex vi cuius gratia habitualis collata est, ratione cuius dicitur Sacramentalis, dicimus Tract. de Sacramentis in genere, Disp. 111. Difficul. 111. ac proinde gratiæ habituali per Baptismum collatæ annexa est collatio auxiliorum conducentium ad dignè suscipienda reliqua Sacramenta, & ad seruanda præcepta Christi, & ad Christianè viuendum, ad quod Baptismus peculiariter ordinatur.

Et diuersis paruulis per Baptismum æqualem gratiam habitualemente conferri, & etiam per quodcumque aliud Sacramentum, cuius sunt capaces, & non maiorem vni quàm alteri, & diuersis adultis æqualem aut inæqualem conferri pro æqualitate aut inæqualitate dispositionis, & etiam eidem, quando repetit receptionem eiusdem Sacramenti, dicimus eodem Tractatu & Disput. Diffic. v.

Quod verò attinet ad habitus infusus fidei & spei, nondum est definitum per Baptismum infundi & conferri: est tamen traditum, vt probabilius, in Concilio Viennensi sub Clemente V. & refertur in Clementina vnic. de Summa Trinitate & fide Catholica. Quando verò in Tridentino sess. 6. c. 7. dicitur in iustificatione adulti (per Baptismum videlicet facta, de qua ibi est sermo) cum remissione peccatorum hominem accipere simul infusas, fidem, spem, & charitatem. Per fidem & spem non intelligit habitus saltem determinatè, sed intelligit actus, & ad summum actus vel habitus indiscriminatim, quia in adulto, qui iustificatur per Baptismum, est necessarius actus fidei, & etiam actus spei (qui etiam dicuntur à Deo infundi ratione auxilij prærequisiti, quod Deus in nobis sine nobis operatur;) per charitatem verò intelligit aliquid permanens, quod non potest esse nisi qualitas, & non quæcumque nisi habitus; quia in dicta iustificatione non interuenit necessariò actus charitatis. Particula autem *simul* vel *idem* est quod *pariter*, quia omnia illa accipit adultus in iustificatione, vel *idem* est quod *simul tempore*, non quòd in eodem instanti necessariò infundantur, sed in toto eo tempore à quo prima præparatio incipit, quia in eo tempore adultus recipit fidem, spem, & charitatem, & regulariter priùs tempore fidem, deinde spem, & tandem habitum gratiæ & charitatis, vt indicatur in Tridentino eis sequentibus verbis; *Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas.* In quibus verbis, & in multis alijs eiusdem & sequentis capituli, per fidem & spem actus, non habitus denotantur. De quo videndus est Vasquez 1. Vasquez. 2. disp. 203. c. 9.

Conciliū  
Viennense.

Et quod per Baptismum etiam producat character in anima, dicimus dicto Tractatu Disputatione 111. Difficultate xi.

Alij verò effectus falsò tribuuntur Baptismo ab hæreticis, Primò, quòd Baptismo reddantur homines impeccabiles, aut saltem indamnabiles, quamvis peccent, dum ab Ecclesia Catholica non discedant. Secundò, quòd baptizatis non imputetur ad culpam, neque noceat quòd legem Dei transgrediantur. Tertio, quòd baptizati nequeant obligari lege aliqua Ecclesiastica. Quarto, quòd

VOTA



vota à baptizatis emissa sunt irrita, & nullius valoris. Quintò, quòd baptizati solà memorià baptisimi iustificentur. De quibus contra hæreticos videndus est Vasquez disp. 156. c. 6.

Vasquez.

## DIFFICULTAS IV.

*An ad effectum Baptisimi percipiendum requiratur aliqua contritio peccatorum.*

**N**omine contritionis intelligimus displicentiam & detestationem peccati, prout abstractit sub disunctione à displicentia pura, quæ non est formaliter dolor, sed radix illius; & à displicentia dolorosa dicitur ex dicta pura displicentia. Intelligimus autem vnam vel alteram sub disunctione, quia ad effectum Baptisimi eodem modo sufficit aut non sufficit vna & altera; & vtraque potest appellari dolor, quia posterior est dolor formaliter, & prior est dolor radicaliter, & in vniuersis ad displicentiam puram regulariter sequitur displicentia dolorosa.

Hoc ergo supposito, difficultas hæc tantum procedit de contritione requisita ad gratiam iustificantem percipiendam, quia ad recipiendum characterem certum est nihil aliud requiri, quam id quod requiritur ad valorem Baptisimi, quia qui valide baptizatur, eo ipso insignitur characterem baptismali: & solum procedit de contritione requisita ad gratiam iustificantem in adultis, qui sunt, aut aliquando fuerunt sui compotes; quia in paruulis, & in amentibus, qui numquam fuerunt sui compotes, nulla fuit requisita à Christo dispositio, utpote incapacibus illius: & procedit de adultis, in quibus non tantum est peccatum originale, sed etiam actuale mortale, quia in eis, in quibus est originale absque actuali mortali (vt contingere potest) ad iustificationem ab originali per Baptisimum suscipiendam nulla requiritur contritio, & nulla retractatio, sicut neque propria voluntate peccarunt; quamuis ad id requiratur in illis fides, sine qua impossibile est adultos placere Deo. Quò spectat illud Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* & in eis etiam requiratur spes, quia confidant virtute Baptisimi sibi remittenda esse peccata à Deo, vt significatur in Tridentino sess. 6. c. 7. sicut etiam requiritur ad iustificationem medio Sacramento Pœnitentiæ.

Est ergo difficultas, An in adultis, qui mortaliter peccarunt, ad recipiendam per Baptisimum gratiam iustificantem, requiratur aliqua contritio & pœnitentia peccatorum actualium mortalium.

Caietan.

Caietanus q. 86. art. 2. ad 1. docet, ad id etiam in dictis adultis non requiri formalem aliquam & expressam contritionem peccatorum mortalium, sed sufficere voluntatem suscipiendi Baptisimum (quæ in adultis etiam non habentibus peccatum actuale requisita est ad valorem Baptisimi, non tamquam pars essentialis, sed tamquam quid præuium) quod probabile censet Ledesma 1. p. quarti, q. 10. art. 9. dub. 1. quia voluntas suscipiendi Baptisimum est virtualis quædam contritio & pœnitentia peccatorum, quia Baptisimus suscipitur ad remissionem & destructionem peccatorum; ad id autem sufficiens videtur dicta contritio & pœnitentia virtualis. Quod etiam probabile existimat

Ledesma.

Ægidius q. 62. artic. 1. n. 36. de voluntate suscipiendi Baptisimum orta ex actu spei.

Vasquez verò d. 158. c. 3. Suarez d. 28. sect. 1. & communiter Doctores docent, ad percipiendam gratiam iustificantem per Baptisimum in adulto, qui peccauit mortaliter, requisitam esse formalem & expressam contritionem peccatorum. Quod definitum videtur à Tridentino sess. 6. c. 6. dum ait, ante Baptisimum necessariam esse pœnitentiam, quæ est motio aduersus peccata per odium & detestationem. vbi absque dubio sermo est de pœnitentia, odio & detestatione formali, vt verba ipsa præferunt. Quod expressisse videtur Paulus Actorum 2. illis verbis: *Pœnitentini, & baptizetur unusquisque vestrum.* quibus verbis Paulus plus exigebat, quam voluntatem suscipiendi Baptisimum, quia hanc sufficienter exigebat verbis illis, *baptizetur unusquisque vestrum.*

In eo tamen qui tantum peccauit venialiter, (vt etiam contingere potest) nõ est necessaria contritio ad percipiendam gratiam iustificantem per Baptisimum, etiamsi ad iustificationem ab eo veniali requiratur contritio illius, quia nullum peccatum actuale remittitur in Sacramento aliquo absque præuia contritione & detestatione.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum ad gratiam iustificantem per Baptisimum percipiendam in eo qui peccauit mortaliter, sufficiat contritio imperfecta.*

**G**abriel in 4. dist. 4. q. 2. artic. 2. & Petrus Sotus de Institutione Sacerdotum lect. 4. de Baptismo §. *Ultimo tandem*, docent, ad percipiendam gratiam iustificantem in eo qui peccauit mortaliter, necessariam esse contritionem perfectam. Quod tradere videtur Tridentinum sess. 6. cap. 6. dum ait, ante Baptisimum necessariam esse pœnitentiam seu detestationem peccatorum, & significat eam oriri ex dilectione Dei, vt constat ex verbis antecedentibus; pœnitentia autem & contritio peccatorum ob dilectionem Dei est contritio perfecta. Et ratione probari potest, quia homo per peccatum mortale auertitur à Deo ultimo fine, & conuertitur ad peccatum, & ad obiectum peccati, ergo vt iustificetur, & mundetur ab illo, adhuc per Baptisimum necessaria est contritio, qua auertatur ab illo, & conuertatur ad Deum; sed sola contritione perfecta auertitur homo à peccato, & conuertitur ad Deum, ergo ad iustificationem ab illo percipiendam per Baptisimum necessaria est contritio perfecta.

Vasquez verò d. 158. c. 3. & 4. Suarez d. 28. sect. 2. Ægidius q. 62. art. 1. dub. 2. & communiter Doctores docent, ad percipiendam gratiam iustificantem per Baptisimum in eo qui peccauit mortaliter, non esse necessariam contritionem perfectam, sed sufficere imperfectam (quæ dicitur attritio) & meritò: quia remissio peccatorum, etiam actualium, est effectus Baptisimi, vt definit Eugenius IV. in suo Decreto §. *Primum omnium*. & habetur Actorum 2. dum dicitur: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, & c. 2. dum dicitur: *Baptizare, & ablue peccata tua.* vbi nomine peccatorum, & nomine peccata tua, etiam signifi-

Ægidius.

Vasquez. Suarez.

Trident.

Gabriel. Sotus.

Trident.

Eug. IV.



significantur actualia, quia originale vniuscuiusque tantum est vnum; ergo ad remissionem peccatorum etiam actualium, & ad gratiam ab illis iustificandam per Baptismum, non requiritur contritio perfecta, quia per hanc ante Baptismum præsupponeretur collata gratia iustificans, & facta remissio peccatorum, quia contritio perfecta sufficiens est ad remissionem peccatorum, vel tamquam forma, vel tamquam dispositio proxima & infallibilis.

In Tridentino autem cap. illo 6. vbi sermo est de pœnitentia & detestatione prærequisita ad Baptismum, nomine pœnitentiæ & detestationis non intelligitur perfecta cōtritio, sed attritio, vt ostendit Vasquez 1. 2. disp. 20 3. c. 9. Neque obstat, sermonem esse de pœnitentia orta ex dilectione Dei; quia tantum est sermo de pœnitentia orta ex dilectione concupiscentiæ, qua peccator incipit sibi concupiscere Deum, vt principium & fontem iustitiæ, & sanctitatis, & remissionis peccatorum; ex qua regulariter tantum oriri potest contritio imperfecta, imò hæc quamuis regulariter oriatur ex dicta dilectione, tamen non exigit ex illa oriri.

Ad rationem verò respondemus, quòd quamuis ad iustificationem extra Sacramentum adhuc à peccato originali, sit necessaria perfecta conuersio in Deum, quia extra Sacramentum nullum aliud est medium ordinarium iustificationis, non tamen est necessaria ad iustificationem faciendam per Baptismum, quia Baptismus ex Christi institutione supplet defectum illius ex eo ipso, quòd institutus est in remissionem peccatorum.

Ita tamen sufficit contritio imperfecta, seu attritio, ad iustificationem per Baptismum, vt non sit necessarium, quòd virtute Baptismi excitetur contritio perfecta, per quam fiat iustificatio, quia semper per Baptismum, præsupposita fide, & spe, & attritione, fit iustificatio, & tamen non semper excitatur contritio perfecta, vt experientia constat. Et sanè ex opposito fieret, moribundum, quamuis petierit Baptismum, & fuerit attritus, credens & sperans, si in amentiam incidat, superflue & absque fructu gratiæ (ac proinde illicitè) baptizari, quia in eo excitari nequit contritio perfecta.

#### DIFFICULTAS VI.

*Vtrum attritio ad gratiam in adulto qui peccauit mortaliter, sufficiens debeat esse existimata contritio, & non sufficiat attritio scita.*

Nauarrus.  
Corduba.

**N**Auarrus c. 1. n. 39. Corduba lib. 1. q. 2. partem affirmatiuam tuentur, quia ex vna parte Tridentinum sess. 6. c. 6. & non pauci Patres ad gratiam & remissionem peccatorum ab adultis percipiendam per Baptismum videntur requirere dolorem de peccatis, ortum ex dilectione Dei; & ex altera parte Baptismus vi sua aliquando abluit peccata actualia, quòd fieri non potest, si contritio prærequiratur, quia per hanc supponitur abluta; ergo vt minimùm prærequiritur attritio, quæ existimetur contritio.

Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

Vasquez verò disp. 158. cap. 4. Suarez dist. 28. sect. 2. Ægidius q. 62. art. 1. dub. 2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia dicta existimatio non est dispositio adhuc

partialis ad gratiam percipiendam, quia est error quidam, ac proinde indecens, vt à Christo institueretur in dispositionem ad gratiam; neque attritioni, quæ est sufficiens dispositio, aliquid boni positui affert, quo attritio perficiatur, cum sit error: neque est necessaria, vt excuset baptizandum à peccato aliquo, quòd committeret non accedendo ad Baptismum cum contritione perfecta, quasi ex præcepto religionis teneatur accedere in statu gratiæ, quia verè nullum est præceptum sic accedendi, quia non est præceptum aliquod posituum, quia de eo non constat, neque est præceptum aliquod naturale; quia si aliquid, maximè naturale diuinum ortum ex natura Baptismi, supposita eius institutione, vt quis dignè ad illum accedat: sed non est tale præceptum, quia Baptismus institutus est pro spiritualiter mortuis, ac proinde ad illum non accedit indignè, qui accedit scienter mortuus & peccator, si aliàs accedit cum dispositione sufficiente ad effectum illius; infirmus enim, quamuis sciat esse infirmus, prudenter accedit ad medicinam, si aliàs accedit cum dispositione sufficiente ad effectum medicinæ. Et sanè si existimatio illa tantum deseruieret vt baptizandus excusaretur à peccato contra præceptum aliquod contritionis, quòd esset accedendi cum illa, verè non esset necessaria, quia ad eam excusationem sufficeret ignorantia aut inconsideratio inuincibilis talis præcepti.

Ad rationem ergo aduersariorum constat ex dictis Diffic. v. Tridentinum (& idem est de Patribus) ad gratiam Baptismi non prærequirere dolorem ortum ex amore amicitiae Dei, sed tantum dolorem, qui regulariter oritur ex amore concupiscentiæ Dei, vt fontis iustitiæ, qui potest esse attritio.

#### DIFFICULTAS VII.

*Quæ & qualis attritio sufficiat ad gratiam Baptismi in adulto qui peccauit mortaliter.*

**C**IRCA naturam & qualitatem attritionis sufficientis, & vt minimùm prærequisitæ ad gratiam remissionem peccatorum in adulto qui peccauit mortaliter, percipiendam per Baptismum, dicendum est, eam attritionem, & talem sufficere, & vt minimùm prærequiri, quam & qualem dicimus sufficere & prærequiri ad gratiam remissionem peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ percipiendam, quia eadem & similis absque dubio sufficit & prærequiritur ad gratiam remissionem peccatorum per vtrumque Sacramentum percipiendam.

Iuxta ea ergo, quæ dicemus Tractatu de Pœnitentia Disp. vi. circa naturam & qualitatem attritionis ad gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ percipiendam sufficientis, & vt minimùm prærequisitæ, dicendum est, ad gratiam remissionem peccatorum per Baptismum in adulto qui peccauit mortaliter, requiri attritionem & dolorem de peccatis, & non sufficere attritionem & dolorem de carentia & defectu doloris, & requiri attritionem & dolorem de omnibus mortalibus factis ante Baptismum nondum remissis per contritionem, aut per alium actum charitatis, siue expressè de omnibus, siue ex motiuo cōprehendente omnia illa. Et quâuis ad



ad dictum effectum sufficiat attritio concepta ex motiuo & malo aeterno (id est pertinente ad alteram vitam) vt ex turpitudine & malitia peccatorum, & ex pœna alterius vitæ, non tamen esse necessarium concipi ex tali motiuo, sed sufficere concipi ex motiuo & malo temporali, tamen vt respiciente Deum vt inflictorem illius mali, vt ex motiuo infamiæ, vel ex motiuo nocuenti salutis: quia attritio ex motiuo mali, vt sic, verè est ob pœnam diuinam, quæ tantum potest esse motiuum ad dolendum de peccato, & non de bono opere, & est potens excludere affectum peccandi, quia Deus eo malo punit peccatum, & non opus bonum: & prærequiri attritionem ita perfectam, & firmam de peccatis, vt excludat voluntatem peccandi similia peccata, imò includat implicitè propositum non committendi similia peccata, quod propositum absque expresso sufficit, etiam si peccata memoriæ occurrant, quamuis quando occurrunt memoriæ, & attritio est firma & perfecta de peccatis præteritis, vix possit attritus contineri ab expresso proposito non committendi similia peccata. Et quamuis requisita sit attritio ex auxilio gratiæ procedens, non tamen requiritur attritio supernaturalis quoad substantiam.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum Baptismus fictè susceptus, postea, recedente fictione, conferat suum effectum gratiæ.*

**D**ifficultas hæc procedit de fictione opposita, non valori Baptismi, sed effectui gratiæ iustificantis, vt contingit quando quis voluntariè baptizatur, sed absque dispositione sufficiente ad gratiam Baptismi percipiendam.

Conueniunt ergo Doctores, Baptismum sic fictè susceptum, ob quod quando suscipitur, non confert gratiam iustificantem, postea ablata seu recedente fictione illa, valere ad salutem animæ, & remissionem peccatorum. Quod expressit Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. c. 5. dum docet, Baptismum in hæresi aut schismate susceptum, tunc incipere valere & prodesse ad remissionem peccatorum, & tunc operari salutem, quando fictè baptizatus postea corrigitur, & conuertitur ab ea peruersitate & separatione, & tunc sub Baptismo antea fictè suscepto dimitti peccata.

August.

Io. Medina.  
Io. Andr.

Ioannes ergo Medina Cod. de Confessione, quæst. de Confessione ficta iteranda, & Ioannes Andreas in Can. *Tunc valere*, de Consecratione, dist. 4. dum dicunt, remissionem peccatorum, quæ post Baptismum fictè susceptum fit, recedente fictione non fieri Baptismo ipso, sed contritione qua recedit fictio, ita vt nihil peculiare tribuant Baptismo antea fictè suscepto, manifestè aduersantur Augustino, quem omnes alij Doctores secuti sunt.

Scotus.  
Gabriel.  
Vasquez.

Ex Doctoribus ergo, qui doctrinam Augustini sic vniuersè traditam amplectuntur & interpretantur, Scotus in 4. dist. 4. q. 5. & Gabriel q. 1. art. 3. du. 2. (quibus consentit Vasquez d. 159. c. 4.) docent, Baptismum fictè susceptum postea recedente fictione, valere ex opere operato ad remissionem totius pœnæ restantis post remissionem culpæ commissæ ante Baptismum factam per con-

tritionem, aut per Sacramentum Pœnitentiæ, quibus recedit fictio, non verò ad remissionem culpæ, quia hæc iam præsupponitur remissa contritione, aut Sacramento Pœnitentiæ, quibus aufertur fictio.

Verùm Augustinus, quem dicti Doctores sequi intendunt, absque dubio etiam concedit Baptismo antea fictè suscepto remissionem culpæ, quia locis supra citatis satis significat, Baptismum post ablationem fictionis valere ad remissionem peccatorum, ad quam ob fictionem non valuit, ad quam valeret si fictè non reciperetur; si autem fictè non reciperetur, etiam valeret ad remissionem culpæ. Et id expressit Augustinus lib. 3. cap. illo 13. dum ait, Baptismum in hæresi aut in schismate susceptum, postea ita valere ad dimittenda peccata, vt idem ipse, qui propter discordiam (id est propter hæresim aut schisma) operabatur mortem, propter pacem (id est propter conuersionem à schismate aut hæresi) intus operatur salutem: vbi Augustinus morti opponit salutem; ac proinde sicut per mortem intelligit culpam, per salutem intelligit remissionem illius.

Augustin.

Addit tamen Vasquez, Baptismum fictè susceptum postea valere, & prodesse ad salutem & remissionem culpæ, non ex opere operato, sed alio modo; & non ipsum solum, sed ipsum cum Sacramento Pœnitentiæ, vel cum contritione (quibus recedit fictio) quamuis diuerso modo: quia cum Sacramento Pœnitentiæ prodest, quia per Baptismum, quamuis fictè receptum, baptizatus factus fuit capax Sacramenti Pœnitentiæ, quo postea recepto omnia peccata remittuntur; cum contritione verò, per quam post Baptismum sic receptum elicita etiam remittuntur peccata, prodest ad eorum remissionem, quia contritio ex eo quod Baptismus fuerit iam receptus validè, quamuis fictè remittit peccata illa, absque eo quod includat votum Baptismi, quia iam non includit illud.

Vasquez.

Doctrina tamen hæc quam Vasquez addit, non est ad mentem Augustini: quia Augustinus absque dubio plus tribuit Baptismo fictè recepto quoad remissionem culpæ, dum de Baptismo sic recepto ait prius operari mortem, & postea operari salutem, & post ablationem fictionis incipere valere ad remissionem peccatorum, ad quam non valuit ob fictionem. Vbi absque dubio ipsi Baptismo immediatè & ratione sui tribuit remissionem peccatorum etiam quoad culpam, sicut illam efficeret in principio, si non fuisset fictè susceptus. Et sanè ridiculum videtur, prædictis verbis tantum voluisse, Baptismum, quando contritione aufertur fictio, valere ad remissionem peccatorum, quia contritio, per quam remittuntur, non contineat votum illius, quia contritio ex eo quod non includat votum Baptismi, quia iam est validè susceptus, non fit magis remissiuæ, sed eodem modo est efficax ad id, ac si includeret votum Baptismi, & iste non esset susceptus; ergo Baptismus ex eo nihil valet ad id media contritione, quia ipsam in nihilo iuuat ad id.

S. Thomas verò, & Caietanus qu. 69. art. 10. Suarez d. 28. sect. 4. Egidius q. 62. art. 1. dub. 5. & communiter Doctores docent, Baptismum fictè susceptum, postea recedente seu ablata fictione, reuiuiscere quoad suum effectum gratiæ, id est, tribuere ex opere operato gratiam iustificantem, &



*Augustin.*

remissiuam peccatorum quoad culpam & pœnam, quam tribueret quando suscipitur, si fide non susciperetur. Quod adque dubio voluit & docuit Augustinus, vt constat ex dictis testimonijs, quæ optimè expendit Egidius.

Qua autem ratione Augustinus ductus fuerit ad id affirmandum, non satis constat: ad id tamen non deficit cōgruentia & multo maior quam pro reliquis Sacramentis fide & validè receptis, quia videlicet Baptismus ex vna parte est medium necessarium ad iustificationem ab originali, & ab alijs mortalibus actualibus ante Baptismum commissis, & ex altera parte iterari non potest. Ex eo autem, quod dicta peccata possint contritione per se deleri, aut Sacramento Pœnitentiæ per accidens, tantum deducitur, dictam congruentiam non esse rationem Metaphysicè efficacem, non tamen, non esse maximè congruentem: præsertim quod si Baptismus fide susceptus, postea recedente fide non operaretur suam gratiam iustificantem, qui fide baptizaretur, priuaretur in æternum gratia Sacramentali Baptismi, quæ supra ipsam vt iustificantem addit annexionem auxiliorum ad finem Baptismi proportionatorum.

Quod autem Baptismus post ipsum fide susceptum non existat, sed transferit, non obstat, vt possit suam gratiam Sacramentalem conferre, quia non est necessarium quod illam conferat, vt instrumentum physicum; sed sufficit vt morale, ad quod necessaria non est actualis existentia illius, imò etiam quando actu existit, illam tantum confert vt instrumentum morale, vt generaliter de omnibus Sacramentis dicimus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione 111. Difficultate 11.

Et quamuis remissio venialium non sit necessaria ad salutem, nihilominus, supposito quod Baptismus reuiuiscit quoad remissionem mortaliū, etiam reuiuiscit quoad remissionem venialium, sicut hanc in principio conferret, quia etiam ad eam institutus est, quamuis ea non sit ad salutem necessaria.

## DIFFICULTAS IX.

*Quid requiratur, vt Baptismus fide susceptus reuiuiscat, & gratiam iustificantem conferat.*

**C**onueniunt Doctores, quod, vt Baptismus fide susceptus fide non valori sed gratiæ opposita (id est absque dispositione sufficiente ad gratiam iustificationis) postea reuiuiscat, & illam conferat ei qui post Baptismum sic receptum commisit peccatum mortale, iam subiectum clauibus Ecclesiæ (quale est peccatum post Baptismum omnino commissum, aut saltem completum & perfectum post Baptismum, quamuis antea inceptum; quale est peccatum indignæ susceptionis Baptismi, quia malitia huius peccati post Baptismum completur, cum supponat prius naturam ipsam susceptionem Baptismi) non sufficiat attritio, sed necessaria sit contritio, aut Sacramentum Pœnitentiæ: quia dictum peccatum, tam omnino commissum, quam completum post Baptismum, non est obnoxium Baptismo, sed Sacramento Pœnitentiæ, vt pote peccatum personæ iam baptizate; ergo non remittitur absque Sacramen-

to Pœnitentiæ in re suscepto, aut absque voto illius in contritione incluso. Sed nullum peccatum graue adhuc originale remittitur, non remisso quocumque alio graui existenti, quia gratia, per quam peccatum aliquod graue remittitur, quodcumque illud sit, est impossibilis cum quocumque peccato graui; ergo Baptismus in casu dicto nequit suam gratiam iustificantem à peccatis ante perfectum Baptismum contractis tribuere absque Sacramento Pœnitentiæ, aut absque perfecta contritione, qua aut quo dictum illud peccatum remittatur: aliàs absque contritione & absque Sacramento Pœnitentiæ remitteret illud peccatum dictum Sacramento Pœnitentiæ obnoxium.

Quod si respondeas, in casu dicto Baptismum fide receptum remittere per accidens & indirectè peccatum illud Sacramento Pœnitentiæ obnoxium, tribuendo per se & directè gratiam iustificantem à peccatis ante Baptismum contractis, qua etiam per accidens remittitur quodcumque peccatum existens in baptizato, sicut etiam Sacramentum Pœnitentiæ per accidens & indirectè remittit peccata oblita; Contra respensionem tamen est manifestum discrimen: quia quod Sacramentum Pœnitentiæ ex Christi institutione remittat peccata mortalia, non solum confessà, sed etiam oblita, est maximè conueniens, quia peccatorum obliuio nequit fieri confessio, & non erat expediens, quod dicta obliuio impediret remissionem expressorum in confessione, & quia vnum mortale nequit remitti sine alio, idèò Christus satis conuenienter instituit, vt etiam quando est dicta obliuio peccatorum, Sacramentum Pœnitentiæ conferat gratiam, qua etiam peccata mortalia oblita remittantur. Ad hoc autem quod Baptismus fide susceptus remittat peccata obnoxia Sacramento Pœnitentiæ adhuc per accidens dicto modo, nulla magna conuenientia cogit, cum illa possint facillè remitti Sacramento ipso Pœnitentiæ, cui sunt obnoxia.

Est tamen difficultas, An quando quis fide absque sufficiente dispositione suscepit Baptismum, & neque in ipsa susceptione peccauit mortaliter, quia bona fide illum suscepit, quia bona fide absque scrupulo credidit, aut se esse sufficienter dispositum, aut nullam dispositionem esse necessariam ad dignam susceptionem Baptismi, & neque post ipsum susceptum aliud mortale commisit, an scilicet tunc vt Baptismus postea reuiuiscat, & conferat gratiam iustificantem, necessaria sit contritio perfecta, an sufficiat attritio, quæ sufficeret in principio, quando actu suscipiebatur.

Valquez disp. 160. cap. 2. docet, tunc non sufficere attritionem, sed necessariam esse contritionem: quia quod Baptismus fide susceptus postea reuiuiscat quoad suam gratiam, magis nititur auctoritate Augustini, & antiquorum Scholasticorum qui eum secuti fuerunt, quam ratione aliqua. Augustinus autem, & antiqui Scholastici nunquam dixerunt, id habere Baptismum ratione attritionis, sed aut ratione contritionis, aut ratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Suarez verò disp. 28. sect. 5. Henriquez lib. 1. de Baptismo, cap. 4. & Egidius quest. 62. art. 1. dub. 6. docent, tunc sufficere attritionem, & meritò: quia attritio sufficeret in principio, quando Baptismus suscipiebatur; ergo etiam sufficit postea. Pater consequentia, quia Baptismus retinet suam

*Valquez.**Suarez.  
Henriq.  
Egidius.*



suam vim antiquam, & post susceptionem illius nullum nouum impedimentum appositum est. Et confirmatur, quia tunc sola attritione recedit fictio, quæ solùm fuit defectus attritionis; ergo tunc sufficit attritio. Patet consequentia, quia vt Baptismus reuiuifcat quoad suam gratiam, sufficit quòd recedat fictio. Et quamuis Augustinus & antiquiores Scholastici non expresserint ad id in casu dicto sufficere attritionem, quia casus rarus est, deducitur tamen ex his quæ ipsi dicunt, nempe quòd Baptismus fictè susceptus; postea vi sua, quam retinet, operatur salutem, & remittit peccata, qua etiam remittit peccata ante Baptismum perfectum contracta, etiam quando post Baptismum committitur aut perficitur peccatum mortale, quod regulariter contingit; tunc tamen non sufficit attritio, sed necessaria est contritio, aut Sacramentum Pœnitentiæ. Et in hoc casu, quia regulariter contingit, loquuntur Augustinus & antiqui Scholastici, quando significant necessariam esse contritionem, aut Sacramentum Pœnitentiæ, vt Baptismus fictè susceptus postea reuiuifcat quoad dictum effectum.

Ex dictis constat, ad remissionem peccatorum actualium ante Baptismum contractorum, & idè faciendam per Baptismum, sufficere attritionem eorum, etiam si, quando sunt alia peccata mortalia commissa post Baptismum, quæ eo ipso sunt obnoxia Sacramento Pœnitentiæ, egeat Baptismus vt peccata sibi obnoxia remittat, iuuari à Sacramento Pœnitentiæ, aut à contritione, vt peccata ipsi Sacramento Pœnitentiæ obnoxia remittantur, quod Baptismus sua vi non potest adhuc per accidens, quia vis illius ad remittenda sibi obnoxia, impedita est peccatis mortalibus obnoxijis Sacramento Pœnitentiæ, nisi simul adsit ipsum Sacramentum Pœnitentiæ, aut contritio, qua aut quo remittantur: sicut neque Sacramentum Pœnitentiæ potest absque Baptismo fictè recepto remittente peccata ante Baptismum perfectum contracta, remittere per accidens peccata post Baptismum commissa.

Vnde quando etiam sunt peccata mortalia Sacramento Pœnitentiæ obnoxia, & hæc remittuntur per illud, tunc Baptismus & pœnitentia simul omnino concurrunt ad productionem gratiæ iustificantis ab omnibus peccatis vtrique obnoxijis, quia effectus gratiæ & remissionis peccatorum prouenit ab vtroque mutuo se comitanter adiuuante; & maior ab vtroque quàm à quolibet per se proueniret, quia à quolibet prouenit tanta gratia, quanta proueniret si seorsim applicaretur; quia vis, quam quodlibet habet conferendi tantam gratiam, non impeditur ab altero ob concursum illius, quamuis tunc omnes gradus gratiæ respondeant vtrique, tamquam vni causæ totali morali, & cuiuslibet tamquam partiali. Produciuntur autem ab vtroque eo ipso, quòd posita attritione, quæ vtrique deseruit vt dispositio ad gratiam, perficitur Sacramentum Pœnitentiæ, & non prius adhuc natura à Sacramento Pœnitentiæ; quia Baptismus, vt peccata sibi obnoxia remittat, non est necessarium, quòd præsupponat remissionem factam à Sacramento Pœnitentiæ (sicut neque e contra) sed sufficit, vt præsupponatur attritio conduciens, vt dispositio, per quam aufertur fictio priuatiua, cum qua fuit susceptus, & ablatio siue cessatio peccati mortalis in heri, id est, quòd quis

non peccet mortaliter, quia tam carentia attritionis, quàm ipsum peccare mortaliter, resistunt Baptismo, & quodlibet sufficenter, vt producat suam gratiam.

Et eodem modo, quando peccata obnoxia Sacramento Pœnitentiæ remittuntur per contritionem, remissio peccatorum, quæ sunt obnoxia Baptismo, etiam fit à Baptismo, & non prius adhuc naturà à contritione: quamuis admittamus, contritionem esse de facto formam remittentem peccata; & quamuis admittamus, ante contritionem præsupponi gratiam habitualement in priori naturæ, & in genere causæ efficientis, vt sit principium efficiens contritionem: quia tunc remissio facta à contritione, & à gratia habituali præsupposita, non est necessaria, nec conducit, vt Baptismus conferat gratiam, & remittat peccata; sed tantum conducit ipsa contritio, vt dispositio ad gratiam iustificantem Baptismi, & non vt forma sanctificans, & remittens peccata: nec hoc modo gratia habitualis, quæ est principium contritionis; quia iustificatio & remissio, facta mediâ contritione, & mediâ hac gratiâ habituali, non conducit ad iustificationem & remissionem factam post Baptismum, quia fit simul ab his & à gratia per Baptismum collata, quæ in hoc casu distincta est ab ea quæ correspondet contritioni, non vt dispositioni ad gratiam Baptismi, sed vt fini, & effectui efficiendo per gratiam habitualement: quia quæ sic respondet contritioni, est causa efficiens. Et in hoc genere causæ, prior est gratia habituali collata per Baptismum, quia gratia altera habitualis est causa efficiens phyfica contritionis, & contritio est dispositio excitans Deum in genere causæ efficientis moralis simul cum Baptismo ad conferendam gratiam habitualement, ac proinde de primo ad vltimum gratia correspondens contritioni vt effectui est causa efficiens gratiæ Baptismatis, & consequenter distincta ab ea quoad gradum. Nihilominus remissio per Baptismum facta non est posterior remissione facta per contritionem & eius gratiam, imò nec sanctificatio; tum quia contritio & eius gratia non remittunt nec sanctificant in eo genere causæ, in quo sunt priores gratiâ Baptismi, nempe in genere causæ efficientis, sed tantum in genere causæ formalis: tum etiam, quia quamuis in eo genere sanctificarent & remitterent, sanctificatio tamen & remissio ab eis proueniens non esset prior sanctificatione & remissione proueniente à gratia baptismali, quia non conduceret ad sanctificationem & remissionem à gratia baptismali prouenientem, quamuis ipsa contritio & eius gratia sint priores dicta sanctificatione & remissione baptismali, quia sunt causa mediata efficiens gratiæ baptismalis, à qua prouenit dicta sanctificatio & remissio.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum Baptismus reuiuifcens maiorem gratiam sibi respondentem tribuat magis attrito, aut magis contrito, aut melius disposito.*

Suarez disp. 28. sect. 4. & Ægidius dub. 6. docent, Baptismum semel impeditum postea reuiuifcentem, conferre minimam gratiam quam



conferre potest, tantam videlicet quantam confert infantibus, quia attritio aut contritio per quam postea auferitur obex seu fictio, non disponit posituè ad susceptionem Baptismi, quia est post ipsum, sed tantum est remouens impedimentum seu obicem, ex quo non crescit effectus, quia ex illo non crescit efficacia causa, nec capacitas subiecti.

*Ochagauia* Ochagauia verò q. 24. docet, Baptismum postea reuiuiscens maiorem aut minorem gratiam conferre, iuxta mensuram attritionis aut contritionis per quam auferitur obex, ac proinde semper tribuere maiorem minimam: quod docet etiam *Vasquez*, d. 159. ex suppositione, quod Baptismus reuiuiscat ad talem effectum gratia, & merito: quia tunc attritio aut contritio verè est dispositio posituè disponens ad id ad quod etiam est dispositio, quando actu suscipitur Baptismus; ergo iuxta mensuram illius confertur maior aut minor gratia. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, Primò, quia dispositio in physicis non est vt causa applicetur passio, sed vt effectus producat

aut recipiatur in subiecto; ergo quamuis tunc contritio aut attritio nequeant disponere ad susceptionem Baptismi, seu ad applicationem illius ad baptizatum, non inconuenit, quia dispositio non est utilis ad id, sed tantum ad effectum gratia, ad quem optimè possunt disponere, & disponunt. Secundò, quia aliàs Baptismus sic reuiuiscens remitteret peccata actualia absque dispositione aliqua; vnde attritio tunc non est tam remouens impedimentum & obicem, quam fictionem priuatiuam, seu defectum dispositionis necessariam, & non aliter quam disponendo posituè: & contritio eodem modo se habet, & non aliter, quando non sunt peccata actualia mortalia post Baptismum commissa; & quando sunt, non solum se habet vt dispositio remouens fictionem priuatiuam, sed etiam est remouens obicem & impedimentum positiuum, quo impeditus erat Baptismus ad remittenda peccata sibi obnoxia, ex defectu contritionis ad remittenda peccata Sacramento Pœnitentiæ obnoxia, absque adiutorio comitante Sacramenti Pœnitentiæ aut contritionis.

## D I S P U T A T I O V.

### De cærimonijs seu ritibus Baptismi.

#### D I F F I C V L T A S I.

*Utrum cærimonia, quibus Baptismus solemnis celebratur, sint conuenientes & laudabiles.*

**H**ÆRETICI nostri temporis irrident cærimonias, quæ Baptismo solemniter ab Ecclesia adhiberi solent, & damnant tamquam vanas, quia non sunt sacræ Scripturæ præscriptæ, non attendentes, eas ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine & traditione adhiberi.

Nihilominus Catholici conueniunt, dictas cærimonias esse conuenientes, & laudabiliter obseruari, tum, quia seruiunt ad maiorem solemnitatem & splendorem Baptismi, ne vilis à rudioribus habeatur, & contemnatur; tum etiam, quia eis aliquid fructuosè significatur. De qua re contra hæreticos legendi sunt Bellarminus lib. 1. de Baptismo, c. 24. & Waldensis de Sacramentis c. 45.

*Bellarmin. Waldens.*

Quòd autem dictæ cærimoniæ non sint in Scriptura præscriptæ, non sufficit vt non obseruentur laudabiliter, quia ad hoc sufficit Ecclesiæ institutio ob conuenientem significationem earum, aut ob alium honestum finem; quia Ecclesiæ non deest auctoritas ad aliquid noui addendum, quod, saluam essentiam Baptismi, expediens iudicauerit.

#### D I F F I C V L T A S II.

*Quæ cærimoniæ adhibendæ sint in Baptismo solemniter.*

**P**rimò, circa tempus, quod non tam cærimonia quam circumstantia est, nullum est nunc pro Baptismo solemniter determinatè præscriptum,

quamuis olim Sabbato tantum Resurrectionis & Pentecostes solemniter administraretur adultis.

Secundò, circa locum in quo Baptismus solemniter adhibendus est, qui non tam cærimonia quam circumstantia est, quamuis olim essent loca ad id peculiariter deputata, & ab Ecclesijs separata, quæ *Baptisteria* dicebantur; iam tamen in singulis Parochijs Baptismus solemniter confertur in loco quodam determinato, in quo vas lapideum ad id consecratum est, in quo adest aqua ad Baptismum præparata, extra quod ex *Clementis V. præscripto* in Clement. vnica, de Baptismo & eius effectu, non est licitum Baptismum solemniter ministrare, nisi filijs Regum & Principum, aut in casu necessitatis, in quo infans nequeat absque periculo ad Ecclesiam deferri. Per Principes autem Glossa intelligit supremos Regiam iurisdictionem habentes.

*Clem. V.*

Tertiò, aqua naturalis, quæ necessaria est ad valorem Baptismi, debet esse benedicta peculiaribus inuocationibus, & consecratione, trina Chriſmatis perfusione, vt habetur in Rituali, non necessitate Sacramenti, sed tantum præcepti Ecclesiastici, orta ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine.

Quartò, adhibendus est Patrinus. Quintò, in Baptismo nomen imponitur baptizandis. Sextò, fit abrenuntiatio satanæ. Septimò, fit professio fidei, seu publica recitatio Symboli. Octauò, imprimitur signum Crucis fronti & pectori baptizandi. Nonò, fit exorcismus seu abiuratio demonis, & trina exufflatio annexa ipsi exorcismo. Decimò, fit appositio salis exorcizati in ore baptizandi. Vndecimò, aures & nares baptizandi ter saluam tinguntur. Duodecimò, fit impositio manus Sacerdotis super caput baptizandi, & benedictio. Decimotertiò, fit Vnctio, qua baptizandus oleo benedicto vngitur in pectore & in scapulis. Decimoquartò, fit vinctio, qua iam baptizatus vngitur

gitur



gitur Chrismate in vertice. Decimo quintò, postquam iam baptizatus vnctus est Chrismate in vertice, caput illius cooperitur veste candida. Decimo sextò, iam baptizato vncto, & candida veste cooperto, conceditur cereus accensus in signum luminis fidei & gratiæ acceptæ.

Hæ sunt cærimonie quibus nunc vitur Ecclesia, ordine tamen in Rituali præscripto, & quibus ab initio vta est, quamvis nonnullæ sint aliquantulum mutatae, de quibus, & de earum convenientia, fructu, significatione, & antiquitate, videndi sunt Vasquez, Suarez, & Ægidius quæst. 71.

Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

# TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

## DIFFICULTAS PRIMA.

### Quid sit Confirmatio.



**V** à nomine exordiamur, Sacramentum Confirmationis variè à Patribus & Doctoribus appellatur. Primò dicitur *manuum impositio*, à cærimonia qua Apostoli Actorum 8. & 19. illud aut eius effectum conferebant fidelibus, imponendo videlicet manus super illos; & hoc modo appellatur ab Augustino lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 16. Deinde secundo, à materia remota ipsius, quæ est Chrisma, dicitur *Sacramentum Chrysmatis*: & hoc modo appellatur à Cypriano Epist. 12. Rursus tertio appellatur *Sacramentum consignationis*, & *signaculum Dominicum*, & *signum Christi*: quia forma huius Sacramenti applicatur imprimendo fronti confirmandi signum Crucis, & hoc signo illum consignando. Tandem quarto communiter à suo effectu appellatur *Confirmatio*, quia etiam recenter baptizatis, qui sunt quasi modò geniti infantes, conferre augmentum gratiæ, cui annexa sunt auxilia gratiæ, quibus confirmantur & roborantur in fide, ut possint tentationes contra eam vincere.

August.

Cyprian.

Ad rem verò accedendo, Confirmatio definiri potest physicè per suas partes physicas, quòd scilicet sit, *Vnctio exterior Chrysmatis ab Episcopo consecrati in fronte, manu Episcopi in modum Crucis facta, sub præscripta forma verborum*. Metaphysicè verò definiri potest Confirmatio, quòd sit, *Sacramentum confirmatiuum in fide*: quia definitur per *Sacramentum*, quod est genus ad Confirmationem, & ad reliqua Sacramenta, & per *confirmatiuum in fide*, quod est differentia, per quam distinguitur à reliquis Sacramentis nouæ legis.

## DIFFICULTAS II.

### Utrum Confirmatio sit Sacramentum nouæ legis.

**H**æretici tam antiqui quàm recentiores constanter negant, Confirmationem esse Sacramentum nouæ legis, quia id non constat ex Scriptura.

De Fide tamen est, Confirmationem esse Sacramentum nouæ legis distinctum ab omnibus alijs, Eugen. IV. quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decre-

to fidei, & à Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & can. 1. de Confirmatione. Quod etiam constat ex perpetua traditione, quam nobis scriptam reliquerunt Clemens Papa Epist. 4. Urbanus Papa in sua Epistola cap. 7. Melchisedes Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & plures alij Pontifices & Patres, quos referunt Bellarminus lib. de Confirmatione à cap. 3. Suarez disput. 32. sect. 1. & Ægidius q. 62. art. 1. dub. 1.

Trident.

Clem. Pap.  
Urban. Pap.  
Mel. Papa.

Bellarmin.  
Suarez.  
Ægidius.

Quòd autem Sacramentum Confirmationis, prout coalescens ex vnctione Chrysmatis ab Episcopo consecrati, & ex verbis formæ, non deducatur efficaciter ex Scriptura, non obstat, ut esse illud in Ecclesia admittamus; quia plura de fide credimus, quæ ex Scriptura non constant. Quod significat Paulus 2. ad Thess. 2. dum ait: *Teneite traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* & Ioan. Epist. 3. dum ait: *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum & calamum, spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur.*

Addimus, *Sacramentum Confirmationis, prout coalescens ex vnctione Chrysmatis, & ex verbis formæ, non deduci efficaciter ex Scriptura*, quia ex Actor. 8. & 19. deducitur, Apostolos per manuum impositionem, ut distinctam, & non pertinentem ad Baptisimum, Spiritum sanctum iam baptizatis contulisse, ac proinde illam manuum impositionem fuisse verum Sacramentum Confirmationis, quamvis materialiter distinctum à Sacramento Confirmationis, coalescente ex dicta vnctione & verbis.

Et in primis, quòd per manuum impositionem, ut cærimoniam distinctam à Baptismo, & ad ipsum non pertinentem, collatus fuerit Spiritus sanctus, constat ex eo, quòd Actorum 8. & 19. supponitur, iam baptizatis post tempus non paruum factam fuisse impositionem manuum, & Spiritum sanctum fuisse collatum. Quòd verò per eam impositionem conferretur Spiritus sanctus mediâ gratiâ sanctificante, & non medio dono linguarum, aut saltem non tantum medio hoc dono, constat, tum quia per solam gratiam sanctificantem Spiritus sanctus dicitur simpliciter & absolute conferri, sicut etiam per eam solam dicitur venire & habitare: tum quia omnibus, quibus fiebat manuum impositio, conferebatur Spiritus sanctus, & tamen non omnibus conferebatur donum lingua-



rum. Et quòd Apostoli per manuum impositionem non intenderint Deo commendare baptizatos, seu pro eis orare, sed Spiritum sanctum conferre, constat ex Act. 8. vbi postquam dicitur, Apostolos Petrum & Ioannem, missos ab Ierosolymis Samariam, pro iam baptizatis orasse vt acciperent Spiritum sanctum, subditur: *Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum.* Accedit, quòd Petrus & Ioannes frustra miterentur, vt iam baptizatos Deo commendarent, tum quia ipsi absentes id possent facere, tum quia Philippus, qui illos baptizauerat, possit ipsos Deo commendare, quia ad hoc non erat necessaria dignitas Apostolica & Episcopalis, qua carebat Philippus, & gaudebant Petrus & Ioannes.

August.

Augustinus verò dum lib. 3. de Baptismo c. 16. ait, *Manuum impositio non est aliud, quam oratio super hominem*, non loquitur de manuum impositione, quæ est Confirmatio, de qua loquitur in principio capitis, sed de alia, qua olim hæretici iam pœnitentes admittebantur ad reconciliationem, & de qua ait iterari posse.

## DIFFICULTAS III.

*Quando fuerit Sacramentum Confirmationis à Christo institutum.*

Supponimus contra hæreticos, Confirmationem non fuisse à Melchiade Papa institutam: & contra Alexandrum & Bonauenturam, non fuisse institutam à Concilio Meldensi; quia Confirmatio fuit antiquior Melchiade & dicto Concilio, vt constat ex Patribus Diffic. 11. relatis, qui fuerunt illis antiquiores, & mentionem fecerunt Confirmationis; sed institutam fuisse immediatè à Christo, vt generaliter de omnibus Sacramentis definitur à Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & ea omnia in particulari enumerante.

Trident.

Hoc ergo supposito, difficultas est, Quando Christus instituerit Confirmationem. Circa quam primò non defuerunt, qui existimauerint, Confirmationem fuisse à Christo institutam Matth. 19. quando paruulis sibi oblatis manus imposuit, ac benedixit. Id tamen absque fundamento dicitur, tum quia impositio illa facta fuit paruulis non baptizatis, quibus Christus nullum Sacramentum instituit præter Baptismum; tum etiam, quia ibi nulla fit mentio Spiritus sancti, imò neque Spiritus sanctus fuit specialiter collatus adhuc per hoc Sacramentum ante resurrectionem, & corporalem glorificationem Christi, vt significatur Ioannis 7.

Secundò alij existimarunt, Confirmationem institutam fuisse à Christo in die Pentecostes, quia tunc fuerunt Apostoli confirmati. Id tamen etiam absque fundamento dicitur: quia quamuis Apostoli tunc fuerint confirmati, sed non medio Sacramento, sed immediatè à Deo: imò est contrariationem, quia cum Christus in mundum venerit ad saluandos homines, & ad nouum Testamentum condendum, non est credibile, quòd instituerit remedia nostræ salutis, postquam mundum reliquit, & in cælum rediuit, & non antea.

Tertiò alij existimant, Confirmationem institutam fuisse à Christo post resurrectionem, Ioan-

nis 20. quando Apostolos perfecit Sacerdotes, & eos instituit Episcopos: quia sicut Tridentinum sess. 14. c. 1. ex eo, quòd tunc illis contulerit potestatem remittendi & retinendi peccata, deducit fuisse institutum Sacramentum Pœnitentiæ; ita etiam ex eo quòd tunc contulerit Apostolis potestatem Episcopalem, ac proinde confirmandi, deduci videtur tunc fuisse Confirmationem institutam. Id tamen absque sufficienti fundamento dicitur: quia quamuis tunc Christus Apostolis contulerit Episcopalem & plenam potestatem, ac proinde etiam confirmandi, ex eo tamen non deducitur tunc instituisse Confirmationem; quia conferre potestatem confirmandi, non fuit designare materiam & formam Confirmationis, & ipsi virtutem conferendi plenitudinem Spiritus sancti annexere, in quo institutio Confirmationis consistit. Ex eo verò quòd contulerit potestatem remittendi & retinendi peccata, optimè deducitur tunc instituisse Sacramentum Pœnitentiæ, eius partes designando, & ipsi virtutem iustificandi annexendo, quia tunc Christus suis verbis contulit illis potestatem remittendi peccata tamquam iudicibus, seu in iudicio, ac proinde media abolutione, confessione rei præsupposita, & non historica, sed dolorosa, & satisfactione imposita.

Trident.

Quartò ergo Sotus in 4. dist. 7. q. vnica, art. 1. Victoria in Summa v. *Confirmatio*, Bellarminus cap. 8. Suarez disp. 32. sect. 2. Reginaldus lib. 28. n. 4. & communiter recentiores existimant, Christum Confirmationem instituisse in nocte Cœnæ: & non immeritò, quia nullum aliud tempus ad id aptius excogitari potest, quàm illud in quo Christus longè egit de suo Testamento, & de Ecclesiæ statu. Quòd tradidisse videtur Fabianus Papa Epist. 2. cap. 1. dum ait: *In illa die Dominus Iesus, postquam cenauit cum Discipulis suis, & lauit eorum pedes, (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobis que reliquerunt) Chrisma conficere docuit.* vbi per Chrisma Sacramentum Confirmationis intelligitur. Et quamuis tantùm intelligatur pars ex qua Sacramentum ipsum conficitur, ex eo tamen verisimiliter deducitur tunc instituisse Sacramentum Confirmationis, quia non videtur Christus ad alium vsum illos docuisse conficere Chrisma, quia non ad vsum, quo nunc Chrisma ponitur in vertice baptizati; quia cerimonia hæc non fuit à Christo instituta, sed multò postea à Siluestro Papa, vt refert Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 7. cap. 3.

Sotus.

Victoria.

Bellarm.

Suarez.

Reginald.

Fab. Papa.

Hugo.

## DIFFICULTAS IV.

*Quæ sit materia remota Sacramenti Confirmationis.*

Circa hanc rem variæ fuerunt Doctorum sententiæ: quia Primò nonnulli Canonistæ, vt refert Marsilius in 4. quæst. 5. art. 1. vili sunt sentire, materiam remotam Sacramenti Confirmationis non esse Chrisma, sed manum Episcopi, dum dicunt Confirmationem non fieri vnctione aliqua, sed nuda manuum impositione. ducuntur autem ad id, quia in Scriptura non legitur alio confirmasse Apostolos, quàm manuum impositione.

Marsilius.

Secundò Canus, vt refert Valentia disp. 5. q. 1. punct. 2.

Canus.

punct. 2.



punct. 2. fenfit, materiam remotam Confirmationis esse oleum & balsamum, & quodlibet eorum sufficere: id tamen absque fundamento aliquo fenfit & affirmavit.

*Caietanus.* Tertio Caietanus q. 72. art. 2. Nauarrus cap. 2. num. 8. Sorus in 4. dist. 7. quaest. vnica, art. 2. Co-  
*Nauarrus.*  
*Sorus.*  
*Conarru.*  
*Valentia.* uarruias lib. 1. Variarum cap. 10. num. 4. & Val-  
entia vbi supra, sentiunt, solum oleum oliuarum  
esse materiam essentialiter requisitam, & sufficien-  
tem ad valorem Confirmationis: mixtionem vero  
illius cum balsamo, tantum esse necessariam ne-  
cessitate praecipii (siue Ecclesiastici, vt existimat  
Caietanus, siue diuini, vt existimat Sorus) quod  
tradidisse videtur Innocentius III. in cap. *Pastora-*  
*Innoc. III.* *lis*, de Sacramentis non iterandis, dum interroga-  
tus, an is, qui dum confirmaretur, non fuit Chri-  
smate sed oleo tantum vnctus, debeat iterum con-  
firmari; respondet, in talibus nihil esse iterandum,  
sed caute suppleendum quod fuit omissum. Sentit  
ergo tunc validum fuisse Sacramentum Confir-  
mationis, & solum aliquid accidentale defuisse,  
alias iterandum foret. Et ratione probatur: quia  
credi non potest, rem adeo rarissimam & carissi-  
mam, praesertim tunc quando in sola Iudaea nasci  
agnoscebatur, institutam fuisse vt necessariam ad  
valorem Sacramenti, quod toto orbe ministran-  
dum erat.

Quarto ergo Bonauentura in 4. dist. 7. ar. 1. q. 2.  
*Bonauen.*  
*Suarez.*  
*Henriq.*  
*Aegidius.*  
*Bonacina.* Suarez disp. 33. sect. 1. Henriquez c. 2. Aegidius  
quaest. 72. art. 3. dub. 1. Bonacina d. 3. quaest. vnica,  
punct. 3. & plures alij docent, & merito, mate-  
riam remotam essentialiter requisitam, & suffi-  
cientem, esse Chrisma confectum ex oleo oliua-  
rum & ex balsamo.

Et in primis esse materiam essentialem, seu es-  
*Eugen. IV.* sentialiter requisitam, satis indicat Eugenius IV.  
in suo Decreto, dum ait: *Secundum Sacramentum*  
*est Confirmationis, cuius materia est Chrisma confe-*  
*ctum ex oleo & balsamo.* Quo satis denotat, esse  
materiam essentialem, seu requisitam ad valorem  
Confirmationis; quia ex vna parte loquitur de ma-  
teria, quae necessariò praesupponitur ad formam,  
& ex altera absolute dicit esse materiam, & in om-  
nibus alijs Sacramentis nihil, quod necessariò  
praesupponitur ad formam, appellat materiam,  
quod non sit materia essentialis. Addimus, quod  
necessariò praesupponitur ad formam, quia etiam  
satisfactionem, quae non est essentialis Sacra-  
mento Pœnitentiae, appellat quasi materiã illius,  
sed satisfactio non praesupponitur necessariò ad  
formam.

Accedit, quòd, quando loquitur de materia con-  
secrationis Sanguinis, non ait esse mixtum ex vino  
& aqua, sed esse vinum, cui debet admisceri aqua,  
quo denotat vinum tantum esse materiam essen-  
tialem, seu necessariam necessitate Sacramenti, &  
non aquam, sed hanc tantum esse necessariam  
necessitate praecipii.

Et ratione probatur, quia ad veritatem formae  
Confirmationis, nempe *Confirmo te Chrismate sa-*  
*lutis*, requiritur Chrisma compositum ex oleo &  
balsamo; ergo Chrisma ex his compositum est  
materia essentialiter requisita ad Confirmationem.  
Consequenter patet, Antecedens autem probatur,  
quia quamuis Chrisma ex sua primæua significa-  
tione significet quodlibet vnguentum, tamen ex  
accommodatione Ecclesiae & Patrum significat  
mixtum ex oleo & balsamo, vt patet ex Fabiano,

*Fabianus.*

Cypriano, Innocentio, & alijs relatis à Bellarmino  
cap. 8. quamuis Patres aliquando nomine olei  
Chrisma significant, quia Chrisma componitur  
ex multo oleo, & paucissimo balsamo.

Ita tamen balsamum est necessarium ad mate-  
riam Confirmationis necessitate Sacramenti, vt  
non referat an sit Palæstinum, an Indicum; quia  
etiam Indicum est verum balsamum, vt constat ex  
cius qualitatibus & effectibus.

Quòd verò Chrisma sit materia sufficiens, imò  
& totalis, constat & ex eo, quòd Eugenius IV. nihil  
aliud assignauit pro materia; & ex eo quòd vnctio  
Chrismatis in modum Crucis facta sit sufficiens  
materia proxima, imò & totalis, supra quam suf-  
ficienter & totaliter cadit tota forma Confir-  
mationis, vt dicemus Difficultate VI. vnde manus  
Episcopi non tam est materia, quam instrumen-  
tum applicans materiam, & eã vtens.

Quòd autem balsamum tempore Christi fue-  
rit rarum & carum, non efficit incredibile, quòd  
institutum fuerit pro complemento materiae es-  
sentialis: quia ad confectionem Chrismatis ad  
Confirmationem necessarij, sufficit parum; quia  
ad hoc, quòd Chrisma sit mixtum ex oleo & bal-  
samo, non est necessarium omnem partem Chri-  
smatis continere formaliter aliquid balsami, sed  
sufficit, & ad minus est necessarium, vt quaelibet  
pars sit alterata à balsamo, recipiendo in se odo-  
rem & alias qualitates balsami, ad quod sufficit  
parum balsami pro multo oleo.

Innocentius verò III. in dicto cap. *Pastoralis*  
non solum fuit interrogatus de eo quòd supra re-  
tulimus, sed etiam, an, qui absque præuia Confir-  
matione fuit Sacris initiatus, ministrare possit: &  
ad hæc generaliter respondit, in talibus nihil esse  
iterandum, sed caute suppleendum quod fuit præ-  
termissum. quasi dicat, in eiusmodi nihil, quòd  
sit validè factum, iterandum esse, sed suppleendum  
esse, aut quòd fuit omnino omissum, aut quòd  
fuit inualidè factum, quòd est moraliter esse  
omissum; ex hoc tamen non deducitur, solo oleo  
confirmatum, fuisse validè confirmatum.

Quòd verò Chrisma sit nouum (id est præ-  
sentis anni) vel sit vetus, non refert ad valorem  
Confirmationis, dum incorruptum sit, vt patet:  
etiã si grauer peccet, qui vetere Chrismate  
confirmat, vt constat ex Fabiano Epistola 2. ad  
Orientales.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum ad valorem Sacramenti Confir-*  
*mationis necessarium sit Chrisma esse*  
*ab Episcopo benedictum.*

Conueniunt communiter Doctores, ad va-  
lorem Sacramenti Confirmationis requiri  
quòd Chrisma sit ab Episcopo benedictum seu  
consecratum, & non sufficere à simplici Sacerdo-  
te (vt falsò existimat Caietanus) adhuc ex-com-  
missione Episcopi (in quo fallitur Ledesma) ne-  
que summi Pontificis (vt falsò existimat So-  
tus.) Quòd efficaciter deducitur ex Eugenio IV.  
in suo Decreto fidei, dum ait: *Materia Sa-*  
*cramenti Confirmationis est Chrisma ex oleo &*  
*balsamo per Episcopum benedicto;* ibi autem as-  
signat materiam essentialem, ergo benedictio

G 4

Episcopi



Episcopi etiam requiritur essentialiter, sicut mixtio ex oleo & balsamo. Quod etiam significat Fabianus Epistola 2. ad Orientales, dum ait, Christum in nocte Cœnæ docuisse Apostolos conficere Chrisma, id est miscere oleum & balsamum, & benedicere, quia sic conficitur Chrisma: quod autem est necessarium Sacramento ex Christi institutione, est essentialiter ipsi Sacramento.

Quod autem ita necessarium sit benedictionem fieri ab Episcopo, ut nequeat illa committi simplici Sacerdoti, adhuc à summo Pontifice (quamvis illi possit, & aliquando commissa fuerit administratio Confirmationis) etiam significat Eugenius IV. dum subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolica Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto* (id est composito ex oleo & ex balsamo, & benedicto) *hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Quod etiam constat ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam Chrismatis benedictionem simplici Sacerdoti commisit, etiam si aliquando administrationem commiserit.

Ex eo autem, quod simplici Sacerdoti possit committi Confirmationis administratio, quæ est maior quam Chrismatis benedictio, non fit, posse ipsi committi benedictionem: sicut neque ex eo, quod simplices Sacerdotes possint absque commissione efficere consecrationem Corporis Christi, quæ est maior benedictione Chrismatis, & administratione Confirmationis, fit, posse absque commissione benedicere Chrisma, & administrare Confirmationem; quia axioma illud, *Qui potest ad maius, potest ad minus*, non habet locum in his quæ sunt iuris positivi, pendentia ex libertate Superioris, quales sunt materiæ Sacramentorum: imò neque in alijs rebus physicis, nisi subordinatæ sint, & eiusdem rationis. Ignis enim quamvis possit producere calorem, nequit producere frigiditatem; & homo quamvis possit ratiocinari, nequit volare.

Ita tamen benedictio Chrismatis essentialiter requiritur ad valorem Confirmationis, ut ad eum sufficiat quomodolibet benedici inuocatione Dei: quia credi nequit Christum formulam aliquam pro benedictione determinasse, ut aduertunt Suarez, Ægidius, & alij: modus tamen benedicendi Chrisma præscriptus est ab Ecclesia, qui necessitate præcepti obseruandus est.

Ex dictis, contra Paludanum constat, Ecclesiam dispensare non posse, ut Chrisma non benedictum ad valorem Confirmationis sufficiat, quia benedictio requiritur ex Christi institutione, ad cuius dispensationem non agnoscitur potestas in Ecclesia.

## DIFFICULTAS VI.

### *Quæ sit materia proxima Sacramenti Confirmationis.*

**C**onueniunt Doctores, materiam proximam essentialiter Sacramenti Confirmationis esse vntionem ex Chrismate factam, quia hæc vntio est actualis vsus ipsius Chrismatis, quod est materia remota, & supra quam cadit forma Sacramenti Confirmationis: & esse sufficientem & to-

talem, quia supra eam solam cadit sufficienter tota forma Confirmationis.

Est tamen difficultas circa qualitatem & quantitatem dictæ vntionis. Circa qualitatem vntionis conueniunt Doctores, ad valorem Confirmationis requiri, vntionem fieri in modum seu figuram Crucis, & in fronte baptizati.

Et in primis, requiri, baptizatum signari à ministro signo Crucis, constat ex illis verbis formæ, *Signo te signo Crucis.*

Secundò, requiri, hæc signationem fieri vntione ipsa, præterquam quod constat ex vsu & ritu Ecclesiæ, quæ præscribit ut signum Crucis vntione ipsa formetur; etiam constat ratione, quia sola vntio est materia proxima Confirmationis; ergo essentialiter requiritur quod fiat in modum Crucis. Consequentia patet, quia aliàs non verificabitur tota forma Confirmationis, nempe, *Signo te signo Crucis, & cõfirmo te Chrismate salutis*, quia forma tantum potest verificari ratione materiæ proxime, sicut supra eam solam cadere potest. Antecedens autem, nempe solam vntionem esse materiam proximam, constat, & quia solum Chrisma est materia remota, & quia sola vntio sufficit, ut tota forma Confirmationis sit vera; quia si sola ea sufficit, absq; fundamento dicitur, aliud quam ipsam ingredi materiã proximam Confirmationis.

Tertiò, ad valorem Confirmationis requiri, vntionem fieri in fronte baptizati, constat & ex perpetuo vsu Ecclesiæ, & ex testimonio Patrum, qui absque vilo discrimine docent, eam signationem formandam esse in fronte: & etiam ex fine Confirmationis deducitur, quia hæc instituta fuit à Christo ad roborandum baptizatum in fide, ne fidem & Crucem Christi erubescat, ac proinde conuenientissimum fuit institui fieri in fronte, vbi sedes est verecundiæ, sicut ob eundem finem institutum est quod vntio fiat in modum Crucis.

Quartò, ad minus ex præcepto Ecclesiæ requiri, vntionem fieri immediatè manu ipsa ministri, & non medio aliquo instrumento, imò & pollice dextro, constat ex vsu & ritu Ecclesiæ: fieri tamen pollice dextro, non requiritur ad valorem Confirmationis, in quo communiter conueniunt Doctores, quia credi non potest, Christum instituisse, ut ex re non tanti momenti pendeat valor Sacramenti Confirmationis: & ob hanc rationem credi potest, ad valorem Cõfirmationis non requiri, quod vntio fiat immediatè manu ipsa Episcopi, sed sufficere quod fiat instrumento aliquo, ut contra Suarez, Ægidium, Reginaldum, & alios aduertunt Henriquez cap. 2. n. 3. & Vivaldus de Confirmatione cap. 5.

Circa quantitatem vntionis certum est, ad valorem Confirmationis ad minus requiri, & etiam sufficere, tantam partem frontis vngi, quanta sit necessaria ut in ea possit Crux sensibilis formari: & tantam partem Chrismatis requiri & sufficere, quantà necessaria sit & sufficit ad formationem Crucis sensibilis, cum formanda sit Chrismate ipso, quia vtrumque requiritur & sufficit, ut forma Confirmationis verificetur; sicut etiam ad valorem Baptismi requiritur & sufficit, tantam partem corporis ablui, & tantã aquã, quanta necessaria est & sufficit ut forma Baptismi verificetur, seu ut quis sit & dicatur absolutè ablutus.

Suarez.  
Ægidius.  
Reginald.  
Henriq.  
Vivaldus.



DIFFICULTAS VII.

*Vtrum Apostoli confirmauerint vnctione  
Chrifti.*

**Alexand. Bonauent.** IN primis Alexander 4.p.q.24. & Bonauentura in 4. dist. 7. artic. 1. q. 1. & 2. existimant, Apostolos nuda manuum impositione absque vnctione confirmasse, seu Sacramentum Confirmationis contulisse, quia Actor. 19. vbi dicitur Apostolos baptizatis Spiritum sanctum contulisse, non aliter id dicitur factum quam manuum impositione.

**Valdens. Bellarm. Egilius.** Secundò, Waldensis Tom. 2. de Sacramentis c. 113. Bellarminus de Sacramento Confirmat. c. 9. & Egilius q. 72. a. 3. dub. 2. existimant, Apostolos nullo alio confirmasse, & Spiritum sanctum baptizatis contulisse, quam vnctione Chrifti manibus Apostolorum facta, quia ex vna parte vnctione Chrifti manibus Apostolorum facta satisficit tam Scripturam, in qua dicitur, Apostolos per manuum impositionem Spiritum sanctum contulisse, quam Dionysio, Fabiano, & aliis Patribus, dicentibus, Apostolos vsos fuisse vnctione Chrifti ad administrationem Sacramenti Confirmationis: & ex altera parte expediens fuit, Apostolos non vti particulari dispensatione ad confirmandum nuda manuum impositione absque vnctione, quæ à Christo instituta relinquebatur generaliter & in perpetuum.

**S. Thomas. Sotus. Gabriel. Suarez.** Tertio, S. Thomas quaest. 72. a. 2. & 4. Sotus in 4. dist. 7. artic. 2. Gabriel q. 1. a. 15. & Suarez disput. 33. sect. 4. existimant, & merito, Apostolos aliquando nuda manuum impositione absque vnctione effectum Confirmationis contulisse, & aliquando vnctione Chrifti sub verbis formæ, sicut modo fit.

Et in primis Apostolos effectum Confirmationis nuda impositione manuum absque vnctione contulisse, expressisse videtur Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum docet, loco manus impositionis Apostolorum dari in Ecclesia Confirmationem (id est vnctionem Chrifti sub verbis formæ) quia si manus impositio non esset distincta ab vnctione, sed eadem cum ea quæ modo fit in Ecclesia, hæc non diceretur dari loco illius, sicut Baptismus qui modo fit, non dicitur dari loco illius qui dabatur ab Apostolis. Et satis indicatur in Scriptura; quia nunquam, quod in ea dicitur Apostolos Spiritum sanctum dedisse, fit mentio vnctionis, sed tantum nudæ manuum impositionis. Et mirum esset, nullam fieri mentionem vnctionis, & fieri impositionis manuum, si hæc non esset alia quam vnctio digito manus in fronte baptizati facta. Imò vnctione fieri in fronte medio digito, non sufficeret, vt ratione illius Apostoli dicerentur manus imposuisse supra baptizatos, vt dicitur Actorum 8. quia id tantum esset digito tangere frontem baptizati. Quod si nunc, quando Confirmatio fit vnctione modo dicto, etiam dicitur manuum impositio, id est est, quia, vt ait Eugenius IV. vnctio hæc datur loco impositionis manuum Apostolorum ad eundem effectum & finem: dicitur autem dari loco illius, quia Apostoli vsi fuerunt prius manuum impositione quam vnctione.

Deinde Apostolos etiam vsos fuisse vnctione Chrifti ad dandum Spiritum sanctum, sicut

modo fit in Ecclesia, constat ex Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia c. 4. & ex Fabiano Epistola 2. ad Episcopos Orientales, & ex aliis Patribus, qui dicunt, Apostolos vsos fuisse Chriftum in administratione Sacramenti Confirmationis, quo Spiritus sanctus datur: quod fuit maxime conueniens, vt Apostoli, qui erant primi Pastores & Magistri, & qui fundamenta Ecclesiæ iaciebant, & qui eam instruebant, non omitterent vnctionem Chrifti à Christo in perpetuum institutam, sed etiam ea vterentur. Imò credi potest, Apostolos ea ordinariè vti cœpisse à tempore, quo Ecclesia cœperat esse sufficienter fundata & instructa, & non antea, quia in principio conueniens fuit illos vti manuum impositione, qua visibiliter conferebant Spiritum sanctum, vt ita suaderent & stabilirent fidem Christi. Vtebatur autem hac manuum impositione ex speciali commissione & dispensatione Christi.

Addimus, vt supponunt Alexander & Bonauentura, nudam manuum impositionem Apostolorum fuisse verum Sacramentum Confirmationis; quia ex promissione contulit Spiritum sanctum media gratia sanctificante: cui non obstat, non fuisse institutam lege aliqua stabili & firma, sed tantum pro breui tempore, quia absque fundamento aliquo dicitur id requiri ad rationem Sacramenti, sed non esse Sacramentum distinctum formaliter, & in ratione Sacramenti à Confirmationis Sacramento, quod nunc fit media vnctione Chrifti sub verbis formæ, quia illa manuum impositio ad eundem effectum & finem fuit instituta ad quem dicta vnctio, sed tantum fuisse materialiter distinctum. Quod insinuat ab Eugenio IV. dum ait, loco impositionis manuum Apostolorum dari in Ecclesia Confirmationem: & id sufficit, vt ex eo Patres deduxerint, solos Episcopos esse ministros Confirmationis quæ nunc est, quia scilicet est idem Sacramentum formaliter cum impositione manuum Apostolorum, qui fuerunt Episcopi.

Quod verò Actorum 8. Apostoli orauerint pro baptizatis, vt acciperent Spiritum sanctum, non fuit superfluum, quamuis eorum impositio illum ex promissione Christi infallibiliter conferret, quia oratione illa vel tantum petebant à Deo dispositionem in baptizatis ad receptionem Spiritus sancti, medio augmento gratiæ sanctificantis, vel quod visibiliter veniret Spiritus sanctus, quem illi visibiliter conferebant ex virtute miraculorum, ad quorum patracionem oratio est maxime utilis.

DIFFICULTAS VIII.

*Quæ sit forma Sacramenti Confirmationis.*

**C**onueniunt Doctores, hæc verba, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chriftum salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, esse sufficientem formam Sacramenti Confirmationis, vt ostendit perpetuus Ecclesiæ vsus, & expressit Eugenius IV. in suo Decreto fidei. Vnde quæcumque alia verba prædictis æquivalentia sunt sufficientia ad valorem Confirmationis, quia in Sacramentis (exceptis Baptismo & Confirmatione, quoad inuocationem trium personarum nominibus consuetis, ob peculiarem rationem) quæcumque verborum mutatio, quæ non destruit



fenfum Sacramentalem, non est substantialis, sed tantum accidentalis, quæ non obest valori eorum.

Est tamen difficultas, An omnia prædicta verba sint essentialia, seu ad valorem Confirmationis requisita.

Non desunt qui credant, verba illa, *signo Crucis*, non esse essentialia, quia includuntur in illis, *signo te*: & non desunt, quibus videatur, verba illa, *Chrysmate salutis*, non esse essentialia, quia includuntur in verbo *confirmo*; imò & duo illa verba, *signo* & *confirmo*, non esse essentialia, sed sufficere vnum aut alterum.

Nihilominus conueniunt communiter Doctores, omnia dicta verba esse essentialia, & ad valorem Confirmationis requisita, quia omnibus illis semper vsa est Ecclesia, & omnia illa assignantur ab Eugenio IV. pro forma, in qua necessaria est expressio personæ quæ confirmatur, non minus quam in forma Baptismi, ob eandem rationem quam pro Baptismo attulimus Disp. I. Diff. 7. Expressio quoque trium personarum in vnitæ essentiali, non est minus necessaria in forma Confirmationis quam in forma Baptismi; quia Confirmatio est quoddam complementum Baptismi; quia est instituta, vt eam suscipiens propugnet fidem; sicut Baptismus, vt eum suscipiens accipiat fidem, ob quod conuenientissimè institutum est, vt in forma vtriusque exprimat mysterium Trinitatis, quod est primum & præcipuum nostræ fidei: imò & quod exprimat nominibus consuetis Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Reliqua etiam, quæ de forma Baptismi diximus, applicanda sunt formæ Confirmationis, quia eadem ratio est in formis vtriusque.

Quod verò nullus ex Patribus expressè traderit totam formam Confirmationis, non obstat, quia id omiserunt, quia eorum instituto non deseruiebat, & aliàs ex quotidiano Ecclesiæ vsu id aperte constabat.

## DIFFICULTAS IX.

### *Quos effectus tribuat Sacramentum Confirmationis.*

Conueniunt Primò Catholici contra hæreticos, Sacramentum Confirmationis characterem imprimere, vt definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, & id significat Augustinus lib. 2. Contra literas Petilianæ, cap. 104. qui neque sibi neque nobis aduersatur lib. 3. de Baptismo, cap. 16. dum ait: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest: quid enim est aliud quam oratio super hominem?* quia non loquitur de manus impositione quæ est Confirmatio, sed de ea qua olim hæretici iam pœnitentes admittebantur ad reconciliationem. Quod etiam ratione Theologica constat, quia Confirmatio iterari non potest, vt notissima traditio constat, & ex Eugenio IV. & ex Tridentino vbi supra: id autem ex nullo alio capite oriri potest, nisi quia imprimit characterem indelebilem, ne duplex character frustra imprimatur.

Sed quamuis sacrilegium graue sit bis confirmari, & bis eundem confirmare, ob neutrum tamen incurritur irregularitas, quamuis qui bis baptizatur, & qui bis baptizatur, fiant irregulares, vt

dicimus Tractatu de Irregularitate, Disp. II. Diff. I. quia id pro Confirmatione nullo iure exprimitur.

Et quamuis character Confirmationis, sicut & Ordinis, supponat characterem Baptismi, absque quo non patet aditus ad Confirmationem, neque ad alia Sacramenta, tamen est diuersa speciei à characterem Baptismi, vt pote ad diuersum munus institutus, quia characterem Baptismi insignimur tamquam domestici Dei; characterem verò Confirmationis tamquam eius milites: reliqua verò, quæ de characterem in communi dicimus Tractatu de Sacramentis in genere, Disp. III. Diff. X. applicanda sunt characteri Confirmationis.

Secundò conueniunt Catholici, Sacramentum Confirmationis ex opere operato conferre augmentum gratiæ iustificantis: quia, vt constat ex dicto Tractatu Disp. III. Diff. I. omnia Sacramenta nouæ legis conferunt ex opere operato gratiam iustificantem, quod huic Sacramento conuenire constat specialiter ex eo, quod Patres communiter docent, per illud Spiritum sanctum & Spiritus sancti plenitudinem conferri, & quia Sacramentum Confirmationis (saltem per se) non confert primam gratiam, quia non est Sacramentum mortuorum ad iustificandam animam institutum, idè confert augmentum gratiæ, ac proinde prærequirit in suscipiente statum gratiæ, & cõsequenter vt peccator suscipiat Confirmationem disponens est vel Sacramento Pœnitentiæ, vel perfecta contritione, prout maluerit, quia nullo præcepto constringitur Sacramentum Pœnitentiæ præmittere, vt docent communiter Doctores; quia non præcepto diuino, neque positiuo, neque naturali, vt patet, neque positiuo Ecclesiastico, quia de neutro constat. In Canone autem, *Vt ieiunij*, de Consecratione, dist. 6. non præcipitur susceptio Pœnitentiæ ad Confirmationem, sed tantum fit monitio illius, sicut & ieiunij. Addimus, *saltem per se*, quia sunt, qui de quinque Sacramentis viuorum generaliter affirmant, attrito, qui bona fide accedit ad illa, existimans vel se esse in statu gratiæ, vel inuincibiliter ignorans esse necessarium accedere in eo statu, conferre per accidens primam gratiam iustificantem, & remissionem peccatorum, quamuis nos in dicto Tractatu Disp. III. Diff. IV. dicamus id esse falsum.

Ita tamen per Confirmationem confertur augmentum gratiæ iustificantis, vt huic sit annexa collatio auxiliorum fini Confirmationis proportionatorum, nempe publicæ professioni fidei, & propugnationi illius coram Tyrannis, iuxta id quod in dicto Tractatu Disp. III. Diff. III. generaliter dicimus de gratia Sacramentali: imò & per illam remitti peccata venialia habenti attritionem eorum, dicimus Tractatu de Pœnitentiæ Disp. II. Difficultate XVI.

Sed an per Confirmationem, ceteris paribus, detur maior gratia iustificans, quam per Baptismum, difficile est: nihilominus verisimilius est, per Confirmationem conferri maiorem gratiam quam per Baptismum, quod satis indicant Clemens, Urbanus, Melchisedes, Cyprianus, & plures alij, dum per antonomasiam dicunt, per Confirmationem Spiritum sanctum & Spiritus sancti plenitudinem conferri. Quod etiam consonum est institutioni Confirmationis, quia instituta est instar accretionis corporalis, per quam maior substantia & quantitas acquiritur toto tempore quo

Eugen. IV.

Eugen. IV.  
Trident.  
Augustin.

Eugen. IV.  
Trident.

Clemens.  
Urbanus.  
Melchised.  
Cyprianus.



quo crescimus, à natiuitate vsque ad virilem ætatem, quàm per primam generationem, instar cuius institutus est Baptismus.

DIFFICULTAS X.

*Qui sint capaces Sacramenti Confirmationis.*

Innoc. III.

Conueniunt primò Doctores, solos baptizatos esse capaces Sacramenti Confirmationis (id est, eos solos posse validè confirmari) quod definit Innocentius III. in cap. *Veniens* 3. de Presbytero non baptizato, & meritò: quia baptismus est ianua omnium Sacramentorum, vtpote institutus instar generationis, quæ præsupponitur ad accretionem, instar cuius instituta est Confirmatio, & ad omnia alia, quorum instar reliqua Sacramenta instituta sunt, Spiritus sanctus verò, qui Actorum 10. dicitur visibiliter descendisse in non baptizatos, non descendit in eos media Confirmatione, cuius dicimus non baptizatos esse incapaces, sed immediatè à Deo communicatione gratiæ iustificantis, & non characteris.

Conueniunt secundò, baptizatos omnes, cuiuscunque ætatis & sexus, esse capaces Confirmationis. Quod deducitur ex Actibus Apostolorum, in quibus sæpè dicitur, Apostolos manus imposuisse supra baptizatos, absque discrimine aliquo inter eos: & id ostendit praxis & vsus Ecclesiæ; quod fuit satis conuenienter institutum, vt sicut omnes qui generantur, sunt capaces accretionis, sic etiam omnes qui spiritualiter generantur, sint capaces accretionis spiritualis, ad quod aludit Urbanus relatus can. 1. de Consecratione, distin. 5. dum ait: *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt plene Christiani inueniantur.*

Urbanus.

Catechif. Roman.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis in infantia baptizati possint licitè confirmari, vt exprimitur in Catechismo Romano part. 2. cap. 3. num. 14. quia id nullatenus prohibetur: conuenientius tamen est, vsum rationis expectare, saltem vsque ad septimum ætatis annum, vt dicitur in dicto Catechismo, vt ita cum maiori fructu ratione dispositionis, quæ eo tempore esse potest, recipiatur; cum aliàs Confirmatio non sit medium necessarium ad salutem, sicut est Baptismus. Id tamen non tollit, ob aliquam rationabilem causam pueros in infantia conuenienter confirmari, vt si timeatur, puerum, si in infantia non confirmetur, vel numquam esse confirmandum, vel nimis differendam, ob quod antiquitus, quando in Ecclesia erat persecutio, & Episcoporum paucitas, infantes statim confirmabantur. Est autem valdè conueniens, infantibus, & adultis statim morituris Confirmationem conferre, saltem ob fructum augmenti gratiæ, ob quem etiam expediri illam perpetuò amentibus conferre, & etiam his qui aliquando vsi fuerunt ratione, nisi sciatur hos statim post peccatum aliquod mortale ante contritionem perfectam de illo, in amentiam incidisse, vel habuisse voluntatem non recipiendi Confirmationem: quia Christiani, qui hanc non habent, censentur voluntatem habere saltem implicitam recipiendi illam, quæ ad eius susceptio-

nem sufficit, quòd si speretur amentes aliquando vsum rationis habituros, & tunc futuram esse occasionem recipiendi Confirmationem, conuenientius erit tempus illud expectare, vt decentius & fructuosius recipiatur.

DIFFICULTAS XI.

*Vtrum baptizati teneantur suscipere Confirmationem.*

Sotus in 4. dist. 7. quæst. 2. Bonaventura artic. 3. quæst. 2. Waldensis 2. de Sacramentis cap. 111. Silvester v. *Confirmatio*, num. 3. Petrus Sotus lect. 2. de Confirmatione, & plures alij docent, verè esse præceptum, quo baptizati tenentur confirmari: quia Can. *Omnes* de Consecratione, dist. 15. qui est Urbani Papæ, dicitur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum accipere debent, vt plene Christiani inueniantur.* Et Can. *Vt ieremy*, eadem dist. dicitur: *Numquam erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali chrismatus fuerit;* & can. *De his*, eadem dist. dicitur, non posse Baptismum sine Confirmatione ritè perfici. Ex Auctoribus huius sententiæ quidam existimant, præceptum hoc suscipiendi Confirmationem esse diuinum, alij esse Ecclesiasticum, alij verò esse naturale, quando adest opportunitas suscipiendi illam; quia si tunc non suscipitur, verè contemnitur. Et in hoc etiam inclinat Durandus q. 1. art. 2. quando instat occasio profitendi fidem coram Tyranno, ob periculum deficiendi à fide defectu auxiliorum annexorum gratiæ quæ per Confirmationem confertur.

Scotus.  
Bonauen.  
Waldens.  
Silvester.  
Petrus Sot.

Durand.

Sotus verò in 4. dist. 7. q. vnica, art. 8. Couarruuias 1. Variarum c. 10. n. 5. Vasquez q. 90. art. 1. dub. 4. Suar. d. 38. lect. 1. Egidius q. 72. art. 8. & plures alij docent, nullum esse præceptum suscipiendi Confirmationem adhuc data opportunitate, & meritò: quia nullum potest ostendi præceptum. Quia non diuinum, vt patet; neque Ecclesiasticum, quia de eo nullatenus constat traditione aliqua, vt patet; neque aliquo scripto, quia quamuis in dictis Canonibus necessitas aliqua suscipiendi Confirmationem aut debitum significetur, non tamen verbis adeò strictis, vt in eis verum præceptum contineatur, sed tantum necessitas Confirmationis ad aliquem finem, nempe vt baptizatus augmento gratiæ per Confirmationem collato, & auxilijs ei annexis euadat Christianus perfectus, & quamdam veluti perfectionem Baptismi adipiscatur: huius tamen perfectionis adipiscende nullum extat præceptum.

Sotus.  
Couarr.  
Vasquez.  
Suarez.  
Egidius.

Et tandem neque est præceptum aliquod naturale suscipiendi Confirmationem adhuc oblata occasione & opportunitate, quia etiam tunc potest omitti absque contemptu, vt patet, si ex tædio, aut aliter quis omittat Confirmationem, & non quia eam parui pendat, sicut non contemnit Eucharistiam, qui etiam data opportunitate illam non suscipit. Periculum autem deficiendi à fide ex defectu Confirmationis, etiam quando adest Tyrannus, non est proximum, neque aliter sufficiens, vt sit obligatio & præceptum suscipiendi Confirmationem; cum sint alia media, quibus à Deo impetremus auxilia efficacia ad id, & saltem absque illa non desunt auxilia suffi-

cientia



cientia ad id. Vnde non erit peccatum, saltem mortale, non suscipere Confirmationem; quia quod non est contra præceptum aliquod, non est peccatum.

*Trident.* Addimus, neque esse præceptum aliquod suscipiendi Confirmationem ante Ordines, quia quamuis in Tridentino sess. 23. cap. 4. de Confirmatione dicatur, *Prima tonsura non iniungitur, qui Confirmationem non susceperint*; in his tamen verbis nullum continetur præceptum suscipiendi Confirmationem ante primam tonsuram. Imò neque imponitur ipsi Episcopo non tradendi primam non confirmato, sed in illis tantum continetur directio & admonitio.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum solus Episcopus possit validè conferre Sacramentum Confirmationis.*

*Eugen. IV.* **C**onueniunt Catholici contra hæreticos, solum Episcopum posse potestate ordinaria absque commissione aliqua validè conferre Confirmationem. Ita definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto, dum definit, Episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis; quia in illo requiritur de ministro essentialiter, & ad valorem requisito, quia in eo loquitur de ministris quibus simul cum materia & forma perficiuntur Sacramenta, & idè docet, quemlibet posse esse ministrum in Baptismo, & tamen non quilibet potest licitè. Et id clariùs definitur in Tridentino sess. 7. can. 3. de Confirmatione, dum definit, non simplicem Sacerdotem, sed solum Episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis. Quod etiam constat ex perpetua & constante Ecclesiæ traditione, quam nobis scriptam reliquerunt Urbanus, Melchias, & Eusebius Pontifices, relati can. 1. & 3. & 4. de Consecrat. dist. 5. & plures alij Pontifices & Patres. Et id deducitur ex Scriptura, in qua quoties fit mentio impositionis manuum, cui nostra Confirmatio successit, tantum dicitur facta ab Apostolis, & numquam ab inferioribus.

*Concil. Toletan. I.* In Concilio autem Toletano I. c. 20. ubi dicitur, Presbyterum posse absente Episcopo confirmare, & eo præsentè ex ipsius licentia, tantum est sermo de vñctione quæ baptizatis fit in vertice, & quæ olim non licebat Presbyteris nisi ex licentia Episcopi, aut eo absente, ut significat Leo Epistola 88. & de eadem vñctione sermo est in Concilio Arausicano can. 2. dum solum in absentia Episcopi permittitur Presbyteris hæreticos, qui conuertebantur, consignare Chrismate, quod fortè fiebat, vel quia hæretici illi eam vñctionem in Baptismo omittebant, vel quia eam malè usurpabant. Et de eadem vñctione sermo est in can. *Omnino tempore*, de Consecratione, dist. 4. dum dicitur: *Presbyter non signet infantes Episcopo præsentè, nisi ex licentia illius*. & de eadem loquitur Ambrosius in cap. 4. Epistolæ ad Ephes. dum ait:

*Leo.* *Concil. Arausicanum.* *Ambros.* *Innocent. I.* *Apud Aegyptios signant Presbyteri, si non sit Episcopus.* Innocentius verò I. Epistola 1. §. 6. dum ait, Presbyterum absente Episcopo posse manus imponere, loquitur de manuum impositione quæ fiebat super energumenos, quam olim sibi Episcopi usurpabant.

Ita tamen Episcopus potest validè confirmare, ut nullus possit, absque iniustitia in Episcopum

confirmati, non sibi subditum confirmare absque voluntate proprii Episcopi, sicut diximus de baptizante in colam alienæ parochiæ.

Et quia potestas confirmandi est Ordinis saltem reductiue, & non iurisdictionis, idè Episcopus, quamuis hæreticus & excommunicatus, adhuc non toleratus, & degradatus, validè confirmat adhuc non sibi subditum.

## DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum simplex Sacerdos possit ex commissione Papæ Sacramentum Confirmationis conferre.*

**C**onueniunt iam communiter Doctores contra Durandum & paucos alios, simplicem Sacerdotem ex commissione Papæ posse Confirmationem conferre. Ita S. Thomas quest. 72. *S. Thomas.* art. 11. & ibidem Aegidius, Suarez disp. 36. sect. 2. *Aegidius.* Reginaldus lib. 28. cap. 4. & Laiman lib. 5. Tractatu 3. cap. 6. Quod constat ex facto D. Gregorij Papæ, qui, ut dicitur lib. 3. cap. 26. id commisit Sacerdotibus Sardinia: & id probat Eugenius IV. in suo Decreto, dum, postquam dixit Episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis, subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Sacramentum Confirmationis administrasse, ubi Eugenius absque dubio ad factum D. Gregorij alludit.* Vnde qui respondent, Gregorium in eo facto errasse, non tantum irrogant iniuriam Gregorio, sed etiam Eugenio IV. & Concilio Florentino, quod Decretum Eugenij approbavit.

Ex quo constat, ministrum essentialem Confirmationis non tantum esse Episcopum, sed etiam simplicem Sacerdotem ex commissione Papæ (quod Christum ita instituisse, constat ex dictis) ita ut, sicut Confirmatio, potestate ordinaria administrata, est actus Ordinis Episcopalis, ita etiam administrata ex Papæ commissione, sit actus Ordinis Sacerdotalis: ipsa tamen commissio Papæ est actus non Ordinis, aliàs posset ab alijs Episcopis fieri, quia potestas Ordinis Episcopalis in Papa & in Episcopis est æqualis; sed est actus iurisdictionis, ac proinde fieri potest à Papa electo nondum consecrato, quamuis ab ipso non consecrato nequeat Confirmatio validè administrari, sicut collatio iurisdictionis completæ ad absolvendum potest fieri à Parocho nondum Presbytero, quamuis ipse nequeat absolueri.

Fit autem dicta commissio validè, quamuis fiat absque causa; quia non est dispensatio in aliqua lege diuina, sed est concessio cuiusdam facultatis, non tamen fit licitè, absque causa iusta, ut indicat Eugenius IV. verbis supra adductis: & dicta commissio non expirat morte Papæ illam concedentis, ut aduertunt Suarez & Aegidius, quia est concessio gratiæ. *Eugen. IV.* *Suarez.* *Aegidius.*

Addimus, in quo etiam conueniunt communiter Doctores, dictam commissionem fieri non posse ab alijs Episcopis, ut quidam falsò existimant, sed tantum à Papa; & non posse fieri alijs inferioribus Clericis, ut alij falsò docent, sed tantum Sacerdotibus; quia hæc tantum duo constant ex vsu & praxi Ecclesiæ, & non aliud adhuc ex alio fundamento.



DIFFICULTAS XIV.

Quibus caerimonijs Sacramentum Confirmationis conferatur.

**I**N primis ante administrationem Confirmationis conficitur Chrisma ab Episcopo, mixtione olei & balsami, & eorum benedictionibus: & supra Chrisma iam factum aliquotieshalat Episcopus: & iam omnino consecratum salutatur ab Episcopo & Presbyteris his verbis: *Aue sanctum Chrisma*. Quorum convenientiam ostendit Bellarminus de Confirmatione cap. 13.

Bellarmin.

Secundò, quando baptizatus confirmandus est, adhibetur patrinus qui confirmandum tenet, quod in Ecclesia est antiquissimum, ut constat ex can. *In Catechismo*, de Consecratione, dist. 4. & ex can. *De his*, 30. quæst. 1. & ex c. 1. de Cognatione spiritali, in 6. & patrinus qui non tenet confirmandum, non contrahit cognationem spiritua-lem, ut dicimus Tractatu de Matrimonio, Disputatione XVIII. Difficul. XIII. & non tenetur patrinus confirmatum instruere in rebus fidei & in moribus, nisi in defectu patrini Baptisimi; & non

potest esse patrinus, nisi vnus aut vna, ut patet ex can. *Non plures*, de Consecratione, dist. 4. & ex cap. finali de Cognatione spiritali, in 6. & non potest esse nisi qui est confirmatus, ut deducitur ex can. *In Baptismate*; de Consecratione, dist. 4. etiam potest esse qui fuit patrinus in Baptismo.


Tertiò, Episcopus confert pacem iam confirmato in signum acceptæ gratiæ Spiritus sancti, cuius effectus est pax.

Quartò, confirmato alapam infligit, ut aduertat, ipsum in posterum forti animo quamcumque ignominiam pro Christo toleraturum.

Quintò, caput confirmati vittâ lineâ ligatur, ne Chrisma defluat, quæ tamdiu ferenda est, quamdiu consuetudo obtinuerit, nisi ex rationabili causa citiùs ex consensu Episcopi tollatur.

Sextò, Confirmatio quouis tempore, etiam in Festo, & interdicti, conferri potest, sicut Baptisimus, & extra Ecclesiam, & à non ieiunis conferri & suscipi.

Addimus, omnes dictas caerimonias, & omnes alias quæ in Sacramento Confirmationis adhibentur, convenientes esse, ut generaliter de omnibus caerimonijs, quæ in administratione Sacramentorum adhibentur, definit Tridentinum sess. *Trident.* 7. can. 13. de Sacramentis in genere.





# TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De natura & essentia virtutis Pœnitentiæ.

#### DIFFICULTAS PRIMA.

##### *Quid sit Pœnitentia.*



Isidorus.  
August.

**V**t à nomine ipso exordiamur, Pœnitentia, vt constat ex Isidoro 3. Etymologiarum, cap. vlt. & ex Augustino de Vera & falsa pœnitentia, cap. 19. dicitur à pœna, ita vt pœnitere idem sit quod pœnam tenere: & pœnitentia, vt indicat Augustinus, idem quod pœnæ tenentia; aut idem quod punientia, vt loquitur Isidorus. Et quia displicentia & dolor de peccato est prima pœnitentia, imò præcipua, ideò pœnitentia præcipuè significat displicentiam & dolorem peccati commissi: quamuis hæreticis, quibus omnis austeritas displicet, videatur quòd pœnitentia non sit idem quod pœnæ tenentia, nec dolor seu afflictio, sed idem quod resipiscentia quædam, & amor nouæ vitæ. Gratis tamen & absque fundamento ita sentiunt, & contra Auctores Latinos, quibus in hac re maximè credendum est, & etiam contra Patres, imò & contra Scripturam, vt ostendunt Suarez disp. 1. sect. 1. & Ægidius disp. 1. dub. 1.

Suarez.  
Ægidius.  
August.

Vt verò ad rem accedamus, pœnitentia variè à Patribus definitur. Ab Augustino Epist. 108. definitur, quòd sit, *honorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pœctora tundimus dicentes, Dimitte nobis debita nostra.* & de Vera & falsa pœnitentia cap. 19. quòd sit, *quædam dolentis vindicta semper puniens quod dolet commisisse.* & lib. 3. Hypognosticòn, quòd sit, *res optima & perfecta, que omnes defectus reuocat ad perfectum.* Et à Gregorio Hom. 34. in Euangelia definitur, quòd sit, *perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare:* hoc autem posterius addit, vt indicet in pœnitentia includi propositum non peccandi in futurum. Exacta tamen & metaphysica definitio pœnitentiæ tradetur à nobis Diffic. 14.

Gregorius.

#### DIFFICULTAS II.

##### *Vtrum sit aliqua Virtus Pœnitentiæ.*

**C**onueniunt primò Doctores, odium seu detestationem peccati commissi, id est affectum quo odio habemus & detestamur nos peccasse, & dolorem seu tristitiam de peccato commisso, id est affectum quo dolemus & tristamur quia peccauimus, esse actus pœnitendi, vt ex se patet, & suppo-

nitur in Tridentino sess. 14. cap. 1. & 4. quia duo *Trident.* prædicti affectus sunt actus pœnitendi de peccato commisso, quamuis diuerso modo; quia dolor seu tristitia est affectus pœnitendi formaliter, vt patet; & odium seu detestatio est affectus pœnitendi radicaliter, quia est radix prædicti affectus doloris seu tristitiæ.

Pro huius autem intelligentia obseruandum est, circa malum apprehensum vt præsens, esse in voluntate duplicem affectum, alterum puræ displicentiæ absque vitali inquietudine, & anxietate, seu afflictione (qualis est in Deo & in Beatis de peccatis nostris, & in Beatis etiam de propriis peccatis commissis in via) qui dicitur odium & detestatio; & alterum displicentiæ, quæ est vitalis quædam inquietudo, angor, seu afflictio (qualis non reperitur in Deo, quia est incapax illius, nec in Beatis, quia sunt impediti gaudio beatifico) & dicitur dolor & tristitia. Imò prior ille affectus puræ displicentiæ etiam dicitur dolor & tristitia in subiecto capaci doloris & tristitiæ, & non impedito ad habendum affectum doloris & tristitiæ; quia in eo subiecto prior ille affectus regulariter est radix & causa doloris & tristitiæ: eo enim ipso quòd quis odio habet malum aliquod, quod apprehendit aliquo modo vt præsens, regulariter tristatur & angitur ob illud. Isti tamen duo affectus (qui possunt esse efficaces & inefficaces) quamuis vertentur circa idem obiectum materiale & formale, specie physica distinguuntur ob dictum diuersum modum, quo voluntas mediis illis tendit in idem obiectum materiale & formale, sed non distinguuntur specie morali, quia habent eandem bonitatem moralem, seu consonantiam ad rationem.

Constat ergo, affectum doloris seu tristitiæ de peccato commisso esse formaliter actum pœnitentiæ, cum sit formaliter pœnitudo; odium verò seu detestationem puram peccati commissi esse radicaliter actum pœnitentiæ, quia est radix & causa dicti affectus doloris, in quo consistit formaliter pœnitudo.

Conueniunt secundò Doctores, intentionem seu voluntatem destruendi peccatum quoad culpam & offensam Dei, esse actum pœnitentiæ, quia intentio destruendi peccatum est maximum quoddam & efficax pœnitere de peccato, non pœnitere formaliter, quia dicta intentio non est formaliter pœnitudo; imò non est pura displicentia seu fuga peccati,



peccati, sed complacentia & prosecutio ipsius non esse peccati, seu destructionis illius: nec radicaliter, quia non est radix doloris de peccato, sed esse pœnitere, seu actum pœnitendi consequenter, quia est quædam complacentia efficax, seu prosecutio ipsius non esse peccati, orta ex displicentia seu fuga efficaci tam pura quam dolorosa peccati (quia ex utraque oriri potest) & ab ea distincta specie physica, quamvis non morali; sicut ex displicentia seu fuga inefficaci peccati tam pura quam dolorosa potest oriri prosecutio inefficax ipsius non esse peccati, quæ etiam suo modo sunt actus pœnitendi (quamvis imperfecti) alia radicaliter, nempe pura displicentia; alia formaliter, nempe displicentia dolorosa; alia consequenter, nempe dicta prosecutio inefficax.

Conueniunt tertio Doctores, ad dictos actus pœnitentiæ esse in voluntate habitum, quia in eis eliciendis est in voluntate aliqua difficultas.

Est tamen difficultas, An habitus in dictos actus pœnitentiæ inclinans, & eos eliciens, sit verè virtus.

Aristot.

Ratio difficultatis pro parte negatiua desumitur ex Aristotele 4. Ethicor. cap. 9. dum ait, verècundiam non esse virtutem, sed passionem laudabilem; ergo nec pœnitentia est virtus. Consequentia probatur, quia si verècundia non est virtus, maximè quia supponit turpe factum de quo quis erubescit; sed etiam pœnitentia supponit actum turpem de quo quis pœnitet; ergo etiam pœnitentia non est virtus.

Nihilominus Theologi conueniunt, habitum pœnitentiæ inclinantem in prædictos actus pœnitentiæ, esse verè virtutem (& consequenter esse aliquam virtutem pœnitentiæ) quia dicti actus pœnitentiæ sunt honesti, vt patet, & constabit ex dicendis; ergo habitus pœnitentiæ in eos inclinans est verè virtus. Consequentia patet, quia virtus est qua honestè viuatur.

Obseruandum est, quòd quamvis in voluntate possit esse affectus puræ displicentiæ, & affectus doloris circa peccatum, vt dissonum rationi, & offensiuum Dei: in appetitu verò sensitiuo, neutro modo esse potest affectus circa peccatum, quia præterquam quòd peccatum, vt offensiuum Dei, est ad alterum, nempe ad Deum, & appetitus sensitiuus nequit esse ad alterum, etiam peccatum tam vt dissonum rationi, quam vt offensiuum Dei, non est quid materiale, sed quid spirituale seu immateriale, circa quòd vt sic nequit versari appetitus sensitiuus, quia in sensu interiori, cuius solius cognitione ducitur appetitus sensitiuus, nequit esse cognitio rei, aut rationis immaterialis. Nihilominus in appetitu sensitiuo potest esse affectus displicentiæ, tam puræ quam dolorosæ circa peccatum apprehensum quasi malum materiale, qui deriuari potest, & sæpè deriuatur ex affectu displicentiæ voluntatis in appetitum sensitiuum: ab eo tamen affectu non accipit bonitatem, quia quando affectus displicentiæ elicitur, non elicitur ex motiuo dicti affectus voluntatis, tamquam medium vtile ad motiuum affectus voluntatis, nec tamquam electio alicuius medij vtilis ad illud, sed elicitur ex suo proprio motiuo. Vnde affectus displicentiæ circa peccatum in appetitu sensitiuo propriè non est actus peculiaris virtutis pœnitentiæ, nec imperatus, sed tantum deriuatus ex affectu illius, ratione connexionis &

sympathiæ naturalis inter voluntatem & appetitum sensitiuum.

Addimus, humiliationem & alia opera satisfactoria facta ex intentione puniendi culpam, vt offensam Dei, pertinere ad pœnitentiam non elicituè, nec imperatiuè, sed tantum reductiuè.

Ad rationem difficultatis respondemus, verècundiam, seu pudorem de facto turpi, non esse actum virtutis, nec laudabilem (quamvis aliquando habeat effectum laudabilem, quando scilicet retrahit à peccato) quia verècundia est timor infamiæ, proueniens ex motiuo & affectu propriæ æstimationis & honoris, siue in debita mensura, siue non: & quia hoc motiuum vt sic non minùs impellit aliquando ad peccatum, quam aliquando retrahit ab illo, idè verècundia & pudor ex se non est actus honestus & laudabilis, ac proinde nec virtutis; detestatio verò & dolor de peccatis contra Deum semper ex se est actus honestus & laudabilis, quamvis supponat actum turpem, ac proinde potest esse actus virtutis.

### DIFFICULTAS III.

*Vtrum sit aliqua peculiaris & determinata virtus Pœnitentiæ.*

**A** Ltiſiodorensis lib. 4. Summæ, tractatu 6. *Altiſiodor. Maior.* quæst. 3. & Maior in 4. dist. 14. quæst. 2. dubio 1. docent, non esse aliquam peculiarem & determinatam virtutem pœnitentiæ, ad quam peculiariter pertineat detestari & dolere de peccatis, & eorum destructionem intendere, sed generaliter ad quamlibet virtutem pertinere detestationem & dolorem peccatorum sibi oppositorum, & eorum destructionem intendere; ac proinde quamlibet virtutem, vt inclinantem in hos dictos actus pœnitentiæ, esse veram pœnitentiam. Et probari potest, Primò, quia ad id tantum pertinet fugere malum aliquod, & eius destructionem intendere, ad quod pertinet prosequi bonum cui illud malum opponitur: sed ad quamlibet virtutem pertinet prosequi bonum alicui peccato oppositum; ergo ad quamlibet pertinet fugere peccatum illud suo bono oppositum, & eius destructionem intendere, & non ad aliam virtutem; ac proinde quælibet virtus est verè pœnitentia respectu peccati sibi oppositi, prout inclinatur in fugam peccati sibi oppositi, & in intentionem destructionis illius, & præter eas non est alia peculiaris virtus ad quam id pertineat. Secundo, quia intentio satisfaciendi pro offensa parentibus & proximis illata, pertinet ad pietatem aut iustitiam, contra quas delinquendo illos offendimus, & non ad aliam virtutem; ergo intentio satisfaciendi pro offensa Deo facta (& idem est de detestatione & dolore illius) pertinet ad eam virtutem, contra quam delinquendo Deum offendimus, & non ad aliam distinctam.

5. Thomas verò quæst. 85. artic. 2. Vasquez *S. Thomæ. Vasquez.* dub. vnico, & communiter Scholastici in 4. dist. 14. docent, esse peculiarem & determinatam aliquam virtutem pœnitentiæ, & meritò: quia verè sunt actus aliqui pœnitentiæ honesti, proprii & peculiari honestate, non conuenientes generaliter virtutibus, & in quibus eliciendis voluntas patitur aliquam difficultatem: ergo verè est



aliqua virtus pœnitentiæ determinata & peculiaris. Antecedens probatur, quia detestatio & dolor peccati, quo peccator detestatur peccatum, & dolet de eo quatenus est offensa Dei ex complacentia ipsius peccatoris, quia ipsi est malum offendisse Deum, sunt verè actus pœnitentiæ (detestatio radicaliter, & dolor formaliter) vt patet, & sunt honesti (vt pote rationi consoni) vt etiam patet, & non conueniunt generaliter virtutibus, quia virtutes generaliter non detestantur peccatum, & dolent de eo, vt est offensa Dei ex complacentia ipsius peccatoris, sed tantùm vt est dissonum rationi; ac proinde sunt honesti peculiari honestate non conueniente generaliter virtutibus, & in eis elicendis est in voluntate difficultas, vt etiam patet. Et eodem modo intentio peccatoris compensandi offensam Deo illatam per peccatum, & eam destruendi ex complacentia sui, quia sibi est malum perseuerare in statu offensoris Dei, etiam est actus pœnitentiæ, & honestus, & peculiari honestate, & non conueniens generaliter virtutibus, & in eo actu elicendo est in voluntate aliqua difficultas; ergo.

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, quòd quamuis quælibet virtus detestetur peccatum sibi oppositum, & de eo doleat ex suo proprio motiuo, ac proinde quælibet possit dici pœnitentia, prout inclinatur in eos actus detestationis & doloris ex suo proprio motiuo elicitos, non tamen detestatur peccatum, nec dolet de peccato quatenus est offensa Dei, & sub hoc respectu non opponitur illis, sed tantùm quatenus est contra rationem, & ei dissonum, non habito respectu ad Deum: quia quamuis ipsa culpa seu malitia, quæ consistit in dissonantia & contrarietate ad rationem, sit ipsa offensa Dei, quia ea dissonantia est obiectum displicens Deo, in quo consistit esse offensa Dei; nihilominus formaliter distinguitur ab offensa Dei, quia dissonantia ad rationem non concipitur vt offensa Dei, dum tantùm concipitur vt dissonantia ad rationem, quousque etiam concipiatur vt obiectum displicens Deo: & idèd præter alias virtutes, quibus detestamur peccatum vt rationi dissonum, constituenda est peculiaris virtus pœnitentiæ, qua detestemur culpam, seu dissonantiam ad rationem, vt offensam Dei, & qua de culpa, quatenus offensa Dei, doleamus, & qua intendamus destruere statum culpæ vt est offensa Dei, quod est compensare offensam Dei, & pro ea satisfacere.

Et ad secundam concedimus Antecedens, & negamus Consequentiam, ob discrimen inter offensam parentibus & proximis ex vna parte, & inter offensam Deo factam per peccatum ex altera; quia offensa parentibus & proximis facta est strictè contra iustitiam in illos, quia eos verè lædimus, offensa autem contra iustitiam strictè in aliquem, verè aufertur per iustitiam oppositam iniustitiæ, & non per aliam virtutem, quia tantùm per actum illius aufertur læsio contra ipsam, & intentio illam auferendi elicita ex complacentia ipsius intendentis (& idem est de detestatione & dolore illius) etiam est iustitiæ, & non alius virtutis; ac proinde ad hanc intentionem, & ad ablationem dictæ iniustitiæ, sufficit virtus iustitiæ, quæ erga parentes dicitur pietas, & erga proximos retinet nomen iustitiæ. Offensa verò Deo illata per peccatum, etiam sacrilegij, non est

contra iustitiam aliquam strictè in Deum, quia non offendimus Deum ipsum lædendo, sed ei displicendo nostris peccatis, & efficiendo nos ipsi inuisos, & coram ipso maculatos, quod non aufertur actu oppositæ virtutis, sed actu charitatis; quia hoc actu, & non actu oppositæ virtutis, efficiamur Deo grati, & coram ipso mundi; & intentio destruendi dictam offensam elicita ex complacentia operantis (& idem est de detestatione & dolore illius) non est charitatis, per cuius actum destruitur, quia non elicitur ex complacentia Dei, nec est illius virtutis contra quam fuit peccatum, quia ad hanc tantùm pertinet destructio peccati vt offensa Dei, ac proinde intentio illa (& idem est de detestatione & dolore illius vt offensa Dei est) pertinet ad virtutem pœnitentiæ, distinctæ ab omnibus aliis.

Ex dictis constat, obiectum materiale peculiaris & determinatæ virtutis pœnitentiæ, quoad actus detestationis & doloris, esse peccatum prout est offensa Dei; & obiectum formale illius, quoad eisdem actus (quod in vnaquaque virtute est proprium, & proximum motiuum actuum illius) esse idem peccatum vt offensam Dei, quatenus ipsi pœnitenti malum vt sic: Quia peccatum vt offensa Dei, vt sic malum pœnitenti, est motiuum detestationis & doloris peccati, vt offensa Dei, siue perseuerantis, siue iam remissi. Obiectum verò materiale virtutis pœnitentiæ, quoad dictam intentionem destruendi offensam Dei esse destructionem offensa Dei, seu non esse offensa Dei, prout subest destructioni; formale verò, esse bonitatem ipsius destructionis, quæ est bona ipsi pœnitenti.

Obseruandum tamen est, quòd quando sancti Patres nos ad pœnitentiam interioriorem exhortantur, & eius valorem prædicant, non curant de dicta peculiari pœnitentia, quia hæc nec est necessaria ad iustificationem quam Patres nobis desiderant mediâ pœnitentiâ, nec ad illam sufficit, quia nec est sanctitas, nec vltima dispositio ad illam; sed loquuntur de contritione perfecta, quæ verè sanctificat animam, aut tamquam forma, aut tamquam vltima dispositio ad illam. Et quamuis contritio perfecta elicatur à charitate, vt dicemus Disp. 11. Diffic. 1. nihilominus optimè dicitur pœnitentia; quia perfecta contritio est vera displicentia peccati siue pura siue dolorosa: & quia perfecta contritio est sufficiens & efficax ad destruendum peccatum, idèd potest reflexè imperari ab intentione compensandi seu destruendi offensam Deo per peccatum illatam, quæ intentio est actus elicitus à dicta peculiari virtute pœnitentiæ, à qua intentione contritio perfecta nullam accipit bonitatem, sed tantùm ex motiuo charitatis à qua elicitor: quia quando ipsa contritio elicitor, non elicitor ex motiuo pœnitentiæ, nec ob bonitatem pœnitentiæ, sed tantùm ex motiuo charitatis à qua elicitor, ipsa tamen intentio dicta accipit bonitatem moralem à contritione perfecta imperata, quia ipsa intentio, quantum est ex se, inducit voluntatem ad ipsam contritionem.



## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum virtus peculiaris pœnitentiæ ita sit peculiaris, vt sit distincta à iustitia, & à religione, & ab alijs omnibus.*

Scotus.  
Durand.  
Gabriel.

Scotus in 4. dist. 14. quæst. 2. Durandus q. 2. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 9. docent, peculiarem virtutem pœnitentiæ non esse distinctam à iustitia, quia per pœnitentiam recompensari intenditur offensa & iniuria Deo facta per peccatum. Proprium autem est iustitiæ, iniurias recompensare, & omnem inæqualitatem auferre. Dissentiunt tamen prædicti in assignanda iustitia, à qua dicunt pœnitentiam non distingui: quia Scotus existimat, non distingui à iustitia punitiua seu vindicatiua; Durandus, non distingui à iustitia commutatiua; & Gabriel, non distingui à iustitia distributiua.

Suarez.  
Ægidius.

Suarez disp. 7. sect. 2. & Ægidius d. 1. dub. 4. docent, virtutem peculiarem seu specialem pœnitentiæ non esse distinctam à virtute religionis. Quod indicare videtur S. Thomas 2. 2. q. 85. ar. 1. dum ait, religionem dici à reeligendo, quia Deum, quem negligenter amiseramus, reeligimus per religionem; id autem efficitur per pœnitentiam. Et ratione probatur Primò, quia per pœnitentiam intendimus compensare offensam Deo per peccatum illatam: sed per peccatum offendimus Deum, ipsi auferendo honorem; ergo per pœnitentiam intendimus Deo honorem ipsi ablatum reddere, & ipsum colere, quod ad religionem pertinet, ergo pœnitentia est religio. Secundò, quia ad intentionem satisfaciendi pro offensa parentibus & proximis illata, non datur virtus aliqua distincta ab omnibus alijs, quia ad id sufficit pietas aut iustitia, contra quas delinquendo illos offendimus; ergo ad intentionem satisfaciendi pro offensa Deo facta, quæ etiam ad pœnitentiam pertinet, sufficit illa virtus, contra quam delinquendo Deum offendimus.

Scotus.  
Bellarm.  
Valentia.  
Vasquez.

Scotus verò in 4. d. 14. quæst. 2. art. 3. Bellarminus 2. de Pœnitentia cap. 7. Valentia disp. 7. q. 2. punc. 1. & Vasquez q. 85. art. 3. docent, & optimè, virtutem pœnitentiæ esse ita peculiarem seu specialem, vt sit distincta à iustitia, & à religione, & à charitate, & ab obedientia, & à qualibet alia.

Et in primis distinguitur à iustitia strictè sumpta; quia satisfactio, seu recompensatio ex iustitia strictè sumpta, supponit illatam iniustitiam strictè sumptam, & inæqualitatem, quam reducat ad æqualitatem & ad iustitiam: satisfactio autem, seu recompensatio pro offensa Dei, quæ intenditur per pœnitentiam, non supponit iniustitiam aliquam strictè sumptam Deo per peccatum illatam, quia peccatis nostris, v. g. superbiam, nullam strictè iniustitiam contra Deum committimus; aliàs quolibet peccato, v. g. intemperantiæ, peccantes, duplex ad minus peccatum committeremus, alterum contra temperantiam, & alterum contra iustitiam in Deum, quod est manifestè falsum, quia nullo peccato distincto à peccato sacrilegij. Imò nec isto possumus Deo iniustitiam strictè sumptam inferre, quia Deus nullo nostro peccato, neque sacrilegij, quo Deo honorem auferimus, potest strictè lædi & damnificari, sicut ex nullo nostro obsequio & bono opere, neque religionis, po-

test Deo aliquid strictè emolumenti euenire, vt significatur Iob 22. *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei confert, si fuerit immaculata via tua?* de quo latè diximus Tractatu de Incarnatione, Disp. 1. Diffic. xx. Ergo pœnitentia est distincta virtus ab omni stricta iustitia, præsertim à commutatiua.

Et specialiter distingui à iustitia distributiua, contra Gabrielem probatur, quia hæc respicit æqualitatem non Arithmeticam, seu inter duas res, vt inter pecuniam & mercedem; sed æqualitatem Geometricam, seu inter duas proportiones, qualis est æqualitas quæ ex vna parte versatur inter proportionem bonorum distributorum, & ex altera inter proportionem meritorum plurium personarum, quibus facienda est distributio. Ille autem qui per pœnitentiam intendit recompensare offensam Deo illatam, non intendit ponere æqualitatem Geometricam, aut saltem ad eam non attendit; sed tantum ad Arithmeticam, nempe ad eam quæ est inter offensam Deo illatam, & inter recompensationem illius.

Et quòd etiam distinguitur à iustitia punitiua seu vindicatiua strictè sumpta (qualis in nobis reperitur) contra Scotum probatur, quia in primis pœnitentia, quatenus intendit compensare seu delere offensam Dei, non est iustitia punitiua seu vindicatiua, quia pœnitentia vt sic, non intendit punire & vindicare, sed destruere offensam Dei. Et quamuis intentio satisfaciendi pro debito pœnæ temporalis, etiam pertineat ad pœnitentiam (quamuis reductiue tantum) quia id est intendere punire offensam Dei; nihilominus nec pœnitentia vt sic est iustitia punitiua seu vindicatiua strictè, quia ipsa satisfactio pro pœna non est actus iustitiæ punitiue seu vindicatiue strictè, quia per eam satisfactionem non relascitur Deo offensa iniuria, seu iniustitia strictè sumpta, quia nulla talis infertur nec inferri potest Deo per peccatum.

Deinde secundò pœnitentia distinguitur à religione, quia per religionem strictè profiteamur Dei excellentiam, ipsum colendo, vt sit per adorationem, per sacrificium, per orationem, per votum, per iuramentum, & non per quodcumque aliud opus bonum, nisi latiori significatione; aliàs à contrario quodcumque peccatum esset sacrilegium contra religionem: sed per actus pœnitentiæ non profiteamur strictè excellentiam Dei, ipsum strictè colendo, quia displicentia, quia nobis displicet offensa Deo per peccatum illatam, & intentione satisfaciendi pro illa, quæ sunt actus pœnitentiæ, non colimus strictè Deum, nec eum vt excellentem recognoscimus & respicimus, sed tantum vt offensum; ergo.

Rursus tertio pœnitentia distinguitur à charitate, quia quamuis charitas etiam detestetur omne peccatum vt offensam Dei, & de quocumque vt sic doleat, vt detestatur & dolet pœnitentia, sed non ex complacentia pœnitentis, ex qua pœnitentia detestatur & dolet, sed ex complacentia Dei, quia est offensa ipsius Dei.

Deinde quarto distinguitur ab obedientia, quia quamuis hæc etiam detestetur omnem transgressionem legis, & de ea doleat ex complacentia ipsius pœnitentis, sed non nisi quando facta est in contemptum ipsius legis, & tunc non quia est offensa Dei, sed quia facta est in contemptum legis.



Tandem quinto, quod etiam distinguatur ab omnibus aliis virtutibus, constat ex eo, quod actus pœnitentiæ supra assignati nulli alij virtuti conueniunt, vt discurrenti per singulas facillè patebit.

Pœnitentia ergo peculiaris, ita est virtus peculiaris, vt sit distincta ab omnibus aliis, habens tamen aliquam similitudinem cum iustitia, quia aliquo modo est ad alterum, nempe ad Deum, quia elicit actus, qui versantur circa Deum, quia actus, quos elicit, versantur circa peccatum, seu circa maculam & culpam, apprehensam vt offensam Dei; & ob id pœnitentia dici potest pars iustitiæ non subiectiua (quales sunt species respectu generis, homo v. g. respectu animalis) sed potestatiua, deficiens à propria & stricta iustitia, sicut religio.

Ad rationem ergo pro Scoto, Durando & Gabriele, concedimus, per pœnitentiam intendi recompensationem offensæ & iniuriæ Deo illatæ per peccatum (quamuis per actum pœnitentiæ non fiat immediatè & formaliter, sed mediatè & efficienter moraliter, quia inducit ad contritionem, per quam recompensatur & deletur) quia tamen iniuria illa non est propriè & strictè iniustitia, sed latè, idèo pœnitentia, per quam intenditur compensari, non est iustitia strictè, sed latè.

Ad rationem verò pro Suarez & Egidio, negamus, quocumque actu peccati auferrè strictè honorem Deo, sed tantùm peccato sacrilegij, sicut nec quocumque opere bono strictè honoramus Deum, sed opere virtutis religionis; ac proinde per pœnitentiam, per quam intendimus satisfacere Deo pro quocumque peccatò, non intendimus strictè reddere Deo honorem, quod pertinet ad religionem; sed intendimus offensam Dei destruere, quod non pertinet ad religionem, adhuc quando offensa illata est Deo opere sacrilego, quo aufertur Deo honor: quia offensa, quæ per pœnitentiam intenditur destrui, non consistit in ablatione honoris, nec ea offensa quæ fit opere sacrilego, sed in ipsa malitia seu culpa; hæc autem offensa non destruitur reddendo Deo honorem ablatum, adhuc quando strictè est ablatum opere sacrilego, sed emundando animam à macula illa & culpa relicta post actum peccati, quæ re ipsa est ipsa offensa Dei, quod nec intenditur, nec fit opere religionis, sed intenditur per pœnitentiam, & fit per actum charitatis, & quancumque aliam formam iustificantem.

Pœnitentia ergo peculiaris pro actu formalissimo est dolor, quo quis dolet se offendisse Deum, aut in statu offensoris perseverare; & sumpta pro virtute, est habitus inclinans in dolorem, quo quis dolet se offendisse Deum, aut se in statu offensoris perseverare.

#### DIFFICULTAS V.

*Utrum virtus peculiaris pœnitentiæ sit supernaturalis.*

**S**upponimus, virtutem peculiarem, seu specialem pœnitentiæ, non esse Theologicam, sed moralem: quia quamuis actus ipsius sint circa Deum, sed non circa Deum in recto, seu directè, sed tantùm in obliquo seu indirectè, sicut religio. Quia sicut religio, habet pro obiecto directo cultum Dei, & non Deum nisi in obliquo, tamquam

eum cui cultus defertur; ita etiam peculiaris pœnitentia habet pro obiecto directo intentionis ab ipso elicitæ compensationem seu destructionem iniuriæ Deo factæ, & non Deum nisi in obliquo; & pro obiecto directo displicentiæ ab ipsa elicitæ habet ipsam offensam Dei, & non Deum nisi in obliquo, tamquam eum cuius est ipsa offensa, quæ displicet, & destrui intenditur.

Hoc ergo supposito, Durandus in 4. d. 14. q. 2. *Durandus.*  
Ioannes Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 1. *Ioannes Medina.*  
docent, peculiarem virtutem pœnitentiæ esse naturalem, & non esse aliquam supernaturalem. *Canus.*  
Canus vero Relect. de Pœnitentia 2. parte, concl. vlt. & Vasquez quæst. 85. art. 5. dub. 2. docent e contra esse supernaturalem, & nullam posse esse naturalem. *Vasquez.*

Nos tamen existimamus posse esse aliquam peculiarem virtutem pœnitentiæ supernaturalem, & aliquam naturalem (quod etiam conuenit omnibus aliis virtutibus moralibus, & supponit Bartholomæus Medina 2. quæst. 61. art. 5.) quia sunt aliqui actus pœnitentiæ peculiaris, qui sunt ex obiecto supernaturales, & alij qui sunt naturales, ergo. Antecedens autem probatur, quia potest esse displicentia peccati vt offensiui Dei, tam pura quam dolorosa, quæ sit ob motiuum supernaturale proprium, nempe ob offensam Dei vt est mala pœnitenti, vt conciuat Sanctorum, & domestico Dei, eleuato ad finem supernaturalem; & potest etiam esse displicentia peccati, vt offensiui Dei, tam pura quam dolorosa, quæ sit ob motiuum naturale proprium, nempe ob offensam Dei vt est mala pœnitenti, vt ciui congregationis humanæ secundum se, non eleuato ad finem supernaturalem. Et eadem proportione potest esse intentio compensandi seu destruendi culpam seu peccatum vt offensam Dei, quæ sit ob motiuum supernaturale proprium, nempe ob compensationem seu destructionem offensæ Dei, vt ea compensatio seu destructio est bona ipsi pœnitenti, vt ciui supernaturali; & potest esse aliqua, quæ sit ob motiuum naturale proprium, nempe quia ea compensatio seu destructio est bona pœnitenti, vt ciui naturali, non eleuato ad finem supernaturalem.

Quod si est aliqua virtus specialis pœnitentiæ supernaturalis, etiam erit per se infusa, quia ad omnem actum supernaturalem ex obiecto, qui difficilè elicitur, vt eliciuntur dicti actus pœnitentiæ specialis supernaturalis, Deus infundit habitum perfectiorem ipsis actibus, quo tamquam principio potentiam eleuante, ab ipsa connaturaliter eliciantur. Id tamen non tollit actibus pœnitentiæ supernaturalibus acquiri habitum, qui etiam sit virtus, & quo actus supernaturales illius promptè & facillè eliciantur, & qui sit minùs principalis quam actus, quia non concurrat ad eorum substantiam, sed tantùm vt promptè & facillè eliciantur.

#### DIFFICULTAS VI.

*Utrum omne peccatum sit obiectum materiale peculiaris virtutis pœnitentiæ.*

**C**onueniunt Theologi, peccatum actuale proprium, non solum mortale, sed etiam veniale, esse obiectum materiale peculiaris virtutis pœnitentiæ. Quod de mortali est manifestum, quia



quia in peccato actuali mortali proprio cuiuslibet, verè fuit offensa Deo illata, quam dicta virtus possit detestari, & de qua possit dolere, & cuius destructionem possit intendere: & id etiam de veniali negari non potest, quia etiam in eo verè est culpa & offensa Deo ipsi displicens, quamuis leuis, quam etiam peculiaris virtus pœnitentiæ possit detestari, & de qua possit dolere, & cuius destructionem possit intendere.

Et ob rationem dictam non solum peccatum ipsum actuale proprium, tam mortale quam veniale, vt fuit actualiter, seu in primo fieri, est obiectum materiale peculiaris virtutis pœnitentiæ, sed etiam postquam transit, & tantum perseverat habitualiter, vt advertunt Suarez disp. 2. sect. 1. & Aegidius disp. 1. dub. 3. quia pœnitens non solum detestatur & dolet se offendisse Deum, sed etiam detestatur se esse in statu offensoris Dei, & de eo dolet, imò tantum intendit destruere offensam vt habitualiter perseverantem, quia hoc est possibile, & non vt fuit in primo fieri; quia impossibile est, quòd pœnitens intendat destruere quod offenderit Deum, cum impossibile sit quòd non offenderit illum.

Circa peccatum originale vnicuique proprium, non est negandum, posse esse in nobis displicentiam (tam puram quam dolorosam) qua ex complacentia nostri displiceat illud vt offensam habitalem Dei contraxisse, & etiam in eo vt sic perseverasse, quia nobis est malum fuisse, & esse habitualiter offensores Dei, & ipsi iniustos: & quamdiu perseverat, etiam posse esse in nobis intentionem destruendi illud vt offensam Dei ex complacentia nostri, quia destructio illius vt sic, est nobis bona.

Vnde negandum non est, dictos actus displicentiæ & intentionis circa peccatum originale, vt offensivum habitualiter Dei, elici à virtute peculiaris pœnitentiæ, sicut ab ea eliciuntur actus displicentiæ & intentionis similes circa peccatum actuale mortale habituale, quia omnes isti & illi actus sunt pœnitendi (sive radicaliter sive formaliter, sive consequenter) de offensa Dei, & eiusdem rationis quoad esse morale. Cui non obstat, quòd dicti actus circa originale proprium non habeant rationem retractationis & resipiscentiæ cum displicentiâ peccati, & intentio illud destruendi tantum habeat rationem retractationis & resipiscentiæ, quando est de peccato propria voluntate contracto: quia respectus retractationis & resipiscentiæ absque fundamento aliquo exigitur ad rationem pœnitentiæ, imò contra rationem, quia absque eo respectu possunt esse actus verè pœnitendi & dolendi.

Peccatum ergo originale proprium verè est obiectum materiale virtutis peculiaris pœnitentiæ, & prædicti actus circa illud sunt verè pœnitentiæ, & habitus, vt in eos inclinans verè est virtus peculiaris pœnitentiæ, quamuis non ita strictè, ac vt inclinans in similes actus circa peccatum actuale propria voluntate contractum, vt advertit S. Thomas quæst. 48. art. 2. ad 3.

Peccatum verò alienum, sive actuale sive originale, non est obiectum materiale virtutis peculiaris pœnitentiæ (vt advertit Vasquez quæst. 85. art. 4. dub. 2.) quia displicentiâ, quæ esse potest de peccato proximi vt offensivo Dei, vel est ex complacentia Dei, quia Deo displicet, & hæc est charitatis erga Deum; vel ex complacentia proximi, qui

peccavit & Deum offendit, quia ipsi fuit vel est mala, & hæc est beneficentiæ erga ipsum proximum. Et si esse potest, & aliquando est ex complacentia ipsius, cui culpa & offensa est aliena, nequit esse eiusdem honestatis & virtutis, ac est in ipso proximo; quia huic aliter est mala quam illi alteri; ex ipso tamen motivo, ex quo elicitur, discernenda est, an sit honesta, & cuius virtutis, & an mala, & an indifferens.

## DIFFICULTAS VII.

*Quod sit subiectum proximum & immediatum virtutis peculiaris Pœnitentiæ.*

**A**ltsiodorensis lib. 4. Summæ tract. 6. q. 3. *Altsiodor.* qui ibi docuit, pœnitentiam non esse peculiarem aliquam virtutem; sed generaliter ad quamlibet virtutem pertinere, esse pœnitentiam, & pœnitere de peccatis sibi oppositis. Consequenter docuit, non esse vnum aliquod determinatum subiectum proximum pœnitentiæ, sed esse varia subiecta proxima pro varietate virtutum, quibus etiam convenit esse pœnitentias, quatenus inclinant in actus pœnitentiæ circa peccata sibi opposita. Modus tamen iste dicendi supponit, non esse peculiarem aliquam virtutem pœnitentiæ. Quod esse falsum, ostendimus Diffic. 111.

Alij verò (vt referunt Alexander 4. p. quæst. 12. *Alexand.* memb. 2. art. 3. & Bonaventura in 4. dist. 14. 1. p. *Bonavent.* distinct. art. 2. quæst. 1.) docuerunt, peculiarem virtutem pœnitentiæ proximè subiectari in intellectu, quia pœnitentia est iustitia quædam; iustitia autem constituenda est in intellectu, quia tamquam Iudex tribuit vnicuique quod suum est, & satisfacit pro iniuria vnicuique facta. Modus etiam iste dicendi non placet, quia actus interior iustitiæ non consistit in iudicando quid sit vnicuique tribuendum, nec quid sit faciendum pro iniuria vnicuique facta, sed tantum consistit in affectu tribuendi vnicuique quod suum est, aut satisfaciendi pro iniuria strictè vnicuique facta.

S. Thomas verò & Caietanus quæst. 85. art. 4. *S. Thomas.* Vasquez dub. 1. Suarez disp. 7. sect. 5. & Aegidius *Caietanus.* disp. 1. dub. 6. docent, peculiarem virtutem pœnitentiæ proximè subiectari in voluntate, & merito: *Vasquez.* quia actus huius virtutis sunt affectus voluntatis, *Suarez.* nempe displicentiâ peccati, vt offensivi Dei, & intentio illud vt sic destruendi, & non sunt actus intellectus; ergo habitus pœnitentiæ peculiaris illis *Aegidius.* actibus deseruiens (in quo virtus pœnitentiæ peculiaris consistit) est in voluntate, & non in intellectu.

Est autem in voluntate, quatenus concupiscibili, quia est in ipsa quatenus concupiscente seu appetente destructionem offensa Dei, & quatenus hanc offensam detestante, & de ea dolente; & non est in illa quatenus irascibili: quia appetitio quasi vindictæ & recruciationis pro offensa Dei, quæ esse potest in pœnitente, & pertinet ad voluntatem vt irascibilem, tantum pertinet ad pœnitentiam reductivè, non elicitive, nec imperativè, vt diximus Difficultate 11.



## DIFFICULTAS VIII.

*In quibus sit peculiaris virtus Pœnitentiæ.*

**S**upponimus, peculiarem virtutem pœnitentiæ ex sua natura acquisitam (si datur) siue naturalem siue supernaturalem, esse in omnibus illis personis aut naturis, in quibus fuerunt actus illius repetiti, quia eis acquiritur; & non fuisse in illis in quibus non fuerunt dicti actus, quia eis solum acquiritur.

Hoc supposito, difficultas est, In quibus fuerit peculiaris virtus pœnitentiæ supernaturalis, & per se infusa, vt credimus dari.

Circa hanc difficultatem, omissis variis modis dicendi, existimamus, peculiarem virtutem pœnitentiæ per se infusam non fuisse in Christo; fuisse tamen in omnibus aliis iustis viatoribus, & beatis hominibus, & Angelis, & in hominibus iustis, siue in statu innocentie siue in statu naturæ lapsæ, & in his siue paruulis siue adultis, etiam confirmatis in gratia, & in hominibus.

Et in primis non fuisse in Christo (vt contra Argentinam docent S. Thomas in 4. disp. 14. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. Paludanus q. 4. Sotus q. 2. ar. 5. Vasquez q. 85. ar. 4. dub. 2. & communiter Theologi) probatur, quia in Christo fuisset omnino superflua: quia in Christo nullo modo, nec antecederet, potuit esse peccatum, ac proinde in Christo ex defectu materiæ non potuit esse aliquis actus perfectus pœnitentiæ, qui tantum potest esse circa peccatum proprium. Quod verò in Christo potuerit esse affectus destruendi peccatum, sub conditione si ipse peccaret, non cogit ad constituendam in Christo virtutem pœnitentiæ infusam: quia virtus per se infusa, vt pote omnino liberè infusa à Deo, tantum infunditur quando potest esse actus aliquis perfectus illius, vt perfectè & connaturaliter eliciatur, non verò quando tantum potest esse actus imperfectus, qualis est dictus ille conditionatus: nec cogit ad illam constituendam in Christo, quod ea sit ornamentum animæ, quia non est ornamentum animæ Christi; quia cum actus illius supponant peccatum, nequit esse ornamentum, nisi his qui peccauerunt, aut absolute peccare potuerunt.

Quod verò infundatur, aut infusa fuerit omnibus aliis iustis in eorum iustificatione, probatur. Et in primis, quod infundatur paruulis in Baptismo simul cum charitate & aliis virtutibus infusis, quia paruuli absolute possunt peccare, & prius venialiter quam mortaliter; ergo est maxi-

mè expediens, in Baptismo fieri potentes ad perfectè & connaturaliter pœnitendum de peccatis venialibus, quæ possunt committere antequam peccato aliquo mortali amittant virtutem pœnitentiæ simul cum iustificatione, & aliis virtutibus infusis, comitibus sanctitatis & iustitiæ: etiam illos paruulos, qui de facto non sunt peccaturi (vel quia morituri sunt ante vsum rationis, vel alia de causa) quia absolute potuerunt peccare; aliis illis, qui ante vsum rationis sunt morituri, non infunderetur fides, nec spes, nec charitas (si hæc distinguitur à gratia habituali) quia de facto nullum actum earum sunt elicituri.

Et ob rationem dictam admittenda est virtus pœnitentiæ per se infusa in adultis iustis, etiam in illis qui in statu vsum rationis sunt iustificati: quia scilicet peccare possunt, & prius venialiter, quam mortaliter: & etiam in confirmatis in gratia (vt in B. Virgine) quia etiam isti antecederet possunt aut potuerunt peccare, & prius venialiter quam mortaliter, quamuis de facto non sint aut non erant peccaturi, ob externam manutentionem & protectionem Dei. Et etiam in primis parentibus in statu innocentie sanctificatis, quia etiam isti antecederet potuerunt peccare, & prius venialiter quam mortaliter, quamuis externa manutentionia Dei non erant de facto peccaturi venialiter in eo statu.

Et quod in prædictis iustis, quibus in via fuit pœnitentia infusa, etiam perseveret in patria, seu in statu beatitudinis, probatur: quia non est cur ab illis auferatur quando patriam ingrediuntur, imò eis deseruit in ornamentum. Dispar autem est ratio de virtutibus fidei & spei, vt auferantur ad introitum gloriæ (si verum est auferri:) quia his duabus virtutibus in patria succedunt alia perfectiora, quia virtuti seu habitui fidei succedit habitus luminis gloriæ animæ. Quod præsertim est verum in illis beatis, qui de facto peccarunt in via, quia in eis potest esse actus pœnitentiæ radicaliter, nempe pura displicentia & odium peccati absque dolore, afflictione, & angore, qui gaudio beatifico impeditur.

Tandem ob rationem supradictam credimus fuisse infusam omnibus Angelis in eorum sanctificatione, quia scilicet peccare potuerunt, & prius venialiter quam mortaliter; & eam perseverare in Angelis beatis in ornamentum eorum, sicut in hominibus beatis: in damnatis verò, etiam hominibus, quibus fuit infusa in via, non perseverare, quia ea fuerunt expoliati simul cum gratia, & charitate, & aliis virtutibus moralibus infusis, quando mortaliter peccarunt.

## DISPUTATIO III.

## De effectu Pœnitentiæ.



**N**OMINE pœnitentiæ in hac disputatione intelligimus non habitum & virtutem pœnitentiæ, sed detestationem & dolorem peccatorum, & non detestationem & dolorem pertinentes ad specialem virtutem pœnitentiæ circa quæcumque peccata, vt

sunt offensiva Dei, & de eis vt sic dolet; nec pertinentes ad alias virtutes, quæ detestantur peccata sibi opposita, vt dissonantia ad rationem, & de eis vt sic dolent: sed intelligimus contritionem perfectam, quæ est perfectissima pœnitentia actualis, & quam Patres intelligunt nomine pœnitentiæ.



## DIFFICULTAS I.

*Quid sit contritio perfecta.*

Trident.

**C**ontritio formalis, prout abstrahit à perfecta & imperfecta, definitur à Tridentino sess. 14. cap. 4. quòd sit, *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Est autem discrimen inter dolorem & detestationem de peccato commisso ex vna parte, & inter propositum non peccandi de cetero ex alia, quòd dolor expressus aut detestatio expressa sufficit & requiritur ad essentiam contritionis formalis, propositum verò expressum nec sufficit nec requiritur ad illam.

Et in primis, quòd dolor expressus aut detestatio expressa sufficiat, & non propositum expressum, pater: quia dolore expresso aut detestatione expressa formaliter conterimur, & non proposito expresso. Deinde, quòd dictus dolor aut dicta detestatio requiratur, & non dictum propositum, etiam pater: quia absque eo proposito, solo dicto dolore aut sola dicta detestatione conterimur formaliter, & non dicto proposito absque eo dolore aut ea detestatione. Non negamus, sed fatemur, aliquando in expresso dolore & in expressa detestatione virtualiter & implicite contineri propositum, quando sunt affectus firmi & perfecti, quia qui sic verè dolet de peccato commisso, aut illud detestatur, virtualiter & implicite proponit vitare peccatum de cetero.

Addimus, dolorem expressum aut detestationem expressam sub distinctione sufficere ad contritionem; quia quilibet affectus tam puræ displicentiæ, quam nos nomine detestationis significamus, quàm affectus doloris seu displicentiæ dolorosæ, sufficit ad contritionem, cum quilibet sit vera displicentia peccati, quæ ad contritionem sufficit. Quòd autem Tridentinum dixerit, contritionem esse dolorem ac detestationem, addendo particulam *ac*, quæ copulatiua est, quo indicare videtur, vtrumque affectum requiri ad contritionem, non obstat; vel quia Tridentinum vsum est nominibus *doloris & detestationis*, quasi synonymis, prout significantibus affectum displicentiæ, prout abstrahit à pura & à dolorosa; vel quia pura displicentia, quam nos nomine *detestationis* significamus, & dolor, semper saltem regulariter reperiuntur simul in subiecto capaci doloris, & non impedito.

Trident.

Prædicta autem contritio formalis, vt tradit Tridentinum vbi supra, duplex est: vna perfecta, & altera imperfecta. Contritio perfecta, est detestatio aut dolor de peccato propter Deum ex charitate dilectum, vt ibi significat Tridentinum dum supponit, aliquando contritionem charitate perfectam esse, & Deo reconciliare extra Sacramentum. Conuenit autem contritioni in specie perfectio charitatis, non accidentaliter & imperatiuè, vt non pauci affirmant, sed essentialiter & elicitiuè, vt Vasquez q. 86. art. 2. num. 45. & plures alij docent: quia illi conuenit ex proprio motiuo, seu obiecto formali, quamuis partiali, quia in contritione perfecta, quæ est vna actio realiter indiuisibilis, est duplex respectus ratione distinctus, alter fugæ, seu displicentiæ ad peccatum vt offensiuum Dei, quo peccatum vt sic fugimus, & nobis displi-

Vasquez.

cet ( cuius respectus obiectum tam materiale quàm formale est ipsa offensa Dei, quia ipsa displicet ob ipsam: ) & alter prosecutionis, seu complacentiæ ad Deum, quo prosequimur amore Deum, & in ipso complacemur ob eius bonitatem, ex cuius complacentia nobis displicet peccatum vt ipsi offensiuum ( cuius obiectum materiale est Deus, & formale bonitas ipsius Dei. ) Quod in omni affectu voluntatis generaliter contingit: in omni enim affectu, tam amoris quàm odij, est duplex respectus, alter ad bonum vel ad malum, quod alicui volumus aut nolumus; & alter ad personam, cui volumus aut cui nolumus malum aut bonum: qui duò respectus non distinguuntur ex natura rei, sed tantum ratione, quia numquam re ipsa separantur; quia amare aliquem beneuolè, est illi velle bonum, aut nolle illi malum ex complacentia illius; & odio habere aliquem, est nolle illi bonum, aut velle illi malum ex displicentia illius; quia numquam volumus aut nolumus bonum aut malum, nisi nobis aut aliis, & numquam nos nec alios amamus vel odio habemus, nisi volendo vel nolendo nobis aut aliis bonum aut malum. Contritio ergo perfecta non imperatur ab actu charitatis Dei, sed formaliter & elicitiuè est actus charitatis Dei vt pote ex partiali suo respectu & motiuo, quamuis ex altero suo respectu & motiuo partiali sit detestatio aut dolor de peccato.

Contritio verò imperfecta ( quæ à Doctoribus & à Tridentino sess. 14. cap. 4. dicitur attritio ) est detestatio aut dolor de peccato ex motiuo pœnarum inferni, aut aliis damni spiritualis, aut turpitudinis & malitiæ peccati, vt traditur in Tridentino. Dicitur autem contritio imperfecta, non quia sit mala seu defectuosa, sed quia non attingit perfectionem contritionis elicite ex motiuo bonitatis Dei, cui displicet peccatum, & quem, ei displicendo mediâ malitiâ seu culpâ peccati, offendimus, & non aliter.

Trident.

Est tamen difficultas, An contritio imperfecta, seu attritio, possit fieri contritio perfecta.

Circa hanc difficultatem certum est, hominem ex attrito posse fieri contritum, tam formaliter & actualiter, quia post attritionem potest elicere actum contritionis; quàm habitualiter, quia accedens ad Sacramentum Baptismi aut Pœnitentiæ cum attritione accipit habitum charitatis, qui est habitus & principium connaturale ad elicendam contritionem, quia contritio est formaliter actus charitatis, & amoris amicitie Dei. Est tamen difficultas, An attritio ipsa possit fieri contritio.

Scotus in 4. d. 14. quæst. 2. & Paludanus d. 17. quæst. 1. art. 1. docent, attritionem ipsam fieri contritionem perfectam, id tamen non eodem modo tumentur, quia Paludanus existimat, attritionem elicitam ex aliquo motiuo ex supradictis, adueniente statu gratiæ, fieri contritionem perfectam, quia extrinsecè informatur & perficitur habitu ipso gratiæ & charitatis. Scotus verò, quia existimat, actum doloris de peccatis propter Deum super omnia dilectum esse attritionem, vsque ad aliquod certum tempus soli Deo notum, & vsque ad illud non iustificare, & ab eo tempore incipere esse contritionem, & iustificare.

Scotus.  
Paludanus.

S. Thomas verò in 4. d. 17. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. Medin. Cod. de Pœnitentia q. 5. Vasquez quæst.

S. Thomas.  
Medina.  
Vasquez.



Suarez.

quæst. 86. art. 2. Suarez disp. 5. sect. 3. & communiter Theologi docent, attritionem non posse fieri contritionem, & merito: quia attritio & contritio sunt actus substantialiter & specificè diuersi habentes substantias & essentias specificè diuersas, utpote elicite ex motibus disparatis, ut patet ex dictis; vna autem substantia & essentia actus nequit fieri alia substantia & essentia alterius actus.

Trident.

Non negamus, attritionem perseverantem vsque ad statum gratiæ, informari extrinsecè, & perfici ipso habitu gratiæ, & fieri meritoriam de condigno gloriæ, ex eo tamen non fit contritio, quia dolor de peccatis non est contritio perfecta, quia extrinsecè perficitur habitu gratiæ, sed quia perficitur actuali dilectione Dei (ut satis indicatur in Tridentino sess. 14. cap. 4. & constat ex dictis) siue extrinsecè & imperatiuè, quia ab ea imperatur, ut non paucis placet; siue intrinsecè & elicituè, ut nobis probatur, quia contritio intrinsecè & formaliter, quamuis tantum partialiter, est dilectio Dei: attritio autem neutro modo perficitur actuali dilectione Dei; quia attritio non est propter Deum super omnia dilectum, in quo fallitur Scotus, & in eo, quod si esset dilectio Dei super omnia, non iustificaret vsque ad aliquod certum tempus.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum contritio perfecta sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.*

Conueniunt Theologi, nullum actum peculiaris virtutis pœnitentiæ sufficere ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, ut constat ex illo Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* & etiam ratione: quia nulla displicentia peccati, ut offensiui Dei ex complacentia pœnitentis, nec intentio destruendi illud ex complacentia eiusdem, est sanctitas animæ, ut patet; nec est vltima seu proxima dispositio ad sanctitatem, quia non est vltima aut proxima ex natura rei, ut patet; nec ex institutione Dei, quia de hac nullatenus constat. Imò ex dicto testimonio Ioannis constat, non esse eam institutionem, quia nullus actus peculiaris virtutis pœnitentiæ est dilectio Dei. Et ob dictum testimonium, & ob dictam rationem idem dicendum est de detestatione & dolore peccati, ut dissoni rationi, ut generaliter potest pertinere ad quamlibet virtutem.

Est tamen difficultas, An contritio perfecta, quæ est actus perfectissima pœnitentiæ non peculiaris, sed pertinens ad charitatem erga Deum, sufficiat ad iustificationem & remissionem peccatorum extra Sacramentum.

Kemnit.

Circa hanc rem errauit Kemnitius 2. par. Examinis, reprehendens eos, qui remissionem peccatorum tribuunt contritioni absque Sacramento; quia alias nec Sacramentum Baptismi esset medium necessarium ad remissionem peccatorum ante ipsum commissorum, nec Sacramentum Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum.

Conueniunt tamen Catholici, contritionem perfectam sufficere ad iustificationem & remissionem peccatorum absque Sacramento, quod supponitur in Tridentino sess. 6. cap. 4. & 14. & expri-

Trident.

mitur sess. 14. cap. 4. & efficaciter deducitur ex Scriptura: & in primis ex illis locis, in quibus significatur, pœnitentiam sufficere ad remissionem peccatorum, quia contritio perfecta est perfectissima pœnitentia omnium, ex illo Reg. 12. vbi Dauid dicenti, *Peccavi Domino* (quo actum pœnitentiæ significauit) statim Nathan dixit, *Dominus quoque transtulit peccatum*: & ex illo Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam*: & ex illo Ezechielis 18. *Agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Deinde efficaciter deducitur ex illis locis, in quibus dilectioni Dei tribuitur infallibiliter remissio peccatorum: ex illo 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*: & 1. Ioan. 7. *Qui diligit, ex Deo natus est*: & infra, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* quia contritio perfecta aut est formaliter & intrinsecè actus dilectionis, ut nos credimus, aut saltem à dilectione Dei imperatur.

Et ita contritio perfecta est sufficiens ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, ut extra illud etiam sit necessaria ad illam, quia absque contritione, siue formali expressa, siue virtuali & implicita, nequit fieri remissio peccatorum, ut constat ex illo Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*: & ex illo Lucæ 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.*

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum contritio perfecta expressa, absque expresso proposito non peccandi, sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.*

Adrianus Quodlib. 5. art. 3. Paludanus in 4. d. 17. q. 1. & Scotus d. 15. q. 1. ar. 5. partem negatiuam tuentur, quam indicare videtur Ambrosius in definitione pœnitentiæ, quam ex ipso adducit Magister in 4. d. 14. *Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*; & Gregorius in simili definitione pœnitentiæ, quam ex ipso Hom. 34. in Euangelia adduximus Disp. 1. Diffic. 1.

Maior verò in 4. dist. 14. q. 1. Medina Cod. de Pœnitentia, q. 3. & Vasquez q. 86. art. 2. dub. 4. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia perfecta contritio adhuc absque expresso proposito non peccandi, est perfectissima pœnitentia, & auersio à peccatis, & etiam est vera & formalis dilectio Dei, & perfectissima coniunctio beneuolentiæ cum Deo, & perfectissima conuersio in ipsum; ergo absque dicto expresso proposito sufficit ad reconciliandum peccatorem cum Deo, & ad remissionem peccatorum illius.

Addimus, eum, qui perfectè conteritur de peccatis præteritis, & dum conteritur recordatur periculi peccandi in futurum, vix posse contineri à proposito expresso non peccandi in futurum, quia contritio perfecta ad id proponendum excitar vehementer, & impellit (& in eo sensu est moraliter efficax ad id, ob quod propositum non peccandi dicitur in contritione virtualiter & implicitè contineri; & pœnitentia non tantum dicitur præterita mala plangere, sed etiam plangenda iterum non committere;) sed non necessariò excitar,

Adrianus.  
Paludan.  
Scotus.  
Ambros.

Magister.

Gregorius.

Maior.  
Medina.  
Vasquez.



excitat, vt aduertit Maior, quia nulla inter perfectam contritionem & dictum propositum est connexio ex natura rei, cuius oppositum absque firmo fundamento affirmat Vasquez.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum, vt contritio sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, necessarium sit, quod feratur in omnia peccata in particulari.*

Lodolphus.

**C**onueniunt Doctores contra Lodolphum, ad remissionem peccatorum extra Sacramentum non esse necessariam singularem contritionem pro singulis peccatis, & merito: quia ad remissionem illorum extra Sacramentum sufficit perfecta dilectio benevolentiae Dei, quae eo ipso est perfectissima auersio à peccatis, & perfectissima conuersio in Deum, & coniunctio seu adhesio amicitiae & benevolentiae cum ipso: perfecta autem contritio peccatorum, quamuis sit omnium simul, est perfecta dilectio benevolentiae Dei.

Est tamen difficultas, An, quamuis sufficiat vna contritio omnium peccatorum, simul necessarium sit quod feratur in omnia peccata seorsim, & in particulari recogitata, ea omnia seorsim & in particulari attingendo.

Canus.

Canus Relección de Pœnitentia 3. p. dub. vlt. concl. 3. partem affirmatiuam tuetur, quam tradidisse videntur Chrysostomus tom. 5. lib. 1. & 2. de Contritione, & Augustinus de Vera & falsa Religione, cap. 9. & 14. & 17. & deducitur ex illo Isaia c. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos,* &c. & ex illo Psal. 76. *Cogitani dies antiquos.*

Chrysof.

August.

Suarez.

Vasquez.

Ægidius.

Suarez verò disp. 4. sect. 3. Vasquez q. 86. art. 2. dub. 7. & Ægidius disp. 2. dub. 8. partem negatiuam tradunt, & merito: quia contritio perfecta, etiam illa quae fertur in peccata in communi & in confuso apprehensa, est perfecta dilectio benevolentiae Dei, & expressè auertens perfectissimè à peccatis; ad remissionem autem peccatorum extra Sacramentum sufficit perfecta dilectio benevolentiae Dei, saltem expressa, auertens à peccatis, vt dicemus Difficultate sequenti, siue sufficiat tamquam forma, siue tamquam proxima & immediata dispositio ad formam remissionem peccatorum.

Chrysostomus verò vbi supra tantum indicat, recogitationem peccatorum in particulari esse vtilem ad comparandam humilitatem: & Augustinus cap. illo 9. tantum indicat, ad remissionem peccatorum necessarium esse dolorem omnium eorum, dolor tamen omnium haberi potest absque eo quod feratur in ea expressè & in particulari: & cap. 14. & 17. tantum loquitur de cogitatione peccatorum in ordine ad confessionem faciendam.

In relatis autem verbis Isaia 38. & Psalm. 76. tantum habetur, Isaiam & Dauid peccata sua in particulari cogitasse, & de eis in particulari doluisse, quod quamuis perfectissimum & vtilissimum sit, non tamen necessarium.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum contritio tantum virtualis & implicita sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.*

**S**upponimus ex iam dictis, contritionem expressam & formalem, qua expressè & formaliter displicet nobis peccatum quia est contra Deum ex complacencia ipsius Dei, sufficere ad remissionem illius extra Sacramentum.

Est tamen difficultas, An ad id sufficiat contritio virtualis, quae est contenta & implicita in quocumque alio actu dilectionis amicitiae seu benevolentiae Dei.

Castus Relect. de Pœnitentia, part. 3. & Petrus Sotus lect. 3. de Pœnitentia, partem negatiuam tuentur. Primò, quia perfecta pœnitentia & contritio non est minus necessaria ad iustificationem & remissionem peccatorum extra Sacramentum, quam fides Christi; sed nullus potest iustificari extra Sacramentum absque fide expressa & explicita Christi, ergo nec absque expressa & explicita contritione peccatorum. Secundò, quia martyrium, quod est actus charitatis imperatiuè, non sufficit in hæretico, nec in schismatico, ad iustificationem, nisi hæreticus expressè reconcilietur cum Ecclesia per abiurationem hæresis, & schismaticus per obedientiam: ergo nec actus charitatis sufficit ad iustificationem absque expressa pœnitentia & contritione; quia in eo qui peccat, non est minus necessaria pœnitentia ad iustificationem, quam fides in hæretico, & obedientia in schismatico.

Medina verò Cod. de Pœnitentia, quæst. 2. Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 1. Suarez disp. 9. sect. 1. & Ægidius disp. 2. dub. 6. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia ad iustificationem & remissionem peccatorum sufficit actus dilectionis amicitiae Dei, siue tamquam forma, siue tamquam proxima dispositio: sed in peccatore potest esse actus dilectionis Dei super omnia, absque expressa contritione peccatorum: ergo ad iustificationem ab illis non est necessaria expressa contritio illorum. Maior propositio, nempe quod ad iustificationem à peccatis sufficiat actus dilectionis amicitiae Dei, constat ex illo Ioan. 14. *Si quis diligit me, Pater meus diligit eum;* & ex illo 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Minor verò, nempe quod etiam in peccatore possit esse actus dilectionis Dei absque expressa contritione, probatur: quia expressa contritio non est necessaria antecedenter ad actum dilectionis Dei tamquam principium, nec tamquam alio modo conducens ad eum eliciendum, quia sic non est necessaria ad illum ex institutione Dei, quia de hac non constat; nec est necessaria ex natura rei, quia ex natura rei, absque eo quod quis antea expressè conteratur, potest Deo desiderare bonum aliquod ipsi extrinsecum, vt gloriam & honorem, aut in aliquo bono ipsius, siue intrinsecum siue extrinsecum, complacere ex complacencia ipsius, in quo vera ratio dilectionis amicitiae erga Deum reperitur: nec est necessaria expressa contritio consequenter ad actum dilectionis Dei, quasi ad eum necessariò consequatur, quia diligenti Deum potest non occurrere in memoriam peccatum mortale. In

Canus.  
Petrus Sotus.Medina.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.



quo casu non poterit expressè conteri. Et quamuis occurrat, diligens non necessariò elicit expressam contritionem, cùm ex eo quòd quis velit Deo bonum aliquod ex complacentia illius, non necessariò elicit alios actus, quibus ipsi velit quodecumque aliud bonum, & detestatur omne quod illi grauitè displicet; etiam si quando occurrit, vix possit contineri ab expressa contritione illius, quia dilectio amicitia Dei vehementer impellit ad expressam contritionem peccati mortalis memoriae occurrentis, ob quod expressa contritio dicitur virtualiter & implicitè contineri in dilectione Dei, quia scilicet dilectio Dei habet virtutem moralem, quantum est ex se, efficacem moraliter ad excitandam expressam contritionem mortalis memoriae occurrentis.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, ad iustificationem & remissionem peccatorum extra Sacramentum necessariam esse fidem explicitam Christi, quia sufficit fides implicita in fide alicuius alius obiecti.

Et ad secundam respondemus, quòd quamuis in hæretico, adhuc manente hæretico, possit esse permissio mortis in defensionem rerum fidei, sed non erit martyrium, nec iustificabit à peccatis, quia habet quòd sit martyrium, & iustificet, ex actu dilectionis Dei à quo imperatur, qui nequit esse in hæretico manente hæretico (etiam si in eo manente tali possit esse aliquis actus fidei ob reuelationem diuinam) quia actus dilectionis Dei destruit peccatum hæresis, quia est impossibilis cum quocumque peccato mortali. Potest tamen esse in hæretico desinente esse hæreticum, & ab eo actu permissio mortis erit martyrium, & iustificabit à peccato hæresis (sicut à quocumque alio mortali) absque expressa retractatione & abiuratione erroris (præsertim quando error non occurrit memoriae) sola retractatione implicita in ipso actu dilectionis. Et idem suo modo contingere potest in schismatico sine expressa obedientia Ecclesiae, solâ obedientiâ implicitâ in actu dilectionis Dei.

#### DIFFICULTAS VI.

*Vtrum contritio sit sufficiens ex natura rei ad iustificationem extra Sacramentum.*

**P**rocedit difficultas de contritione perfecta, prout disiunctim abstrahit à formali & à virtuali, seu, quod idem est, ab expressa & ab implicita, quia contritio ut sic (id est vna aut altera) est medium sufficiens ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, ut constat ex dictis: imò ut sic esse medium necessarium ad id, diximus Diffic. II. & constat ex illo Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* & ex illo Lucae 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.*

Est tamen difficultas, An contritio dicto modo sumpta, sit medium sufficiens ex natura rei ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, an tantum ex diuina institutione.

Medina.

Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 2. art. 2. docet, contritionem perfectam dicto modo sumptam non esse sufficientem ex natura rei ad id, sed tantum ex diuina institutione. Quod etiam indicat Suarez disp. 9. sect. 3. quia contritio ut sic non est forma suâ naturâ sanctificans, & impossibilis cum peccatis; nec suâ naturâ, sed tantum ex diui-

Suarez.

na institutione, est dispositio proxima ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.

Sotus verò in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 7. Canus Relect. de Pœnitentia, part. 3. Vega 13. in Trident. cap. 20. Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 1. & Ochagauia Tract. 1. de Sacramento Pœnitentiæ, q. 13. docent, contritionem perfectam dicto modo sumptam esse ex natura rei sufficientem ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, & meritò: quia contritio perfecta, siue expressa siue implicita, est forma suâ naturâ sanctificans, & formaliter impossibilis cum peccato mortali, ut dicemus Difficultate sequenti, ergo. Ex quo ad rationem aduersariorum constat, primam partem Antecedentis esse falsam.

Sotus.  
Canus.  
Vega.  
Vasquez.  
Ochagau.

#### DIFFICULTAS VII.

*Vtrum contritio sit forma ex se formaliter sanctificans, & remissiva peccatorum.*

**S**varez disp. 8. sect. 7. & lib. 7. de Gratia c. 8. sect. 13. & 14. Henriquez 1. de Pœnitentia, cap. 30. num. 30. & Egidius disp. 2. dub. 3. docent, contritionem perfectam, siue expressam siue implicitam, non esse formam ex se sanctificantem, & remittentem peccata, sed tantum esse dispositionem ultimam & proximam ad gratiam habitualem, mediâ quâ peccator formaliter sanctificatur & emundatur à peccatis.

Suarez.  
Henric.  
Egidius.

Vasquez verò 12. disp. 203. Iansenius in Concordia Evangelica cap. 48. in illud Lucae 7. *Ideo dico tibi;* Vincentius de Gratia Christi, quæst. 1. & Ochagauia Tract. 1. de Sacramento Pœnitentiæ, quæst. 13. docent, contritionem, siue expressam siue implicitam, esse formam ex se formaliter sanctificantem, & formaliter remissivam peccatorum, quod satis significant Augustinus de Natura & gratia, cap. 42. & cap. ult. dum charitatem appellat *sanctitatem*, & Tractatu 9. in Epistolam Ioan. dum charitatem appellat *sanctitatem & pulchritudinem animæ* (eum autem loqui de charitate sumpta pro actu, constat ex contextu) & Ephrem libro de Die iudicij, cap. 5. & Bernardus lib. de Modo bene viuendi, ad fororem cap. 10. dum contritionem appellat *sanctitatem animæ & illuminationem*, quia prædictis verbis satis significant, actum charitatis & contritionem esse ipsam formam, qua anima redditur formaliter iusta, sana, & pulchra; quia iustitia, sanitas & pulchritudo est forma reddens iustum, sanum, & pulchrum.

Vasquez.  
Iansenius.  
Vincent.  
Ochagau.

August.

Ephrem.  
Bernard.

Et ratione probatur: quia contritio, siue expressa siue implicita, utpote dilectio benevolentia Dei, est formaliter adhæsiō & coniunctio perfectissima & affectuosa amicabiliter cum Deo dilecto amore amicitia seu benevolentia, ergo contritio est forma ex se constituens ipsum, qui conteritur, formaliter coniunctum cum Deo benevolè amato, & ipsi charum seu placentem, & actualiter amicum seu beneuolum & redamabilem ab ipso Deo, qui diligentes se diligit: ergo contritio causans seu præstans formaliter omnia hæc, est forma ex se sanctificans, reddens amicum Dei ipsum qui conteritur. Consequentia patet, quia in omnibus prædictis quæ formaliter præstat, consistit aliquid esse sanctum & amicum Dei, ac proinde eum qui conteritur, si sit macularus peccato mortali, quod est inimicitia cum Deo, quantum est ex

se



se emundat ab eo peccato; quia forma ex se sanctificans, & quæ est amicitia cum Deo, est impossibilis cum peccato, quod est inimicitia cum Deo, & quantum est ex se illud extinguit & expellit: imò ita sufficienter illud expellit & extinguit, ut non egeat aliqua superaddita remissione à Deo facta, quia in nullo peccato (nec in eo quod est contra Religionem) præter malitiam ipsam, seu culpam & maculam qua Deo displicemus, & qua, si est grauis, efficiuntur formaliter obiectum diuini odij, quæ sufficienter potest expelli contritione tamquam forma impossibili cum ipsa, reperitur alia iniuria seu offensa strictè contra iustitiam in Deum, pro cuius recompensatione ultra formam impossibilem cum culpa seu macula peccati adhuc mortalis, necessariū sit reddere seu restituere aliquid aliud Deo, ut peccator non maneat illi offensus seu iniustus, quia Deus nullo in rigore damnificatur. Contritio ergo ita est forma ex se sanctificans, & remissiuua peccatorum, ut sufficiat ad omnino extinguendum & expellendum peccatum, quamuis mortale, & ad sanctificandam animam, & eam emundandam ab illo.

Quòd autem habitus gratiæ efficiat formaliter animam sanctam, & Deo gratam, non tollit, quòd etiam contritio id formaliter efficiat, & de facto, quia forma in subiecto capaci nequit non tribuere ei suum effectum formalem primarium, qui coalescit ex ipso subiecto, & ex ipsa forma subiecto communicata; quamuis iste effectus formalis primarius contritionis sit diuersæ speciei ab effectu formali primario habitus gratiæ, & inferioris speciei quàm effectus ipsius gratiæ, sicut etiam contritio est diuersæ speciei ab ipso habitu, ut patet, & etiam inferior, utpote effectus in genere causæ efficientis ipsius habitus tamquam causæ principalis æquiuocæ. Ita tamen contritio perfecta est forma ex se sanctificans, & de facto ita sanctificat animam, ut ab ea transacta relinquatur anima habitualiter sancta, & conuersa perfectè in Deum: quod non habet ab habitu gratiæ transacta, quamuis auferretur absque peccato, quia proprium est affectus voluntatis, relinquere illam affectam & conuersam ad obiectum amatum.

Trident.

Tridentinum autem sess. 6. cap. 7. dum ait, *Vnica est causa formalis iustificationis, iustitia videlicet Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit;* illà particulà *unica*, quæ exclusiua est, tantum excludit iustitiam increatam Dei, & fauorem aliquem extrinsecum Dei, non pluralitatem formarum quæ nobis insunt, quarum qualibet sit sufficiens ad iustificationem.

Sed obijciunt aduersarij Primò testimonia Scripturæ & Patrum, in quibus ob perfectam contritionem promittitur sanctificatio & remissio peccatorum, aut saltem ei attribuitur tamquam nouum, & beneficium superadditum ipsi contritioni: ergo sanctificatio & remissio peccatorum non est effectus formalis contritionis, quia effectus formalis, utpote inseparabilis à forma, non est beneficium nouum, & superadditum ipsi formæ, & frustra promittitur ob ipsam formam. Respondemus, ut optimè Vasquez in eis testimonijs, in quibus conuersioni aut pœnitentiæ attribuitur sanctificatio & remissio peccatorum tamquam nouum beneficium Dei, aut ob eam promittitur, non esse sermonem de perfecta pœnitentia & conuersione, sed de imperfecta, nempe de attri-

Vasquez

tritione, comitantibus operibus pœnalibus, & alijs bonis operibus: quia ob attritionem sic comitantam promissa est remissio peccatorum (non minus quàm ob eleemosynam) & illi potest attribui tamquam nouum & superadditum beneficium: in illis verò, in quibus sermo est de pœnitentia seu contritione perfecta, & ei attribuitur sanctificatio & remissio peccatorum, vel ob eam promittitur, tunc non attribuitur illi ut superadditum beneficium, nec ob illam promittitur strictè & rigorosè, sed tantum attribuitur illi tamquam effectus inseparabilis ab ipsa, ut ad ipsam omnes afficiantur ob eius inseparabilem vtilitatem; ut quando quis habenti manus immundas, ait, Laua manus tuas, & erunt mundæ; vel, Promitto tibi earum munditiam.

Obijciunt Secundò, contritionem perfectam esse dispositionem ad iustificationem & remissionem peccatorum, ut significari videtur in Tridentino sess. 6. c. 6. dum peccatores dicuntur disponi ad iustitiam detestatione peccati, & dilectione Dei; & sess. 14. cap. 4. dum de contritione, quam dixit fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, ait, preparare ad remissionem peccatorum: ergo contritio non est forma ex se sanctificans & remissiuua peccatorum, quia nulla forma est dispositio ad effectum formalem, quem ipsa præstare potest. Respondemus, nomine detestationis, contritionis, & dilectionis Dei, quæ præparant ad remissionem peccatorum, & ad quas consequitur iustificatio à peccatis, non intelligi à Tridentino detestationem & contritionem perfectam, nec dilectionem amicitie Dei, sed nomine dilectionis Dei intelligi dilectionem concupiscentiæ, qua nobis concupiscimus Deum ut bonum nostrum, & fontem iustitiæ seu iustificationis nostræ, ut patet ex contextu; & nomine detestationis & contritionis intelligi detestationem & contritionem prout abstrahit à perfecta & imperfecta. Quia sess. 6. loquitur de detestatione & contritione, quæ est dispositio ad iustificationem peccatoris, quæ fit medio Baptismo; & sess. 14. de contritione quæ est dispositio ad iustificationem peccatoris, quæ fit medio Sacramento Pœnitentiæ; & tamen detestatio & contritio perfecta non est dispositio ad iustificationem peccatoris, quæ fit medio Sacramento, sed tantum contritio imperfecta. Et ita sess. 14. cap. illo 4. postquam Tridentinum dixit, motum contritionis preparare ad remissionem peccatorum, postea subdit, *Et si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, &c.* Loquitur ergo antea de contritione prout abstrahit à contritione perfecta & imperfecta, quæ ratione imperfectæ præparat ad iustificationem peccatoris faciendam medio Sacramento Baptismi, & medio Sacramento Pœnitentiæ: & ratione eiusdem fuit omni tempore necessaria, ad impetrandam veniam peccatorum, etiam extra Sacramentum, non necessitate metaphysica, sed morali, quia regulariter nemini contingit iustificari à peccatis etiam extra Sacramentum, nisi præuia attritione. Et eadem necessitate morali sess. 6. can. 9. dicitur, quòd præter fidem sit etiam necessarius motus aliquis voluntatis, ut disponamur ad iustificationem: quod verificatur ratione attritionis, etiam quando iustificatio fit extra Sacramentum.

Trident.



## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum contritio perfecta de facto iustificet à peccatis, vt forma.*

*Turrianus.* **T**urrianus Complutensis Opusc. 7. dub. 13. partem negatiuam tuetur (quam expellit *Vasquez.* Vasquez 1. 2. disput. 203. in fine) quia contritio, vt pote actus charitatis erga Deum, procedit ab habitu gratiæ & charitatis, vt connaturaliter eliciatur; ac proinde præsupponit ipsum habitum inharerentem animæ, & eam informantem; aliàs non posset ab ipso efficienter procedere: ergo contritio præsupponit & inuenit peccatum mortale expulsum per habitum ipsum præsuppositum, qui verè est sufficiens ad illud expellendum; ergo contritio ipsa non expellit illud, cum iam expulsum inueniat.

*Iansenius.* Iansenius verò in Concordia Euangelica c. 48. in illud Lucæ 7. *Ideo dico tibi,* &c. partem affirmatiuam tradit, (sub nomine dilectionis Dei (& non absque probabilitate) quam etiam supponit *Vasquez.* Vasquez 3. par. disp. 2. num 62. dum ait, *Iustificatiõnem à peccatis extra Sacramentum certius est fieri contritiõne tamquam forma, quam habitu gratiæ;* & eam non leuiter indicant Sotus in 4. dist. 14. q. 2.

*Sotus.* art. 2. & dist. 15. quæst. 1. art. 6. & *Vincentius de Gratia Christi* quæst. 1. circa 6. conclusionem: imò etiam *S. Thomas* 1. 2. quæst. 113. art. 8. dum ait,

prius naturâ esse infusionem gratiæ (subintellige habitualis) deinde contritionem perfectam, & tandem expulsionem peccati: Ceterum pars hæc sæpè defenditur in nostra Complutensi Academia, cuius in re Theologica iudicium plurimi vbique habetur: nec modò à Doctoralis læuræ candidatis in publico Academix Gymnasio, sed etiam à Religiosis familijs in Theologicis thesibus non rarò propugnatur, magno doctorum plausu: quin etiam doctissimi viri sæpè eundem indignant, semel dato contritionem ex se sanctificare. Sit hoc ad testimonium veritatis, non ad fastum Auctoris.

Ratio autem à priori huius doctrinæ est, quia ex vna parte contritio est forma ex se sufficiens ad expellendum peccatum mortale, vt diximus Difficultate præcedenti, & ex altera parte ante contritionem ipsam non præsupponitur facta expulsio peccati: ergo hæc verè fit formaliter per ipsam contritionem, quamuis aliàs fiat sufficiens per habitum gratiæ infusum in eodem instanti durationis, in quo elicitur contritio. Quòd autem non præsupponatur facta expulsio peccati ante ipsam contritionem, probatur: quia non præsupponitur facta in aliquo instanti durationis priori; quia habitus gratiæ, per quem præsupponeretur facta, non infunditur antea, sed in eodem instanti in quo elicitur contritio; nec præsupponitur facta in aliquo priori naturæ ante ipsam contritionem, ita vt expulsio peccati antecedit ipsam contritionem, & sit prior contritione prioritate naturæ, quia prioritas naturæ formaliter nihil aliud est quam causalitas, & conducentia actualis, quia illud tantum dicitur prius alio, à quo hoc aliud dependet; & illud tantum est posterius aliquo, quod dependet ab hoc aliquo: & ideo

prioritas naturæ dicitur prioritas à quo, & non in quo, & etiam dicitur prioritas dependentiæ & causalitatis: expulsio autem peccati non concurrat, nec conducit ad contritionem (quamuis habitus gratiæ, per quem etiam fit expulsio, concurrat, & conducit ad ipsam contritionem) non solum vt causa, vt patet, sed nec vt ablatio impedimenti, quo habitus gratiæ esset impediendus ad causandam contritionem: quia quamuis peccatum mortale, per possibile vel impossibile esset simul cum habitu gratiæ & charitatis, non impediret actiuitatem ipsius habitus ad causandam contritionem; sicut nec mutuo impedirentur calor & frigiditas naturaliter impossibiles, si à Deo simul in eodem subiecto conseruarentur, quia non apparet quomodo se impedirent, nec huius potest afferri aliquod indicium. imò mirum esset, subiectum habens simul calorem vt octo, & frigiditatem vt octo, non calefacere nec frigefacere.

Et confirmatur, & simul declaratur ratio facta, quia habitus gratiæ esse priorem naturâ contritione, in eo formaliter consistit, quòd fit causa efficiens contritionis absque alia prioritate, & contritionem esse posteriorem naturæ habitu gratiæ, in eo solum formaliter consistit, quòd fit effectus ipsius habitus absque alia posterioritate: ex eo autem solum, quòd habitus gratiæ fit causa contritionis absque alia prioritate, & contritio fit effectus ipsius habitus absque alia posterioritate, non fit, habitum gratiæ prius expellere peccatum, quam contritio expellat, quia habitus gratiæ ex eo quòd fit causa contritionis, non prius incipit existere quam contritio, quia non habet aliam prioritatem, quam esse causam illius.

Expulsio ergo peccati mortalis, & iustificatio ab illo, de facto fit ab habitu gratiæ, & simul ab actu contritionis perfectæ, à quolibet sufficiens & totaliter, quia quilibet est sufficiens incompossibilis cum peccato mortali, quod neuter supponit, nec inuenit expulsam ab altero: & non inconuenit eadem numero expulsionem, & eundem numero effectum negatiuum fieri simul, à duplici causa creata, à qualibet sufficiens & totaliter, quia non fit ab illis influxu aliquo positiuo, & positiuo dependentia effectus à causa, sed per solam incompossibilitatem causarum cum forma expulsa.

Habitus ergo gratiæ dupliciter expellit peccatum mortale: vno modo immediatè in genere causæ formalis (qua ratione etiam contritio illud expellit) altero modo mediatè in genere causæ efficientis media contritione, quam efficienter producit, eo modo quo calor ignis expellit frigiditatem ab aqua. Quia ergo habitus gratiæ expellit peccatum efficienter media contritione formaliter expellente peccatum, quam habitus efficienter producit, ideo optimè dicitur habitus in eo priori naturæ (id est in genere causæ efficientis) in quo est prior contritione, expellere peccatum. Hoc tamen modo dicendi potius significatur, contritionem expellere illud formaliter (quia mediâ ipsâ habitus illud efficienter expellit) quam quòd contritio illud inueniat, & præsupponat expulsam ab habitu.

Vnde contritio est satisfactio perfecta & condigna pro macula, culpa, & offensa peccati mortalis,



talís, vt exprimit Vasquez disput. illa 2. cap. 4. & 6. (quamuis non pro toto debito pœnæ obiectiuo) non tamen meretur remissionem culpæ & offensæ, quia hæc remissio est effectus formalis physicus (quamuis secundarius) inseparabilis à contritione in peccatore: imò non indigens decreto Dei ad ipsam immediatè terminato, quia sufficit decretum dandi auxilium efficax ad contritionem, & concurrendi cum voluntate peccatoris ad illam; ac proinde contritione nequit impetrari à Deo remissio illa, quia contritio nequit mouere Deum ad decernendam eam remissionem.

Quòd si ad prædictam nostram rationem à priori respondeas, habitum gratiæ non tantùm esse priorem contritione in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ formalis, quia nequit contritionem efficere, nisi simul cum voluntate; ad hoc autem prærequiritur, quòd habitus vniantur ipsi voluntati, aut animæ, & eam informet, quia voluntas nequit vti habitu separato: eo autem ipso, quòd informat voluntatem aut animam, expellit ab ipsa peccatum mortale, quia eo ipso quòd ipsam informat, efficit ipsam sanctam, ac proinde etiam expulsio peccati præsupponitur ad contritionem, cum ad hanc præsupponatur habitus informans, qui vt informans est impossibilis cum peccato mortali.

Contra hanc resolutionem est, quòd quamuis ad hoc, quòd habitus causet cum voluntate contritionem, sit prærequisita vnio ipsius cum voluntate aut cum anima, sed non prærequiritur vt est informatio, sicut nec vt est receptio (quamuis vnio, & informatio, & receptio re ipsa non distinguantur) tum quia informatio tantùm est necessaria habitui vt causæ formali ad suos effectus formales, efficiendi subiectum sanctum, & expellendi immediatè peccatum, tum etiam quia habitui, vt efficiat contritionem, sufficit vnio vt vnio, respiciens voluntatem aut animam vt extremum, non vt subiectum; quia vt efficiat contritionem cum voluntate, sufficit quòd sit vnitus cum illa tamquam cum cooperante & coëfficiente. Et quamuis admittamus, quòd ad hoc, quòd habitus efficiat cum voluntate contritionem, sit ipsi habitui necessaria informatio, vt est formaliter informatio, seu vt est causalitas ipsius habitus vt causæ formalis, imò etiam quòd sit voluntati necessaria vnio cum habitu, vt est formaliter receptio, seu causalitas voluntatis aut animæ, vt causæ materialis ipsius habitus gratiæ, ac proinde quòd ad contritionem prærequiratur esse sanctum, quod est effectus formalis habitus gratiæ, & effectus materialis ipsius subiecti, nempe voluntatis aut animæ; nihilominùs expulsio peccati non est prærequisita, vt voluntas & habitus efficiant contritionem: quia expulsio peccati nec cõducit positiuè ad contritionem, vt patet: nec tamquam remotio impeditur peccato mortali ad contritionem, vt iam diximus. Vnde, quamuis in eo priori naturæ (id est, in genere causæ efficientis) in quo habitus præsupponitur ad contritionem, etiam præsupponatur voluntas, & quamuis gratis admittamus etiam præsupponi informationem & receptionem habitus formaliter vt tales, imò etiam animam esse sanctam, quasi conducant ad efficiendam contritionem; nihilominùs in eo priori (id est,

in illo genere causæ) non præsupponitur expulsio peccati, quia ad efficiendam contritionem non conducit, adhuc vt expeditio voluntatis & ipsius habitus, & vt remotio impeditur. Ex eo verò quòd habitus informans sit in composibilis cum peccato mortali, tantùm deditur, quòd in eodem instanti temporis, in quo est habitus gratiæ in voluntate, sit expulsio peccati, & non peccatum; non tamen quòd sit in eodem priori naturæ respectu contritionis, si in eo genere causæ, nempe efficientis, in quo habitus causet contritionem, in eo expulsio peccati non causet illam, vt verè non causet: quia prioritas naturæ tantùm est prioritas causalitatis, & à quo, & id tantùm est prius naturâ alio quòd est causa illius. Et non solum in eo priori naturæ, in quo habitus est prior contritione, non est expulsio peccati, sed nec est peccatum ipsum, quia peccatum nec est in eodem instanti temporis in quo est habitus & contritio, nec conducit ad contritionem.

Quòd si obijcias Primò: Contritio perfecta, quamuis sit perfecta satisfactio pro culpa & offensâ peccati mortalis, & possit esse pro toto debito subiectiuo (id est pro tota dignitate pœnæ) non tamen pro toto peccato mortali, quia non est nec esse potest satisfactio pro toto debito obiectiuo peccati (id est pro tota pœna, quæ est obiectum dignitatis dictæ, & debiti subiectiuo) quia nequit esse pro carentia auxilij prærequisiti ad ipsam contritionem, quæ est pœna debita peccati, & obiectum dictæ dignitatis, & debiti subiectiuo: quia ad habendam contritionem necessariò præsupponitur facta remissio & condonatio dictæ carentiæ auxilij, cuius remissio & condonatio fit, quando peccatori, debenti carere auxilio, confertur auxilium ipsum. Sed hæc condonatio & remissio ex eo solum præsupponitur ad contritionem, quia præsupponitur collatio auxilij, quæ re ipsa & de facto est condonatio dicti debiti obiectiuo, ex eo solum quòd præcedat dignitas, & debitum subiectiuum carendi auxilio, quamuis quòd ea collatio auxilij sit condonatio, & quòd præcedat dignitas, non conducit ad contritionem, sed sit impertinens ad illam. Ergo quamuis expulsio peccati non conducit ad contritionem, ex eo solum quòd habitus gratiæ, qui præsupponitur ad contritionem, de facto & re ipsa expellit peccatum, etiam expulsio peccati præsupponetur ad illam.

Respondemus, concedendo, contritionem non esse perfectam satisfactionem pro toto peccato mortali, quia non est pro debito obiectiuo: quia condonatio huius sumpta materialiter pro collatione auxilij, quæ re ipsa est condonatio, necessariò præsupponitur ad contritionem, saltem prioritate naturæ, quia ipsa collatio auxilij est necessaria, & conducit ad contritionem eliciendam: quia verò nihil expulsionis peccati præsupponitur ad contritionem (etiam si præsupponatur habitus gratiæ expellens peccatum) quia non præsupponitur duratione ad contritionem, vt patet; nec naturâ, quia non conducit ad contritionem, idè nullo modo est prior, nec præsupponitur ad contritionem: præsupponitur tamen condonatio auxilij modo prædicto, nempe materialiter, quod sufficit vt contritio nequeat esse satisfactio pro dicto debito obiectiuo, cum ad ipsam contritionem necessariò præsupponatur condonatio seu remissio



talis debiti, materialiter sumpta pro collatione ipsa auxilij, quæ re ipsa est condonatio.

Quòd si obijcias Secundò, Macula peccati relicta post actum peccati transactum, seu peccatum habituale perseverans, à quo seu à qua postea peccatorem mudatur per iustificationem, est priuatio gratiæ sanctificantis debita: expulsio autem huius priuationis, seu cessatio illius præsupponitur ad contritionem; ergo expulsio peccati seu maculæ præsupponitur ad contritionem, ac proinde contritio illud non expellet, cum inueniat illud expulsam. Quòd autem expulsio priuationis gratiæ sanctificantis debita præsupponatur ad contritionem, probatur: quia ad contritionem præsupponitur gratia sanctificans vnita animæ, aut eam informans; gratia autem sanctificans vnita animæ, aut eam informans, est formaliter ipsa expulsio seu cessatio priuationis ipsius gratiæ, & expulsio seu cessatio priuationis gratiæ est formaliter ipsa gratia, sicut lux est formaliter non esse tenebrarum, & tenebræ sunt formaliter non esse lucis.

Respondemus, primum tantum peccatum mortale inducere dictam priuationem gratiæ, & non reliqua peccata, quia reliqua inueniunt gratiam iam expulsam, & priuationem illius: & hanc priuationem, quæ inducitur primo peccato, non semper esse peccatum habituale, & maculam, sed tantum quando est voluntaria in se ipsa, nempe quando quis aduertit, quòd suo peccato mortali priuandus est gratia: imò tunc priuationem gratiæ tantum esse materiale ipsius peccati habitualis, seu maculæ, quia formale situm est in dissonantia ad rationem superaddita priuationi gratiæ; ac proinde gratia sanctificans, quamuis sit formaliter, non esse ipsius materialis peccati habitualis; non tamen est non esse ipsius formalis: & consequenter, quamuis ad contritionem præsupponatur gratia sanctificans, non eo ipso præsupponitur expulsio, seu non esse peccati, seu maculæ sitæ formaliter in dicta dissonantia. Et addimus, præter dictam maculam peccati, quæ tantum reperitur in dicto primo peccato mortali (& non semper) etiam reperiri alteram maculam, quæ semper est in omni peccato mortali, nempe ipsam maculam seu culpam, quæ fuit primò in ipso actu peccati, etiam consistentem in dissonantia ad rationem, & habitualiter perseverantem quousque formaliter aut virtualiter retractetur. Hæc autem macula non est formaliter non esse gratiæ sanctificantis, quia formaliter non est carentia illius, & ideò nec ipsa gratia est formaliter non esse, seu expulsio illius; ac proinde non eo ipso quòd ad contritionem præsupponitur gratia sanctificans, præsupponitur expulsio illius maculæ: & quia aliàs carentia dictæ dissonantiæ non conducit ad contritionem, quamuis gratia sanctificans conducatur, ideò expulsio peccati seu maculæ non præsupponitur prioritate nature ad contritionem, quamuis gratia sanctificans præsupponatur. Quamuis ergo gratis admittamus, priuationem gratiæ esse formaliter maculam, & semper, & in omni peccato mortali, & hanc præsupponi expulsam ante contritionem aduentu gratiæ sanctificantis; altera tamen macula, quæ primò fuit in actu peccati, in prædicta macula seu culpa consistens, non præsupponitur expulsam, ac proinde non præsupponetur expulsio totius peccati, seu

totius maculæ, & consequenter contritio hanc maculam expellet, præsertim quòd macula numquam consistit formaliter in dicta priuatione gratiæ, vt iam diximus.

### DIFFICULTAS IX.

*In quo consistat contritionem perfectam esse detestationem, aut dolorem peccati super omnia.*

Supponimus, in quo conueniunt Doctores, contritionem esse detestationem aut dolorem peccati super omnia mala. Hoc verò supposito, difficultas est, In quo consistat hunc affectum esse super omnia mala.

Circa quam conueniunt Doctores contra Adrianum, & Petrum Sotum, quòd vt contritio sit detestatio peccati super omnia mala, non sit necessarium quòd sit maxima intensiuè (vt Adrianus dixit) nec quòd sit intensior detestatione cuiuscumque alterius mali, vt dixit Petrus Sotus: quia neutrum horum cum fundamento aliquo requiritur, vt contritio sit detestatio peccati super omnia mala; quia eo ipso quòd quis ita detestatur peccatum, vt ex vi talis detestationis admittat aut patiatur quodcumque aliud malum, si necessarium sit vt non incidat in peccatum, dicitur detestari peccatum appetitiuè super omnia mala, quamuis illud remissè detestetur. In quo sensu Christus Matth. 10. dixit: *Qui amat patrem & matrem plus quam me, non est me dignus.* quasi dicat, qui amore patris & matris non dubitat me Deum grauiter offendere, non est me dignus. Vt ergo contritio perfecta sit detestatio peccati super omnia mala, non est necessarium quòd sit maxima intensiuè, nec maior detestatione cuiuscumque alius mali, sed sufficit quòd sit maxima quoad pretium seu æstimationem.

Nihilominus in explicanda hac maiori parte seu superioritate quoad pretium, non parum variant Doctores. Omissis autem multis explanationibus, quas refert Vasquez, & nobis non placent, illa explicatio nobis probatur, quam adhibet Vasquez 1.2. disp. 194. ca. 3. Pessantius ad 3. p. q. 3. dub. 6. & Turrianus 2.2. disp. 74. dub. 1. nempe, contritionem perfectam esse detestationem peccati super omnia mala appetitiuè, in eo consistere quòd sit detestatio peccati, quia Deo displicuit, seu quia fuit offensiuum illius ex complacentia ipsius Dei, quia eo ipso quòd est ex complacentia Dei, dum existit, non admittit secum fugam efficacem alterius mali, cuius admissio sit necessaria ad vitandum peccatum; quia qui ita detestatur peccatum, dum in ea detestatione perseverat, nõ timebit efficaciter, nec fugiet, sed potius admittet quodcumque aliud malum, cuius admissio sit necessaria ad non peccandum: in quo detestatio peccati Deo displicentis, habita ex complacentia illius, distinguitur à detestatione mali proximo displicentis, habita ex complacencia ipsius proximi; quòd hæc secum admittit fugam efficacem mali, cuius admissio sit necessaria ad vitandum malum proximo, dum ea fuga, seu non admissio mali non fiat ex displicentia illius.

Eteadem proportione Dei dilectio, qua volumus bonum ex complacentia ipsius, est super omnia

Adrian.  
Pet. Sotus.

Vasquez.

Pessantius.  
Turrianus.



omnia bona appetiunt, quia est dilectio benevolentia Dei, & eo ipso quod est talis, dum existit, nullius alius boni, verbi gratia fornicationis, dilectionem liberam admittit, quod ipsi Deo displiceat aut grauius aut leuiter pro qualitate dilectionis, quia dilectio illius non est compassibilis cum dilectione benevolentia erga Deum. In quo etiam dilectio benevolentia Dei distinguitur à dilectione benevolentia proximi, quia hæc secum admittit dilectionem alius boni etiam grauius displicentis amico, dum non sit ex displicentia illius.

## DIFFICULTAS X.

*Quomodo, & quo ordine excitetur in nobis contritio perfecta.*

**N**Egari non potest, peccatorem aliquando, quamuis raro, ex consideratione suorum peccatorum quibus Deum offendit, & ex actu fidei diuinæ, quo Deum, quem offendit, cognoscit esse summè bonum in se, proximè & immediatè excitari & moueri ad contritionem, nempe ad detestationem peccatorum, prout sunt offensa Dei, ex complacentia ipsius: nihilominus regulariter & ferè semper plures alij interueniunt actus ante contritionem: quia Primò solet esse actus fidei diuinæ, quo peccator credit impium iustificari à Deo. Secundò solet esse actus timoris diuinæ iustitiæ & pœnarum, quo peccator sua peccata considerans concutitur. Tertio solet, se ad diuinam misericordiam conuertendo, in spem veniæ & remissionis peccatorum erigi. Quartò solet etiam in peccatore excitari amor concupiscentia Dei, quo sibi Deum concupiscit, & diligit vt sibi bonum, & fontem & principium omnium bonorum. Quintò solet esse intentio delendi peccatum & offensam Dei, & se iustificandi, habita ex complacentia sui. Sextò ex hac intentione solet peccator excitari ad id medio quo iustificatur, nempe vel ad susceptionem Sacramenti, vel ad contritionem perfectam.

Obseruandum tamen est, prædictum ordinem, quo dicimus solere excitari contritionem, non semper contingere, sed aliquando deficere, quia aliquando vnus aut alter actus ex dictis deficit, & aliquando ordo eorum prædictus transmutatur.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum vnum peccatum mortale possit remitti sine alio media contritione.*

**C**onueniunt Catholici, potentiâ ordinariâ Dei vnum peccatum mortale non posse remitti sine alio quo affectus sit peccator, quacumque forma fiat remissio: quod tradit Augustinus de Vera & falsa pœnitentia, dum ait, impietatem infidelitatis esse, à Deo dimidiam sperare salutem: & Innocentius III. in cap. *Maiores 3.* de Baptismo & eius effectu, dum ait, non posse remitti originale, nisi etiam remittatur actuale. quod amplius ex dicendis constabit.

Est tamen difficultas, An de potentia Dei absoluta possit vnum mortale remitti sine alio, siue remissio fiat contritione, siue gratia habituali, siue quacumque alia forma.

Scotus in 4. dist. 14. quæst. 1. Medina Cod. de Pœnitentia, q. 12. & Ægidius disp. 2. dub. 11. partem affirmatiuam tuentur; quia existimant, maculam ex peccato transacto relicta posse sola voluntate & condonatione extrinseca Dei deleri, quia dicta macula vel sita est in destinatione ad pœnam facta à Deo, vel in iniuria Deo facta habitualiter permanente: Deus autem pro sola sua voluntate potest remittere pœnam vnus mortalis, non remittendo pœnam alterius, & cedere iniuriæ sibi factæ vno peccato mortali, & non iniuriæ sibi factæ altero mortali.

Scotus verò in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. & Vasquez 1. 2. disp. 207. cap. 5. partem negatiuam tradunt, & merito: quia remissio mortalium nequit fieri sola extrinseca condonatione Dei, vt optimè Vasquez 1. 2. disp. 206. quia macula ex peccato relicta non est sita in destinatione aliqua ad pœnam, sed in aliquo priori ad illam, nempe in ipsa malitia, & culpa, & offensa Deo facta, quæ fuit primò in actu peccati, & quæ eo transacto habitualiter perseuerat; quæ non est iniuria seu offensa strictè sumpta contra iustitiam, cui Deus possit pro sua voluntate cedere, sed est vera macula & iniustitia apud Deum, vt ibidem ostendit Vasquez; ac proinde remissio mortalium tantum potest fieri vera sanctitate & iustitia apud Deum ipsi peccatori inherente. Nulla autem est sanctitas & iustitia inherens, quæ non opponatur omnibus mortalibus, vt patet; quia in ipso habitu nihil est peculiare respectu alicuius peccati. Si verò iustitia & sanctitas, per quam fit remissio, sit contritio perfecta, etiam hæc æquè opponitur omnibus mortalibus, vel quia est vera sanctitas & iustitia, quæ eo ipso pugnat cum quocumque mortali; vel quia est perfecta detestatio omnium mortalium, quia est dilectio amicitia Dei, vel orta ex ipsa: dilectio autem amicitia Dei nullam patitur secum offensam grauem erga Deum, quam non detestetur perfectè saltem virtualiter. Quod si iustitia & sanctitas, tam actualis quàm habitualis, sua natura opponitur cuiuscumque mortali, nequit adhuc de potentia Dei absoluta, quando aliqua ex eis infunditur, non fieri remissio omnium mortalium; quia Deus non potest impedire destructionem peccati, si non impediatur infusio iustitiæ: quia si aliquo modo posset destructionem peccati impedire, maximè conseruando peccatum seu maculam illius in præsentia iustitiæ, sicut potest conseruare frigiditatem vt octo in præsentia caloris vt octo; Deus autem nequit maculam peccati conseruare adhuc in absentia iustitiæ, sicut nequit illam in initio efficere.

Addimus tamen, peccatum originale tolli posse non ablato actuali mortali existente cum originali, sed non econtrà. Ratio prioris est, quia originale auferri potest absque iustitia aliqua inherente, solo lapsu & decursu temporis, ac proinde elapso illo tempore cessabit originale, manente actuali mortali, quod nequit absque iustitia inherente auferri. Quod verò solo temporis lapsu & decursu auferri possit originale, probatur: quia originale saltem pro materiali consistit in priuatione iustitiæ debitæ inesse, seu inherere descendentes ex Adamo; debitum autem habendi iustitiam habuit ortum ex pacto & ex institutione Dei, qui potuit statueri, quod dicti descendentes illam deberent habere tantum



vsque ad aliquod tempus determinatum ex voluntate Dei, & non eo tempore elapso, ac proinde ipso elapso, carentia iustitię in dictis descendenti- bus non esset carentia iustitię debitę, & conse- quenter ex ea parte cessaret peccatum originale. Ratio verò posterioris est, quia peccatum actuale mortale nequit auferri, nisi iustitia inhærente; hæc autem etiam opponitur originali; ergo remissio peccati actualis mortalis non potest fieri absque remissione originalis existentis simul cum ipso mortali.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum in homine iusto ad remissionem venialium sufficiat actus dilectionis amicitie Dei absque expressa contritione.*

**D**ifficultas hæc, & sequentes, procedunt de remissione venialium in homine iusto, quia in homine peccatore nequeunt remitti absque mortali, vt aduertit Vasquez 1.2. disp. 141. c.2. & constabit ex dicendis.

Supponimus, in quo conueniunt Doctores, contritionem exprellam venialium extra Sacramentum sufficere ad remissionem eorum quorum est expressa contritio, quia hæc est perfectissima conuersio in Deum, à quo per venialia, quorum est dicta contritio, fuimus aliquantulum auerſi; & est perfectissima auerſio à creatura, in quam per venialia fuimus aliquantulum conuersi.

Est tamen difficultas, An ad remissionem venialium in homine iusto sufficiat actus dilectionis amicitie Dei, qui non sit expressa contritio & displicentia eorum.

Durandus in 4. dist. 16. q. 2. negat, actum dilectionis Dei, quantumuis feruidum, sufficere, quia peccatum veniale non opponitur actui dilectionis quantumuis feruido & intenso, quia potest esse simul cum eo.

S. Thomas verò quæst. 87. art. 1. Vasquez eodem artic. dub. 1. & communiter Doctores affirmant, actum dilectionis Dei sufficere ad remissionem eorum venialium, quorum contritio in eo actu virtualiter continetur, & merito: quia actus iste dilectionis Dei perfecte (quamuis solum virtualiter) opponitur illis venialibus, quia est perfecta conuersio in Deum, & perfecta auerſio ab illis, quamuis solum virtualis; tunc autem contritio peccati venialis continetur virtualiter in aliquo actu dilectionis Dei, quando est adeò feruidus, aut talis differentie individualis, vt impelleret saltem moraliter ad expressam contritionem illius peccati venialis, si tunc memorie occurreret.

Est tamen discrimen inter peccatum mortale & veniale, quod mortale, quodcumque illud sit, est grauis offensa Dei, eius gratiam & amicitiam dissoluens, ob quod quæcumque dilectio amicitie Dei opponitur cuiuscumque peccato mortali, & contritio cuiuscumque mortalis virtualiter continetur in quacumque dilectione amicitie Dei: peccatum verò veniale non est grauis offensa Dei, nec eius gratiam & amicitiam dissoluens, ob quod non quæcumque dilectio amicitie Dei opponitur veniali, nec quæcumque continet virtualiter contritionem illius, sed tantum hæc aut illa dilectio, vel ratione intensiōis aut feruoris, vel ratione talis differentie individualis.

## DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum attritio venialium in iusto sufficit absque Sacramento ad remissionem eorum.*

**D**urandus in 4. dist. 16. q. 2. & dist. 21. q. 1. Gabriel dist. 16. q. 5. Henriquez 1. de Pœnitentia cap. 15. Azor lib. 4. cap. 10. quæst. 13. & Egidius disput. 2. dub. 14. docent sufficere. Primo, quia per attritionem peccati venialis ita sufficienter retractatur voluntas præterita illius, vt iam pœnitens non maneat in illa adhuc virtualiter; ergo attritio peccati venialis sufficit ad illud destruendum. Secundo, quia attritio peccati venialis opponitur ipsi veniali, cum non patitur quod fiat veniale simile ei cuius est attritio, quia excludit voluntatem peccandi, vt dicitur in Tridentino sess. 14. cap. 4. ergo sufficit ad destructionem venialis.

Addunt Durandus & Gabriel, attritionem etiam in peccatore sufficere ad remissionem venialium, & id probant dicta duæ rationes, si aliquid probant.

S. Thomas verò q. 87. art. 2. & 3. & 4. Vasquez art. 1. dub. 1. Petrus Sotus lect. 18. de Pœnitentia, & Ochagania tract. 1. q. 20. docent, adhuc in iusto non sufficere, & merito, Primo, quia aliàs peccatum veniale iusti (quod negari nequit esse materiam Sacramenti Pœnitentię) numquam remitteretur virtute Sacramenti Pœnitentię, quia semper præsupponeretur remissum per attritionem aut contritionem, quæ debet præsupponi ad Sacramentum. Secundo, quia malitia seu culpa venialis est vera offensa Dei, vt pote ipsi displicens (in quo consistit ratio offensæ erga Deum) quamuis non grauis, sed leuis, & insufficiens ad dissoluendam amicitiam cum ipso, & consequenter etiam est aliquantulum auerſio à Deo, qualis esse potest inter amicos, & est aliquantulum macula, qua anima aliquantulum maculatur; ergo vt macula seu culpa venialis destruat, necessaria est aliqua conuersio in Deum, & quæ sit aliquantulum mundities animæ; attritio autem, quamuis iusti, nullo modo est conuersio in Deum, nec vera mundities & sanctitas animæ; ergo non est sufficiens ad tollendam & abstergendam culpam, & auersionem, & maculam peccati venialis.

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, quod quamuis attritio peccati venialis, imò etiam peccati mortalis sufficit, vt voluntas non maneat affecta ad obiectum illius peccati, & vt non maneat in actu seu in affectu præterito illius peccati, quod etiam habet attritio tam peccati mortalis quam venialis, etiam elicita à peccatore, imò etiam ex malo fine; non tamen sufficit, vt voluntas non maneat in ipsa culpa, & macula, & offensa præterita, cum nullo modo sit conuersio in Deum, nec mundities & sanctitas animæ.

Ad secundam concedimus, attritionem peccati venialis, & etiam mortalis, ita opponi posse peccato cuius est ipsa attritio, & ita posse esse retractionem illius, vt non patitur simile peccatum admitti, & excludat voluntatem illius; negamus tamen, eam oppositionem & retractionem sufficere ad destructionem venialis; sicut nec attritio peccati mortalis potest sufficere ad destructionem illius, quia attritio peccati non opponitur ipsi pec-

cato

Vasquez.

Durand.

S. Thomas.  
Vasquez.

Trident.

S. Thomas.  
Vasquez.  
Pet. Sotus.  
Ochagania.



cato vt conuersio in Deum, nec vt mundities animæ; quamuis quamdiu durat, opponatur illi quoad admissiōem peccati similis illi cuius est ipsa attritio, quod etiam habet attritio peccatoris, & ex malo fine elicita.

## DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum reliqua opera bona iusti, distincta ab expressa contritione, & à quacumque alia dilectione Dei, & ab attritione, sufficiant ad remissionem venialium.*

**G**abriel. **G**abriel in 4. dist. 16. quæst. 5. art. 2. concl. 4. docet, peccatum veniale in homine iusto remitti per quodcumque opus bonum: quod etiam indicat Medina Cod. de Pœnitentia, q. 3. §. *Oppositum*, & existimat verum Scotus dist. 21. quæst. 1. quando opus bonum magis placet Deo quam displicuit veniale, & quando fit intentione delendi veniale: qui addit, quod si tale opus bonum non referatur ab operante ad finem delendi veniale, refertur à Deo in alia vita, & sic relatum in ea remittit illud.

Medina.  
Scotus.

Opinio hæc absolutè, vt traditur à Gabriele, probatur Primò, quia quodcumque opus bonum iusti meretur de condigno vitam æternam, ergo etiam remissionem venialium, quia remissio venialis est quid minus quam vita æterna; qui autem potest ad maius, etiam potest ad minus. Secundò, quia quodcumque opus bonum iusti satisfacit pro pœna venialis, & eius dignitatem tollit; ergo etiam satisfacit pro culpa veniali, & eam tollit, quia nequit tollere dignitatem pœnæ, nisi etiam tollat culpam. Tertio, quia ad remissionem venialis non requiritur opus ita insigne, ac requiritur ad remissionem mortalis; ergo ad remissionem venialis sufficit opus minus quam contritio & dilectio, quæ sufficiunt ad remissionem mortalis: sed non est maior ratio, ob quam remissio peccati venialis tribuatur operi vnius virtutis, quam alterius; ergo cuiuscumque tribui potest.

**Suarez.** Et id probabile censet Suarez disp. 11. sect. 3. num. 21. quando opus bonum fit intentione obtinendi à Deo remissionem venialis, quia opus ex ea intentione factum, includit virtualemente detestationem peccati venialis, quæ ad eius remissionem sufficit.

**S. Thomas.** S. Thomas verò q. 87. ar. 2. Vasquez art. 1. dubio 1. Petrus Sotus lect. 18. de Pœnitentia, & Ochagavia q. 20. docent, venialia non remitti bonis operibus iusti, quamuis sint magis bona quam peccata venialia sint mala, & quamuis fiant ex intentione delendi illa, & merito: quia dicta opera bona, quæuis facta in statu gratiæ & ex dicta intentione, non sunt vera conuersio in Deum, nec vera mundities animæ; ergo nequeunt destruere culpas & maculas veniales, quia peccata venialia aliquo modo auertunt à Deo, & habent veram rationem maculæ; quamuis non simpliciter, sed tantum secundum quid.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus, quodcumque opus bonum iusti mereri de condigno vitam æternam, quia ad id sufficit quod sit opus Filij Dei, ipsi Deo placens; negamus tamen esse meritorium de condigno remissionis venialis, quia ad id erat necessarium, quod gratia

habitualis esset semen remissionis venialis, sicut est vita æternæ, & augmenti ipsius gratiæ, quod non agnoscitur in gratia. Prædictum autem axioma, *Qui potest ad maius, etiam potest ad minus*, tantum est verum in his quæ sunt eiusdem rationis, quales non sunt vita æterna & remissio peccati venialis.

Ad secundam respondemus, quod quamuis quæcumque opera bona iusti, præsertim pœnalia, sint satisfactoria in actu primo pro pœna peccati venialis, & possint dignitatem illius tollere, & de facto tollant, si accedat diuina acceptatio, de quo dicemus Disp. XIII. ex eo tamen non inferitur, quæcumque opera bona illius, adhuc pœnalia, esse etiam satisfactoria pro culpa veniali, & posse eam tollere; quia auferre culpam, est quid maius quam dignitatem pœnæ. Et ad probationem negamus, quod nequeat tolli dignitas pœnæ culpæ venialis, quin etiam tollatur culpa ipsa venialis: & si non posset tolli, opera bona satisfactoria pro dignitate pœnæ culpæ venialis, non essent satisfactoria pro ea dignitate, nisi supposita ablatione culpæ.

Ad tertiam negamus, ad remissionem venialis extra Sacramentum non requiri opus ita insigne, ac requiritur ad remissionem mortalis: quia etiam ad remissionem venialis requiritur perfecta contritio saltem virtualis, ob rationem dictam. Imò addimus, ad remissionem mortalis sufficere aliquam contritionem, quæ non sufficiat ad remissionem venialis: quia quæcumque perfecta contritio sufficit ad remissionem mortalis, & non ad remissionem venialis. Vnde in hoc sensu dici potest, quod extra Sacramentum facilius remittitur mortale quam veniale, quia scilicet peccatum mortale plura habet opposita quam veniale. Nihilominus econtrà remissio peccati venialis in Sacramento est facilius, quia venialia remittuntur per quodcumque Sacramentum, non verò mortalia; & in alio sensu tam in Sacramento quam extra, remissio peccati venialis est facilius remissione mortalis, quia scilicet auxilium gratiæ prærequisitum ad remissionem venialium tam intra quam extra Sacramentum facilius obtinetur à Deo, quam auxilium ad remissionem mortalis, ob tria: & quia est donum minus, quod facilius impetratur quam donum maius, & quia veniale ratione sui minus obstat impetrationi; & quia facilius fit impetratio pro iusto quam pro peccatore.

## DIFFICULTAS XV.

*Vtrum Sacramentalia sufficiant in homine iusto ad remissionem venialium absque contritione eorum.*

**N**omine sacramentalium intelligimus actiones quasdam, quibus remissio venialium attribuitur, quæ hoc versu continentur.

*Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.* Quæ sic communiter explicantur. *Orans*, id est, Oratio Dominica, & Oratio in Ecclesia consecrata, & tinctio pectoris, qua vti solemus quando oramus. *Tinctus*, id est aspersio Aquæ benedictæ, & etiam vnctio cærimonialis Episcoporum & Regum. *Edens*, id est manducatio Panis benedicti. *Confessus*, id est confessio generalis, quæ dicitur in initio Missæ. *Dans*, id est elemosyna. *Benedicens*,



*dicens*, id est benedictio Episcopi, & Abbatis consecrati.

Conueniunt ergo Doctores, dictis Sacramentalibus venialia remitti, vt constat ex communi sensu fidelium, & ex antiquissima consuetudine vtendi Sacramentalibus ad remissionem venialium.

Est tamen difficultas, Quomodo his Sacramentalibus remittantur venialia; an scilicet proximè & immediatè, sicut remittuntur medijs Sacramentis; an solum mediatè, media scilicet contritione perfecta, vel quia Sacramentalia ad eam excitant, vel quia eam à Deo impetrant.

Sotus. Anton. Victoria. Valentia. Henric.  
Sotus in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3. Antoninus 1. part. tit. 10. cap. 1. Victoria n. 99. Valentia disp. 7. quæst. 4. punct. 1. & Henriquez 1. de Pœnitentia cap. 15. docent, venialia remitti Sacramentalibus proximè & immediatè, sicut Sacramentis, quia Sacramentalia semper & infallibiliter remittunt venialia, quia ex opere operato remittunt illa, & tamen non semper excitant nec impetrant contritionem perfectam venialium: ergo proximè & immediatè absque contritione remittunt illa. Ad id tamen nonnulli prærequirunt attritionem aliquam venialium quæ remittuntur, & alij contenti sunt intentione vtendi Sacramentalibus ad id, absque expressa displicentia venialium.

S. Thomas. Alexand. Paludan. Pet. Sotus. Vasquez.  
S. Thomas verò quæst. 7. de Malo art. 1. Alexander 4. p. quæst. 15. memb. 3. art. 4. Paludanus in 4. d. 16. q. 1. ar. 2. Petrus Sotus lect. 18. de Pœnitentia, & Vasquez q. 87. art. 3. dub. 1. docent, Sacramentalibus non remitti venialia proximè & immediatè, sed tantum media contritione perfecta formali aut virtuali, vel quia ad eam excitant, vel quia eam à Deo impetrant, & meritò: quia Sacramentalia non remittunt immediatè venialia instar Sacramentorum, quia non ex institutione Christi, quia de hac institutione nullatenus constat; nec ex institutione Ecclesiæ, quia in Ecclesia non agnoscitur auctoritas instituendi remedia ad remittendas immediatè culpas, præsertim cum venialia nequeant remitti, nisi media iustitia & sanctitate, & in Ecclesia non agnoscatur auctoritas instituendi remedium quod immediatè conferat iustitiam & sanctitatem, quia auctoritas hæc esset instituendi Sacramenta.

Sacramentalia ergo mediatè tantum & remotè remittunt venialia, quatenus scilicet excitant ad contritionem venialium, aut eam impetrant à Deo. Et quia ad eam non excitant, nec eam impetrant ex institutione aliqua, non dicuntur ex opere operato remittere venialia: & quia non semper excitant nec impetrant contritionem eorum, non dicuntur ea remittere infallibiliter. Nihilominus dictis Sacramentalibus peculiariter attribuitur remissio venialium potius quam aliis bonis operibus, quibus etiam remissionem venialium impetrare solemus, vel quia Ecclesia peculiariter adiunxit suam deprecationem pro remissione peccatorum petendo salutem mentis, nempe Aquæ benedictæ, & panis, & nouis fructibus benedictis, & orationi factæ in Ecclesia, & benedictioni Episcopi & Abbatis, & vnctioni Regum; vel quia Sacramentalibus peculiariter petitur venia peccatorum, nempe Oratione Dominica, tunctione peccatoris, & confessione generali; vel quia Sacramentalibus peculiariter promissa est à Deo venia peccatorum, nempe elemosinæ. Attribuitur autem peculiariter Sacramentalibus remissio venialium, &

non mortalium, non solum illis, quibus Ecclesia adiunxit suam deprecationem peculiariter pro remissione venialium petendo salutem mentis, quia veniale non est mors animæ, sed tantum infirmitas; sed etiam alijs Sacramentalibus, quibus aliquando remissio mortalium impetratur, quia scilicet multò facilius & frequentius impetratur remissio venialium, quam mortalium.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, Sacramentalia semper & infallibiliter remittere venialia: & ad probationem negamus, illa remittere ex opere operato. Et quamuis illa remitterent ex opere operato, non semper illa remitterent, sicut nec Sacramenta semper & infallibiliter conferunt auxilia gratiæ, quamuis illa conferant ex opere operato.

## DIFFICULTAS XVI.

*Utrum quodlibet Sacramentum sufficiat ad remissionem venialium absque contritione eorum.*

Conueniunt communiter Doctores, Sacramentum Baptismi, & etiam Pœnitentiæ, ratione sui immediatè ex opere operato remittere venialia absque aliquo actu præuio ex se sufficiente ad eorum remissionem: quia Sacramentum Baptismi ratione sui est perfectè abluens & regenerans, vt formâ ipsius significatur, ac proinde abluuit ab omni macula etiam veniali; & in Sacramento Pœnitentiæ fit absolutio ab omni culpa expressa in confessione, vt formâ ipsius significatur; aliàs peccata venialia non essent materia clauium & absolutionis. Id etiam conuenire Sacramento Extremæ Vnctionis, docent Vasquez quæst. 87. art. 3. dub. 2. & Ochaguaia quæst. 23. & meritò: quia formâ illius (nempe, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, &c.*) etiam remissio venialium significatur, quia non raro per visum, & per alios sensus, & in alijs partibus venialia committuntur. Id quoque Sacramento Eucharistiæ conuenire, negari non potest, vt antiqua Patrum traditione firmatum est, & traditur in Tridentino sess. 13. cap. 2. dum dicitur, Eucharistiam esse antidotum, quo à peccatis quotidianis liberemur, & à peccatis mortalibus præseruemur. Et constat ex eo quod Eucharistia in cibum & nutritionem animæ sit instituta: cibum autem & nutritio etiam ordinatur ad restaurandum quod perditur, ac proinde ad remissionem venialium, qua anima reparatur.

Et quamuis non sit constans, Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium immediatè & ratione sui remittere venialia; nihilominus S. Thomas q. 87. art. 3. Paludanus & Capreolus in 4. dist. 23. Sotus dist. 15. Ledesma in 4. 1. part. quæst. 28. ar. 3. Vasquez & Ochaguaia id generaliter tribuunt omnibus Sacramentis, etiam his tribus, & meritò: quia remissio venialium est illis maximè consona & proportionata, vt pote Sacramentis viuorum, & amicorum Dei, vt ex vi ipsorum non tantum crescat amicitia Dei, sed etiam auferantur offensæ inter amicos compossibiles.

Vnde ad remissionem venialium per Sacramenta non requiritur perfectæ contritio tamquam dispositio, quia per eam præsupponerentur remissa: requiritur tamen attritio, quia per solam gra-

tiam



tiam habitualem, quantumvis intensam, nudè sumptam, remitti non possunt, quia compatiuntur cum gratia habituali secundùm se absolute collata, quantumvis intensissima.

Remittuntur ergo per gratiam habitualement infusam, aut per augmentum ipsius infusum intuitu attritionis, tamquam retractationis venialium, & aliquo modo illis oppositæ; qua ratione infunditur recipienti Sacramentum, & habenti attritionem illorum, ut gratia sic infusa, aut augmentum gratiæ sic infusum, acquirat respectum quemdam, seu fiat fundamentum cuiusdam respectus oppositionis cum venialibus, & reconciliationis ab illis, ratione cuius gratia fiat incompossibilis cum venialibus iam commissis, & non cum similibus futuris, quia tantùm iam commissorum est attritio.

Addidimus, *qua ratione infunditur recipienti Sacramentum*; quia extra Sacramentum non infunditur iusto augmentum illius intuitu attritionis, ut est retractatio, quia id reseruat in infusione gratiæ factæ per Sacramentum ob dictam necessitatem, sed ut est quoddam opus bonum condignum illius (ea ratione qua infunditur intuitu aliorum operum bonorum) attendendo ad bonitatem illius, non ad rationem retractationis; & augmentum sic infusum non fit incompossibile cum venialibus quorum fuit attritio, quia tunc non acquirit dictum respectum. Si tamen extra Sacramentum infunderetur (ut potest à Deo infundi) intuitu attritionis venialium, ut retractatio est, quamvis non excederet meritum condignum ipsius attritionis, absque dubio acquireret dictum respectum, & fieret incompossibile cum venialibus, & illa expelleret.

Constat ergo, venialia in peccatore habente originale aut mortale actuale, aut utrumque, remitti non posse non remisso originali aut mortali, aut utroque: quia, ut constat ex dictis, venialia remitti non possunt nisi media sanctitate, siue actuali siue habituali, quæ multò magis opponitur originali & mortali, quàm ipsis venialibus.

## DIFFICULTAS XVII.

*Quomodo remittatur peccatum veniale post hanc vitam in Purgatorio.*

**S**upponimus, in quo conveniunt Theologi, peccata venialia, in quibus iustus ex hac vita decedit, remitti in Purgatorio etiam quoad culpas, ne in æternum impediatur à consecutione gloriæ, ad quam habet ius acquisitum.

Est tamen difficultas in explicando, quomodo remittatur, & in primis quoad culpam & maculam.

Circa hanc difficultatem, varijs modis dicendi omisissis, S. Thomas q. 7. de Malo, artic. 11. Vasquez quæst. 87. artic. 1. dub. 2. Valentia disp. 7. quæst. 4. punct. 3. Suarez disp. 11. sect. 3. Aegidius disp. 2. dub. 17. & communiter Theologi docent, peccata venialia in Purgatorio remitti quoad culpam & maculam sola perfecta contritione, siue formali siue virtuali (sicut in hac vita remittuntur extra Sacramentum) & merito: quia præter gratiam habitualement in Sacramento infusam intuitu attritionis, quæ iam in Purgatorio non sic infunditur, nequeunt venialia remitti nisi contritione perfecta, quia præter eam nihil est quod sit venialibus sufficienter oppositum, ut constat ex sæpè repetitis.

S. Thomas  
Vasquez.  
Valentia.  
Suarez.  
Aegidius.

Remittuntur autem in instanti, quia in instanti elicitur contritio per quam remittuntur: & remittuntur in primo in quo anima separatur à corpore, quia in eo primo instanti anima cognoscit culpas in quibus decedit, & in eo maximè desiderat ab illis liberari, & ab eo instati præstò adest illi auxiliium efficax prærequisitum ad contritionem: remittuntur autem per contritionem non tamquam per dispositionem, nec tamquam per meritum condignum remissionis, sed tamquam per formam formaliter ab illis emundantem.

Dignitas verò pœnæ pro venialibus debetæ (& etiam pro mortalibus quoad culpam remissis) paulatim mimuitur ipsa tolerantia pœnæ, quousque tandem extingatur: & nihil illius aufertur actu ipso contritionis, nec illo, quo remittuntur quoad culpam (quia quamvis actus contritionis etiam in eo statu sit satisfactorius in actu primo pro pœna debita restante, non tamen satisfacit in actu secundo, quia non acceptatur à Deo in eo statu in locum pœnæ debetæ, iuxta ea quæ dicemus Disputatione XI. Difficultate IV.) in quo distinguitur dignitas pœnæ æternæ debetæ ob peccatum mortale, quia hæc tollitur formâ iustificante à peccato mortali.

## DIFFICULTAS XVIII.

*Utrum peccata per contritionem, aut aliter remissa, redeant iterùm de facto per subsequens peccatum mortale.*

**N**on est difficultas, An peccata semel remissa iterùm redeant quoad actionem ipsam peccandi, quia certum est, quoad eam non posse redire, sed an redeant quoad culpam seu maculam, & etiam quoad dignitatem pœnæ.

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramētis, par. 14. cap. 9. Gratianus dist. 4. de Pœnitentia, & Guilielmus Parisiensis Tract. de Sacramento Pœnitentiæ, fol. 45. col. 3. docent, peccata omnia remissa postea redire per peccatum mortale subsequens, cuiuscumque generis sit. Quod indicare videtur Augustinus in illud Psalmi 108. *In memoriam redeat iniquitas patris eius, dum ait: Si Iudas teneret illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret.* Quo Augustinus (ut à contrario sensu deducitur) indicare videtur præteritam culpam Iudæ ad ipsum iterùm pertinere, & ipsi iterùm imputari, quia in Apostolatu non stetit. Et Beda in illud Lucæ 11. *Reuertar in domum, unde exiui, dum ait: Timendus est iste versiculus, non exponendus ne culpa, quam in nobis extinctam credebamur, per iniuriam nos vacantes opprimat.*

Hugo Viç.  
Gratianus.  
Guiliel.

Augustus

Id quoque deduci videtur ex Scriptura, in qua peccata sæpè dicuntur in memoriam Dei reuocari, Psal. 78. & 108. & 3. Regum 17. iuxta phrasim autem Scripturæ peccata in memoriam Dei reuocari, idem est, ac semel remissa iterùm reuiuiscere, & apud Deum imputari, sicut Deum esse oblitum peccatorum, idem est, ac peccata iam esse dimissa, quia Deus post remissionem peccatorum se habet quasi eorum oblitus.

Et ratione probatur, desumpta à paritate reuiuiscentiæ meritorum per iustificationem subsequentem, quam Diffic. XXI. formauimus & examinauimus.

Prædi-



*Præpositus.* Prædictam doctrinam, nempe quod peccata semel remissa iterum redeant per subsequens peccatum mortale, limitat Præpositius, ut tantum sit vera, quando peccatum subsequens est vnum ex quatuor generibus peccatorum, nempe odium fratris, aut apostasia à fide, aut contemptus confessionis; aut quando quis habet affectum, quo nolle habuisse pœnitentiam. Et quod attinet ad odium fratris, non leuiter indicant Ambrosius in cap. 4. Epistolæ ad Ephes. Augustinus Sermone 15. de Verbis Domini, Chryostomus Homilia 26. in illa verba Matth. 18. *tradidit eum tortoribus.* Theophylactus in dictum cap. 18. Matth. imò Christus in eo capite id indicare videtur, dum adducit parabolam cuiusdam domini, qui reuocauit omne debitum quod remisit seruo crudeli in conseruum suum, & postea illam accommodans ait: *Sic Pater meus faciet vobis, si non remisistis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.*

*S. Thomas.* S. Thomas verò quæst. 88. artic. 1. Valquez dubio 1. & 1. 2. disp. 208. Suarez disp. 13. lect. 1. Egidius disput. 2. dub. 18. & communiter Theologi, docent, & merito, peccata semel remissa per nulum genus peccati subsequentis iterum redire quoad culpam, nec quoad dignitatem pœnæ æternæ: quod definitum videtur à Gelasio Papa de Pœnitentia d. 4. can. *Diuina*, & 23. quæst. 4. can. *Si illic*: dum ait: *Diuina clementia dimissa peccata in ultionem iterum redire non patitur.*

*Prosper.* Quod etiam expressit Prosper in lib. ad Capitula Gallorum, in responsione ad secundam objectionem.

Et ratione probatur, quia peccata quoad culpam seu maculam, & quoad dignitatem pœnæ æternæ de facto tantum remittuntur per gratiam & sanctitatem nobis inhærentem, suâ naturâ pugnantem cum illis quoad duo prædicta, per gratiam autem & sanctitatem istam peccata absolutè, & non sub conditione in posterum non peccandi, remittuntur & extinguuntur, quia gratia & sanctitas suâ naturâ opponitur peccatis quoad culpam seu maculam directè, quia hæc est formaliter iniustitia & immundities apud Deum, cui gratia & sanctitas suâ naturâ opponitur: & etiam opponitur quoad dignitatem pœnæ æternæ consequenter & indirectè, quia hæc dignitas dependet suâ naturâ in conseruari à culpa seu malitia, cui, ut diximus, gratia & sanctitas suâ naturâ directè opponitur, sicut calor ut octo, absolutè, & non sub conditione aliqua, destruit frigus ut octo, quia suâ naturâ opponitur frigori ut octo; ergo peccata, ut de facto remittuntur, per nullum peccatum subsequens redeunt.

Augustinus verò non fauet aduersarijs, quia tantum vult, peccata propria Iudæ, & suorum parentum, quæ in ipso fuerunt temporaliter punita, non fuisse sic punienda, si in sua vocatione stetit. Et Beda non loquitur de reditu peccatorum quoad culpam & dignitatem pœnæ æternæ, sed tantum nos admonet, ut cauti simus, & sententiam in illo versiculo contentam timeamus, quia contingere potest, ut ob negligentiam labamur in peccata prioribus similia, & in peccata similia eis quæ ita remissa esse credebamus, & eorum radicem ita esse extinctam, ut amplius non effemus in ea lapsuri.

In Scriptura autem peccata in memoriam Dei reuocari, non est peccata iam remissa iterum à

Deo imputari; sed Deum temporaliter punire peccata, quorum punitionem ita distulerat, ut eorum appareret oblitus: vnde Deus non solum dicitur obliuisci peccatorum, quando peccata iam sunt dimissa, sed etiam dicitur, obliuisci, quando peccata nondum dimissa, non punit temporaliter.

Ambrosius verò, Augustinus, Chryostomus & Theophylactus, adducti pro Præpositio, tantum volunt, ob peccatum odij aut crudelitatis in fratrem, peccata præterita iam remissa redire, non eadem numero, sed similia, quia scilicet Deus ob dictum peccatum permittit sic peccantem labi in peccata similia, peccatis iam remissis, quod est debita iam remissa quodammodo exigere.

Nec parabola illa Matth. 18. fauet Præpositio, quia sensus accommodationis, & conclusionis illius, nempe, *Sic Pater meus caelestis faciet vobis*, &c. vel est, Deum non fore benignum in nos, & nobis non remissurum peccata, nisi etiam nos proximis iniurias contra nos illatas remittamus (iuxta illud Luc. 6. *Dimittite, & dimittentur*, & iuxta quod subditur, *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*) ut exponunt Maldonatus in dicta parabola, & Valquez 1. 2. disp. 108. cap. 7. & Egidius dub. 18. Vel sensus est, Deum remissurum, eum cui remissa sunt peccata, iterum labi in similia, nisi remittat fratri iniurias: & non est sensus, peccata iam remissa eadem iterum à Deo imputari non remittenti iniurias, quia non omnia, quæ in parabolis continentur, sunt semper ipsi veritati accommodanda; sed illa, quæ fini parabolæ intento sufficiunt. Christus autem in dicta parabola vel tantum intendit nos admonere, ut fratribus iniurias remittamus, si volumus remissionem peccatorum à Deo impetrare, vel tantum intendit, quod si nolumus à Deo deferri, & misericordiam à Deo non impetrare, iniurias remittamus. Ad prius autem intentum ex his duobus sufficit accommodare & concludere, quod sicut dominus ille à seruo crudeli exigit priora debita, quamuis remissa, ita etiam potiori ratione Pater caelestis ob crudelitatem non remittentium iniurias non remittet, & exiget vera debita, & peccata nondum remissa. Ad posterius verò intentum sufficit, accommodare & concludere, quod sicut dominus ille à seruo crudeli exigit debita, quamuis iam remissa, ita etiam Deus ob crudelitatem in fratres iterum exiget & imputabit peccata iam remissa, non eadem numero, sed similia, permittendo lapsum in ea.

## DIFFICULTAS XIX.

*Vtrum peccata semel remissa quoad culpam, possint de potentia Dei absoluta quoad eam redire per subsequens peccatum.*

**S**COTUS in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. Gabriel *Scotus.* quæst. 1. art. 3. dub. 2. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 9. & Valentia disp. 7. quæst. 5. puncto 1. partem affirmatiuam tuentur: quia culpa seu macula, post peccatum transactum relicta, aut consistit in destinatione ad pœnam à Deo facta; hæc autem potest à Deo auferri sub condi-



conditione non peccandi in futurum; ergo si ita fiat à Deo, vt potest, peccata redibunt conditione non impleta, nempe si postea committatur peccatum. Aut consistit in malitia, seu iniuria Deo facta, habitualiter perseuerante: & hæc etiam potest à Deo condonari seu remitti sub conditione non peccandi in futurum, non minùs quàm vnus homo potest alteri iniuriam sibi factam sub conditione remittere; ergo si Deus ita remittat, vt potest, & postea committatur aliud peccatum, iterùm redibunt peccata antea remissa.

Sotus.  
Vasquez.  
Suarez.  
Turrianus.

Sotus verò in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. Vasquez quæst. 88. art. 1. & 1. 2. disp. 208. Suarez disp. 13. sect. 1. Turrianus Complutensis disp. 12. dubio 1. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Deus nequit sub conditione peccata quoad culpam seu maculam remittere, sed tantùm absolutè; nec potest illa reproducere, nec potest pro sola sua voluntate illa iterùm imputare; ergo semel remissa nequeunt adhuc de potentia Dei absoluta quoad culpam seu maculam redire. Consequentia patet: Antecedens autem probatur, & in primis quoad primam partem; quia Deus nequit sola extrinseca condonatione, nec cessione, sed tantùm media sanctitate animæ in hærente, peccata quoad culpam seu maculam remittere: per sanctitatem autem peccata nequeunt sub conditione, sed tantùm absolutè auferri, non minùs, imò magis quàm frigus vt octo per calorem vt octo, quia non minùs, imò magis opponitur suâ naturâ peccatis, quàm calor frigori. Quòd autem Deus nequeat peccata extrinseca condonatione, nec extrinseca cessione remittere, sed tantùm media sanctitate animæ in hærente, probatur, quia culpa seu macula peccati, relicta post peccatum transactum, non consistit in aliqua strictè iniuria, seu damnificatione contra Deum, cui ipse possit cedere, sed consistit in ipsa malitia, quæ primò fuit in actu ipsò peccati, & habitualiter perseuerat, qua anima manet maculata, & in culpa apud Deum: ergo remitti nequit nec auferri sola extrinseca Dei cessione, nec extrinseca condonatione, sed tantùm media vera sanctitate, quæ est mundities animæ, & suâ naturâ pugnat cum illa; & consequenter, ita vt de potentia Dei absoluta nequeat esse cum macula seu culpa: quia si illa nequit suâ naturâ conseruari simul cum ea sanctitate, neque potest à Deo conseruari cum illa, sicut nec à principio produci. Deinde idem Antecedens quoad secundam partem est manifestum, quia Deus nequit esse causa culpæ seu maculæ peccati; ergo multò minùs reproductionis, & renouationis illius. Et tandem idem Antecedens quoad tertiam partem constat, quia Deus nequit pro sola sua voluntate culpam imputare, ergo multò minùs eam iterùm imputare.

Ad fundamentum ergo aduersariorum negamus, maculam peccati post actum peccati transactum relictam consistere in destinatione ad pœnam, sed in ipsa malitia peccati, seu offensa & iniuria Dei habitualiter perseuerante, quam nequit Deus sub conditione remittere, quamuis possit homo iniuriam & offensam sibi factam remittere sub conditione, ob discrimen inter vtramque: quia offensa in hominem facta non consistit in aliqua malitia, culpa seu macula, sed in stricta damnificatione contra illud, cui, vt potest, ipse potest pro sola sua voluntate cedere,

cum possit iuri suo cedere; ac proinde non solum potest illam absolutè remittere, sed etiam sub conditione: iniuria autem, seu offensa contra Deum, non consistit in stricta damnificatione contra iustitiam in Deum, cui ipse possit cedere, sed in vera malitia, culpa & macula, cui cedi nequit, sed auferri debet vera sanctitate & mundities suâ naturâ pugnantem cum illa, per sanctitatem autem & munditiem suâ naturâ pugnantem cum ipsa malitia & macula, nequit sub conditione, sed tantùm absolutè auferri, sicut frigus vt octo per calorem vt octo.

## DIFFICULTAS XX.

*Vtrum peccata integrè remissa etiam quoad dignitatem pœnæ æternæ, possint quoad hanc solam de potentia Dei absoluta per subsequens peccatum redire.*

Suarez disp. 13. sect. 2. Henriquez 1. de Pœnitentia, cap. 32. & Egidius disput. 2. dub. 18. Suarez. Henric. Egidius.  
partem affirmatiuam tuentur, quia Deus sua potentia absoluta potest remittere culpam seu maculam mortalem, non remittendo dignitatem pœnæ æternæ, vt pote distinctam ab illa; ergo Deus, culpa mortali absolutè remissa, poterit dignitatem pœnæ æternæ remittere sub conditione in posterum non peccandi, ac proinde dignitas pœnæ æternæ poterit de potentia Dei absoluta per subsequens peccatum redire.

Vasquez verò quæst. 88. artic. 1. dubio 1. Vasquez. & 1. 2. disput. 208. numero 29. & Ochagavia Ochagavia.  
quæst. 24. partem negatiuam tradunt (quam indicat Sotus in 4. disp. 16. quæst. 1. art. 1. §. For- Sotus. san) & meritò: quia nemo potest esse dignus pœnâ pro sola voluntate Dei, non solum antequam peccet, sed nec postquam peccauit, sed solum fit dignus pœna peccato ipsò, quod est pœna dignum; quia dignitas pœnæ, vt pote extrinseca quædam denominatio, nequit produci neque conseruari à Deo in se ipsa, sed ipsa conseruatur ex suo fundamento, nempe ex peccato pœna digno: sed peccatum absolutè remissum quoad culpam & maculam, & offensam Dei, non manet dignum ex se æternâ pœnâ, vt patet: ergo illo absolutè remisso quoad culpam, & maculam, & offensam, & quoad eam non redeunte, nequit homo manere nec redire dignus pœna æterna adhuc de potentia Dei absoluta.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus Antecedens, nempe Deum posse remittere culpam mortalem, non remittendo dignitatem pœnæ æternæ: quia quamuis hæc sit distincta à culpa mortali, sanctitas tamen auferens culpam mortalem etiam aufert dignitatem pœnæ æternæ, quia hæc dignitas suâ naturâ pender in conseruari à culpa seu macula mortali; eo enim ipsò quòd quis desinit inimicus Dei, desinit esse dignus pœna æterna.

Addimus primò, peccatum originale remissum non posse, adhuc de potentia Dei absoluta, redire, nec quoad culpam, nec quoad dignitatem pœnæ æternæ damni, quia quoad vtramque nequit remitti nisi absolutè, quia nequit remitti immediatè voluntate Dei, sed media sanctitate suâ naturâ absolutè



lutè pugnante cum illo quoad culpam, & quoad dictam dignitatem pœnæ æternæ. Non negamus, redire posse carentiam iustitiæ debitæ (in qua consistit culpa seu macula peccati originalis saltem pro materiali) per subsequens peccatum mortale, si Deus statuatur, ut potest, quòd etiam post peccatum subsequens debeat haberi iustitia. Nihilominus tunc non diceretur peccatum originale remissum redire, vel quia postea carentia iustitiæ debitæ esset distincta à priori, vel saltem quia prior carentia, prout primò contracta, non imputaretur ad culpam, sed prout postea contracta.

Addimus secundò, peccata venialia remissa quoad culpam, non posse adhuc de potentia Dei absoluta, quoad eam redire per peccatum subsequens, quia quoad eam non remittuntur immediatè voluntate Dei, sed sanctitate sua natura cum illis absolutè pugnante: posse tamen quoad dignitatem pœnæ temporaneæ, quia quoad hanc remitti possunt sub conditione, aut sub exceptione non peccandi in futurum, siue quoad illam remittantur solutione ipsius pœnæ debitæ, quia potest pœna infligi à Deo intentione illa puniendi dependente à conditione, aut ab exceptione non peccandi in futurum; siue remittantur satisfatione moraliter æquivalente, quia ut remittantur satisfatione, necessaria est acceptatio diuina, ut dicemus Disputacione XI II. Difficul. VI. quæ potest à Deo fieri sub conditione, aut sub exceptione non peccandi in futurum.

### DIFFICULTAS XXI.

*Vtrum peccata semel remissa redeant aliquo modo per subsequens peccatum.*

**C**onueniunt Theologi, peccata semel remissa iterum aliquo modo redire per subsequens peccatum mortale ratione circumstantiæ ingratiitudinis, quæ verè committitur, iterum offendendo Deum post beneficium remissionis ab ipso acceptum, quia ratione huius ingratiitudinis peccatum subsequens fit grauius non maioritate seu excessu grauitatis æquivalente grauitati peccatorum remissorum; ut patet, ac proinde, quamuis peccata semel remissa aliquo modo redeant, sed non æquiualeter.

Scotus.  
Gabriel.

Addunt Scotus in 4. dist. 22. quæst. 1. §. De tertio articulo, & Gabriel quæst. 1. art. 2. peccatum commissum post remissionem peccatorum factam per pœnitentiã, etiam fieri grauius ex eo quòd ille, qui peccat post eam, faciat contra promissionem iterum non peccandi factam in ea iustificatione: falluntur tamen, ut aduertunt Medina Cod. de Pœnitentia, q. 9. Vasquez q. 88. artic. 2. & Suarez disp. 13. sect. 3. quia ad iustificationem adhuc mediã pœnitentiã factam non est necessaria dicta promissio (aliàs omne peccatum post iustificationem sic factam etiam esset sacrilegium contra virtutem Religionis) sed sufficit propositum iterum non peccandi (imò sufficit implicitum:) propositum autem istud, adhuc expressum, non auget malitiam peccati post illud commissi.

Medina.  
Vasquez.  
Suarez.

Est tamen difficultas, An peccare in statu sanctitatis post remissionem peccatorum, sit maior ingratiitudo, quàm peccare in statu sanctitatis & innocentie ante commissionem & contractionem

peccati, ut contigit in Adamo; & procedit quæstio, quando aliàs sanctitas est æqualis.

Bonauentura in 4. d. 22. ar. 1. q. 2. Scotus q. 1. Gabriel q. 1. ar. 3. dub. 1. docent, esse maiorem ingratiitudinem, peccare in statu innocentie ante peccatum, quia maior ingratiitudo est peccare post maius beneficium acceptum à Deo; status autem innocentie, & præseruatio à peccatis, maius beneficium est, quàm ab eis iam commissis aut contractis liberari.

Bonauent.  
Scotus.  
Gabriel.

Caetanus verò 22. q. 106. art. 2. Vasquez q. 88. artic. 2. & Egidius disp. 2. dub. 19. docent, maiorem esse ingratiitudinem, peccare in statu sanctitatis post remissionem peccatorum, & merito: quia quamuis præseruatio à peccatis secundum se, & quasi materialiter, sit aliquantulum maius beneficium, quàm eorum remissio secundum se & quasi materialiter sumpta, quia præseruari à peccatis est in se aliquantulum melius, quàm eorum iam commissorum remissio; nihilominus quia remissio fit ei qui est posituè indignus eo beneficio, & non dicta præseruatio (quamuis hæc fiat non digno) idèò remissio, omnibus pensatis, est maior in ratione beneficij, quia excessus, quo remissio excedit præseruationem, ex eo quòd fiat indigno (qui potest dici excessus formalis) est multo maior, quàm aliquantulum ille excessus, quo præseruatio excedit remissionem, qui potest dici materialis. ergo, ceteris paribus, ex parte sanctitatis qua fit remissio, maior ingratiitudo est, peccare post remissionem peccatorum, quàm post innocentiam: & ob eandem rationem, peccare post remissionem mortalis actualis est maior ingratiitudo, quàm post remissionem originalis, quia remissio mortalis actualis, utpote facta magis indigno, est maius beneficium, ceteris paribus, ex parte sanctitatis.

Caetan.  
Vasquez.  
Egidius.

Obseruandum est, etiam in commissione peccati venialis post remissionem peccatorum esse aliquam ingratiitudinem; quia est aliquantulum offensa contra Deum, & consequenter ratione talis ingratiitudinis, redire aliquo modo peccata prius remissa, etiam mortalia, per subsequens peccatum veniale: Sed quia ea ingratiitudo non est notabiliter aggrauans, sed tantum leuiter, idèò peccata prius remissa, adhuc mortalia, non redeunt sensibiliter per subsequens veniale. Et id voluit S. Thomas quæst. 88. artic. 2. ad 2. dum negat per veniale redire aliquo modo peccata prius remissa: sicut etiam, quando in veniali negat ingratiitudinem, tantum negat grauem & sensibilem.

S. Thomas.

### DIFFICULTAS XXII.

*Vtrum ingratiitudo in quocumque peccato reperta, ratione cuius peccata remissa aliquo modo redeunt, sit speciale peccatum.*

**S**upponimus, in quocumque peccato esse ingratiitudinem aliquam, quia omne peccatum fit post beneficia à Deo accepta.

Est tamen difficultas, An hæc ingratiitudo addat aliquam specialem malitiam distinctam à malitia, quam peccatum, in quo est ingratiitudo ipsa, habet ex suo obiecto.

Medina



Medina.

Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 9. docet, ingratitude in quocumque peccato repertam supra propriam malitiam peccati in quo reperitur, v. g. furti aut homicidij, addere aliam specialem malitiam ingratitude Deo factæ, quia quodcumque peccatum sit contra duplicem virtutem; v. g. peccatum furti sit contra iustitiam, & etiam contra gratitudinem: ergo quodcumque peccatum habet duplicem malitiam, alteram contra iustitiam aut aliquam aliam virtutem, & alteram contra gratitudinem. Addit tamen Medina, hanc ingratitude, quamvis sit speciale peccatum, non esse necessariò in confessione explicandam, quia est notissima Confessariis.

S. Thomas.  
Vasquez.  
Scotus.  
Ægidius.

S. Thomas verò quæst. 88. art. 4. Vasquez ibidem, Scotus in 4. dist. 22. quæst. 1. & Ægidius disp. 2. dub. 19. docent, circumstantiam ingratitude in quocumque peccato repertam, non addere aliquam specialem malitiam (nisi quando peccatum, in quo reperitur, sit expressè in contemptum beneficii accepti) sed tantum aggravare peccatum intra propriam speciem peccati in quo reperitur, v. g. furti aut homicidij; & meritò: quia dicta ingratitude absque expresso contemptu beneficii non opponitur speciali virtuti gratitudinis, ergo non habet specialem malitiam ingratitude. Consequentia patet, quia species peccatorum sumuntur ex oppositione ad virtutem. Antecedens autem probatur, quia ad specialem rationem gratitudinis non sufficit efficere aliquid gratum ei à quo acceptum est beneficium; quia id non sufficit, ut fiat in gratiarum actionem, quod requiritur ad specialem rationem gratitudinis, & id efficit erga Deum quæcumque alia virtus distincta à gratitudine: sed necessarium est id efficere ex animo, seu ex intentione expressa recompensandi aliquo modo beneficium acceptum, quia id requiritur, ut illud fiat in gratiarum actionem; ergo offendere eum à quo acceptum est beneficium, non opponitur speciali virtuti gratitudinis, nisi expressè fiat in contemptum beneficii accepti: sicut etiam non obedire Superiori, non est speciale peccatum inobedientiæ, nisi quando non obeditur ex contemptu Superioris, seu expresso animo non parendi Superiori; quia nec obedire Superiori est specialis obedientia, nisi obediatur expressè intentione obediendi Superiori, id est quia Superior præcipit. Et quid simile contingit in peccato odij, & in peccato specialis scandali, & in aliquibus aliis, in quibus non est oppositio adæquata cum virtutibus quoad obiectum materiale adæquatum earum, absque expresso quodam affectu & expressa quadam intentione. Secus est in peccato fornicationis, furti, homicidij, sacrilegij, & in aliquibus aliis, in quibus absque expressa intentione inveniuntur malitia specialis eorum, quia absque ea intentione inveniuntur in illis adæquata oppositio cum virtutibus quoad obiectum materiale speciale eorum.

Ad rationem ergo Medina negamus, quodcumque peccatum etiam esse contra gratitudinem specialem, nisi quando sit ex contemptu beneficii accepti.

## DIFFICULTAS XXIII.

*Vtrum merita vitæ æternæ per peccatum mortale subsequens mortificata, reuiviscant per sequentem iustificationem, media contritione aut aliter factam.*

Supponimus, merita vitæ æternæ mortificari per peccatum mortale subsequens, quia antea iustus, per sequens peccatum mortale fit iniustus, & inimicus Dei, & dignus ut non præmieretur vitæ æternæ antea promerita, quo merita vitæ æternæ impediuntur quoad hominem ipsum à sua virtute morali perducendi illum ad vitam æternam, & à vi denominandi, qua possent ipsum hominem absolute denominare dignum vita æternæ; quia post peccatum mortale, quamdiu perseverat, non denominant hominem dignum vita æternæ saltem expedite, sed potius à peccato mortali subsequente denominatur dignus pœna æternæ, tam sensus quam damni.

Hoc supposito, difficultas est, an merita vitæ æternæ per peccatum mortale subsequens mortificata, postea per sequentem iustificationem reuiviscant.

Ratio difficultatis pro parte negatiua sumitur ex illo Ezechiel. 18. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitie illius non recordabuntur;* at si, quando contingit postea iustificari, reuiviscerent, Deus recordaretur earum.

Nihilominus Theologi conveniunt, merita vitæ æternæ iusti per subsequens peccatum mortale mortificata, postea per sequentem iustificationem reuiviscere. Quod efficaciter deducitur ex Tridentino sess. 6. cap. 16. dum ait, iustificatis nihil deesse, ut bonis operibus in statu gratiæ factis, & precedentibus ex gratia antecedente, comitante, & subsequente, si in gratia decedant, gloriam suo tempore consequendam promeruisse censeantur. Loquitur autem Tridentinum non solum de iustificatis, qui gratiam semel acceptam semper conseruant, sed etiam de illis, qui gratiam amissam recuperant, ut ex contextu patet: ergo operibus meritoris iusti factis ante peccatum mortale, quo postea mortificantur, nihil deest ut vitam æternam consequantur, si iustus ille, qui mortaliter peccavit, postea relurgat, & decedat in gratia. Consequentia patet, quia iustus ille decedit in gratia, & eius merita peccato mortali mortificata facta fuerunt in statu gratiæ, & processerunt ex gratia antecedente, comitante, & subsequente; ergo merita vitæ æternæ iusti per subsequens peccatum mortificata, postea reuiviscunt ad resurrectionem iusti qui mortaliter peccavit, & fuit spiritaliter mortuus.

Et ratione probatur, desumpta ex S. Thoma s. Thomas. in 4. disp. 22. q. 1. art. 1. ad 6. quia quamvis merita vitæ æternæ iusti per subsequens peccatum mortale mortificentur, quia per illud impediuntur non in se, sed quoad ipsum hominem, quia per illud impediuntur à sua virtute, & vi morali perducendi ipsum ad vitam æternam, ex eo quod per illud fit dignus, ut non præmieretur vita æternæ antea promerita, & quia eo peccato impediuntur, ut non denominent ipsum hominem dignum vita æternæ,



ex eo quòd eo peccato sit dignus vt non præmictur vita æterna promerita ( quod quamuis sit impossibile formis physicis physicè perseuerantibus, non tamen formis moralibus & solùm moraliter perseuerantibus, qualia sunt merita physicè præterita ) quo merita vitæ æternæ iusti mortificari, & quasi regi dicuntur; nihilominus per peccatum illud subsequens non destruuntur, nec extinguuntur, nec eorum dignitas, sed ipsa & eorum dignitas manent viua habitualiter: quia peccatum mortale non opponitur bonitati, nec dignitati meritorum, sed tantùm sanctitati & munditiæ animæ, nec bonitas & dignitas eorum pendet in conseruari à sanctitate; ergo ablato peccato mortali, seu macula ipsius, qua merita vitæ æternæ in se ipsis viua, erant impedita, & mortificata, expediuntur & reuiuiscunt, vt possint perducere hominem in vitam æternam, & eum efficiant & denominent dignum vita æterna.

Quia verò, vt ait S. Thomas vbi suprâ, & nos diximus Diffic. xvi. peccata & demerita extinguuntur & eradicantur per gratiam & sanctitatem aduenientem, quia eorum malitia & culpa est formaliter iniustitia & immundities apud Deum, cui gratia & sanctitas suâ naturâ opponitur, & dignitas pœnæ æternæ suâ naturâ pendet in conseruari à malitia & culpa, idè peccata & demerita semel remissa non redeunt per subsequens peccatum mortale.

Ex dictis constat, merita vitæ æternæ, supposita remissione peccati mortalis, per quòd fuerunt mortificata, ad quam necessaria fuit misericordia Dei, reuiuiscere ex natura rei, & non immediatè ex misericordia Dei, vt contra Scotum, Bonauenturam, & Durandum aduertit Vasquez q. 85. art. 5. dub. 1. quia ex vna parte opera bona iusti ex se sunt digna vita æterna, & non ex acceptatione & voluntate Dei; & ex altera parte ipsa opera eo modo, quo erant digna ante peccatum mortificans, reuiuiscunt, ablato eo peccato, quia fuerunt facta, & digna, & non fuerunt præmiata, & per peccatum subsequens non fuerunt destructa & extincta, sed tantùm impedita & mortificata.

Addimus, merita vitæ æternæ peccato mortali finali illius, qui est damnandus in æternum ( quamuis quasi physicè sint tantùm mortificata ) censeri tamen moraliter extincta & destructa, quia numquam sunt reuictura.

Merita autem iusti ita expediuntur, & reuiuiscunt quoad dignitatem & rationem meriti, ablato peccato mortificante, vt adhuc de potentia Dei absoluta nequeant non reuiuiscere quoad illam ( quamuis Deus possit non remunerare illa ) quia merita non reuiuiscunt ex voluntate Dei, sed ex sua natura, supposito quòd fuerunt facta, & non sunt remunerata; fieri autem non potest, adhuc de potentia Dei absoluta, vt merita amittant suam naturam, & quòd non fuerint facta, & quòd sint remunerata, supposito quòd facta fuerint, & non fuerunt remunerata.

Ad rationem autem difficultatis pro parte negatiua respondemus, testimonium illud Ezechielis, intelligi sub exceptione pœnitentiæ, quasi dicat: Si iustus fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ illius non recordabuntur, nisi egerit pœnitentiam, quia si hanc non agat, merita illius præcedentia non præualebunt contra iniquitatem.

## DIFFICULTAS XXIV.

*Vtrum merita iusti reuiuiscant in integrum.*

Conueniunt Theologi, merita iusti reuiuiscere non solùm quoad præmiu accedente, nempe quoad gaudium de illis in celo futurum, sed etiam quoad præmiu essentiale gloriæ, vt significatur in Tridentino sess. 6. cap. 16. dum de meritis iusti procedentibus ex gratia ait, nihil illis deesse, vt censetur promeruisse vitam æternam suo tempore consequendam, si iustus in gratia decedat; ex quo Diffic. xxiii. reuiuiscunt meritorum deduximus. Quod etiam constat ex dictis in ea Difficultate, nempe quòd ablato peccato illa mortificante, reuiuiscunt & expediuntur ad eandem dignitatem & rationem meriti, quam habuerunt facta in statu gratiæ; dignitas autem illa & ratio meriti est vitæ æternæ.

Ita tamen reuiuiscunt quoad dignitatem & rationem meriti vitæ æternæ, vt illis correspondeat, & conferendus sit aliquis peculiaris gradus vitæ æternæ, distinctus à gradu correspondente iustificationi, per quam reuiuiscunt. In quo Theologi communiter conueniunt. Quod constat ex dictis, quia merita, peccato ea mortificante per iustificationem ablato, reuiuiscunt ad eandem antiquam dignitatem & rationem meriti, quam ante illud peccatum habebant: illis autem, si non fuissent per peccatum mortificata, responderet aliquis peculiaris gradus gloriæ, distinctus ab eo qui correspondet iustificationi sequenti per quam reuiuiscunt. Et quidem si solùm reuiuiscerent quoad eundem gradum gloriæ, aliàs titulo iustificationis sequentis conferendum, eorum reuiuiscuntia nihil prodesset iusto, cum ipsi nihil gloriæ ex reuiuiscuntia accresceret.

Est tamen difficultas, An reuiuiscant quoad totam gloriam, seu quoad omnem gradum gloriæ, quem ante sui mortificationem merebantur.

Alexander 4. parte quæst. 12. memb. 4. art. 5. ad 7. Bonauentura in 4. dist. 14. part. 2. art. 2. q. 1. ad 4. Paludanus quæst. 1. Capreolus quæst. 2. art. 1. & Sotus dist. 16. q. 2. art. 5. docent, merita mortificata non semper reuiuiscere quoad omnem gradum vitæ æternæ; qui non omnes eodem fundamento, sed variis ad id ducuntur.

Magister verò in 4. dist. 14. Albertus art. 21. Richardus art. 8. q. 2. Almainus q. 1. art. 2. Scotus dist. 22. q. 1. Durandus in 3. dist. 31. q. 2. Vasquez q. 89. art. 5. dub. 2. & Egidius disp. 2. dub. 20. docent, semper, & per quamcumque iustificationem, quantumuis minimam, reuiuiscere quoad totam antiquam dignitatem & rationem meriti vitæ æternæ, & quoad adeptionem totius gloriæ, quam aliàs adipiscerentur si mortificata non fuissent. Quod in primis constat ex Tridentino, dum supponit, nihil aliud esse necessarium, vt opus bonum iusti vitam æternam mereatur, & vt eam, quam merebatur, consequatur, nisi quòd fiat in statu gratiæ, & quòd procedat ex auxilio gratiæ, & quòd iustus in gratiæ decedat: hæc autem tria non minùs conueniunt meritis mortificatis, quam si non fuissent mortificata; ergo Tridentinum supponit, reuiuiscere quoad totam dignitatem, & rationem meriti vitæ æternæ quam ante mortificationem habe-

Vasquez.

Trident.

Alexand.  
Bonauent.  
Paludan.  
Capreol.  
Sotus.

Magister.  
Albertus.  
Richard.  
Almain.  
Scotus.  
Durand.  
Vasquez.  
Egidius.

Trident.



habebant, & quoad adeptionem totius gloriæ, quam adipiscerentur si mortificata non fuissent, per quamcumque iustificationem, quantumuis minimam, reuiuiscant, quia quæcumque sufficit, ut homo decedat in gratia.

Et idem ratione constat: quia si peccato mortali, quo merita mortificata fuerunt, per quamcumque iustificationem ablato, reuiuiscunt ad antiquam dignitatem & rationem meriti vitæ æternæ, necesse est, quod non ad minorem, sed ad eandem reuiuiscant, quia per peccatum nihil dignitatis & meriti fuit extinctum, & quacumque iustificatione secuta, quantumuis minima, nihil peccati quoad culpam seu offensam manet, quo merita vitæ æternæ possint quoad aliquid dignitatis & meriti impediri; ergo reuiuiscunt & per quamcumque iustificationem quoad totam antiquam dignitatem & rationem meriti & vitæ æternæ; & consequenter etiam quoad adeptionem totius vitæ æternæ, cuius ante peccatum mortificans erant digna & meritoria, quia Deus unicuique reddit gloriam secundum opera sua, seu secundum dignitatem operum, siue iustus disponatur ad iustificationem sequentem dispositione intensiori, siue remissiori ipsius antiquis meritis.

Obseruandum est, merita iusti mortificata non tantum reuiuiscere quoad totam dignitatem & rationem meriti de condigno vitæ æternæ, sed etiam quoad congruitatem & rationem meriti de congruo aliorum donorum, si etiam quoad hanc mortificata sunt (quod est difficile, cum ea congruitas sit expedite compossibilis cum peccato mortali) ob eandem omnino rationem, quia scilicet quoad nihil fuerunt extrinsecta, & non fuerunt quoad congruitatem remunerata. Et ob eandem rationem merita de congruo facta in statu peccati, si quoad eam congruitatem alio peccato mortali sequenti mortificantur (quod etiam est difficile, quia quoad illam sunt expedita in peccatore) postea ablato illo peccato reuiuiscunt quoad eam congruitatem.

## DIFFICULTAS XXV.

*Vtrum gratia habitualis per peccatum amissa, postea peccato illo per iustificationem ablato restituatur, & in integrum.*

**C**irca hanc Difficultatem (variis modis dicendi omis) dicendum est Primò, gratiam habitualement meritis antiquis mortificatis correspondentem, siue eorum intuitu collatam, restitui, & in integrum, & statim in iustificatione ipsa per quam merita reuiuiscunt, quantumcumque sit iustificatio. Ita Maior in 4. d. 22. quæst. 1. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 8. Suarez in Opusculis Relect. 2. Vasquez q. 89. art. 5. dub. 3. Pessantius disp. 3. & Egidius disp. 2. dub. 20. Ratio huius est, quia gratia habitualis ideo fuit antea antiquis meritis collata, & tota, quæ eis correspondebat, & statim ac facta fuerunt, quia erant meritoria de condigno illius, seu condigna dispositio ad illam: sed per iustificationem, qua auferitur peccatum mortificans, quantumuis minimam, reuiuiscunt merita ad totam antiquam condignitatem & rationem meriti, & dispositionis condignæ; ergo gra-

tia habitualis eis correspondens antiquitus eorum intuitu collata, restituitur, & tota, & statim in ipsa iustificatione per quam reuiuiscunt.

Sed obieciens Tridentinum sess. 6. cap. 7. dum ait, *Trident.* in iustificatione gratiam conferri & infundi iuxta uniuscuiusque dispositionem; ergo in iustificatione non semper restituitur tota gratia meritis uiuificatis correspondens, sed maior aut minor pro quantitate dispositionis uniuscuiusque. Respondemus, dictum Antecedens, ex Tridentino desumptum, tantum intelligi de gratia collata intuitu dispositionis ad illam (imò tantum de gratia quæ confertur in Sacramento ex opere operato ex vi ipsius Sacramenti) non verò de gratia, quæ restituitur intuitu meritorum antiquorum iam reuiuiscuntium.

Dicendum Secundò est, nihil gratiæ habitualis collatæ ex opere operato virtute Sacramenti, & per peccatum amissæ; restitui (ut contra Suarez & Egidium, dicentes verè restitui, & in integrum, & statim, aduertit Vasquez) quia nec reuiuiscit Sacramentum, intuitu cuius fuit antea collata, nec reuiuiscit aliud quod exigat restitutionem illius, nec ex se reuiuiscere potest, ut patet. Quod autem restitutio illius pertineat ad excellentiam meritorum Christi, & congruat misericordiæ Dei, non sufficit, ut dicatur fieri à Deo; quia etiam multa alia beneficia, & miracula, quæ Deus nec facit, pertinerent ad excellentiam meritorum Christi, & congruerent misericordiæ Dei.

Sed obieciens: Ergo peccatum illud mortale, quo amissa fuit illa gratia, quamuis remissum per sequentem iustificationem, panietur pœna æterna, nempe priuatione illius gratiæ quæ nunquam restituenda est.

Respondemus, priuationem huius gratiæ aut non fuisse pœnam peccati, per quod gratia ipsa fuit expulsa, sed tantum effectum secundarium illius: aut si fuit pœna, solum fuisse, quamdiu peccatum non fuit remissum quoad culpam, quia quamdiu non remittebatur, placebat Deo priuatio illa in pœnam illius peccati, non verò post remissionem.

Ex dictis constat, eum, qui resurgit à peccato ad gratiam, aliquando resurgere ad minorem gratiam, quam habebat ante peccatum; aliquando ad æqualem, & aliquando ad maiorem: quia quamuis semper restituatur tota gratia meritis antiquis correspondens, nihil tamen gratiæ intuitu Sacramenti collatæ restituitur: & quia gratia, quæ confertur præcisè ex vi iustificationis, per quam peccator resurgit, aliquando est maior quam gratia Sacramentalis amissa, aliquando æqualis, & aliquando minor, quia datur iuxta præsentem dispositionem, aut contritionem, quæ aliquando est maior, aliquando est æqualis, & aliquando minor quam fuerat præcedens dispositio, iuxta quam collata fuit gratia illa Sacramentalis, quæ non restituitur, ideo peccator resurgens aliquando resurgit ad maiorem, aliquando ad æqualem, & aliquando ad minorem gratiam quam fuit gratia per peccatum amissa, ut docet S. Thomas q. 89. art. 2.

Obseruandum est, ut optime S. Thomas art. 6. *S. Thomas.* opera bona facta extra statum gratiæ, quæ dicuntur mortua (non mortifera, qualia sunt peccata mortalia) quia carent vita gratiæ & charitatis, nullatenus uiuificari per iustificationem sequentem, ut manifestum est.

Maior.  
Medina.  
Suarez.  
Vasquez.  
Pessant.  
Egidius.



## DISPUTATIO III.

## De præcepto Pœnitentiæ.

**N**omine Pœnitentiæ in hac Disput. III. (sic ut etiam in II.) tantum intelligimus perfectam contritionem, quæ est perfectissima pœnitentia actualis, & quam Patres nomine pœnitentiæ intelligunt.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum perfecta contritio sit sub præcepto.*

Victoria.



**VICTORIA** (ut refert Canus Relect. de Pœnitentia, p. 4.) docuit, contritionem perfectam, quamvis sit medium necessarium ad salutem, extra Sacramentum non esse sub præcepto, aliàs nullus damnaretur ob unicum tantum peccatum mortale, quia cum quocumque alio peccato mortali esset aliud peccatum mortale omissionis contritionis perfecta.

S. Thomas.  
Vasquez.  
Suarez.

S. Thomas verò quæst. 84. art. 7. Vasquez q. 86. art. 2. dub. 2. Suarez disp. 15. sect. 1. & communiter Theologi docent, contritionem perfectam esse sub præcepto, & merito: quia id deducitur ex illo Lucae 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*: sicut etiam ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* deducitur, Baptismum esse sub præcepto, & ex illo Ioan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c.* deducitur, Eucharistiam esse sub præcepto.

Et ratione constat, quia omnia quæ sunt media necessaria ad salutem, & aliàs sunt in nostra potestate, sunt sub præcepto; ex eo enim fides est sub præcepto, quia est medium necessarium ad iustificationem, & aliàs est in nostra potestate: sed contritio est medium necessarium ad iustificationem peccatoris, qui non iustificatur medio Sacramento, & aliàs est in eius potestate supposito auxilio; ergo est peccatori sub præcepto.

Vasquez.

Ex quo deducitur, ut optime Vasquez, præceptum contritionis non obligare absolute, sed ex suppositione peccati mortalis, & non remissi, ut ab eo iustificemur; ac proinde, quando peccator aliàs iustificatus est medio Sacramento, cessat obligatio dicti præcepti, quia dictum præceptum tantum obligat ratione iustificationis: & quia iustificatio extra Sacramentum obtineri potest non tantum contritione expressa, sed etiam implicita in alio actu dilectionis amicitiae erga Deum, idè contritio expressa determinatè non est sub præcepto, sed expressa, aut implicita sub disiunctione, quamvis peccatum non remissum memoriae occurrat, etiam si quando occurrit ei, qui alio actu dilectionis, quo sufficienter iustificatur, diligit Deum, vix possit contineri ab actu expressa contritionis.

Ad rationem ergo in contrarium, concedimus, nullum damnandum esse ob unicum tantum peccatum mortale, nisi repente moriatur existens in statu unius tantum peccati mortalis; aut nisi existens in articulo mortis, prudenter iudicet se esse iustificatum; aut nisi invincibiliter ignoret dictum

præceptum, vel illius naturaliter obliuiscatur: quia in quocumque casu ex his, omisso dicti præcepti non imputatur ad culpam.

## DIFFICULTAS II.

*Quale sit præceptum contritionis.*

**P**etrus Sotus Lect. 13. de Pœnitentia, docet, præceptum contritionis oriri & obligare ex speciali virtute pœnitentiæ. Modus tamen iste dicendi non placet, quia ex ea virtute nequit oriri obligatio, nisi ad intentionem satisfaciendi, seu destruendi peccatum ut offensam Dei, aut illud ut offensam Dei detestandi, aut de eo ut offensam Dei dolendi ex complacentia ipsius pœnitentis, quia specialis virtus pœnitentiæ non habet alium actum proprium, & nulla virtus obligare potest nisi ad proprium actum; & si aliquando etiam obligat ad actum alterius virtutis, est quando iste est necessarius ad proprium actum, qui sit sub obligatione illius virtutis: contritio autem perfecta nec est necessaria ad aliquem actum proprium specialis virtutis pœnitentiæ, nec aliquis actus proprius huius virtutis est sub obligatione ipsius.

Suarez disp. 15. sect. 1. docet, præceptum contritionis, obligans ratione iustificationis, quando hæc non fit medio Sacramento, esse ex iustitia erga Deum, quo Deo media contritione satisfacimus pro offensa ipsi facta, & eam delemus. Hic etiam modus dicendi non placet, quia Deus peccatis nostris non læditur verè & strictè, nec lædi potest contra peculiarem & strictam iustitiam; ergo præceptum contritionis, qua Deo satisfacimus pro offensa ipsi facta, & eam delemus, non oritur ex peculiari & stricta iustitia, nec ipsa contritio est actus iustitiæ, quia non est recompensatio alicuius strictæ & peculiaris iniustitiæ.

Scotus verò in 4. dist. 17. quæst. 1. Canus Relectione de Pœnitentia p. 3. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 3. & Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 3. docent, præceptum contritionis esse ex charitate erga Deum, ac proinde ad primum præceptum Decalogi pertinere, & merito: quia ad contritionem tenemur ratione iustificationis in fine vitæ, ut moriamur Deo reconciliati, quia contra rationem est, homines in Dei amicitiam ordinaros, in eius inimicitiam in perpetuum discedere; præceptum autem quod est, & obligat ratione reconciliationis cum Deo, ad charitatem erga ipsum pertinet, & ex ea oritur.

Id verò quod addunt Scotus, Canus, & Medina, nempe, dictum præceptum contritionis etiam esse & obligare ex propria misericordia erga nosmetipsos, falsum est, ut advertit Vasquez: quia sicut misericordia erga proximos non exigit ut eos liberemus à malis, adhuc spiritualibus, à quibus ipsi se liberare possunt, & nolunt, quia tunc non habet locum compassio miseriae proximorum, quia ipsi tunc se habent quasi non patientes, & quasi non

non



non dolentes de sua miseria, ita nec misericordia exigit, vt liberemus nos ipsos à malis adhuc spiritualibus, nec in articulo mortis, sed in hoc articulo tantum obligamur ex charitate erga Deum, vt liberemur à peccato graui: & obligamur liberari à peccato graui, non vt liberemur à damno, sed vt reconcilemur cum Deo.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum præceptum contritionis obliget statim, ac commissum est peccatum mortale.*

**D**ifficultas hæc procedit de obligatione non in actu primo, quæ idem est ac vis seu virtus ad obligandum, ratione cuius præcepta adhuc affirmatiua dicuntur obligare semper; sed de obligatione in actu secundo, ratione cuius præcepta affirmatiua, excepto præcepto restitutionis, dicuntur non obligare pro semper.

*Guilielm.* Guilielmus ergo Parisiensis Tract. de Pœnit. cap. 19. Thomas Argentina in 4. d. 17. art. 4. Maior q. 2. Petrus Sotus Lect. 13. de Pœnitentia, Siluester v. *Contritio*, num. 4. & Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 18. docent, præceptum contritionis, statim ac commissum est peccatum mortale, obligare (loquuntur de obligatione in actu secundo, quando aliàs peccator non iustificatur medio Sacramento) Primò, quia vnusquisque tenetur statim restituere quod abstulit proximo, siue famam, siue aliam rem; ergo peccator statim, ac grauius offendit Deum, tenetur ipsi pro offensa satisfacere, ac proinde ad contritionem, per quam Deo satisficit pro offensa. Secundò, quia vnusquisque tenetur, quam primùm possit, se liberare à graui damno corporis; ergo maiori ratione à graui damno animæ relicto ex peccato mortali. Tertiò, quia vnusquisque tenetur statim monere proximum, vt à peccato mortali iustificetur; ergo maiori ratione vnusquisque tenetur statim iustificari ab illo, ac proinde ad contritionem, si aliàs non iustificatur medio Sacramento. Quartò, quia qui peccato mortali amisit statum sanctitatis & gratiæ, est in periculo probabili committendi aliud peccatum mortale, quod significat Gregorius lib. 1. in Ezechielem Hom. 1. dum ait: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud.* & ratio ipsa ostendere videtur, quia gratia habitualis seu sanctitas est necessaria ad seruandam totam legem; ergo statim post peccatum mortale tenetur ab eo iustificari, vt desinat esse in dicto periculo.

*Durand.* Durandus verò in 4. dist. 17. q. 10. Paludanus quæst. 1. Dominicus Sotus quæst. 2. art. 6. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 6. Suarez disp. 15. sect. 5. Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 5. & Egidius disp. 3. dub. 3. docent, præceptum contritionis non obligare (loquuntur de obligatione in actu secundo) statim ac commissum est peccatum mortale, quamuis peccator non iustificetur ab illo per Sacramentum; & merito: aliàs qui statim post commissum peccatum mortale non conteritur, peccaret mortaliter continuè & absque interruptione, quousque conteratur (non minùs quam qui non restituit rem grauem, quando commodè potest) quia semper absque interruptione transgrediretur præceptum graue; consequens autem est durum,

& contra omnium sensum & existimationem. Ratio autem huius doctrinæ est, quia dicta obligatio ex nullo capite & ex nullo fundamento constat, nec deduci potest, vt constabit ex solutione eorum quæ pro aduersariis adducta sunt: obligatio autem adèò rigorosa, dura, & grauis non est absque noto & grauiissimo fundamento admittenda.

Id quoque quod Bonauentura in 4. dist. 17. *Bonauent.* 2. part. art. 2. quæst. 2. addit, nempe Religiosos ob perfectionem sui status teneri statim ac committunt peccatum mortale, ad iustificationem, non admittimus, quia absque firmo fundamento id attribuit Religiosis, quia isti ratione sui status tantum obligantur suis votis, & peculiaribus præceptis suæ Religionis.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus Antecedens, & negamus Consequentiam, ob discrimen inter ablationem famæ, aut alius rei homini factam, & inter offensam factam Deo: quia homo per ablationem sibi factam non solum læditur actualiter, quando sibi fama aut alia res aufertur, sed etiam quandiu ei non restituitur, ac proinde non tantum vsurpatione seu ablatio, sed etiam non restitutio est actualiter contra iustitiam, & est peccatum actuale iniustitiæ: Deus verò quamuis per quodlibet peccatum offendatur, & per sacrilegium peculiariter inhonoretur, nullo tamen læditur, nec damnificatur, quia non offenditur quia lædatur, sed quia fit aliquid contra aliquam virtutem, quod ei displicet; & idèò Deus, quamuis in principio, quando fit actualiter peccatum, actualiter offendatur, quia tunc fit contra aliquam virtutem, postea verò in non satisfaciendo pro offensa, seu in non delendo illam, non fit actualiter peccatum, sicut fit in principio; quia postea non fit contra aliquam virtutem, sicut factum fuit in principio.

Ad secundum admittimus Antecedens, nempe, grauius damnificatum in corpore, statim teneri à graui illo damno liberari, quando non est rationabilis aliqua causa patiendi illud, quamuis non teneatur statim sub mortali, nisi dilatio sit notabilis, aut grauius periculosa: negamus tamen, grauius damnificatum in anima per peccatum mortale, teneri statim liberari ab eo damno, ob discrimen inter liberationem à damno corporali, & inter liberationem à dicto damno spirituali: quia liberatio à damno corporali pertinet ad virtutem fortitudinis (sicut liberatio à damno in fama, vel in honore, vel in diuitiis, ad liberalitatem;) fortitudo autem sicut obligat, nequis seipsum in principio damnificet corporaliter, & ne absque rationabili causa patiarur simile damnum ab altero, ita etiam nequis absque rationabili causa permittat continuationem illius damni, vt corpus sit integrum, & perseueret sicut natura disposuit: liberatio verò à damno spirituali tantum pertinet ad virtutem charitatis erga Deum ratione reconciliationis cum ipso, non ratione damnificationis, quia anima damnificata est: charitas autem erga Deum non obligat ad eam reconciliationem, nisi in articulo mortis, nequis in perpetuum discedat in inimicitia Dei: & obligatione earumdem virtutum (quamuis non primariâ, sed tantum secundariâ) tenemur procurare liberationem proximorum à prædictis damnis, quando ipsi voluntariè illa admittunt, aut admitturi sunt (vt semper admittunt damna spiritualia) vel eorum continuationem,



potius quàm obligatione misericordia, cuius proprium est compati miseriam proximorum, & non propriè dicimur compati quando patiens, aut passurus malum vult non liberari.

Ad tertiam negamus Antecedens, nempe, nos teneri monere proximum, vt à peccatis commissis iustificetur; quia materia monitionis, seu correctionis fraternæ, non est peccatum præteritum, sed futurum, quia tantum tenemur corrigere fratrem ne peccet: & ad hoc tenemur, non ex misericordia spiritali, sed ex illa virtute, contra quam frater est peccaturus; & non tenemur primatiua obligatione qua frater ipse tenetur, sed secundaria.

Ad quartam negamus, eum, qui est in peccato mortali, eo ipso esse in periculo probabili committendi aliud. Et ad priorem probationem ex Gregorio desumptam respondemus, eum tantum loqui de peccato, in cuius complacentia permanet peccator, & quod connexionem aliquam habet cum alio, vt superbia cum inuidia, quia tunc tale peccatum suâ complacentiâ trahit ad aliud; & non loquitur generaliter de peccato, quod tantum permanet habitualiter. Et ad posteriorem probationem, negamus, gratiam habitualemente necessariam ante. edenter, seu tamquam principium, ad seruandam totam legem; sed tantum esse necessariam consequenter, quia qui diu totam legem obseruat, post obseruationem illius totius obtinebit à Deo gratiam habitualemente, siue medio Sacramento, siue media contritione.

#### DIFFICULTAS IV.

*Quando ergo obligat præceptum contritionis?*

**C**onueniunt Primò Theologi, peccatorem, qui Sacramento non iustificatur, teneri in actu secundo præcepto contritionis, ratione sui, & per se in articulo & in periculo mortis. Aliàs homo ad amicitiam Dei à Deo ipso ordinatus, discedet in æternum in eius inimicitia, quod est contra charitatem, cuius contritio est actus.

Conueniunt Secundò, peccatorem aliquando extra articulum & periculum mortis ad contritionem obligari per accidens, ratione præcepti alterius virtutis à charitate distinctæ, vt quando administrandum est aliquod Sacramentum, & non fit confessio, quia tunc est obligatio contritionis non per se ex charitate, cuius contritio est actus, sed per accidens ex virtute religionis, vt dignè & religiosè administrantur & tractentur Sacramenta. Vnde qui tunc absque contritione administrat Sacramentum, peccat peccato commissionis sacrilegij, non peccato omissionis contritionis.

Est tamen difficultas, An extra articulum & periculum mortis, præceptum ipsum contritionis ratione sui obliget aliquando peccatorem, qui aliàs non iustificatur medio Sacramento.

In primis non desunt, qui in casu præsentis difficultatis dicant, peccatorem teneri præcepto ipso contritionis, quoties peccatum mortale non remissum memoria occurrit. Id tamen omnino gratis & absque fundamento dicitur: quia si præceptum ipsum contritionis non obligat statim, ac homo peccat mortaliter, vt diximus Diff. III. nullo fundamento dici potest, obligare, quoties mortale non remissum memoria occurrit.

Secundò, Marfilus in 4. q. 12. art. 1. Vigerius *Marfilus.* c. 16. §. 4. & Petrus Sotus Lect. 13. de Pœnitentia, *Vigerius.* docent, peccatorem teneri præcepto ipso contritionis in diebus Festis, quia obseruatio diei festi ordinatur in sanctificationem animarum. Immeritò tamen, & absque sufficienti fundamento inducitur obligatio adeò dura & stricta, quia in die Festo tantum præcipitur cultus Dei ad Religionem pertinens (imò non omnis, sed tantum auditio Missæ, & cessatio ab operibus seruilibus: ) quòd autem cultus iste, qui præcipitur, ordinetur in sanctificationem animarum tamquam in finem extrinsecum, non sufficit vt eo ipso præcipiatur contritio, mediâ quâ fit sanctificatio; quia finis extrinsecus actus præcepti, non cadit sub præceptum talis actus.

Tertiò, Adrianus in 4. q. 3. de Confessione, & Petrus Sotus docent, peccatorem obligari præcepto ipso contritionis, quando magna aliqua calamitas populo imminet. Immeritò tamen, & absque fundamento sufficienti, dicitur, tunc peccatorem teneri præcepto contritionis: & quamuis tunc esset obligatio contritionis, non oriretur ex præcepto ipso contritionis, sed ex præcepto orationis. Imò nec hoc præceptum credimus tunc esse.

Quartò, Sotus in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 6. docet, peccatorem teneri præcepto ipso contritionis, quando est in periculo probabili obliuionis peccatorum. Sed immeritò, quia falsò supponit ad iustificationem per contritionem requiri, quòd contritio sit cuiuslibet peccati in particulari, vt diximus Disp. 11. Diffic. v.

Quintò, Suarez disp. 15. sect. 6. Egidius disp. 3. *Suarez.* dub. 3. & Ochagua q. 16. docent, peccatorem obligari præcepto ipso contritionis ante articulum mortis, ad non multum differendam contritionem, postquam commissum fuerit peccatum mortale; nullum tamen tempus determinatum assignant, pro quo peccator obligetur. Sed immeritò, quia præterquam, quòd absque sufficienti fundamento eam obligationem inducunt, non est contra rationem, differre reconciliationem cum Deo, dum in eius inimicitia non moriamur. Quo etiam rejiciuntur reliqui supradicti modi dicendi.

Tandem ergo Caietanus in Summa, v. *Contritio, Caietan.* & Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 6. docent, peccatorem præcepto ipso contritionis non teneri nisi in articulo mortis, aut in periculo mortis; & meritò: quia tantum videtur contra rationem, & contra charitatem erga Deum (ex qua sola oritur præceptum contritionis) in æternum permanere in inimicitia Dei.

Addimus, vt optimè Vasquez, peccatorem excusari ab obligatione præcepti contritionis, quando aliâ viâ iustificatur; quia tota obligatio præcepti contritionis oritur ex necessitate iustificationis, ac proinde cessat, cessante dicta necessitate.

#### DIFFICULTAS V.

*Vtrum postquam quis iustificatus est à peccatis, teneatur de eisdem iterum dolere, & conteri.*

**A**lexander 4. part. quæst. 68. memb. 2. art. 2. *Alexand.* Richardus in 4. dist. 14. art. 9. quæst. 1. *Richardus.* Gabriel q. 3. art. 3. dub. 1. Paludanus dist. 17. quæst. 1. *Gabriel.* art. 3. & Siluester v. *Contritio, quæst. 2. docent,* *Paludan.* eum qui peccauit, teneri præcepto affirmatiuo habendi



August.  
Isidorus.  
Hugo Vi-  
ctorinus.

bendi contritionem aut dolorem de peccatis, quamvis iam remissis, & quoties memoriæ occurrunt. Quod tradidisse videntur Augustinus de Vera & falsa pœnitentia, cap. 13. Isidorus lib. 2. de Summo bono, & Hugo lib. 2. de Sacramentis, part. 14. cap. 2. & ratione probari potest, Primò, quia quoties memoriæ occurrit peccatum ut est offensa Dei, tenetur voluntas circa illud, utpote rem arduam, actum aliquem displicentiæ elicere, aliàs parui pendet peccatum & offensam Dei. Secundò, quia voluntas nostra debet esse conformis diuinæ: sed peccatum nostrum, quamvis remissum, semper displicet Deo; ergo etiam debet nobis displicere quoties memoriæ occurrit.

Caietanus.  
Vasquez.  
Suarez.  
Sotus.  
Medina.  
Petrus So-  
tus.

Caietanus verò quæst. 84. art. 8. & 9. Vasquez art. 9. dub. vnico, Suarez disp. 15. sect. 4. Sotus in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 9. Medina Cod. de Pœnitentia, q. 6. & Petrus Sotus Lect. 13. de Pœnitentia, docent, eum qui peccauit, non teneri præcepto affirmatiuo habendi contritionem aut dolorem de peccatis iam remissis, & meritò: quia non modò hæc obligatio adedò dura inducitur absque fundamento, sed etiam contra rationem; quia præceptum istud eatenus obligat in actu secundo, quatenus indigemus iustificatione à peccatis, & reconciliatione cum Deo, ut supra diximus; ergo

qui semel ab illis iustificatus est, manet exemptus ab obligatione illius.

Augustinus verò, Isidorus & Hugo pro aduersariis adducti, quando significant pœnitentiam esse necessariam etiam post remissionem peccatorum, nomine *necessitatis* intelligunt vel magnam utilitatem ad obtinenda à Deo auxilia gratiæ in futurum, vel obligationem ex præcepto negatiuo non complacendi in peccatis: quod impleri potest (quidquid Canus dicat) quamvis ille, cuius memoriæ peccata occurrunt, non detestetur illa, quia potest suspendere omnem affectum circa illa, quia nullo cogitur elicere affectum aliquem circa illa.

Et ad primam rationem negamus, eum, cuius memoriæ occurrit peccatum ut offensa Dei, teneri ad contritionem, aut ad aliam displicentiam illius: ex eo autem quòd nullam displicentiam habeat illius, non parui pendet offensam Dei, & iustificationem ab illa.

Et ad secundam respondemus, quòd quamvis peccatum iam remissum semper displiceat Deo, nos tamen non tenemur etiam displicere de illo, ut Deo conformemur, quia non est necessaria maior conformatio, quàm quòd nobis non placeat quòd Deo displicet, ex eodem motiui ex quo Deo displicet.

## DISPUTATIO IV.

## De natura &amp; necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

## DIFFICULTAS I.

## Ex quibus constet Sacramentum Pœnitentiæ.



UPPONIMVS, in quo conueniunt Catholici contra hæreticos nostri temporis, Pœnitentiam sumptam pro exteriori carimonia confessionis dolorosæ peccatorum, & absolutionis ab eis, & satisfactionis pro ipsis, ut fit in Ecclesia Christiana, esse verum Sacramentum, & vnum ex septem institutis à Christo. Quod constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & definitum est in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. & in Florentino in Decreto Eugenij IV. habito post vltimam sessionem, & in Tridentino sess. 14. can. 1. & 2. Quod etiam amplius constabit ex dicendis de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, & de potestate absoluenti à peccatis collata Sacerdotibus.

Hoc ergo supposito, difficultas est, Ex quibus constet & coalescat hoc Sacramentum Pœnitentiæ. Scotus in 4. dist. 14. q. 4. docet, totam essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, sitam esse in absolutione à peccatis à Sacerdote facta, quia sola absolutio significat totum effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nempe remissionem peccatorum. Vnde Scotus d. 16. q. 1. consequenter docet, contritionem, confessionem, & satisfactionem non esse partes Sacramenti Pœnitentiæ, esse tamen necessarias; contritionem & confessionem, tamquam quid præuium ad absolutionem; & satisfactionem, tamquam quid consequens, quâdo restat pœna aliqua soluenda, ut eâ absumat.

Durand.

Durandus in 4. dist. 14. q. 3. docet, totam essen-

tiam Sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in confessione pœnitentis, & in absolutione Sacerdotis, contritionem verò & satisfactionem non pertinere ad essentiam illius. Id autem de contritione probatur, quia hæc est spiritalis & insensibilis, ergo ex ea nequit constitui Sacramentum Pœnitentiæ, quod est sensibile. De satisfactione verò id probatur, quia hæc consequitur Sacramenti essentiam, quia consequitur, & supponit primarium effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nempe remissionem peccatorum quoad culpam & pœnam æternam, à Sacramento ipso iam essentialiter constituto proueniens, seu causata.

S. Thomas verò, & eius Interpretes quæst. 84. art. 2. & 3. reliqui Scholastici in 4. dist. 14. docent, & meritò, Sacramentum Pœnitentiæ constare non tantum absolutione, sed etiam contritione (siue perfecta siue imperfecta) confessione, & satisfactione; his tamquam materiâ, & absolutione tamquam formâ, quod expressum est in dicto Decreto Eugenij IV. & in Tridentino sess. 14. c. 3.

Et ratione probatur; & in primis, quòd constet ex illis tamquam ex partibus, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est instar iudicij; iudicium autem constat ex explicatione delicti, & ex sententia iudicis, & ex satisfactione pro delicto tamquam ex partibus. Et quia in hoc iudicio Sacramenti Pœnitentiæ sententia iudicis est absolutio remissiua delicti, ideo non quæcumque delicti explicatio est satis apta ad illud, nisi quæ fit ab ipso pœnitente, & illud detestante, aut de eo dolente. Sacramentum ergo Pœnitentiæ constat ex contritione, confessione, & ex satisfactione pœnitentis, & ex absolutione Sacerdotis tamquam ex partibus. Quòd verò constet ex contritione, &

S. Thomas.

Eugen. IV.  
Trident.



confessione tamquam ex materia, seu tamquam ex partibus materialibus, & ex absolutione tamquam ex forma, seu tamquam ex parte formali probatur: quia tres dicti actus pœnitentis modificantur & perficiuntur absolutione Sacerdotis ad significandum effectum Sacramentalem; modificari autem & perfici est proprium materiae, perficere verò est proprium formae.

Nihilominus contritio, confessio, & satisfactio dicuntur ab Eugenio IV. & à Tridentino quasi materia, cum eo addito *quasi*, & non absolute, non quia non sunt materia physica, quia etiam materia aliorum Sacramentorum non est materia physica, & tamen ab ipsis dicitur materia absolute & absque addito; sed quia materia physica, tam prima quam secunda, nempe compositum substantiale, est vera substantia: actus autem pœnitentis, qui sunt materia proxima Sacramenti Pœnitentiae, & peccata, quae sunt materia remota illius, non sunt substantiae, sed accidentia; materia verò, quae in aliis Sacramentis assignatur ab Eugenio IV. & à Tridentino, dicitur ab ipsis materia absolute & absque addito, quia in illis assignatur materia remota, quae verè est substantia: absolutio tamen, quamvis sit accidens, dicitur forma, absolute (sicut formae aliorum Sacramentorum) & non dicitur quasi forma, quia ratio formae physicae non solum convenit substantiae, sed etiam accidenti.

Ita tamen contritio, confessio, & satisfactio sunt partes materiales Sacramenti Pœnitentiae, & absolutio ita est pars formalis, ut contritio, confessio, & absolutio sint ipsi Sacramento essentialia, quia absque illis nequit quoad suam essentiam constare, quia institutum est instar iudicij; iudicium autem essentialiter coalescit ex explicatione delicti, & ex sententia iudicis. Et quia in hoc iudicio sententia est absolutio & remissio delicti, idè non quaecumque delicti explicatio est satis apta ad illud, nisi facta ab ipso pœnitente, & dolorosa saltem radicaliter, quae eo ipso est vera confessio & accusatio, quamvis sufficiat dolor confessionem subsequens, ut dicemus Disp. VI. Diffic. X. Et quia ad iudicium non est essentialiter requisita satisfactio, quia haec in iudicio sequitur post sententiam, ac proinde post iudicium essentialiter perfectum, idè satisfactio non est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiae: dicitur tamen pars integralis, quia quodammodo complet & perficit essentiam ipsam iudicij pœnitentiae, & non perfectione extra substantiam ipsius, qua ratione accidens perficit substantiam, sed intra, quia conducit ad perfectam remissionem peccatorum, factam per illud iam essentialiter perfectum, absumendo ex opere operato poenam temporalem, quae post contritionem, confessionem, & absolutionem saepe superest soluenda, quo remissio ipsa intra rationem remissionis perficitur & completur.

Ad rationem ergo Scoti respondemus, quòd quamvis in solis verbis absolutionis sit sufficiens & sola significatio verbalis, & speculativa (quam habent ex institutione hominum) effectus huius Sacramenti, nempe remissionis peccatorum; non tamen Sacramentalis & practica, quam Sacramentum Pœnitentiae habet ex institutione Christi, quia haec convenit contritioni, confessioni & absolutioni, quod non leuiter indicat Tridentinum sess. 14. cap. 3. dum ait, efficacitatem huius Sacramenti praecipue esse in absolutione; quia ea parti-

cula praecipue denotat, etiam esse in aliis partibus: dicit tamen praecipue esse in absolutione, quia in ea reperitur tamquam in forma modificante, & perficiente contritionem & confessionem pœnitentis; & ob id in Sacerdote dicitur esse potestas ipsa clauium, & remissiva peccatorum.

Et ad rationem Durandi respondemus, quòd quamvis contritio secundum se sit insensibilis, fit tamen sensibilis per confessionem factam in ordine ad absolutionem, quia confessio sic facta est effectus contritionis, & quodammodo sentitur per suum effectum sensibilem. Est autem confessio eo modo facta effectus contritionis, aliquando quoad suam substantiam, ut quando ex contritione antecedente, pœnitens excitatur & inducitur ad confessionem sic faciendam, & semper confessio in ratione confessionis & accusationis est effectus contritionis, quia ratione huius confessio non est, aut si fuit, definit tamen esse historica narratio, & fit vera confessio & accusatio (siue contritio antecedat siue subsequatur confessionem:) quod sufficit ut contritio possit esse pars essentialis Sacramenti sensibilis; praesertim quòd id, quod est omnino spirituale & insensibile, potest esse pars essentialis totius materialis & sensibilis, ut videre est in anima rationali, quae quamvis sit spiritualis & insensibilis, est pars essentialis hominis, qui est materialis & sensibilis.

#### DIFFICULTAS II.

*Quid in Sacramento Pœnitentiae sit Sacramentum tantum, quid res Sacramenti tantum, quid res & Sacramentum simul.*

**I**nnocentius III. in cap. *Cum Martha* 6. de *Innoc. III.* Celebratione Missarum, distinguit, & assignat in Sacramento Eucharistiae Sacramentum tantum, & rem Sacramenti tantum, & rem & Sacramentum simul. Ex quo Doctores intendunt tria haec etiam in aliis Sacramentis distinguere & assignare. Id autem appellatur Sacramentum tantum, quod significat, & non significatur; & id res Sacramenti tantum, quod significatur, & non significat; & id res & Sacramentum simul, quod significat & significatur.

Conueniunt ergo Doctores, in Sacramento Pœnitentiae ipsum compositum ex actibus pœnitentis & ex absolutione, esse Sacramentum tantum, quia ipsum compositum est quod significat gratiam Sacramentalem, & ipsum non significatur per aliquid aliud; & ipsam gratiam Sacramentalem esse rem Sacramenti tantum, quia ipsa significatur per dictum compositum, quod est Sacramentum, & ipsa non significat aliquid; & contritionem ipsam esse Sacramentum, & rem Sacramenti simul. Est autem Sacramentum non totaliter, sed partialiter, quia est pars essentialis Sacramenti simul cum confessione & absolutione, significans & conferens gratiam sanctificantem.

Est tamen difficultas, Quomodo contritioni etiam conveniat esse rem Sacramenti, Ratio difficultatis pro parte negativa est, quia aliquid esse rem Sacramenti, est esse effectum Sacramenti; contritio autem non est effectus Sacramenti Pœnitentiae, quia contritio est antequam sit Sacramentum



mentum ipsum, quia ex ea præsupposita componitur, & effectus non est ante suam causam.

Circa hanc difficultatem, omnis variis modis ad eam respondendi, quia vel sunt difficiles, vel obscuri, qui videri possunt apud Vasquez q. 84. art. 1. dub. 3. nos respondemus, ideò contritionem esse rem Sacramenti, quia significatur per confessionem factam in ordine ad absolutionem, & quoad suam sensibilitatem ab ipsa confessione sic facta causatur, quia à confessione ut sic efficitur sensibilis, quia contritio mediâ confessione ordinata ad absolutionem quodammodo percipitur per sensus.

Ad rationem ergo difficultatis respondemus, quòd quamvis id quod est res Sacramenti tantum, sit quoad suam substantiam effectus illius quod est Sacramentum tantum; non tamen omne quod ita est res Sacramenti, ut etiam sit Sacramentum simul, qualis est contritio, sed sufficit quòd significetur per Sacramentum tantum, quamvis ab eo non causetur: sicut etiam id quod non tantum est Sacramentum, sed etiam est res Sacramenti simul (qualia sunt Corpus & Sanguis Christi in Eucharistia, & vinculum in Matrimonio) ut sit Sacramentum, sufficit, quòd significet, quamvis non causet; præsertim quòd contritio non solum quoad substantiam significatur per confessionem, sed etiam quoad suam sensibilitatem causatur ab ipsa, quæ etiam conveniunt Corpori & Sanguini Christi in Eucharistia, quæ non solum in ea sunt Sacramenta, quia ut sunt sub speciebus quodammodo significant gratiam cibantem; sed etiam sunt res Sacramenti, & tamen quoad suam substantiam non causantur ab speciebus, sed tantum quoad sensibilitatem, quia quodammodo sunt sensibilia per species quibus teguntur, & quoad suam substantiam significantur per illas.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum quodlibet peccatum sit materia Sacramenti Pœnitentiæ.*

Supponimus, peccata esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ, non proximam, quia Sacramentum hoc proximè solum coalescit ex contritione, confessione, & satisfactione tamquam ex materia; sed esse remotam, quia hæ partes materiales proximè versantur circa peccata, tamquam circa materiam (ea proportione, qua in Baptismo aqua non est materia proxima, sed remota, quia Baptismus proximè tantum constat ex ablutione tamquam ex materia) & ob rationem dictam peccata tantum esse materiam circa quam, & non ex qua.

Hoc supposito, conveniunt Primò Doctores, peccata actualia ante Baptismum commissa non esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ, imò nec illa quæ in ipsa actuali susceptione Baptismi committuntur, sed solum ea quæ post Baptismum essentialiter perfectum (ante quem nullus est intra Ecclesiam) commissa sunt, quia ex Christi institutione sola peccata iam subiecta Ecclesiæ sunt clauibus, & absolutioni Ecclesiæ subijcienda.

Observandum tamen est, omnia peccata actualia post Baptismum commissa ita esse materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ, ut mortalia sint materia necessaria, non quia sint necessaria ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quia verè non

sunt; sed quia sunt necessariò confitenda: & venialia sint materia libera, quamvis sufficiens; libera, quia non est obligatio confitendi illa: & sunt materia sufficiens, quia essentia Sacramenti Pœnitentiæ constare potest cum confessione venialium tantum, absque confessione mortalium, quod etiam habent peccata mortalia semel legitime confessa, quòd scilicet sint materia libera & sufficiens alterius confessionis, ut constat ex perpetuo usu fidelium, & definit Benedictus XI. in Extrau. *Inter cunctas*, de Privilegiis.

Circa peccatum originale conveniunt Secundò Doctores, quòd quamvis sit materia peculiaris virtutis Pœnitentiæ, ut diximus Disp. I. Diffic. VI. non tamen Sacramenti Pœnitentiæ, tum quia non est peccatum actuale propria voluntate contractum, tum etiam quia contrahitur ante Baptismum in primo instanti conceptionis.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ possit repeti & iterari.*

Non defuerunt hæretici, qui (ut refert Augustinus de Vera & falsa pœnitentia) dixerunt, lapsis post Baptismum semel tantum concedi Sacramentum pœnitentiæ. Quibus favere videtur Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 10. dum ait, pœnitentiam semel tantum concedendam esse pœnitentibus. Et non parum favere videtur, quòd Christus numquam eundem bis à morte ad vitam revocavit, nec eundem bis sanavit. Quod etiam ratione probatur, Primò, quia aliàs iterata peccatorum remissio occasio esset facilitans ad peccatum. Secundò, quia aliàs Deus videretur amare peccata, cum eis remittendis semper præstò adfit.

Nihilominus de Fide est, Sacramentum Pœnitentiæ iterari & repeti posse, imò debere semper, quòd post Sacramentum pœnitentiæ susceptum committitur peccatum mortale. Quod constat ex traditione & praxi Ecclesiæ, & definitur à Tridentino sess. 14. cap. 2. & Can. 1. & deducitur ex illo Ioan. 20. *Quorum remisseritis peccata, &c.* quia his verbis absque vlla limitatione conceditur ministris Ecclesiæ potestas remittendi peccata. Deducitur quoque ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ, quòd institutum est instar iudicij & instar medicinæ; iudicium autem repeti potest semper, quòd iteratur causa aliqua iudicij; & etiam medicina semper, quòd infirmitas iteratur.

Ambrosius verò, dum dixit, pœnitentiam semel tantum concedendam esse pœnitentibus, locutus est non de Sacramento Pœnitentiæ, sed de pœnitentia solemnè, quæ antiquitus in Ecclesia fieri consuevit; & non nisi semel. Quòd verò Christus neminem sanaverit nec resuscitaverit bis, non fauet dicto errori; quia, ut ait Augustinus, id ita factum est, ut quisque timeat iterum peccare.

Et ad primam rationem respondemus, iterantur peccatorum remissionem, ex se amorem potius & gratitudinem erga Deum conciliare, quibus retrahamur à peccando, quam ad peccandum incitare. Et ad secundam respondemus, ex eo quòd Deus ita præstò adfit ad remissionem & deletionem peccatorum, potius deduci, ut etiam ait Augustinus, Deum odio habere peccata, quam illa amare.

Quan-



Quando verò Sacramentum Pœnitentiæ sit necessariò repetendum & iterandum, quia fuit inualidum, & fuit peccatorum mortalium, commodiùs dicimus Disput. VII. Diffic. VII.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ sit medium necessarium ad salutem.*

Supponimus, ea quæ sunt necessaria ad salutem (id est ad iustificationem, & consequenter ad gloriam, quæ nequit sine iustificatione obtineri) esse in triplici differentia. Quia alia sunt necessaria necessitate tantum præcepti, alia necessitate tantum mediij, alia sunt necessaria necessitate præcepti & mediij simul. Illa sunt necessaria ad salutem necessitate tantum præcepti, quæ ex eo solum sunt necessaria ad salutem, quia sunt sub præcepto graui. Illa sunt necessaria ad salutem necessitate tantum mediij, quæ sunt necessaria tamquam media seu remedia conducentia ad illam, & non quia sunt sub præcepto graui, qualia sunt media necessaria ad salutem, quæ non sunt in nostra potestate, vt Baptismus respectu paruulorum, & auxilia præuenientia respectu adultorum. Illa tandem sunt necessaria necessitate præcepti & mediij simul, quæ utroque modo dicto sunt necessaria, nempe & quia sub præcepto graui, & quia sunt media necessaria ad salutem, quales sunt actus fidei, & Baptismus in re vel in voto adultis peccatoribus.

Est tamen discrimen inter tria prædicta, quòd ea, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate tantum præcepti, solum sunt ad illam necessaria negatiuè, quia tantum sunt necessaria, quatenus eorum obseruatio est necessaria vt non amittatur salus, quia est necessaria, vt non fiat peccatum mortale, quo amittitur gratia & sanctitas, absque qua nequit obtineri vita æterna; & non sunt necessaria positiuè: quia quamuis aliquando conducant ad iustificationem, & ad perseuerantiam in ea, tamen quatenus positiuè conducunt (qua ratione sunt media, & vtilia) non sunt necessaria, & ob id non dicuntur necessaria vt media, seu necessitate mediij. Illa verò, quæ sunt necessaria necessitate tantum mediij (quæ etiam dicuntur necessaria necessitate salutis, & finis) sunt necessaria positiuè, quia sunt necessaria quatenus media, & vtilia, & quatenus positiuè conducentia seu influentia in salutem animæ, vt sunt auxilia præuenientia adultis, & Baptismus in re susceptus paruulis, quia absque eorum positio influxu nequit acquiri salus animæ. Ea tandem, quæ sunt necessaria necessitate præcepti & mediij simul, sunt necessaria negatiuè & positiuè simul modo prædicto.

Ex dicto discrimine inter necessitatem præcepti & necessitatem mediij, oritur aliud, nempe quòd necessitas tantum præcepti excusatur ignorantia inuincibili, aut impotentia implendi præceptum, quia necessitas præcepti solum est, vt non fiat peccatum mortale, à quo excusat tam ignorantia inuincibilis, quam impotentia; necessitas verò mediij non excusatur ignorantia, nec impotentia, quia hæc necessitas est ob influxum positium necessarium, quem non supplet ignorantia, nec impotentia.

Hoc ergo præsupposito, conueniunt Doctores,

Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto sub disinctione esse necessarium lapsis in mortale post Baptismum, necessitate mediij, ad iustificationem (& consequenter ad gloriam) quod supponit Tridentinum sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 4. *Trident.* dum supponit, primam iustificationem baptizatorum non fieri nisi medio Sacramento Pœnitentiæ, aut medio voto ipsius.

Variant tamen Doctores in explicando, qua ratione Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto sit medium necessarium lapsis in mortale post Baptismum ad iustificationem ab illo.

Omissis autem variis eorum modis id explicandi, vel quia continent falsam doctrinam, vel quia sunt obscuri: ex eo Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto est prædictis medium necessarium ad iustificationem, & quia nequeunt, nisi vel medio Sacramento Pœnitentiæ in re suscepto, vel media contritione perfecta (siue formali siue virtuali) in qua votum seu deliderium efficax suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ continetur, à peccato mortali iustificari; & quia vtrius eorum absque altero iustificari possunt, id est, quia nequeunt nisi vno vel altero iustificari; & vtrius possunt, quia nec vnum nec alterum est determinatè medium necessarium, nisi aliquando per accidens, vt contingit quando quis post elicitam attritionem, & factam confessionem incidit in amentiam ante absolutionem, quia tunc huic ad iustificationem est determinatè necessarium Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum, quia tantum potest iustificari absolutione, suppositis attritione & confessione, quia in amentia nequit contritionem perfectam elicere: & etiam quando quis existit in articulo mortis, & caret copia confessarij, quia tunc huic ad iustificationem est determinatè necessaria perfecta contritio, quia non potest aliter iustificari.

Dicuntur autem à Tridentino & à Doctoribus lapsi in mortale post Baptismum iustificari per Sacramentum Pœnitentiæ in voto, quando iustificantur per contritionem perfectam ante realem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, non quia ex eo deriuetur virtus aliqua in contritionem vt iustificare possit, quia contritio ex se absque dependentia à Sacramento Pœnitentiæ est potens iustificare (siue tamquam forma, siue tamquam proxima dispositio) non minus quam in lege naturæ & scripta ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, sed quia in contritione, per quam tunc iustificantur, continetur votum seu deliderium efficax suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ suo tempore, & etiam votum seruandi quodcumque aliud præceptum graue, quia qui perfectè conteritur, ad minus virtualiter & implicite proponit, & paratus est ad non peccandum mortaliter, ac proinde ad non transgrediendum præceptum aliquod graue; nihilominus à Tridentino vbi supra dicta iustificatio, quæ fit extra Sacramentum, peculiariter attribuitur voto Sacramenti Pœnitentiæ, & non voto aliarum rerum quæ sunt sub præcepto graui, ob rationem quam adducemus Difficultate sequenti.

Vnde si Sacramentum Pœnitentiæ non esset peccatori sub præcepto, iustificatio per contritionem facta adscriberetur ipsi contritioni, absque voto Sacramenti Pœnitentiæ, quia tunc votum huius Sacramenti non contineretur in contritione,



ac proinde tunc Sacramentum Pœnitentiæ non esset necessarium in re vel in voto, esset tamen necessarium ipsum in re, vel contritio sub disiunctione, quia non posset fieri iustificatio nisi ipso aut contritione, & vtrouis posset.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum votum Sacramenti Pœnitentiæ necessarium ad iustificationem extra Sacramentum debeat esse explicitum, an sufficiat implicitum in ipsa contritione.*

Caus.

Caus. Relezione de Pœnitentia, parte 5. conclus. 3. docet, ad iustificationem extra Sacramentum esse necessarium votum explicitum Sacramenti Pœnitentiæ superadditum contritioni perfectæ, & non sufficere votum in ea implicitum.

Trident.

Quod deduci videtur Primò ex Tridentino sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 4. dum remissionem peccatorum attribuit Sacramento Pœnitentiæ, vel voto ipsius, quia si per votum non intelligeret votum explicitum, sed tantum implicitum in contritione, non attribueret peculiariter eam remissionem voto Sacramenti Pœnitentiæ, quia in contritione, per quam fit ea remissio, etiam continetur votum Eucharistiæ, & aliarum rerum quæ sunt sub præcepto graui. Secundò idem deduci videtur ex Concilio Complutensi, in quo inter alias propositiones Petri Oxomensis, prima quæ damnatur, est ista: *Peccata mortalia, quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi, delentur per solam contritionem cordis, sine ordine ad clauis.* ergo in eo Concilio maximè indicatur ad iustificationem extra Sacramentum præter contritionem, & præter votum Sacramenti in ea necessariò contentum, etiam requiri votum expressum ipsius Sacramenti.

Concilium  
Complut.

Et ratione probatur Primò, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est minus necessarium lapsis post Baptismum ad iustificationem, quam Baptismus his qui veniunt ad Ecclesiam: sed ei, qui nequit Baptismum suscipere, est necessarium ad iustificationem votum explicitum Baptismi, vt significat Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 8. Bernardus Epistola 77. & Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 7. ergo ei, qui non suscipit Sacramentum Pœnitentiæ, vel quia non potest, vel quia nondum est obligatio illud suscipiendi, necessarium est ad iustificationem votum explicitum suscipiendi illud.

August.  
Bernard.  
Hugo de  
S. Victore.

Secundò probatur ab exemplo hæretici, cui non remittuntur peccata, nisi prius expressè proponat rejicere errorem, vt significat Augustinus de Vera & falsa pœnitentia, c. 12. ergo peccator, qui expressè non proponit se subijcere clauibus Ecclesiæ, nequit à peccatis iustificari.

August.

S. Thomas verò quæst. 69. art. 4. ad 2. Vasquez quæst. 84. art. 5. Suarez disp. 17. sect. 3. & communiter Theologi docent, & meritò, ad iustificationem extra Sacramentum non esse necessarium votum explicitum Sacramenti Pœnitentiæ, sed sufficere implicitum in ipsa contritione perfectæ, siue formali siue virtuali. Quod efficaciter deducitur ex Tridentino sess. 14. c. 5. dum, postquam dixit, per contritionem charitate formatam hominem

S. Thomas.  
Vasquez.  
Suarez.

ante Sacramenti susceptionem iustificari, addit, tunc iustificationem non esse adscribendam ipsi contritioni absque voto Sacramenti quod in ea includitur. Supponit ergo Tridentinum ad iustificationem extra Sacramentum sufficere votum Sacramenti Pœnitentiæ in contritione perfecta inclusum.

Et ratione probatur, quia ad iustificationem extra Sacramentum Pœnitentiæ votum explicitum huius Sacramenti non est necessarium ex natura rei, nec ex diuina institutione; ergo nullo modo est necessarium. Et in primis non est necessarium ex natura rei, quia contritio perfecta absque dicto voto explicito est perfectissima dilectio benevolentia erga Deum, quæ sufficit ad iustificationem, siue vt forma, siue vt vltima dispositio. Deinde non est necessarium ex diuina institutione, quia non est necessarium ex institutione qua Deus decreuerit non dare auxilium efficac ad contritionem absque dicto voto, quia de hac institutione nullatenus constat: nec ex institutione qua decreuerit non iustificare habentem contritionem absque dicto proposito expresso, quia præterquam quòd de hac institutione non constat, etiam contritio absque eo proposito suâ naturâ est forma sanctificans, & remissiva peccatorum independenter ab institutione diuina, & ita independenter, vt à Deo impediri non possit quoad dictum effectum: verum est, eum, qui perfectè contritur, siue formaliter siue virtualiter, & aduertit esse præceptum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, vix posse contineri à dicto proposito expresso.

Tridentinum ergo remissionem peccatorum extra Sacramentum media contritione factam attribuit voto Sacramenti Pœnitentiæ in contritione implicito & contento, vt denotetur post remissionem peccatorum antea factam manere obligationem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, in quo posset aliquis dubitare aut errare, cum Sacramentum Pœnitentiæ ordinetur ad remissionem illorum, & iam supponantur remissa. Et in eo errauit Petrus Oxomensis, qui existimauit, peccata semel remissa per contritionem, non debere subijci Sacramento Pœnitentiæ, seu clauibus Ecclesiæ. Vnde in Concilio Complutensium, quando propositio illa dicti Petri damnatur, nempe, *Peccata mortalia, quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi, delentur per solam contritionem cordis, sine ordine ad clauis,* tantum est sermo de ordine ad clauis, seu de voto suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ in contritione ipsa implicito; quod Petrus ille negabat, negando manere obligationem subijciendi clauibus Ecclesiæ peccata per contritionem remissa. Et Tridentinum remissionem peccatorum extra Sacramentum contritione factam non attribuit voto aliarum rerum, quæ sunt sub præcepto graui, quamuis etiam votum earum in contritione includatur: quia non agebat de illis, sed tantum de Sacramento Pœnitentiæ, & quia circa illas non est illa occasio errandi, quòd post remissionem peccatorum non maneat sub præcepto, quia non sunt instituta in remissionem peccatorum, sicut est institutum Sacramentum Pœnitentiæ.

Et ad primam rationem respondemus, concedendo Maiorem, & negando Minorem. Et ad probationem ex Patribus desumptam, responde-

mus,



mus, Patres tantum velle, eos qui audiunt necessitatem Baptismi, condemnari si baptizari nolunt, saluari tamen quando nequeunt baptizari, si habeant desiderium illius; eorum tamen testimonio satis fit voto seu desiderio in contritione implicito.

Ad secundam negamus, hæretico non remitti peccata, nisi prius expresse proponat rejicere errorem, quia sufficit quod illum rejiciat, virtualiter

habendo contritionem, aut aliud iudicium saltem confuse oppositum errori, præsertim quando error non occurrit memoriæ. Augustinus verò ubi supra tantum vult, extra Ecclesiam non esse veram pœnitentiam, quod nobis non aduersatur, quia hæreticus contritione, aut dicto iudicio absque aliquo expresso proposito, reducit ad Ecclesiam.

## DISPUTATIO V.

## De Absolutione.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum in Ecclesia sit potestas absol-  
uendi à peccatis.*

**N**ON defunt hæretici, qui negent in Ecclesia esse potestatem absoluedi à peccatis, & ea remittendi; quibus fauere videtur illud Luca 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

Conueniunt tamen Catholici, in Ecclesia (nempe in eius ministris) esse potestatem absoluedi à peccatis, & ea remittendi. Quod Patres communiter tradunt, & definitur in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. & in Lateranensi cap. 1. & in Florentino, in Decreto Eugenij IV. & in Tridentino sess. 14. c. 1. & 6.

Concil.  
Constant.  
Lateran.  
Florent.  
Trident.

Et id constat ex illo Ioan. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc autem verba intelligenda esse non de potestate ad prædicandam aliis remissionem peccatorum, nec ad declarandum eam esse aliis factam (vt volunt hæretici) sed ad eam faciendam, Patres docent, & verba ipsa id præferunt, & definit Tridentinum sess. 14. c. 1. & can. 3. Esseque intelligenda de potestate ad faciendam remissionem peccatorum non in Sacramento Baptismi (vt etiam hæretici volunt) sed in Sacramento Pœnitentiæ, ibidem definit Tridentinum, & docent Chrysostomus Homil. 85. in Ioan. Augustinus Serm. 11. de Verbis Domini, Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 7. & communiter Patres, & deducitur ex eo, quod potestas hæc est ad faciendam remissionem peccatorum instar iudicij, vt denotatur collatione potestatis remittendi & retinendi, soluendi & ligandi, quod non fit sic in Sacramento Baptismi, sed in Sacramento Pœnitentiæ, quod institutum est instar iudicij.

Trident.

Ambros.

Illis verò verbis Luca 5. tantum significatur, solum Deum posse propria auctoritate remittere peccata, & id tantum volunt nonnulli Patres, dum similia verba proferunt, quod non tollit, id posse Sacerdotes vice & commissione Dei.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum potestas absoluedi à peccatis, quæ  
est in Ecclesia, sit absoluedi ab eis quoad  
culpam.*

Magister.  
Bonauent.  
Gabriel.  
Maior.  
Marsil.

**M**agister, Bonauentura, Gabriel & Maior in 4. d. 18. Marsilius quæst. 12. art. 2. Hugo

de S. Victore in Summa sententiarum Tract. 5. cap. 11. Richardus de S. Victore Tract. de Potestate ligandi & soluendi, cap. 12. & Medina Cod. de Confess. quæst. 38. §. *Videtur*, docent, potestatem absoluedi à peccatis, quæ est in ministris Ecclesiæ, non esse absoluedi ab illis quoad culpam: quia existimant, Deum ante absoluedionem Sacerdotis remittere culpam pœnitenti, quia existimant, eum ante absoluedionem debere esse perfecte contritum. Quod tradidisse videtur Gregorius Homil. 26. in Euang. dum supponit, peccatorem prius viuificari à Deo, quam à Sacerdotibus absoluedatur. Quod etiam significant Clitoveus lib. 7. in Ioan. cap. 23. & Augustinus Serm. 8. de Verbis Domini. Idem quoque indicat Hieronymus in cap. 16. Matth. dum significat, quod sicut Leuitici Sacerdotes tantum discernebant inter lepram & lepram, & eam non poterant auferre; ita etiam Sacerdotes Euangelici se gerunt circa peccata.

Hugo de  
S. Victore.  
Richard. de  
S. Victore.  
Medina.

Gregorius.

Clitoveus.  
August.  
Hieron.

Addunt tamen prædicti Doctores, in Ecclesia & in eius ministris esse potestatem absoluedi à peccatis quoad pœnam, quamuis varient in explicando à qua pœna, quia Hugo & Richardus existimant, in Ecclesia esse potestatem absoluedi à pœna æterna damni & sensus, Medina à pœna tantum æterna damni, & Magister à pœna tantum temporali relicta post remissionem culpæ.

S. Thomas verò q. 84. art. 3. & ibidem eius Expositores, Vasquez dub. 2. Suarez disp. 16. Egidius disp. 4. dub. 2. & communiter Scholastici in 4. d. 14. docent, & merito, in Ecclesia esse potestatem absoluedi à peccatis, non tantum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. Et in primis in Ecclesia esse potestatem absoluedi à peccatis quoad culpam, satis significat Christus illis verbis Ioan. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*: quia vox *peccata* absolute sumpta, culpas significat. Et ob eandem rationem idem satis significat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum ait,

S. Thomas.  
Vasquez.  
Suarez.  
Egidius.

Eug. IV.

rem Sacramenti Pœnitentiæ esse remissionem peccatorum. Cui accedit, quod si res seu effectus huius Sacramenti non esset remissio culpæ, sed tantum pœnarum, id declarasset Eugenius IV. & non ita absolute loqueretur, cum procedat doctrinaliter. Et id videtur expressisse Tridentinum sess. 6. cap. 14. dum ait, Sacramento Pœnitentiæ, vel eius voto, pœnam æternam vnà cum culpa remitti: & clarius sess. 14. c. 3. dum loquens de Sacramento Pœnitentiæ, postquam in principio dixerat, vim huius Sacramenti præcipue sitam esse in verbis absoluedionis, subdit: *Res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Quod etiam non leuiter

Trident.



Pius V. Gre. XIII. leuiter indicant Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla edita contra Michaëlem Baium, in qua inter alias propositiones huius Doctōris damnatas, propositio 54. est: *Peccator pœnitens non viuificatur ministerio Sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, viuificat eum & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur aduersary.* ergo dum dicunt absolutionem Sacerdotis non deseruire ad remissionem culpæ, aduersantur Scripturæ, Eugenio IV. & Tridentino, & Pio V. & Gregorio XIII.

Trident. Quòd si in Ecclesia est potestas absoluendi à peccatis quoad culpam, etiam est potestas absoluendi ab illis quoad reatum pœnæ æternæ, tam damni quàm sensus. Quòd etiam significat Tridentinum sess. 6. cap. 14. dum ait, Sacramento Pœnitentiæ, vel eius voto, pœnam æternam vnà cum culpa remitti. vbi sermo est de pœna æterna, & absolute, absque vlla limitatione. Et ratione constat: quia si in Ecclesia est potestas remittendi peccata quoad culpam, & efficiendi pœnitentem iustum, & amicum Dei, & heredem vitæ æternæ, etiam erit potestas auferendi reatum pœnæ æternæ, tam damni quàm sensus, quia iste dependet in conseruari à culpa mortali, & est impossibilis cum sanctitate & amicitia Dei.

Gregorius verò, Clémentius, & Augustinus tantum volunt, peccatorem à Deo viuificari ante absolutionem Sacerdotis, non viuificatione sanctitatis & gratiæ, sed aliquali motu vitæ, ad quem Deus suo auxilio excitat peccatorem, nempe attritione, confessione, & alijs actibus, quibus ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipendam disponitur. Et Hieronymus tantum vult, quòd Sacerdotes non possint pro libito absolvere & ligare absque respectu ad dispositionem pœnitentis, cuius Sacerdotes non sunt causa, sed tantum Iudices illam discernentes, sicut nec Sacerdotes Leuitici efficiebant leprosos, nec mundos, sed tantum discernabant qui erant leprosi & qui mundi.

Quòd verò ante absolutionem Sacerdotis non sit pœnitenti necessaria perfecta contritio, dicemus Disput. VI. Diffic. 11.

### DIFFICULTAS III.

*Vtrum Absolutio conferri debeat modo deprecatiuo, an indicatiuo.*

Eug. IV. Trident. **C**onueniunt Doctores, formam absolutionis modo aut sensu deprecatiuo factam, nempe, *Absoluat te Deus*, insufficientem esse ad valorem & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ: quod efficaciter deducitur ex Decreto Eugenij IV. dum in eo forma Sacramenti Pœnitentiæ assignatur verbis Indicatiui, nempe *ego te absoluo*: & ex Tridentino, dum sessione 14. cap. 3. eadem forma assignatur. In Dicto autem Decreto, & in Tridentino absque dubio traditur forma ad essentiam & valorem huius Sacramenti requisita, ergo forma absolutionis modo & sensu deprecatiuo facta, non est sufficiens ad essentiam & valorem Sacramenti Pœnitentiæ, quia hoc modo facta est substantialiter distincta à forma modo Indicatiuo ab Eugen. IV. & à Tridentino præscripta. Cui accedit, quòd Tridentinum subdit, nempe dictæ formæ absolutionis de more Ecclesiæ preces quasdam adiungi ad

essentiam formæ non pertinentes; vna autem ex precibus quæ adiunguntur, est forma absolutionis modo deprecatiuo facta, nempe, *Dominus noster Iesus Christus te absoluat.* ergo hoc modo facta non pertinet ad valorem & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde nec sufficit: aliàs si sufficeret, cum dicta deprecatio præmittatur ad absolutionem modo Indicatiuo factam, duplex forma, aut eadem bis repetita supra eandem numero confessionem adhiberetur.

Ratio autem dictæ doctrinæ est, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est à Christo instar iudicij, in quo Sacerdos constituitur iudex, vt tradit Tridentinum sess. 14. cap. 5. & can. 9. sententia autem iudicis decisiva causæ, qualis est absolutio, nequit tradi modo deprecatiuo; & quia in Sacramento Extremæ Vnctionis Sacerdos adhibens formam, non se gerit vt iudex, sed vt medicus vnctione sanans, ideò nequit adhibere formam modo Indicatiuo, sed deprecatiuo, nempe, *Indulgeat tibi Deus*, &c.

Leo ergo I. Epistola 91. relatus 33. quæst. 3. can. *Leo I. Multiplex*, absolutionem Sacerdotis appellat supplicationem & orationem, non quia adhibeatur per modum supplicationis, sed quia se habet vt oratio & supplicatio, quantum ad hoc, quòd sicut Deus ad orationem & supplicationem facit quòd ab ipso petitur, ita etiam ad absolutionem Sacerdotis modo Indicatiuo factam remittit peccata.

Obseruandum tamen est, formam absolutionis non tantum esse sufficientem ad valorem & essentiam Sacramenti, quando fit modo & sensu indicatiuo, sed etiam quando fit modo & sensu imperatiuo, vt dicendo *Absoluaris*, vel *Absoluarur Petrus*, quia sententia decisiva iudicis rectè & conuenienter adhibetur modo imperatiuo: vnde eadem verba absolutionis, quæ sensu deprecatiuo collata non sufficiunt, verè sufficiunt, si modo & sensu imperatiuo proferantur. Imò (vt contra Caietanum & Petrum Sotum aduertunt Scotus in 4. dist. 14. quæst. 4. Gabriel quæst. 2. art. 1. Rosella v. *Absolutio*, Vasquez quæst. 84. art. 3. dub. 3. & Suarez disp. 19. sect. 1.) forma absolutionis est sufficiens ad valorem Sacramenti quibuscumque verbis proferatur, quoties eis significatur actus iudicis sententiam decisivam absolutionis à peccatis proferentis, nempe, *Volo absoluaris*, *Placet te absolui*: quia quoties talis actus verbis absolutionis significatur, saluatur sensus Sacramentalis formæ absolutionis, quia instituta est à Christo instar sententiæ iudicis. Nihilominus quamuis forma absolutionis supradicto modo prolata sit sufficiens ad valorem Sacramenti, illicitè fiet, si non proferatur modo Indicatiuo, quia erit contra consuetudinem Ecclesiæ solo modo Indicatiuo vtentis: id tamen non erit peccatum mortale, sed tantum veniale, quia ea mutatio non est grauis, sed leuis.

### DIFFICULTAS IV.

*Quæ verba sint de essentia formæ Absolutionis.*

**V**erba, quibus forma absolutionis in Ecclesia communiter profertur, sunt hæc, *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Est tamen difficultas, An omnia hæc sint de essentia formæ absolutionis.



Conueniunt Doctores, duo illa verba, *Absoluo te* (aut alia ipsi æquivalentia) esse requisita ad essentiam formæ absolutionis. Quod indicant Eugen. IV. *Trident.* in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 14. cap. 3. dum assignantes formam absolutionis, exprinunt duo prædicta verba, & merito: quia utrolibet deficiente, deficit significatio à Christo intenta, & sensus à Christo intentus, quia deficiente verbo *Absoluo*, deficit significatio actus iudicialis sententiæ remissiua; & deficiente Pronomine *te*, deficit significatio practica remissionis, seu sententiæ remissiua (qua ratione significatur à iudice sententia) quia non significatur practice remissio, quando non declaratur, cui fiat.

Supereft tamen difficultas, An dicta duo verba sufficiant ad essentiam formæ absolutionis.

*Caietanus.* Caietanus in Summa v. *Absolutio*, docet, ea duo sufficere. *Paludanus* in 4. d. 22. q. 3. docet, non sufficere duo illa, sed necessaria esse tria hæc, *Absoluo te à peccatis*. *Durandus.* Durandus eadem dist. q. 2. docet, his tribus addendam esse inuocationem Dei aut Trinitatis, & sufficere siue fiat ante illa verba, siue post.

*Vasquez.* Vasquez verò quæst. 84. art. 3. dub. 4. *Suarez.* Suarez disp. 19. sect. 1. *Ægidius.* Ægidius disp. 4. dub. 3. & *Turrianus.* Turrianus Complutensis disp. 2. dub. 4. docet, & merito, ad essentiam formæ absolutionis non sufficere duo illa verba, *Absoluo te*, sed necessaria esse omnia hæc verba, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, & ea sufficere absque inuocatione aliqua.

Et in primis ad essentiam formæ absolutionis requiri Pronomen *ego*, probatur: quia eo deficiente, deficit significatio practica sententiæ remissiua, quia non significatur remissio declarando à quo fiat. & id indicat Eugenius & Tridentinum, dum assignantes formam absolutionis, exprimunt Pronomē *ego*. Deinde ad essentiā formæ absolutionis requiri verba illa, *à peccatis tuis*, probatur: quia absque eis non sufficienter significatur sententia remissiua peccatorum. Quod etiam indicant Eugenius IV. & Tridentinum, dum assignantes formam absolutionis, dicunt esse illa verba, *Ego te absoluo*, &c. quia addendo particulam *et c.* denotant, plura alia verba, quam supra expressa, requiri ad formam absolutionis, ac proinde ad minus illa verba, *à peccatis tuis*: quia si aliqua alia præter expressa requiruntur, maximè hæc.

Quod verò sufficiant hæc, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, & non sit necessaria inuocatio aliqua, probatur: tum quia ex nullo verisimili fundamento deduci potest necessitas alicuius inuocationis; tum etiam, quia per prædicta verba sufficienter significatur practice sententia remissiua peccatorum pœnitentis.

*Vasquez.* Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez, *Suarez.* Suarez, *Ægidius.* Ægidius & *Turrianus.* Turrianus, ad formam absolutionis ita necessaria esse verba hæc, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, vt non sit necessarium exprimere particulam *ego*, nec particulas *à peccatis tuis* (quod forsā voluit Caietanus) sed sufficere, quod contineantur seu implicentur in illis verbis, *absoluo te*, vel potius quod sub eis intelligantur, vt verè in eis continentur, & sub eis intelliguntur: quia pronomen *ego* verè continetur in verbo *absoluo*, & sub eo intelligitur, vt patet; & verba *à peccatis tuis*, in eis *absoluo te*, & sub eis intelliguntur: quia quamuis non contineantur in eis absolute prolatis, nec sub eis intelligantur; continentur ta-

men in eis, & sub eis intelliguntur, vt prolatis post confessionem præcedentem, & vt per eam modificatis, & vt ad eam comparatis, vt verè modificatur, & comparantur, quia supra eam cadunt.

Ita tamen hæc duo verba, *absoluo te*, expresse prolata, quatenus in eis quodammodò continentur, aut sub eis intelliguntur, particula *ego* & particula *à peccatis tuis* sufficiunt ad essentiam formæ absolutionis, vt quando *ego* & *à peccatis tuis* exprimuntur, vt regulariter fit, etiam pertineant ad essentiam formæ, & cum illis duobus expressis ad effectum Sacramentalem concurrant, vt Vasquez aduertit, quia ex vna parte, quando exprimuntur, nihil noui sensus seu significati efficiunt, sed eundem omnino sensum, ac quando tantum subintelliguntur, & quodammodò continentur in alijs; & ex altera parte potuit à Christo institui, vt pertineant essentialiter ad formam, & concurrant ad effectum Sacramentalem, siue exprimantur, siue tantum subintelligantur. Ergo credendum est ita fuisse à Christo institutum, & noluisse illa, quando exprimuntur, excludere ab essentia formæ, & à concursu in effectum Sacramentalem.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum formæ absolutionis possit apponi aliqua conditio.*

Conueniunt Doctores, conditionem de præterito (& idem est de conditione de præterito) additam formæ absolutionis, non reddere formam irritam, si subsistat conditio, quia nec suspendit sensum, nec effectum, nec efficit aliud quod obstare possit valori formæ absolutionis: imò nec illam reddere illicitam, quando ad eam addendam adest aliqua rationabilis causa, vt contingit quando ad valorem Sacramenti, aut vt licitè fiat, necessarium est quod subsistat id, quod ponitur sub conditione, & dubium est an subsistat. Vnde Confessarius dubitans an protulerit verba absolutionis, potest validè & licitè absolvere sub hac conditione (siue vocaliter expressa, siue mentaliter tantum concepta) *Si non es absolutus, ego te absoluo*, &c. Et dubitans, an puer vel an phreneticus confessus sit cum perfectò vsu rationis, potest validè & licitè absolvere sub hac conditione, *Si ea qua confessus es, sunt peccata, ego te absoluo*, &c.

Est tamen difficultas, An formæ absolutionis possit addi conditio de futuro, v. g. *Si restitueris, ego te absoluo*.

*Caietanus.* Caietanus v. *Absoluo*, Armilla eodem verbo, *Suarez.* Suarez Tom. 3. disp. 13. Vasquez quæst. 84. art. 3. *Armilla.* Armilla dub. 5. *Ægidius.* Ægidius quæst. 64. art. 8. dub. 2. *Suarez.* Suarez Tract. 1. quæst. 7. & communiter Doctores docent, & merito, conditionem de futuro, additam formæ absolutionis, non solum eam reddere illicitam & sacrilegam, sed etiam irritam & nullam. Quod Turrianus & alij probant: quia verba hæc, *ego te absoluo*, ratione conditionis de futuro illis additæ, v. g. *si cras restitueris*, æquivalent his, *ego te absoluo*, quæ manifestè sunt in sufficientia: Hæc tamen ratio, licet aliquando nobis placuerit, iam tamen, re melius considerata, non placet: quia dicta verba,

*Caietanus.*  
*Armilla.*  
*Suarez.*  
*Vasquez.*  
*Ægidius.*  
*Ochagan.*

*Turrianus.*



verba, ego te absoluo, si cras restitueris, non æquivalent his, ego te absolvam, sed his, ego ex nunc te absoluo, si cras restitueris, vt in simili dicimus Tract. de Matrimonio Disput. VII. Diffic. III.

Prædicta ergo doctrina ex eo à nobis probatur, quia qui profert verba absolutionis ex intentione absoluendi elicita, sub conditione de futuro, prius tempore finit & perficit prolationem verborum, quam perficiatur intentio absoluendi Sacramentaliter, seu efficiendi quod prolatio ipsa verborum fiat pars Sacramentalis, & prius quam intentio ipsa desinat esse suspensa (vt in simili de consensu, seu intentione contrahendi matrimonium elicita sub conditione de futuro, significatur in cap. Super eo. 5. de Conditionibus) quia dicta intentio est suspensa, & non est perfecta quousque impleatur conditio. Prolatio verò verborum absolutionis statim ac fit, finitur & perficitur, & non manet suspensa, vt patet, quia nulla actio materialis, v. g. prolatio verborum, ablutio, vnctio, suspensio potest, quia ipsi nulla potest addi conditio adhuc de præsentia, quamuis per ignorantiam ei intendatur addi & apponi, etiam si addi possit intentioni efficiendi aliquam materialem actionem partem alicuius Sacramenti. In potestate autem ministri Sacramenti non est, quod omnes partes Sacramentum finitæ & positæ, maneat Sacramentaliter suspensæ, seu expectantes rationem Sacramentalem pendentem ex perfectione intentionis ministri faciendæ per impletionem conditionis de futuro, quia statim ac finiuntur, debent habere eam rationem Sacramentalem, aut numquam habebunt: ergo conditio de futuro appositæ prolationi verborum absolutionis, efficit illam Sacramentaliter nullam, & consequenter etiam illicitam & sacrilegam.

Quod si Iudex exterior dicens, Ego ex nunc te absoluo ab hoc delicto, si cras feceris hoc, validè absoluit, dum lex aliqua nõ obstat. Ratio est, quia iste iudex potius absoluit voluntate exterius expressa (quam potest conditioni de futuro alligare) quam verbis ipsis. Ratio verò Sacramenti absolutionis non conuenit intentioni Sacramentaliter absoluendi adhuc vocaliter expressæ, sed ipsi prolationi verborum, & ideò hæc prolatio semel finita & perfecta, præsuppositis attritione & confessione, statim ex intentione ministri debet habere rationem Sacramenti, aut numquam illam habebit.

Vnde quando Prælati committit Confessario inferiori absolutionem à sibi reseruatis, sub ea conditione quod pœnitens postea illa eadem peccata reseruata iterum sibi confiteatur, ita intelligendum est, non quod absolutio Confessarij inferioris conferenda sit sub ea conditione, si postea confitearis Prælati, quia hæc conditio redderet absolutionem nullam & sacrilegam; sed ita vt Confessarius inferior obliget pœnitentem ad id siue præcepto, siue promissione, siue aliter, de quo dicemus Disput. II.

## DIFFICULTAS VI.

Vtrum absolutio possit conferri absenti.

Paludan. Per. Sotus. Antonin. Siluester. Medina. Paludan. Per. Sotus. Antonin. Siluester. Medina. Aludanus in 4. d. 17. quæst. 2. Petrus Sotus lect. 11. de Confessione, Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. Siluester v. Confessio 3. & Medina Cod. de Confessione, quæst. 15. docent, absolutionem posse validè conferri absenti (& consequenter etiam

licitè in casu necessitatis: quod videtur supponere Cyprianus lib. 3. epist. 17. dum ait, lapsos per litteras ab ipso petiisse reconciliationem. Et idem sensisse videtur S. Thomas Cantuariensis, qui dicitur instante morte misisse ad Curiam pro absolutione. Et ratione probatur, quia in iudicio humano, instar cuius Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, validè fertur sententia in absentem, ergo etiam in hoc Sacramento Pœnitentiæ.

Sotus verò in 4. d. 18. quæst. 2. art. 6. Valentia disp. 7. q. 11. p. 10. Toletus lib. 3. cap. 6. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 2. Suarez disp. 19. sect. 3. Egidius disp. 4. dub. 10. Reginaldus lib. 6 n. 5. Bonacina disp. 5. q. 4. pun. 5. & Laymannus tract. 6. c. 3. docent, & merito, absolutionem non posse validè ferri in absentem, quamuis confessio facta fuerit in præsentia. Quod ad eò verum est, vt Clemens VIII. anno 1602. oppositum ad minus damnauerit vt falsum, temerariū & scandalosum, ac prohibuerit & præceperit, ne vmquã vt probabile defendatur, quod factum fuit his verbis: Sanctissimus Dominus noster, &c. re mature ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vt falsam, temerariam & scandalosam damnauit ac prohibuit, præcepitque, ne vmquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur. Vbi non solum declarat, absolutionem ab absente collatam esse illicitam, dum damnat asserere illam licere, sed etiam esse nullam, quia id intendit, & in eo sita erat controuersia: quod satis exprimit, dum absque restrictione damnat asserere quod liceat, & dum prohibet defendere, illam licere in aliquo casu: quia si non esset nulla, verè esset licita in aliquo casu. In hoc autem Decreto non solum damnatur dicta propositio, particulari illa & sumptæ copulatiuè seu complexiuè, ad cuius falsitatem sufficit falsitas cuiuslibet partis; sed etiam sumptæ diuisiuè, ita vt quælibet pars seorsim damnata sit, id est, quod tam confessio per litteras seu internuntium sit nulla, siue absolutio fiat in præsentia pœnitentis, siue in absentia, quam absolutio collata ab absente, siue confessio facta sit Sacerdoti præsentis, siue absenti, vt Paulus V. declarauit.

Ratio à priori huius veritatis est intentio Christi instituentis pro forma Sacramenti Pœnitentiæ absolutionem à præsentia collatam: hæc autem institutio Christi constat ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ numquam vsa est absolutione in absentia, sed tantum in præsentia, cui Clemens VIII. innixus oppositam doctrinam damnauit, & cui Paulus V. etiam innixus, damnationem à Clemente factam approbavit.

Cyprianus ergo tantum vult, ab ipso fuisse petitam publicam aliquam pœnitentiam pro reconciliatione, seu absolutione publica ab excommunicatione, non pro reconciliatione Sacramentali. Nec S. Thomas Cantuariensis misit ad curiam pro absolutione Sacramentali, sed vel pro indulgentia (quæ etiam est quædam absolutio) vel pro absolutione ab aliqua censura, ad cautelam.

Ad rationem verò concedimus, in iudicio humano sententiam ferri in absentem, quia ita iure humano sancitum est; non verò sententiam absolutionis Sacramentalis, quia ita Christus instituit. Vnde Sacramentum Pœnitentiæ non est quoad omnia institutum instar iudicij humani.



## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum absolutio possit validè per scriptum conferri.*

**E**X dictis Difficultate precedenti constat, absolutionem à Confessario absente collatam, sine verbo siue scripto, esse nullam. Est tamen modò difficultas, An absolutio sit nulla ex eo præcisè quòd conferatur scripto, quamvis à Confessario præsentè.

Paludan.  
Pet. Sotus.  
Medina.

Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 2. Petrus Sotus lect. 11. de Confessione, & Medina Cod. de Confessione quæst. 15. docent, absolutionem posse scripto validè conferri, Primò, quia confessio potest scripto validè fieri, ergo etiam absolutio. Secundò, quia in iudicio humano (instar cuius Sacramentum Pœnitentiæ institutum est) potest sententia validè scripto conferri, & de facto confertur, ergo etiam in iudicio confessionis, sententia absolutionis.

Suarez.  
Valentia.  
Layman.  
Bonacina.  
Egidius.

Suarez verò disp. 21. sect. 3. Valentia disp. 7. puncto 3. Laymannus tractatu 6. cap. 3. Bonacina disp. 5. q. 4. puncto 6. Egidius disp. 4. dub. 9. & iam communiter Doctores docent, & meritò, absolutionem non posse validè scripto conferri: quod constat ex perpetuo vñ Ecclesiæ, quæ numquam vsa est absolutione in scriptis, & multò minus nutibus, sed tantum verbis. Et deducitur ex decreto Eugenij IV. vbi postquam generaliter dixerat, Sacramenta constare verbis tamquam formâ, hoc limitat in Sacramento Matrimonij, dum ait, causam efficientem matrimonij regulariter esse mutuum consensum per verba de præsentè expressum, quibus denotat, in alijs Sacramentis semper esse necessaria verba strictè sumpta, & non sufficere scripturam, & multò minus nutus, quæ sufficiunt in Sacramento matrimonij. Quod etiam deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 3. dum ait, formam Sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in illis verbis ministri, *Ego te absoluo*. Ratio à priori huius est institutio Christi, quæ nobis constat ex perpetuo vsu Ecclesiæ, & ex Eugenio IV. & ex Tridentino.

Trident.

Ad primam ergo rationem concedimus, confessionem posse validè fieri scripto & nutibus, non tamen absolutionem, quia Christus instituit illas sic (vt constat ex vsu Ecclesiæ) & satis congruenter, quia vix potest offerri necessitas conterendi absolutionem in scriptis, & nutibus, potest tamen sapè offerri necessitas confitendi scripto & nutibus. Et ad secundam concedimus, in iudicio humano sententiam validè scripto ferri, quia ita sancitum est legibus humanis; non tamen in iudicio confessionis, sed solis verbis, quia Christus ita instituit.

## DIFFICULTAS VIII.

*Quid significant verba absolutionis, nempe, Ego te absoluo à peccatis tuis.*

**I**N primis hæretici (qui, vt diximus Difficultate 11. dicunt, in Ecclesiâ non esse potestatem remittendi peccata) existimant, sensum eorum verborum formæ absolutionis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, esse, *Ego te absolutum declaro*. Hæc tamen expositio sensus, seu significatio verborum formæ

absolutionis, præterquam quòd est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, quia proprietate seruata possunt aliter & optimè explicari, etiam est damnata à Tridentino sess. 14. cap. 6. & can. 9. Trident.

Secundo, Theologi (qui, vt diximus Difficultate 11. dicunt in Ecclesiâ non esse potestatem remittendi peccata quoad culpam, sed tantum quoad pœnam) existimant sensum dictorum verborum esse, *Ego te absoluo à peccatis tuis quoad pœnam*. Hæc etiam expositio nobis non probatur, quia præterquam quòd ad sic exponendum verba illa, falsò innituntur fundamento, vt vidimus ea Difficul. 11. & præterquam quòd est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, nequit cum ea expositione consistere veritas illorum in eo, qui post remissionem suorum peccatorum quoad culpam per contritionem perfectam, & quoad dignitatem totius pœnæ etiam per contritionem & per alia opera pœnalia confitetur, & subijcit absolutioni peccata sic remissa, vt tenetur confiteri & subijcere absolutioni.

Tertiò, alij existimant, sensum dictorum verborum esse, *Ego te absoluo ab obligatione confitendi, seu subijcendi clauibus Ecclesiæ peccata mihi legitime confessâ*. Sed nec expositio hæc placet, quia præterquam quòd est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, nequit cum hac expositione consistere veritas illorum in eo, qui tantum confitetur peccata venialia aut mortalia, à quibus fuit antea legitime absolutus, quia in illo non est obligatio confitendi & subijcendi absolutioni dicta peccata.

Quartò, S. Thomas q. 84. art. 3. ad 5. existimat, sensum horum verborum, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, esse, *Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo*. Hæc explicatio, quamvis in aliquo sensu recta sit, tamen vt iacet & sonat, est difficilis & obscura, quia, præterquam quòd est contra proprietatem verborum, qui absoluit non confert totum Sacramentum Pœnitentiæ, sed tantum applicat formam materiæ suppositæ à pœnitente, & quantum est ex se, solum vt causa partialis confert effectum Sacramenti. S. Thomas.

Quartò, Suarez disp. 19. sect. 2. existimat, sensum verborum formæ absolutionis esse, *Ego, quantum est ex me, confero tibi gratiam remissionem peccatorum*. Hæc etiam expositio, quamvis in aliquo sensu recta sit, tamen vt iacet & sonat est difficilis, quia dicta verba, significatione quam habent ex institutione hominum, propriè significant remissionem peccatorum, & id sonant, & non gratiam remissionem; & hæc significatio potest salua consistere attenda virtute & effectu sacramentali verborum: ergo eam remissionem significant, & non gratiam remissionem, quamvis hæc sit necessaria ad eam remissionem, vt dicta verba verificentur. Suarez.

Sensus ergo eorum verborum formæ absolutionis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, seu quod per ea significatur, est, *Ego, quantum est ex me, remitto tibi peccata tua quoad culpam, & quoad id quod ad remissionem culpa consequitur*. Quia ex vna parte dicta verba hanc remissionem propriè significant significatione, quam habent ex humana institutione, quia peccata absolutè prolata culpas significant; & à peccatis absoluere, absolutè prolatum, significat à peccatis liberare, & ea remittere: & ex alia parte significatio dicta potest salua



salua consistere, attentâ virtute Sacramentali ipsorum verborum, quam habent ex superaddita institutione Christi, & attento effectu Sacramentali ipsorum. Quia dicta verba ex institutione Christi, tamquam pars essentialis formalis completiua Sacramenti Pœnitentiæ, simul cum contritione & confessione pœnitentis præsuppositis, conferunt, quantum est ex se, gratiam ex se remittentem peccata saltem quoad culpam, etiam si aliquando per accidens non remittant illa in actu secundo, quando præsupponuntur remissa; minister ergo absolutionis, præsuppositis sufficiente contritione & legitima confessione pœnitentis, verè profert & dicit, *Ego quantum est ex me, seu quantum ad me attinet, remitto tibi peccata tua quoad culpam, & te ab eis libero quoad eam*, quia ipse suis verbis, vt institutus à Christo, confert pœnitenti gratiam quantum est ex ipsa remittentem peccata, quo minister verificat sensum & significatum dictorum verborum. Et in hoc sensu potest habere locum expositio S. Thomæ, & etiam expositio Suarez, quia scilicet minister efficit completiue Sacramentum, & confert gratiam Sacramentalem, quibus dicta

significatio verborum verificatur; & non quia dicta verba significant collationem Sacramenti absolutionis, nec gratiam remissionem.

Verba ergo absolutionis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, significatione verbali, quam habent ex hominum institutione, significant remissionem ipsam peccatorum saltem quantum ad culpam, & eam totaliter & sufficienter significant; significatione verò Sacramentali, quam habent ex superaddita institutione Christi, immediatè significant (sicut & conferunt) gratiam remissionem peccatorum, ratione cuius verificantur dicta verba quoad significationem verbalem, quam habent ex institutione hominum, quia ratione talis gratiæ, & mediante ipsa verificatur, quòd minister absolvens quantum est ex se remittat peccata, & ab eis liberet. Hæc tamen significatio Sacramentalis indiuisibiliter conuenit absolutioni Sacerdotis, & contritioni & confessioni pœnitentis simul sumptis, & non soli absolutioni, & in illis tribus sic sumptis est indiuisibiliter (ea proportione qua anima rationalis est indiuisibiliter tota in omnibus partibus corporis) & non in solâ absolutione.

## DISPUTATIO VI.

De contritione peccatorum requisita ad effectum  
& ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

OMINE CONTRITIONIS intelligimus displicentiam peccati, prout abstrahit sub disiunctione à displicentia pura, quæ non est formaliter dolor, sed radix illius; & à displicentia dolorosa, orta ex dicta pura displicentia: intelligimus enim vnâ vel alteram sub disiunctione, quia ad effectum, & ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ eodem modo sufficit aut non sufficit vna & altera & vtraque potest appellari dolor, quia prior est radicaliter dolor, & posterior est dolor formaliter; & nomine contritionis intelligimus contritionem sub disiunctione, abstrahentem à perfecta & ab imperfecta, vnâ videlicet vel alteram sub disiunctione.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum ad effectum pœnitentiæ percipiendum requiratur aliqua contritio.*

SUPPONIMUS (in quo conueniunt Doctores) ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum, gratiam videlicet Sacramentalem remissionem peccatorum, requiri in pœnitente intentionem seu voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, quia ex institutione Christi requiritur ad valorem seu essentiam Sacramenti, non tamquam partem supra quam cadat absolutio, sed tamquam quid præuium ad ipsam essentiam: absque essentia autem seu valore Sacramenti nequit percipi fructus illius, quia iste causatur, ab ipso Sacramento essentialiter perfecto.

Hoc supposito, difficultas est, An præter intentionem suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ

requiratur aliqua expressa contritio ad percipiendum fructum seu effectum huius Sacramenti.

Siluester v. *Confessio* 1, q. 2 1. Rosella v. *Confessio* 1, §. 4. & Angelus v. *Confessio* 1, num. 27. docent, ad id sufficere intentionem suscipiendi Sacramentum ipsum, & non esse necessariam aliquam expressam contritionem seu displicentiam; quia intentio suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, est quædam virtualis contritio, & displicentia peccatorum, quæ ad id sufficiens videtur.

Suarez verò d. 20. sect. 1. Vasquez q. 92. art. 1. dub. 1. Ægidius disp. 4. dub. 5. & communiter Doctores docent, ad id non sufficere voluntatem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, sed necessariam esse aliquam expressam contritionem, seu displicentiam peccatorum: quod aperte constat ex Decreto Eugenij IV. & ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dum dicunt, contritionem (quam asserunt esse dolorem, & Tridentinum addit, & detestationem) esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, & vt ex contextu constat, absque dubio loquuntur de contritione expressa, & de expresso dolore: est autem contritio, vt diximus Disputatione 14. Difficultate 1. pars essentialis, & requisita ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ; ergo contritio expressa etiam est requisita ad percipiendum effectum huius Sacramenti, quia non causatur nisi ab ipso Sacramento essentialiter perfecto. Requiritur autem ad effectum huius Sacramenti non solum vt partem, sed etiam vt dispositionem, satis significat Tridentinum dicto c. 4. ad finem.

Vnde post Decretum Eugenij IV. & post Tridentinum, opinio aduersariorum non est satis tuta.



## DIFFICULTAS II.

*Utrum ad effectum Sacramenti Pœnitentia sufficiat contritio imperfecta.*

Magister.  
Bonauen.  
Gabriel.  
Maior.  
Marsilius.  
Hugo Vich.  
Richardus  
de S. Vich.  
Medina.

**M**agister, Bonaventura, Gabriel & Maior in 4. distinct. 18. Marsilius quæst. 12. artic. 2. Hugo de S. Victore in Summa Tractatu 5. cap. 11. Richardus de S. Victore Tract. de Potestate ligandi & solvendi, cap. 12. & Medina Cod. de Confessione quæst. 38. docent, ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum prærequiritam esse contritionem perfectam, & non sufficere contritionem imperfectam, quæ dicitur attritio. Primum, quia peccator prius viuificatur à Deo, quam absoluitur à Sacerdote, ut indicare videntur Gregorius, Clichtouæus, & Augustinus, quos retulimus Disp. v. Diffic. 11. ergo ad absolutionem præsupponi debet contritio perfecta, per quam peccator viuificetur & iustificetur; ergo etiam debet præsupponi ad percipiendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ, qui absque absolutione non percipitur. Secundò, quia confessio est peccatorum prout sunt offensa Dei; ergo etiam contritio debet esse peccatorum prout sunt offensa Dei, quia debet conformari & proportionari confessioni; cōtritio autem peccatorum prout sunt offensa Dei, est contritio perfecta. Tertio, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad remissionem peccatorum, quibus peccator propria voluntate auersus est à Deo; ergo ad percipiendam eam remissionem in hoc Sacramento, prærequiritur contritio, qua peccator propria voluntate conuertatur in Deum, sed non conuertitur in Deum, nisi media contritione perfecta; ergo hæc prærequiritur ad percipiendum effectum huius Sacramenti.

S. Thomas.  
Scotus.  
Paludan.  
Canus.  
Ledesma.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

Trident.

S. Thomas verò in 4. disput. 17. quæst. 3. art. 5. quæstiunc. 1. Scotus dist. 14. quæst. 4. art. 3. Paludanus dist. 19. quæst. 1. art. 2. Canus Relect. de Pœnitentia p. 5. Ledesma 2. par. quarti, quæst. 20. art. 1. Suarez disp. 20. Vasquez quæst. 92. artic. 1. dubio 2. & Ægidius quæst. 62. art. 1. dub. 2. docent, & meritò, ad percipiendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ non prærequiri contritionem perfectam, sed sufficere imperfectam seu attritionem. Quod efficaciter deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dum de contritione imperfecta seu attritione ait: *Quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere nequeat peccatorem, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Subintelligit autem, sufficienter & infallibiliter, quia extra Sacramentum etiam disponit (ut ex se patet, & in eodem cap. supponitur) sed non sufficienter vltimò, & infallibiliter, ut in eodem cap. significatur, dum dicitur: *Quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere nequeat peccatorem.*

Et ratione ab absurdo desumpta probatur; quia si contritio perfecta prærequiritur ad effectum huius Sacramenti, & ad absolutionem Sacerdotis, verè aufertur potestas clauium ad remittenda peccata quoad culpam, quia antequam hoc Sacramentum sit essentialiter perfectum, quod sic absolutione perficitur, præsupponetur peccatum remissum quoad culpam per eam contritionem perfectam.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, ex prædictis Patribus desumptam, iam diximus Disp. v. Diffic. 11. eos non loqui de viuificatione sanctitatis & gratiæ, sed de aliquali motu vitæ, quo peccator mouetur dispositiue ad iustificationem.

Ad secundam negamus, confessionem esse peccatorum ut sunt offensa Dei, quamuis sit peccatorum quæ verè sunt offensa Dei: & quamuis esset peccatorum ut sunt offensa Dei, ex eo non inferretur, contritionem prærequiritam esse eorum ut sunt offensa Dei, quia contritio non debet conformari confessioni in motiue, sed tantum in materia, in eo videlicet, quod sit eorum peccatorum quorum sit confessio.

Ad tertiam concedimus, Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse ad remissionem peccatorum, quibus propria voluntate auersus sumus à Deo; negamus tamen, ad eam percipiendam in hoc Sacramento prærequiri conuersionem in Deum.

Id verò, quoad addunt Henriquez Quodlib. 1. q. 32. Caietanus q. 84. art. 1. & Ferrar. 4. contra Gentes c. 72. nempe, quod quamuis attritio sufficiat ut peccator accedat ad hoc Sacramentum, & absolutionem recipiat, tamen iustificationem non fieri nisi media contritione, excitata virtute absolutionis præuia attritione susceptæ; falsum est, ut aduertunt Vasquez & Suarez: quia attritio sufficienter & infallibiliter disponit ad iustificationem in hoc Sacramento, & tamen non semper excitat contritionem perfectam, quamuis subsequatur absolutio; ergo non disponit ad iustificationem faciendam media contritione perfecta, sed faciendam immediatè per Sacramentum ipsum. Et quidem si in Sacramento Pœnitentiæ homo attritus, & legitime confessus, non iustificatur nisi media contritione perfecta, excitata per absolutionem, præsupposita attritione ad ipsam absolutionem, non posset moribundo, quamuis iam attrito & confessio, conferri absolutio, si incidat in amentiam (quod est contra communem sensum, & vsum) quia in eo moribundo frustraretur Sacramentum suo effectum, quia in illo nequit excitari contritio, media qua efficienda esset peccatorum remissio.

Henriq.  
Caietanus.  
Ferrar.

Vasquez.  
Suarez.

## DIFFICULTAS III.

*Utrum attritio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, debeat esse existimata contritio perfecta.*

**S**otus in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 2. Victoria Relectione de Potestate Ecclesiæ, qu. 2. & Corduba lib. Quæstionum Theologicarum q. 2. partem affirmatiuam tuentur. Quod probant duabus vltimis rationibus Difficultate præcedente adductis pro nostris aduersarijs, quibus potius videbatur probari, necessarium esse veram contritionem, quam existimationem illius.

Paludanus verò in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. Adrianus in 4. quæst. 5. de Confessione, Suarez disp. 20. Vasquez quæst. 92. art. 1. dubio 2. Ægidius qu. 62. art. 1. dubio 2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt. Quod significat Tridentinum sess. 14. cap. 4. dum de attritione, nulla facta mentione dictæ existimationis, ait disponere (subintelligit, sufficienter, & infallibiliter) ad impetrandam gratiam

Sotus.  
Victoria.  
Corduba.

Paludan.  
Adrian.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Trident.



gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Quod Tridentinum absque dubio adderet, si ea existimatio esset necessaria, cum doctrinaliter procedat, & intendat fideles instruere.

Et ratione probatur, quia existimatio, qua attritio iudicatur contritio, nec est dispositio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, quia cum sit error quidam, esset indecens, quod à Christo institueretur dispositio ad gratiam sanctificantem: nec attritioni, quæ est dispositio ad illam, aliquid boni positiui affert, quo attritio perficiatur, cum sit error: nec excusat pœnitentem à peccato aliquo, quod committeret non accedens contritus, quasi ex præcepto teneatur accedere in statu gratiæ, quia verè non est præceptum aliquod accedendi ad hoc Sacramentum in statu gratiæ, quia non est præceptum positiuum, quia de eo non constat; nec est præceptum naturale, quia si esset aliquod, maximè naturale diuinum, ortum ex natura Sacramenti Pœnitentiæ, supposita institutione diuina illius, ut pœnitens dignè ad illud accederet; sed non est tale præceptum, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est pro spiritaliter mortuis, ac proinde ad illud non accedit indignè, qui accedit spiritaliter mortuus, & in statu peccati mortalis, si aliàs accedat cum dispositione sufficiente ad effectum illius, sicut scienter infirmus prudenter accedit ad medicinam, si accedit cum dispositione sufficiente ad effectum medicinæ. Et fanè si existimatio illa tantùm deseruiret, ut pœnitens excusaretur à peccato contra præceptum aliquod contritionis, illa non esset necessaria; quia etiam sufficeret ignorantia aut inconsideratio inuincibilis talis præcepti gratis admissi: quia qui scienter accederet attritus, ignorans, aut non considerans, inuincibiliter esse tale præceptum, excusaretur à peccato contra illud.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat attritio, qua pœnitens dolet se non habere dolorem peccatorum.*

*Paludan. Nauarrus. Sà.* **P** Aludanus in 4. dist. 17. quæst. 11. art. 5. Nauarrus cap. 1. num. 18. & Sà v. *Contritio*, partem affirmatiuam tuentur, quia in ea attritione virtualiter continetur dolor peccatorum.

*Vasquez. Filiucius.* Vasquez verò q. 92. art. 1. dub. 3. & Filiucius Tractatione 7. cap. 6. quæstio 2. partem negatiuam tradunt. Quam supponunt communiter Doctores, & significant Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 14. præsertim cap. 4. dum ad effectum huius Sacramenti requirunt dolorem de peccatis; quia dolor de defectu seu carentia doloris de peccatis, non est dolor de peccatis, non solum formaliter & expressè, ut patet, sed nec virtualiter & implicitè, quia peccatum, quod est obiectum ipsius doloris de peccato, non continetur in ipsa carentia doloris de peccato, quæ est obiectum illius alterius doloris; nec virtualiter, quia dolor ipse de carentia doloris peccati non continet virtualiter dolorem de peccato, quia dolor ille non sufficit ad efficaciter excitandum dolorem de peccato.

## DIFFICULTAS V.

*Ex quo motiuo debeat esse attritio, ut sufficiat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.*

**C** Onueniunt Doctores, attritionem & dolorem de peccatis ob malum æternum (id est ob malum ad alteram vitam pertinens) ut ob turpitudinem seu malitiam peccati, vel ob pœnas alterius vitæ, esse sufficientem ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum, ut exprimitur in Tridentino sess. 14. cap. 4.

Est tamen difficultas, An ad id sufficiat attritio & dolor de peccatis ob malum temporale (id est ob malum ad præsentem vitam pertinens) ut ob infamiam, vel ob nocumentum salutis, vel ob pœnam, siue pecuniariam siue corporalem, qua peccator damnatus est vel damnandus à iudice humano, vel ob similia.

Sotus in 4. d. 18. q. 3. art. 3. & Canus Relect. de Pœnit. p. 5. partè affirmatiuam tuetur, quia ex vna parte dolor iste potest esse honestus, & ex altera est ob malum inflictum à Deo: quia quodcumque malum, excepta culpa, infligitur à Deo. Id tamen limitat Sotus, ut generaliter sit verum in omni attritione, quando existimatur contritio; & Canus, quando existimatur sufficere ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.

Vasquez quæst. 92. art. 1. dub. 3. Suarez disp. 20. sect. 2. & Reginaldus lib. 3. sect. 2. partem negatiuam tradunt, quia malum temporale est motiuum doloris, tam de bono quàm de malo opere, & non excludentis affectum peccati, qualis à Tridentino ubi supra requiritur, ut disponat ad percipiendum effectum huius Sacramenti, nempe gratiam remissionem peccatorum.

Egidius verò disp. 4. n. 39. & Ochaga. Tract. 1. quæst. 18. docent, & meritò, attritionem & dolorem peccatorum ob malum temporale, cum respectu ad Deum, à quo immisum aut immittendum est in pœnam, id est, dolorè de peccato, quia Deus ob illud immisit aut immittet dictum malum (ut verè fieri potest, quia quodcumq; malum, quod non sit culpæ, à Deo immittitur) sufficere ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ; non verò ob malum temporale, ut aliunde eueniens aut euenturum absque respectu ad Deum. Ratio prioris partis est, quia dolor ob malum temporale modo dicto respiciens Deum (qua ratione quodammodo est æternum, & ad alteram vitam pertinens) ex se non solum est honestus, sed etiam habet motiuum, quod tantùm est ad dolendum de peccato, & non ad dolendum de bono opere, & excludit affectum peccandi, quia Deus etiam eo malo punit peccatum, & non opus bonum. Et confirmatur hæc ratio: quia dolor iste ut sic, oritur ex displicentia, aut ex metu pœnarum diuinarum, quem Tridentinum supponit sufficere ad effectum huius Sacramenti. Ratio verò posterioris partis est, quia dolor ob malum temporale, ut non respiciens Deum ut punitorem, sed ut aliunde proueniens, quamuis possit esse honestus, habet tamen motiuum, quod potest esse ad dolendum de bono opere; quia etiam opus bonum potest esse occasio talis mali, & ob id ex se non excludit affectum peccandi, quod Tridentinū requirit in dolore, ut sufficienter disponat ad gratiam huius Sacramenti.



## DIFFICULTAS VI.

*Utrum dolor ad effectum huius Sacramenti sufficiens, sit ordinis naturalis.*

Suarez.  
Henric.  
Ægidius.

**S**uarez disp. 20. sect. 2. Henriquez 1. de Pœnitentia c. 26. & Ægidius disp. 4. dub. 5. docent, omnem dolorem, qui est sufficiens dispositio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, esse ordinis supernaturalis quoad substantiam, quia ad eum dolorem requiritur auxilium gratiæ, quod non requiritur nisi ad actum supernaturalium quoad substantiam.

Sotus.  
Canus.  
Vasquez.

Sotus verò in 4. d. 18. q. 3. art. 3. Canus Relectione de Pœnitentia p. 5. & Vasquez 1. 2. disputatione 194. c. 4. docent, non omnem dolorem, qui est sufficiens dispositio ad effectum huius Sacramenti, esse supernaturalem quoad substantiam; & meritò: quia ad id sufficit dolor conceptus ob turpitudinem seu malitiam peccati, sitam in dissonantia ad naturam rationalem, ut non eleuatam ad finem supernaturalem, & etiam dolor conceptus ex metu mali temporalis à Deo infligendi naturaliter etiam quoad modum: isti autem dolores sunt naturales quoad substantiam, quamuis sint alij quoad substantiam supernaturales, non solum dolor qui est contritio perfecta, sed etiam alij qui solum sunt attritio, ut dolor qui est ob turpitudinem seu malitiam peccati sitam in dissonantia ad naturam rationalem, ut eleuatam & conciuem sanctorum, & dolor qui est ob amissionem gloriæ.

Vasquez.

Addimus verò, spem veniæ (quæ etiam est dispositio necessaria ad effectum huius Sacramenti, nempe ad remissionem peccatorum) esse supernaturalem quoad substantiam, ut Vasquez aduertit, quia est spes seu desiderium adeptionis gratiæ remissionis peccatorum à Deo, supernaturaliter potente conferre illam.

Trident.

Ad rationem verò aduersariorum Sotus & Canus respondent, negando, ad omnem dolorem sufficientem ad effectum huius Sacramenti requiri auxilium gratiæ Dei; quia existimant, ad eum qui est ordinis naturalis, non requiri: immeritò tamen, & contra Tridentinum sess. 14. cap. 4. affirmans, dolorem sufficientem ad dictum effectum esse donum Dei. Respondemus ergo, concedendo, ad omnem dolorem sufficientem ad eum effectum requiri auxilium gratiæ Dei; negamus tamen, non requiri ad dolorem ordinis naturalis (sicut generaliter requiritur ad omne opus bonum etiam ordinis naturalis) ad eum tamen sufficit auxilium ordinis naturalis quoad substantiam, de quo latè dicitur in Tractatu de Gratia.

## DIFFICULTAS VII.

*Utrum dolor debeat esse omnium mortalium, ut sufficiat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.*

**C**onueniunt Doctores, ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum necessarium esse dolorem omnium mortalium, quæ non sunt remissa (quamuis oblita sint) siue ob motuum generale omnia illa comprehendens, ut ob infernum, siue ob peculiare & proprias turpitu-

dines eorum. Et meritò: quia adultis nullum remittitur peccatum mortale propria voluntate commissum, absque proprio actu pœnitentiæ, siue formali siue virtuali; unde ad remissionem cuiusuis mortalis in hoc Sacramento, in quo necessaria est expressa & formalis pœnitentia, non solum tamquam pars essentialis huius Sacramenti, sed etiam tamquam dispositio ad effectum illius, requiritur dolor cuiusuis illius: in hoc autem Sacramento (sicut etiam extra illud) non remittitur vnum mortale sine alio; ergo ad effectum remissionis peccatorum mortalium faciendæ per hoc Sacramentum, requiritur dolor omnium eorum quæ remissa non sunt, etiam obliuorum, non tamquam pars essentialis huius Sacramenti, quia ut sic, sufficit sit eorum quorum est facta confessio (imò ut est dolor aliorum, non est pars; quia dolor tantum fit sensibilis per confessionem, ac proinde aptus ut sit pars essentialis huius Sacramenti sensibilis) sed tamquam dispositio ad effectum huius Sacramenti percipiendum, nempe ad remissionem peccatorum non remissorum, & ad gratiam remissionis, ob rationem dictam, nempe quia adultis nullum remittitur peccatum mortale absque proprio actu pœnitentiæ, siue formali siue virtuali; & in hoc Sacramento absque expressa & formali pœnitentia, etiam eorum quæ per accidens (id est absque eorum confessione) remittuntur.

Addimus, ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum necessarium esse dolorem omnium mortalium quæ non sunt remissa. Primò, quia mortaliū, quæ iam sunt remissa, siue per perfectam contritionem, siue per aliud præcedens Sacramentum, non est necessarius dolor ad effectum huius Sacramenti, nempe ad gratiam remissionis peccatorum, nisi tantum eorum quorum sit confessio, & ex necessitate, quædo horum sit confessio, ut sunt illa quorum non est antea facta confessio, vel quia fuerunt oblita, si remissa sunt per accidens per præcedens Sacramentum, vel quia remissa fuerunt per contritionem perfectam, quia horum sicut est necessaria confessio, etiam est necessarius dolor eorum, ut confessio sit vera accusatio qualis à Christo exigitur; non verò est necessarius eorum quæ iam sunt remissa, & non fit confessio eorum quia sunt oblita, vel ob aliam iustam causam, quamuis numquam sint confessa, quia tunc dolor non est necessarius ut pars huius Sacramenti, quia ut sic non est necessarius, nisi tantum eorum quorum sit confessio, dolor enim ut pars, & confessio semper conformantur quoad obiectum (quamuis non semper dolor ut dispositio, & confessio) nec est necessarius ut dispositio ad illorum remissionem, quia iam sunt remissa; nec ad gratiam remissionis conferendam per Sacramentum, quia tunc ad eam gratiam sufficit ut dispositio, dolor eorum peccatorum quæ non sunt remissa, siue tunc fiat confessio omnium eorum, siue tantum aliquorum, & non omnium, quia non est memoria omnium, vel ob aliam iustam causam.

Secundò id addimus, nempe ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum, necessarium esse dolorem omnium mortalium, quia ad eum non est necessarius dolor omnium venialium, etiam si eorum fiat confessio; non solum quando aliàs fit confessio alicuius mortalium, ut patet (quamuis non fiat remissio venialium, quorum non fuerit dolor;) sed etiam quando tantum fit confessio venialium, quia



quia in hoc casu sufficit dolor aliquorum : imò vnus tantum, quia ex vna parte non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, & ex altera vnum potest remitti sine alio. Et idem quoad dolorem est de mortalibus antea legitime confessis & dimissis, quando quis ea iterum confitetur. Quòd autem non sit dolor omnium venialium, nec omnium mortalium quæ iam sunt remissa per confessionem, non obstat veritati verborum formæ absolutionis, quia hæc forma non est vniuersalis, sed indefinita, & indefinitè profertur, vt tantum cadat supra peccata confessã, quorum sit sufficiens dolor, vt dicemus Disputatione VII. Difficultate VI.

Addimus, dolorem sufficientem ad effectum pœnitentiæ debere esse ita firmum & perfectum, vt excludat voluntatem & affectum peccandi, vt definitur in Tridentino sess. 15. cap. 4. in fine; ac proinde virtualiter & implicite includentem propositum efficac non peccandi in futurum; & hoc propositum in eo dolore inclusum, absque expresso proposito, ad eum effectum sufficere, vt affirmant Bonacina disp. 5. q. 5. punct. 3. c. 3. & Laymannus tract. 6. c. 4. & supponunt Suarez disput. 20 ad finem, & Filliucius Tract. 7. cap. 6. quæst. 10. & indicat Vasquez q. 92. art. 2. dub. vnicò, n. 21. & probabile censet Reginaldus lib. 5. c. 1. num. 8. & satis indicat Tridentinum sess. 14. cap. 4. dum ad effectum huius Sacramenti contentum est attritione excludente voluntatem peccandi. vnde quando in principio capituli 4. definit contritionem, prout abstrahit à perfecta & ab imperfecta (quam cap. 3. dixerat esse partem pœnitentiæ) dicens esse dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, nomine *proposito* intelligit virtuale, vt Concilium ipsum se explicat in fine capituli, dum ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ contentum est attritione excludente voluntatem peccandi. Addit autem, *cum proposito non peccandi*, quamuis virtualiter contineatur in dolore & detestatione, in qua consistit contritio, quia non in quocumque dolore & detestatione includitur, sed infirmo & efficaci. Vnde, quidquid dicant Egidius & Ochagauia, ad effectum huius Sacramenti non est necessarium, quòd propositum, præsertim virtuale, se extendat positiuè ad plura peccata, quam dolor ipse in quo virtualiter includitur, aut ex quo oritur, quando est expressum, dum non adfit voluntas peccandi mortaliter: sed sufficit propositum vitandi peccata similia eis quorum est dolor, seu non reincidenti in ea; quia propositum debet quoad obiectum correspondere dolori, in quo includitur, aut ex quo oritur. Id autem quod dicimus, nempe ad effectum huius Sacramenti non requiri propositum expressum vitandi peccata in futurum, intelligimus, etiam si ipsum peccare in futurum memoriæ occurrat: quamuis verum sit, quòd tunc pœnitens non poterit contineri, aut vix poterit, ab expresso proposito non peccandi in futurum. Nihilominus quia res hæc est magni momenti, & securius est, propositum non peccandi mortaliter esse expressum, & extendi ad omnia mortalia, absolute conandum est ad id, & persuadendum est pœnitentibus, præsertim in confessione quæ creditur futura esse vltima.

## DIFFICULTAS VIII.

*Utrum ex defectu doloris Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe.*

Sacramentum illud dicitur informe, quod est essentialiter perfectum & validum, sed infructuosum, & absque effectu gratiæ.

Maiores ergo in 4. dist. 17. quæst. 5. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2. Adrianus quæst. 5. de Confessione, dubio 5. Medina Cod. de Confessione, quæst. 20. de Confessione ficta non iteranda, Vasquez q. 92. ar. 2. Egidius disp. 4. dub. 11. Ochagauia Tract. 2. q. 30. & Laymannus Tract. 6. ca. 9. docent, Sacramentum Pœnitentiæ non posse esse informe ex defectu doloris; quia dolor, qui requiritur & sufficit ad essentiam & valorem huius Sacramenti vt pars illius, etiam requiritur & sufficit vt dispositio ad effectum illius; ergo eo ipso quòd est essentialiter perfectum & validum, nequit ex defectu doloris esse infructuosum & absque effectu. Consequentia patet, Antecedens autem significari videtur in Tridentino sess. 14. c. 3. & 4. quia postquam c. 3. dixit, contritionem esse partem (subintelligit essentialem) Sacramenti Pœnitentiæ, postea cap. 4. eandem contritionem definit, quòd sit, *dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*: & eam diuidit in contritionem perfectam, quam ait iustificare ante susceptionem huius Sacramenti; & in attritionem, conceptam ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ & pœnarum, & de hac ait disponere (subintelligit, sufficienter & infallibiliter) ad gratiam Dei in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Sentit ergo, dolorem requisitum & sufficientem ad essentiam & valorem Sacramenti Pœnitentiæ vt partem illius, etiam esse requisitum & sufficientem vt dispositionem ad effectum illius; cum dolorem, quem dixit esse partem huius Sacramenti, dicat etiam esse dispositionem ad gratiam & effectum illius.

S. Thomas verò in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. quæstion. 1. Richardus art. 2. q. 8. Paludanus q. 8. Durandus q. 3. Sotus d. 18. q. 3. art. 2. Couarrunias in cap. *Alma mater*. Nauarrus cap. 9. num. 13. Petrus Sotus lect. 8. de Confessione, Suarez disput. 20. sect. 5. Filliucius Tract. 7. q. 11. & plures alij docent, Sacramentum Pœnitentiæ, posse esse informe ex defectu doloris, & merito: quia dolor, qui requiritur vt dispositio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, non requiritur ad essentiam & valorem illius; ergo Sacramentum Pœnitentiæ potest esse essentialiter perfectum & validum, & absque effectu gratiæ, ex defectu doloris ad effectum requisiti, & non ad valorem. Consequentia patet; Antecedens autem, in quo est tota difficultas, variè probatur & declaratur ab Auctoribus huius nostræ opinionis: ex omnibus tamen eorum probationibus & declarationibus illa solum nobis placet, qua vtuntur Suarez & Filliucius, nempe, quia ad essentiam & valorem huius Sacramenti non semper requiritur dolor vt pars, ita extensus & vniuersalis ex parte obiecti, ac requiritur vt dispositio ad effectum illius; quia ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ requiritur tamquam dispositio dolor omnium mortalium non remissorum, vt diximus Difficultate præcedenti, quia in Sacramento Pœnitentiæ

Trident.

Bonacina.  
Layman.  
Suarez.  
Filliucius.  
Vasquez.  
Reginald.Egidius.  
Ochagau.Maiores.  
Gabriel.  
Adrian.  
Medina.  
Vasquez.  
Egidius.  
Ochagau.  
Layman.

Trident.

S. Thomas.  
Richardus.  
Paludan.  
Durand.  
Sotus.  
Couarrunias.  
Nauarrus.  
Pet. Sotus.  
Suarez.  
Filliucius.

nitentiæ



nitentiæ nullum remittitur peccatū mortale propria voluntate commissum, absque proprio & expresso actu pœnitentiæ, tendente in illud salte virtualiter, ob motiuum etiam comprehendens illud; dolor verò ad essentiam & valorem Sacramenti requisitus tamquã pars, sufficit quòd sit eorum mortalium quorum fit confessio, & non requiritur quòd sit aliorum quorum non fit confessio, vel ob oblivionem, vel ob aliam iustam causam. Imò vt est horum quorum non fit confessio, nequit esse pars, quia dolor non est pars huius Sacramenti, nec ad eius essentiam pertinet, nisi quatenus sit sensibilis per confessionem: per hanc autem tantum fit sensibilis respectu eorum peccatorum quorum est ipsa confessio, ac proinde dolor qui est peccatorum quorum fit confessio, & etiam aliorum quorum non fit confessio, quamuis sit dispositio vt est omnium eorum, non tamen est pars, nisi vt est dolor eorum quorum fit confessio. In eo ergo pœnitente, qui commisit plura peccata mortalia, & nõ confitetur omnia, vel quia est oblitus aliquorum, vel ob aliam iustam causam, & tantum habet dolorem eorum quæ confitetur, sic Sacramentum erit essentialiter perfectum & validum (si aliàs non peccet mortaliter in non dolendo de omnibus, vt potest non peccare, si prudenter credat non habere alia peccata mortalia nisi ea quæ confitetur, vel si credit aut scit se habere alia, non tamen credit se teneri dolere de alijs, ne frustret Sacramentum suo effectu, aut ad id non aduertit inaduertentia non mortali) & erit infructuosum & absque effectu, quia pœnitenti deficit dolor requisitus vt dispositio ad effectum Sacramenti, quia non habet dolorem omnium mortalium, absque quo non infundetur à Deo gratia remissiua omnium, ne remittatur aliquod absque aliquo dolore illius.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, Antecedens illius esse falsum. Ad probationem autem illius ex Tridentino respondemus, Tridentinum aut tantum significare, eundem dolorem, quoad perfectionem & motiuum, qui sufficit ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ vt partem, etiam sufficere ad effectum illius vt dispositionem ad illum, quod est verum; non verò significare, eundem quoad extensionem & vniuersalitatē ex parte obiecti ipsius doloris, qui sufficit ad essentiam, etiam sufficere ad effectum: aut si etiam hoc significat, tantum loqui de dolore vt parte essentiali Sacramenti, & de dolore vt dispositione ad effectum per se illius, quia idem dolor etiam quoad extensionem, qui sufficit vt pars ad essentiam huius Sacramenti, etiam sufficit vt dispositio ad effectum per se, nempe ad remissionem peccatorum quorum fit confessio & absolutio, quia ad horum remissionem idem dolor, qui est pars, etiam est sufficiens dispositio; non verò ad remissionem aliorum quorum non fit confessio & absolutio, quia etiam ad horum remissionem est necessarius dolor vt dispositio, quamuis non vt pars, & quia absque his non possunt remitti alia quorum fit confessio & absolutio, ideò ad horum remissionem etiam est necessarius dolor vt dispositio, non per se, sed per accidens, vt scilicet eorum remissio non impediatur.

Addimus, Sacramentum Pœnitentiæ non tantum posse esse informe ex defectu doloris, sed etiam ex defectu fidei, & ex defectu actus spei veniæ peccatorum, quia Sacramentum Pœnitentiæ

potest recipi validè absque nouo actu fidei diuinæ Dei iustificatoris, & absque nouo actu spei veniæ, & absque eis perseverantibus actu post aliud Sacramentum Pœnitentiæ prius susceptum: & tamen sic receptum non confert gratiam, quia quoties nouiter recipitur, requiritur tamquam noua dispositio actus spei veniæ, ac proinde etiam actus fidei diuinæ Dei iustificatoris, & veniam concedentis, necessarius ad eum actu spei veniæ; quamuis non sit necessarius, quòd hi actus sint actu quando Sacramentum recipitur, sed sufficiat quòd præcesserint, & non sint reuocati. Quòd autem Sacramentum Pœnitentiæ possit validè recipi absque eis actibus nouiter elicitis, & absque eis actu perseverantibus post aliud Sacramentum Pœnitentiæ prius susceptum, constat; quia ex vna parte dicti actus non sunt partes essentielles Sacramenti Pœnitentiæ, nec sunt intentio recipiendi illud vt Sacramentum; & ex altera potest recipi absque illis, non peccando mortaliter in eorum omissione, si recipiatur absque illis ex ignorantia, aut eum ignorantia inuincibili, vel ex inconsideratione, aut cum inconsideratione naturali necessitatis eorum ad effectum Sacramenti. Sed an Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe ex defectu integritatis confessionis, dicemus Disputat. IX. Difficul. XII.

#### DIFFICULTAS IX.

*Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ informe operetur postea suum effectum, recedente fictione.*

SANCTUS THOMAS in 4. d. 17. quæst. 3. art. 4. *S. Thomas.*  
 quæstione. 1. Durandus quæst. 13. *Durandus.*  
 lect. de Pœnit. p. 5. & Suarez disp. 20. sect. 5. *Canus.*  
 partem affirmatiuam tuentur, quia Sacramentum *Suarez.*  
 Baptismi id habet, quia est medium necessarium ad iustificationem ab originali, & ab actualibus mortalibus ante Baptismum commissis; ergo id etiam est concedendum Sacramento Pœnitentiæ, quia est medium necessarium ad iustificationem à mortalibus post Baptismum commissis; aliàs peccata mortalia in Sacramento pœnitentiæ informi confessio non necessariò remitterentur per Sacramentum Pœnitentiæ, nec in re susceptum, vt patet. Quia non per ipsum informe, vt patet; nec per aliud sequens, quia iam non est obligatio illa iterum confitendi; nec per Sacramentum Pœnitentiæ in voto, quia contritio perfecta, per quam postea per se remitterentur, aut attritio, per quam simul cum Sacramento sequenti etiam per accidens remitterentur, non includunt votum iterum confitendi illa, quia non est obligatio iterum illa confitendi, vt potest iam subiecta confessioni validæ & legitime.

Sotus verò in 4. d. 18. q. 3. art. 3. Medina Cod. *Sotus.*  
 de Confessione q. 20. de Confessione ficta iteranda, & Vasquez q. 92. art. 3. dub. 4. partem negati- *Medina.*  
 uam tradunt (quam etiam supponit S. Thomas *Vasquez.*  
 3. parte, quæst. 69. art. 10. dum id tantum tribuit *S. Thomas.*  
 Baptismo, quo retractasse videtur quod in 4. dixerat) & meritò: quia si Sacramentum Pœnitentiæ informe haberet virtutem conferendi gratiam recedente fictione, eam tantum haberet ex institutione Christi. Nullo autē firmo fundamento constat, Christum eam virtutem tribuisse Sacramento Pœnitentiæ informi, quia id non constat  
 Scriptura,



August.

Scriptura, nec traditione, vt patet, nec testimonio Patrum, quia ex Patribus solus Augustinus lib. 10. de Baptismo paruulorum contra Donatistas c. 12. & lib. 3. cap. 13. id tantum tribuit Baptismo, & factis obiter, & non docendo, sed solum arguendo contra Donatistas; & non ob aliam rationem, si aliqua est, nisi quia ex vna parte Baptismus est medium necessarium ad iustificationem ab originali, & ab alijs mortalibus ante Baptismum commissis, & ex altera parte iterari non potest: Sacramentum verò Pœnitentiæ, quamuis sit medium necessarium ad iustificationem à mortalibus post Baptismum commissis, tamen potest iterari; est ergo inter vtrumque Sacramentum discrimen sufficiens, vt quamuis id tribuatur Baptismo, non debeat tribui Sacramento Pœnitentiæ.

Nihilominus etiam si Sacramentum Pœnitentiæ informe, recedente fictione, non operetur suum effectum, dicitur medium necessarium ad iustificationem à mortalibus in Sacramento informi confessis, non quia per ipsum informe in re susceptum, aut in voto, remittantur, quia tunc tantum remittantur per se per contritionem perfectam, aut per accidens per attritionem simul cum Sacramento Pœnitentiæ sequente, non continentes votum confessionis illorum, quia non est obligatio illa iterum confitendi, cum iam sint legitime confessa, sed quia non possent remitti, nisi re ipsa fuissent legitime confessa, & subiecta clauibus Ecclesiæ, aut nisi medio voto illa confitendi & subiiciendi.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarius debeat præsupponi ad confessionem.*

Egidius.  
Ochagau.

**A** Egidius disp. 4. dub. 6. & Ochagauia Tractat. 1. quæst. 18. docent, dolorem ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitum debere antecedere confessionem, non solum prioritate naturæ, sed etiam temporis, aliàs Sacramentum futurum esse nullum. Et in primis quod debeat antecedere prioritate naturæ, probatur, quia explicatio peccatorum, vt sit pars essentialis huius Sacramenti, debet esse confessio & accusatio, cum hoc Sacramentum institutum sit instar iudicij, & dolor esse debet sensibilis, cum sit pars Sacramenti sensibilis; sed si explicatio peccatorum non procedat ex dolore tamquam ex causa, non habebit rationem confessionis & accusationis, sed puræ narrationis, & dolor ipse non erit sensibilis, quia tantum fit sensibilis per confessionem, & per hanc nequit fieri talis, nisi tamquam per effectum ipsius doloris,

quia confessio non potest prodere & significare seu indicare dolorem nisi tamquam effectus ipsius doloris (eo modo quo fumus prodit & significat ignem) quia non potest tamquam purum signum significare dolorem, quia tamquam purum signum tantum significat peccata, & non nisi ex institutione hominum. Deinde quod dolor etiam tempore debeat antecedere confessionem, deducitur ex eo, quod dolor debeat esse causa confessionis, & eam antecedere prioritate naturæ & causalitatis, quia dolor fit in instanti, & confessio in tempore; ac proinde dolor ad minus debet esse in instanti immediato ante tempus in quo fit confessio.

Canus. Suarez. Vasquez. Filiucius.  
Canus verò de Pœnitentia p. 5. Suarez disp. 20. n. 31. Vasquez quæst. 84. art. 1. dub. 3. n. 21. Filiucius tract. 7. c. 6. q. 9. docent, & optimè, non esse necessarium, quod dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus, præsupponatur ad confessionem, sed sufficere quod antecedit absolutionem, etiam si tempore aliquo post confessionem eliciatur. Quod fideles communiter sentiunt, dum contenti sunt se habere dolorem ante absolutionem, & non raro post confessionem se ipsos ad dolorem excitant, vt eum tunc eliciant, vt si fortè eum ante confessionem, aut in ipsa non habuerunt, non absoluantur absque dolore. Et sæpè pœnitentes, de quibus timetur absque dolore confiteri, excitantur à Confessarijs post confessionem ad dolorem.

Quod etiam ratione constat, quia absque firmo fundamento, & absque necessitate exigitur antecedentia doloris ad confessionem, imò & actualis coexistencia cum confessione: quia quod ab aduersarijs adducitur, efficax non est; quia vt explicatio peccatorum sit vera confessio & accusatio, & vt dolor fiat sensibilis, non est necessarium quod explicatio peccatorum, quoad substantiam proueniat à dolore, sed sufficit quod ab eo proueniat, quoad rationem confessionis & accusationis, quod habere potest à dolore quamuis sequente, & postea elicto, quia explicatio peccatorum per dolorem postea sequentem informata, & ipsi moraliter coniuncta, acquirit seu induit rationem confessionis & accusationis, quia ratione doloris sequentis explicatio peccatorum iam facta habet quod humiliter subiiciatur absolutioni, ex quo acquirit & induit denominationem confessionis & accusationis, & fit apta & proportionata absolutioni, & consequenter dolor ipse per confessionem tamquam per suum effectum in ratione confessionis & accusationis fit sensibilis, & significatur & proditur sicut ignis per fumum.

Quanta autem coniunctio & similtas sit necessaria inter dolorem & confessionem, & inter has duas partes ex vna parte, & inter absolutionem ex altera, disputamus in Tractatu de Sacramentis in genere, Disputat. 1. Difficul. 11.



## DISPUTATIO VII.

## De præcepto confessionis Sacramentalis.



**A** hac Disputatione incipimus agere de confessione Sacramentali, quæ est vna ex tribus partibus essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ, de quo Disp. IV. diximus, esse necessarium necessitate mediæ ad salutem: & nunc in hac agendum est de necessitate præcepti confessionis Sacramentalis, & eo ipso ipsius Sacramenti Pœnitentiæ, quia de ipsa confessione seorsim ab alijs partibus non est præceptum, sed de ipsa vt coniuncta dolori, & vt subiecta absolutioni.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum confessio Sacramentalis peccatorum mortalium sit Iure diuino præcepta.*

**C**onfessio Sacramentalis dicitur confessio peccatorum coniuncta dolori, & subiecta absolutioni; id est facta ad obtinendam absolutionem: & dicitur Sacramentalis, quia instituta est in partem Sacramenti.

Circa hanc rem (omissis hæreticis, qui eo ipso quòd negant confessionem fuisse à Christo institutam in partem Sacramenti, consequenter negant fuisse ab illo præceptam) inter Doctores, qui admittunt confessionem fuisse à Christo in partem Sacramenti institutam, Glossator in principio de Pœnitentia dist. 5. Panormitanus in cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentijs & remissionibus, & Petrus Oxomensis, Doctor Salmanticensis (vt refert Castro v. *Confessio*) docent, confessionem adhuc mortalium non fuisse à Christo præceptam, sed tantum ab Ecclesia: imò Petrus Oxomensis addebat, hoc præcepto Ecclesiastico non teneri eum, qui contritione perfecta iustificatus est: & consequenter dicebat, mortalia remitti per contritionem sine ordine ad claves, id est non manente obligatione confitendi illa.

Vera tamen & Catholica doctrina est, confessionem non solum fuisse à Christo institutam, sed etiam confessionem mortalium fuisse ab ipso præceptam. Ita definitum est, & oppositum damnatum in Concilio Constantiensi sess. 8. & in Bulla Martini V. quam adducit Castro v. *Confessio*, & in Concilio Complutensi, habito sub Alfonso Carrillo Archiepiscopo Toletano, ex mandato Sixti IV. contra Petrum Oxomensis, in quo non solum damnatur, quòd contritio iustificet à mortalibus sine ordine ad claves, sed etiam quòd eorum confessio non sit Iuris diuini, & in Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 6. & 7.

Ex quo constat, non solum institutionem confessionis Sacramentalis, vt pote factam à Christo, sed etiam obligationem confessionis mortalium sub præcepto, vt pote ab eodem impositam, antiquiorem esse Innocentio III. ac proinde non fuisse primò ab ipso inuentam, & sub præcepto positam, vt falsò affirmant hæretici. Et sanè mirum est, hæreticos id ita clarè affirmare, cum sint plures

Patres Innocentio III. antiquiores, qui necessitatis & obligationis confessionis Sacramentalis mentionem faciunt (imò ex eis nonnulli significant esse necessitatem ex Iure diuino) quos referunt Vasquez quæst. 90. art. 1. dub. 1. Bellarminus lib. 3. de Pœnitentia cap. 6. & Ægidius disp. 5. dub. 1.

Ita tamen confessio mortalium, vt fit in Ecclesia, est Iure seu præcepto diuino necessaria, vt non sit necessaria Iure diuino naturali, id est Iure orto ex natura confessionis, vt instituta à Christo in Sacramentum, quia si hoc Iure esset necessaria, maximè quia esset medium vnicum ad iustificationem; at non est medium vnicum ad id, quia peccator etiam potest iustificari per contritionem, sed tantum est necessaria Iure diuino positivo lato à Deo, non Iure diuino veteri, quasi Christus non præceperit de nouo confessionem, sed approbaue- rit legem aliquam veterem confessionis, & nonnulla circa illam suppleuerit (vt falsò existimat Waldensis tom. 2. cap. 40.) quia quamuis in veteri Testamento fuerit lex offerendi sacrificium pro peccato, quo denotabatur, eum, pro quo offerebatur, esse peccatorem; & quamuis etiam fuerit lex confitendi aliqua peccata, quibus annexæ erant aliquæ irregularitates ad eas auferendas, confessio tamen omnium mortalium minutim, etiam purè interiorum, & in ordine ad remissionem eorum etiam quoad culpas, vt fit in Ecclesia, nullatenus fuit in veteri Testamento instituta, nec præcepta. Confessio ergo Sacramentalis, vt fit in Ecclesia, fuit à Christo in Sacramentum instituta, & confessio mortalium fuit ab eodem posituè præcepta: & id traditione à Christo per Apostolos in nos deriuata constat.

Quod etiam deducitur ex illis verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* vt significat Tridentinum sess. 14. cap. 5. dum ait, vniuersam Ecclesiam, confessionem esse necessariam Iure diuino, colligere ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ, quam cap. 1. affirmauerat factam fuisse relatis verbis Ioannis.

Deducitur autem ex dictis verbis, quia eis Christus Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, contulit tamquam iudicibus potestatem absoluendi à mortalibus, & ea ita detinendi seu non absoluendi, vt eo ipso etiam in cælis detineantur, seu non remittantur, vt Ecclesia semper intellexit, & verba ipsa id præferunt. Ex hoc ergo ita deducitur, quia cum Sacerdos non semper possit ita detinere mortalia, vt si re ipsa detineat, seu non absoluat, etiam re ipsa non remittantur à Deo, quia perfectè contrito semper re ipsa remittuntur à Deo, quamuis Sacerdos non absoluat re ipsa, non potest Sacerdos ita detinere, & non absoluere à mortalibus, vt non remittantur à Deo, nisi ea detinendo in re, vel in voto, quia non remittuntur à Deo absque absolutione Sacerdotis re ipsa recepta, vel absque voto receptionis illius in contritione incluso, quia si receptio absolutionis in re, vel in voto sub disiunctione non est peccatori

Glossator.  
Panorm.

Pet. Oxom.

Concilium  
Constant.  
Mart. V.  
Concilium  
Complut.

Trident.

Vasquez.  
Bellarmin.  
Ægidius.

Waldens.

Trident.



cautori necessaria ad remissionem mortalium, non potest Sacerdos ita detinere mortalia, ut eo ipso etiam apud Deum detineantur: necessitas autem receptionis absolutionis in re, vel in voto sub disiunctione, nequit esse, nisi sit præceptum, & obligatio recipiendi illam, quia necessitas huius voti non oritur nisi ex præcepto, ut diximus Disputat. 1v. Diffic. v. necessitas autem receptionis absolutionis à peccatis faciendæ à Sacerdote ut à iudice, supponit necessitatem confessionis illorum faciendæ à peccatore, quia absolutio iudicis à delictis, & detentio, seu negatio absolutionis ab eis, nequeunt fieri, nisi cognitis delictis; ergo eo ipso, quod Christus Ioan. 20. supradictis verbis contulit Sacerdotibus potestatem absolventi à peccatis tamquam iudicibus, & ea ita detinendi, ut eo ipso etiam detineantur in cælis, posuit sub præcepto receptionem absolutionis à peccatis, & eorum confessionem.

Ita tamen Christus illis prioribus verbis Ioan. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, contulit Sacerdotibus potestatem absolventi à peccatis etiam venialibus, ut illis posterioribus, *Quorum retinueritis, retenta sunt*, non contulerit potestatem detinendi venialia modo supradicto, ut traditione constat. Et mirum non est, quod Christus id fecerit, cum peccata venialia facillimè committantur; unde in prioribus verbis, in quibus absolutio continetur, nomine peccatorum etiam comprehendit venialia, cum absolutio sit favorabilis; non verò in posterioribus verbis, in quibus negatio absolutionis continetur, cum odiosa sit. Potestas autem detinendi peccata mortalia modo supradicto explicata, distincta est à potestate omnino positiuè ligandi Sacerdotibus promissa Matth. 16. & 18. & concessa Ioan. 20. & 21. quia hæc consistit in eo, quod possint obligare pœnitentes ad satisfactionem Sacramentalem, ut indicat Trident. sess. 14. c. 8. in fine, & etiam in eo quod possint in foro exteriori censuris ligare.

Sed obijciunt hæretici Primò, quod Nectarius Episcopus Constantinopolitanus in sua Ecclesia confessionem abrogauerit, quod non fecisset, si Iure diuino fuisset præcepta. Respondemus, ut optimè Vasquez dub. 3. & Ægidius, Nectarium non abrogasse confessionem Sacramentalem, sed confessionem quamdam publicam, & coram testibus quorundam peccatorum publicorum, de quibus agenda erat publica pœnitentia, quæ fiebat cuidam Presbytero ad id constituto, cuius consilio pœnitentia illa erat agenda: eam autem abrogauit Nectarius occasione concubitus habiti in Ecclesia cuiusdam Diaconi cum matrona quadam publicam pœnitentiam agente, ob cuius impletionem per aliquot dies fuit commorata in Ecclesia.

Obijciunt Secundò Chryostomum Homilia 2. in Psalm. 50. & Homilia de Lazaro, ubi ait, peccata confitenda esse Deo, non hominibus. Respondemus, ut optimè Vasquez, Chryostomum in eis locis non negasse confessionem Sacramentalem, quia hanc admittit Homilia 33. in Ioannem, & lib. 2. de Sacerdotio, sed in illis & in aliis locis tantum intendere exhortari fideles ad examen quotidianum conscientie, & ad confessionem quotidianam peccatorum coram Deo, seu ad contritionem eorum, ut ab eis statim liberentur; & ut ad hanc facilius moueat, eam ostendit suauem & facilem, dicendo soli Deo esse faciendam, & ab ea re-

mouet difficultatem, quæ in confessione Sacramentali Sacerdoti facta solet inueniri, nempe verecundie & confusionis, & exprobrationis, quæ pœnitens aliquando à Confessario exprobratur.

## DIFFICULTAS II.

*Pro quo tempore obliget præceptum diuinum confessionis mortalium.*

Supponimus, præceptum, seu Ius diuinum confessionis (quod tantum est confessionis mortalium) semper obligare quasi in actu primo, aut, quod idem est, semper habere vim obligandi pro suo tempore (quod generale est omnibus præceptis etiam affirmatiuis) & non semper obligare quasi in actu secundo, aut, quod idem est, non obligare pro semper.

Hoc ergo supposito, difficultas est, Pro quo tempore præceptum diuinum confessionis obliget, seu quando obliget quasi in actu secundo.

Circa quam conueniunt Primò communiter Doctores contra Guillelmum Parisiensem, dictum præceptum non obligare pro statim ac commissum est mortale (quamuis aliàs peccator non iustificetur media contritione) quia tantæ obligationis nullum est idoneum fundamentum: & non solum non obligare sæculares, sed nec Religiosos, quidquid de Religiosis dicat Bonauertura; quia isti ratione sui status tantum obligantur peculiariter suis votis, & peculiaribus præceptis suæ Religionis.

Conueniunt Secundò, dictum præceptum obligare pro articulo physico mortis, & pro tempore periculi mortis, quod moraliter est articulus mortis, quia articulus mortis, siue physicus siue moralis, utpote articulus extremæ necessitatis, est accommodatissimus, ut pro eo fuerit latum; aliàs si pro eo non obligaret, nullus teneretur hoc præcepto, ut etiam constabit ex dicendis.

Est tamen difficultas, An dictum præceptum obliget quasi in actu secundo etiam extra articulum mortis, tam physicum quam morale.

Scotus in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. & Gabriel Scotus. quæst. 1. art. 3. docent non obligare nisi in articulo mortis, quia maioris obligationis nullum est idoneum fundamentum.

Vasquez verò quæst. 90. art. 1. dub. 4. Suarez Vasquez. disp. 35. sect. 3. Ægidius disp. 5. dub. 2. & communiter Doctores, docent, & optimè, præceptum diuinum confessionis etiam obligare extra articulum mortis. Quod efficaciter deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. dum ait: *Nec enim per Concilium Lateranense Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod Iure diuino institutum & necessarium esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* Vbi Tridentinum supponit, statutum, seu præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis esse modificationem præcepti diuini; sed nequit esse modificatio illius præcisè quoad articulum mortis, ob tria, Primò, quia præceptum diuinum quoad hoc tempus est determinatum à Deo. Secundò, quia præceptum Ecclesiasticum est annuæ confessionis, quod nequit esse modificatio quoad articulum mortis. Tertio, quia aliàs, qui in anno semel confessus esset, non teneretur intra eundem annum iterum confiteri in articulo mortis; ergo

Trident.

Vasquez.  
Ægidius.

Vasquez.

Trident.

Suarez.  
Ægidius.



præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis est modificatio diuini quoad tempus extra articulum mortis.

Ita tamen Christus præcepit confessionem fieri etiam extra articulum mortis, vt nullum determinauerit tempus pro obligatione illius, vt deducitur ex dictis verbis Tridentini, quia in eis supponitur, præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis, esse determinationem præcepti Christi quoad extra articulum mortis; ac proinde præceptum diuinum confessionis non est determinatum quoad extra hunc articulum, quamuis fuerit determinatum quoad ipsum articulum.

Ex dictis deducitur, præceptum confessionis ita latum fuisse à Christo pro extra articulum mortis, vt, prout ab ipso latum pro eo tempore, non obliget semel confiteri à tempore vsus rationis, vsque ad articulum mortis exclusiuè; aliàs Christus determinasset tempus extra articulum mortis, nempe tempus ab vsu rationis vsque ad dictum articulum exclusiuè. Christus ergo ita tulit præceptum confessionis pro tempore extra articulum mortis, vt nullum determinauerit tempus, sed huius determinationem commisit & reliquit arbitrio Ecclesiæ; ac proinde si Ecclesia nullum tempus determinasset, nemo extra articulum mortis præcepto diuino confessionis teneretur, quia absque determinatione facta ab Ecclesia maneret vagum, & quasi suspensum, expectans temporis determinationem, vt esset perfectum; & sufficienter potens ad obligandum, quia nullius particularis personæ iudicio determinari posset, quia nullius particularis iudicio id commisit Christus, sed tantum iudicio Ecclesiæ, nempe Pontificis, aut Concilij ab ipso approbati.

*Medina.*

Id ergo quod Medina Cod. de Confessione quæst. 14. §. 2. docet, nempe præceptum diuinum confessionis extra articulum mortis obligare, quoties est periculum obliuionis alicuius peccati mortalis, vt possit fieri integra confessio mortaliū, dicitur absque idoneo fundamento, quia non est obligatio confitendi omnia mortalia quæ re ipsa commissa sunt, sed tantum ea quæ post prudentem diligentiam memoriæ occurrunt, & oppositum est nimis durum; imò est contra rationem, quia sæpè pro spatio anni integri est periculum obliuionis alicuius mortalis, ac proinde esset obligatio confitendi ante annum, quod immeritò admittit Medina contra praxim, & communem sensum fidelium.

Christus ergo præcepit fieri confessionem, non solum determinatè in articulo mortis, sed etiam extra articulum mortis indeterminatè, non determinando quando, nec quoties, sed id reliquit determinationi Ecclesiæ, quæ dictum præceptum Christi quoad hanc partem, qua præcipitur fieri confessionem extra articulum mortis, determinauit fieri ad minus semel in anno; ita tamen, vt contenta sit, quod attinet ad determinationem ab ipsa factam, confessione facta in articulo mortis pro eo anno, in quo contingit articulus mortis: & quia præceptum diuinum, latum pro tempore extra articulum mortis, non extinguitur transacto eo tempore quod est ante articulum mortis, sed etiam perseverat in articulo mortis, imò & post articulum mortis, si fortè mors non sequatur; quia latum fuit à Christo, ne contingat nimium differri confessionem, idèò præceptum Ecclesiæ annuæ

confessionis, quod est determinatum quoad tempus dicti præcepti Christi, lati pro tempore extra articulum mortis, etiam obligat pro articulo mortis, si articulus mortis etiam sit finis anni, & antea in eo anno non sit facta confessio, ac proinde qui tunc in eo articulo mortis, & in eo fine anni non confitetur, incurrit pœnas latas ab Ecclesia pro transgredientibus præceptum annuæ confessionis. Vnde particula *extra*, quando dicimus præcepti Christi lati pro tempore extra articulum mortis, non est exclusiua articuli mortis, sed additiua supra articulum mortis temporis indeterminati, determinandi ab Ecclesia, siue in eo etiam per accidens contingat articulus mortis, siue non, ita vt sensus sit: Baptizati teneantur confiteri in articulo mortis, & etiam in quocumque tempore quod fuerit ab Ecclesia præscriptum.

### DIFFICULTAS III.

*Qui teneantur præcepto diuino confessionis.*

Supponimus, præcepto diuino confessionis teneri omnes baptizatos, etiam impuberes, & Romanum Pontificem, habentes peccatum mortale commissum post Baptismum, in quo Doctores conueniunt, etiam Sotus, in 4. d. 18. q. 1. art. 3. *Sotus.* ad finem, etiam si d. 12. q. 1. art. 1. 1. ad finem oppositum significet quoad pueros ante duodecimum annum.

Est tamen difficultas, An eo præcepto teneantur non baptizati, ac proinde teneantur baptizari, non tantum ex vi præcepti Baptismi, sed etiam ex vi præcepti diuini confessionis, vt possint validè & licitè confiteri Sacramentaliter.

Richardus in 4. d. 17. art. 2. q. 4. Siluester v. *Richardus.* *Siluest.* *Angelus.* *Confessio* 2. q. 5. & Angelus eod. verbo n. 2. partem affirmatiuam tuentur, quia Christus, utpote homo-Deus, potestatem habuit obligandi etiam non baptizatos, & non constat eos exclusisse à suo præcepto; ergo eo tenentur etiam non baptizati.

Maior verò d. 17. q. 1. Almainus q. 1. art. 2. *Maior.* *Almain.* *Suarez.* *Vasquez.* *Trident.* Suarez disp. 35. sect. 2. & Vasquez q. 90. art. 2. dub. 1. docent, & meritò, non baptizatos non teneri præcepto diuino confessionis, quod supponitur in Tridentino sess. 14. c. 2. & 5. dum dicitur confessio- nem esse necessariam lapsis in mortale post Baptismum. Et ratione probatur, quia præceptum diuinum confessionis nõ obligat absolutè, sed tantum ex suppositione, quòd quis habeat peccatum mortale post Baptismum commissum, quia sola peccata mortalia post Baptismum commissa, ex institutione Christi, facta sunt materia confessionis, in quo hoc præceptum differt à præcepto diuino communionis, quia istud absolutè fertur pro omnibus, Ioan. 6. illis verbis: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. & non tantum ex suppositione Baptismi, quia Christus prædictis verbis loquebatur omnibus, etiam non baptizatis. Vnde non baptizati non tantum ex vi præcepti Baptismi, sed etiam ex vi præcepti communionis baptizari tenentur, quamuis ex vi huius posterioris solum, vt fiant habiles ad validam & licitam communionem.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quauis Christus potuerit suis præceptis non baptizatos obligare, noluit tamen eos suo præcepto confessionis, eo ipso quòd sola peccata post Baptismum commissa fecit materiam aptam confessioni.

DIFFI-



## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum confessio semel instituta à Christo posset ab Ecclesia præcipi, si relicta fuisset arbitrio fidelium, & non præcepta à Christo modo supradicto.*

Durand.  
Paludan.  
Sotus.  
Canus.  
Nauarrus.

**D**Vrandus in 4. dist. 17. quæst. 8. Paludanus quæst. 2. art. 2. Sotus dist. 18. quæst. 1. art. 1. Canus Relect. de Pœnitentia p. 5. & Nauarrus de Pœnitentia dist. 5. num. 18. partem negatiuam tuentur, quia Ecclesia non habet potestatem instituendi Sacramenta; ergo nequit instituere, confessionem Sacramentalem esse necessariam sub præcepto.

Medina.  
Vasquez.  
Suarez.  
Filliucius.  
Trident.

Medina verò Cod. de Confessione quæst. 2. de Obligatione confitendi, Vasquez quæst. 90. art. 1. dub. 4. Suarez disp. 35. sect. 1. & Filliucius tract. 7. cap. 2. quæst. 2. partem affirmatiuam meritò tradunt, quam indicat Tridentinum sess. 21. cap. 1. dum ait, Ecclesiam circa Sacramentorum vltim posse statuere ea quæ saluti fidelium congruunt. Et ratione probatur, quia supposita institutione confessionis in Sacramentum, confessio est maximè conueniens Reipublicæ Christianæ, & suo fructu, & sua maxima vtilitate fit aliquo modo suaui & tolerabilis; ergo potuit ab Ecclesia præcipi: quia si non potuisset, maximè ob nimiam asperitatem & difficultatem, quæ esset in confessione.

Obseruandum est, quòd quamuis Ecclesia potestate generali purè humana superioris purè humani, non possit peccatori directè præcipere confessionem peccatorum omnino interiorum, de facto tamen pœnitens tenetur omnia peccata mortalia etiam purè interna confiteri, & eorum dolorem habere, & non solum ex vi præcepti diuini obligantis ad integram confessionem mortalium, & ad dolorem eorum, sed etiam ex vi præcepti Ecclesiastici annuæ confessionis, non solum vt est diuinum quoad substantiam tantum, & non quoad determinationem temporis, sed etiam vt est Ecclesiasticum (quod est confessionis quoad substantiam non nudè sumptam, sed quoad eam & quoad determinationem temporis simul) quia factum est non potestate generali humana condendi leges, sed ex speciali commissione Christi, qui Ecclesiæ commisit potestatem præcipiendi confessionem, determinando tempus ab ipso non determinatum extra articulum mortis. Nihilominus Ecclesia non potest punire transgressionem confessionis peccatorum omnino interiorum, nec nullitatem confessionis mortalium prouenientem ex defectu confessionis mortalium omnino interiorum, nec prouenientem ex defectu doloris, quia supradicta commissio non fuit ad puniendum.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, Ecclesiam non posse instituere Sacramenta; negamus tamen, non posse eorum semel institutorum vsum præcipere, quia instituere est distinctum & altius, quàm præcipere vsum eius quod iam institutum supponitur.

## DIFFICULTAS V.

*Quomodo confessio Sacramentalis sit sub præcepto Ecclesiastico.*

**S**upponimus (in quo Doctores etiam Durando conueniunt) Ecclesiam in Concilio Lateranensi II. approbato ab Innocentio III. c. 21. confessionem Sacramentalem his verbis præcipere: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Quod etiam habetur in tit. de Pœnitentiis, & remissionibus, capitulo 12.

Hoc ergo supposito, Adrianus in 4. q. 1. de confessione docet, dictum præceptum annuæ confessionis esse purè humanum quoad substantiam & quoad tempus, & non modificatiuum diuini, quia existimat diuinum tantum obligare pro articulo mortis, tam physico quàm morali.

Sotus verò in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. Vasquez q. 90. art. 1. dub. 4. & communiter Doctores docent, & optimè, præceptum annuæ confessionis non esse purè humanum, sed includere aut supponere præceptum diuinum confessionis quoad substantiam, quo præcipitur confessio vagè quoad tempus extra articulum mortis, & superaddere modificationem quoad tempus, quam Christus prætermisit. Quod clarè significat Tridentinum sess. 14. c. 5. *Trident.* dum ait: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod Iure diuino necessarium & institutum esse intellexerat, sed vt præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur.*

Quod etiam ratione, desumpta ex dictis Diff. II. probatur, quia præceptum diuinum confessionis traditur non tantum pro articulo mortis, sed etiam pro tempore extra eum articulum vago & indeterminato; ergo præceptum Ecclesiasticum confessionis, traditum ab Ecclesia in dicto Concilio Lateranensi, non est omnino & purè humanum, sed determinatiuum diuini, lati à Christo pro tempore extra articulum mortis vago & indeterminato.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum Pontifex dispensare possit in præcepto confessionis.*

**D**ispensatio legis in eo differt ab abrogatione, quòd dispensatio legis est ablatio seu relaxatio legis cum aliquo particulari, lege ipsa in sua vi circa reliquos perseuerante; abrogatio verò legis, est ablatio seu relaxatio illius in totum, ita vt, facta abrogatione legis, nullus ea lege amplius teneatur.

Conueniunt ergo Primò Doctores, Pontificem non posse dispensare in præcepto diuino confessionis, & multò minùs illud abrogare; quia præcepta & iura superiorum nequeunt ab inferioribus auferri, nec in totum (vt fit abrogatione) nec in partem (vt fit dispensatione) absque peculiari commissione, quam non agnoscimus in Pontifice ad auferendum præceptum diuinum confessionis: dispensat autem Pontifex in voto, quod obligat



Iure naturali, virtutis religionis, seu fidelitatis factæ, non auferendo directè obligationem dictæ virtutis, sed indirectè, cedendo nomine Dei, & tamquam eius Vicarius, verbo promissionis Deo collato, & quasi iuri, quod Deus acquisiuit ex dicto verbo acceptato.

Conueniunt Secundò Doctores, Pontificem posse in præcepto annuæ confessionis dispensare, imò & illud abrogare, ita vt non maneat obligatio confitendi determinatè in quolibet anno, quia præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis, est purè Ecclesiasticum quoad temporis determinationem ad singulos annos, quod potest Pontifex in partem seu cum aliquo, aut in totum seu cum omnibus, auferre, & non solum validè, vt patet, sed etiam licitè, si causa rationabilis subsistat, quæ non difficilè reperietur respectu alicuius particularis personæ.

Ita tamen Pontifex annuam obligationem confessionis potest in partem & in totum auferre, vt semper sit valdè expediens tempus aliquod pro præcepto diuino confessionis lato pro tempore extra articulum mortis determinare, attentis circumstantiis temporum & personarum: imò id potuit esse Pontifici sub obligatione, si confessio fuisset parum in vsu, & ob id mores essent valdè perdit.

Obseruandum est, Pontificem, qui etiam tenetur præcepto annuæ confessionis, etiam vt Ecclesiastico, vt dicemus Diffic. IX. posse causa rationabili subsistente secum licitè, & etiam absque causa, validè in eo dispensare non minùs quam cum aliis, non verò in diuino, sicut nec cum aliis.

#### DIFFICULTAS VII.

*Vtrum ex vi præcepti annuæ confessionis teneamur confiteri venialia, quando non sunt mortalia.*

Conueniunt Doctores, ex vi præcepti purè diuini, nullum teneri confiteri venialia, quamuis non habeat mortalia: & eum qui habet mortalia, non teneri ex vi præcepti annuæ confessionis confiteri venialia; quia huic, vt confiteatur Sacramentaliter, quo satisfacit præcepto annuæ confessionis, non est necessaria confessio venialium; & ob eandem rationem, eum qui tantum habet venialia, non teneri ex vi præcepti annuæ confessionis omnia illa confiteri, quia scilicet huic, vt confiteatur Sacramentaliter, non est necessaria confessio omnium venialium, quia sufficit aliquorum, aut alicuius.

Est ergo difficultas, An ille, qui tantum habet venialia, teneatur ex præcepto annuæ confessionis aliqua venialia confiteri.

Alexand.  
Bonauent.  
Richard.

Alexander 4. p. q. 18. memb. 4. art. 2. Bonauentura in 4. d. 17. parte 2. art. 2. quæst. 1. & Richardus art. 2. quæst. 4. partem affirmatiuam tumentur, quia ex vna parte Ecclesia potest præcipere confessionem venialium, vtpote exteriorem & honestam, & ad quam quis potest se ex voto obligare; & ex altera parte in c. *Omnis vtriusque sexus* 12. de Pœnitentiis & remissionibus, præcipitur semel in anno confessio Sacramentalis; ergo quando sunt peccata venialia, quamuis non sint mortalia, debet ex vi dicti præcepti fieri confessio, quia tunc est materia sufficiens, vt possit fieri confessio, & dicto præcepto satisfieri.

S. Thomas verò in 4. d. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. Scotus q. 1. Suarez disp. 36. sect. 2. Valquez q. 90. art. 2. dub. 2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Ecclesia præcepto annuæ confessionis tantum præcipit semel in anno fieri id, quod Christus præcepit fieri extra articulum mortis, non determinando tempus, vt diximus Diffic. v. Christus autem nullo modo præcepit confessionem venialium, sed tantum mortalium; ergo ex vi dicti præcepti nullus tenetur ad confessionem venialium, adhuc quando non habet mortalia.

Nullus ergo fidelis, carens peccato mortali, tenetur ad confitendum ex vi præcepti confessionis, nec puri diuini, nec Ecclesiastici annuæ confessionis: imò nec ad comparandum coram suo Parocho, nisi fortè aliquando per accidens ad sedandum scandalum, quando fortè ortum sit ex eo quòd quis non confiteatur.

Ad rationem ergo pro aduersariis concedimus, Ecclesiam posse præcipere confessionem venialium, vt dicemus Diffic. sequenti; negamus tamen de facto fuisse præcepta præcepto annuæ confessionis.

#### DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum ex vi alicuius præcepti Ecclesiastici sit aliquando obligatio confitendi venialia, quando tantum sunt venialia.*

Difficultas hæc occasionata est ex Clementina, *Ne in agro Dominico*, de Statu Monachorum; vbi præcipitur Monachis nigris, id est Benedictinis, vt singulis mensibus confiteantur: quia ergo regulariter contingit eos non habere nisi venialia, orta est difficultas, an Ecclesia præcipere possit confessionem venialium, & an dicti Monachi, quando tantum habent venialia, teneantur ex vi dictæ Clementinæ ad eorum (quamuis non omnium) confessionem.

Paludanus in 4. d. 17. q. 2. art. 4. Scotus d. 18. q. 1. art. 3. & Glossa dictæ Clementinæ, partem negatiuam tumentur, quia Ecclesia immutare nequit materiam & formas Sacramentorum, & eas aliter, quam à Christo instituta sunt, constituere: Christus autem reliquit peccata venialia materiam liberam confessionis; ergo Ecclesia nequit illa efficere materiam necessariam, & sub obligatione.

Canus verò Relect. de Pœnitentia p. 5. Nauarrus in cap. *Placuit*, de Pœnitentia d. 6. num. 22. Suarez disp. 36. sect. 5. Valquez quæst. 90. art. 2. dub. 3. & Laymannus Tract. 6. cap. 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò. Et in primis quòd confessio venialium possit ab Ecclesia præcipi, probatur: quia ex vna parte eorum confessio est actus exterior, & honestus, & valdè utilis profectui spirituali, & non est admodum difficilis; & ex altera parte præcipere confessionem illorum, non est mutare materiam Sacramenti Pœnitentiæ, aliam instituendo, sed tantum est præcipere materiam ipsam, quam Christus liberam & absque præcepto reliquit, non est ergo cur non possit ab Ecclesia præcipi. Quòd verò etiam de facto in dicta Clementina præcipiatur, quando non sunt mortalia, probatur; quia præceptum dictæ Clementinæ latum est pro reformatione status Religiosi, vt per confessionem singulis mensibus Monachi perfectius & cautiùs viuunt, quia ad hoc maximè conducit confes-

S. Thomas.  
Scotus.  
Suarez.  
Valquez.

Paludanus.  
Scotus.  
Glossa.

Canus.  
Nauarrus.  
Suarez.  
Valquez.  
Layman.



confessio, quamvis tantum venialium; ergo in ea Clementina præcipitur confessio, quamvis non sint mortalia. Quod confirmatur primò ex eo, quòd in dicta Clementina non præcipitur confessio omnium peccatorum (vt præcipitur in cap. *Omnis utriusque sexus*) quod propriè habet locum in venialibus, quia ex his sufficit aliqua confiteri, vt confessio sit capax absolutionis. Et confirmatur secundò ex eo, quòd dictum præceptum tantum imponitur Religiosis, qui regulariter tantum habent venialia.

Vnde præceptum dictæ Clementinæ non est determinatum præcepti diuini lati à Christo pro tempore extra articulum mortis (vt est præceptum annuæ confessionis) sed est purè Ecclesiasticum; ac proinde per illud nullo modo præcipitur confessio peccati purè interioris, nec præcipitur directè dolor, sed tantum indirectè, quatenus necessarium est, vt absolutio, quæ præcipitur recipi, non fiat irrita.

Ita tamen in ea Clementina præcipitur dictis Monachis menstrua confessio, vt quando sunt mortalia, non teneantur confiteri venialia; & quando tantum sunt venialia, non teneantur confiteri omnia illa, sed sufficiat vnum aut alterum, quia in ea Clementina tantum præcipitur, quòd fiat confessio Sacramentalis, quæ sufficienter fit vtrius modo dicto.

Addimus, dictum præceptum obligare sub mortali, non solum quando sunt mortalia, vt patet, sed etiam quando tantum sunt venialia, vt contra Canum aduertit Vasquez: quia quamvis tunc materia remota confessionis sit leuis (vt pote peccatum veniale) ipsa tamen confessio peccati venialis, quæ est materia proxima dicti præcepti, est gravis, non minus, imò magis quam auditio Missæ, quia est confessio Sacramentalis, per quam confertur augmentum gratiæ, & quæ valdè conducit ad vitæ reformationem.

## DIFFICULTAS IX.

*Qui baptizati teneantur præcepto annuæ confessionis.*

Conueniunt primò Doctores, Pontificem teneri præcepto annuæ confessionis, non tamquam præcepto, & ratione obedientiæ, cum non sit inferior Concilio, à quo approbatione Innocentij III. latum fuit, sed ratione conformitatis cum reliquis fidelibus: quia rationi dissonum est, caput non conformari cum reliquis membris; sed non ligari pœnis impositis transgressoribus illius, quia istæ annexæ sunt violationi illius, vt præceptum est.

Conueniunt secundò, omnes adultos, & puberes habentes conscientiam peccati mortalis, teneri & ligari præcepto annuæ confessionis, ob rationem quam statim adducemus.

Est tamen difficultas, An pueri & impuberes hoc præcepto teneantur.

Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 11. ad finem, docet, pueros ante duodecim annos dicto præcepto non teneri: & dist. 18. q. 1. art. 3. ad finem docet, pueros in quavis ætate, conscios peccati mortalis, eo præcepto teneri: subdit tamen, pueros post septimum annum posse peccare mortaliter, Ecclesiam tamen nolle eos ante duodecimum vel decimum

quartum annum cogere suis præceptis & censuris, sed eos relinquere iuri diuino.

Reliqui tamen Doctores conueniunt, pueros & impuberes omnes in quavis ætate, conscios peccati mortalis post Baptismum commissi, teneri præcepto annuæ confessionis, quod satis significatur in dicto capitulo, *Omnis utriusque sexus*, illis verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur.* Et ratione constat, quia præcepto annuæ confessionis tenentur omnes, pro quibus latum est præceptum diuinum pro tempore extra articulum mortis, quia est modificatiuum illius quoad tempus, & nihil supra illud addit, nisi temporis determinationem: sed dictum præceptum diuinum latum est pro omnibus habentibus peccatum mortale commissum post Baptismum, nemine excepto; ergo.

Vnde pro obligatione præcepti annuæ confessionis, non est considerandum tempus pubertatis, quod in masculis est quatuordecim annorum, & duodecim in feminis, sed tempus perfecti vsus rationis seu discretionis sufficientis ad peccandum mortaliter, qui in aliis tardius & in aliis citius contingit.

Addimus contra Cordubam in Summa q. 6. & contra Ochagauiam Tract. 2. quæst. 7. etiam impuberes non implentes præceptum annuæ confessionis, incurrere pœnas impositas non implentibus illud, quia nullo iure eximuntur à pœnis, ac proinde posse puniri priuatione Ecclesiasticæ sepulture, & ingressus Ecclesiæ, assignata in capitulo *Omnis utriusque sexus*, & incurrere excommunicationem maiorem, quæ in aliquibus diocesisbus ipso facto imponitur, de quo non nihil diximus Tract. de Censuris in communi, Diffic. v. 11.

## DIFFICULTAS X.

*Qua ratione debeat computari annus pro impletione præcepti annuæ confessionis.*

Sotus in 4. d. 18. quæst. 1. art. 4. docet, annum pro impletione præcepti annuæ confessionis computandum esse à tempore confessionis factæ in tempus quo completur annus, ita vt post ultimam confessionem nequeat quis sequentem confessionem differre ultra duodecim menses. Hic tamen modus computandi annum communiter displicet, & meritò, quia in cap. *Omnis utriusque sexus*, in quo traditur hoc præceptum, non dicitur, quòd fidelis teneatur duodecimo quoque mense, seu intra annum à tempore confessionis factæ, sed quòd confiteatur semel in anno: his autem verbis denotatur annus qui fixis terminis incipit & finitur, & his verbis satisfit, confitendo semel à Ianuario in Ianuarium, vel ab vno Paschate Resurrectionis in alterum, iuxta varias opiniones de computatione anni, quamvis ab vna confessione in alteram plures quam duodecim menses intercedant.

Suarez disp. 36. sect. 3. Ægidius disp. 5. dub. 6. Reginaldus lib. 6. num. 37. Filliucius tract. 7. c. 3. & Laymannus tract. 6. cap. 5. docent, annum pro impletione dicti præcepti computandum esse à Quadragesima in Quadragesimam, aut à Paschate in Pascha (sumptis Quadragesima & Paschate, pro quindecim diebus à Dominica Palmarum



vsque ad Dominicam in Albis, pro quibus est obligatio communicandi) quia ita communiter à fidelibus computatur annus pro impletione præcepti: & etiam ab Episcopis, qui excommunicant eos, qui Paschate finito non sunt confessi.

Vasquez.  
Ochagau.

Vasquez verò quæst. 90. art. 2. dub. 1. Ochagauia tract. 2. quæst. 9. docent, annum pro impletione dicti præcepti computandum esse à Ianuario in Ianuarium, & meritò; quia ex vna parte annus absolute dictus (vt absolute dicitur in cap. *Omnis vtriusque sexus*, in quo præceptum annuæ confessionis traditur) sic communiter & ordinariè computatur: & ex altera parte nullum est sufficiens fundamentum, vt pro impletione dicti præcepti ad aliam extraordinariam computationem anni recurramus.

Quod verò aduersarij, dicunt fideles communiter pro impletione præcepti annuæ confessionis annum à Paschate in Pascha computare, falsum est; quamuis verum sit, non paucos decipi, existimantes dictum præceptum pro Paschate obligare: nec Episcopi excommunicant eos, qui finito Paschate non sunt confessi, sed eos qui eo finito non communicarunt: aut si fortè aliqui Episcopi etiam excommunicant eos, qui Paschate finito non sunt confessi, quasi non impleuerint præceptum annuæ confessionis, verè decipiuntur, sicut etiam credimus nostros aduersarios decipi.

#### DIFFICULTAS XI.

*Pro quo tempore anni obliget præceptum annuæ confessionis per se, & ratione ipsius confessionis.*

Conueniunt Doctores, præceptum annuæ confessionis per se & ratione sui obligare ad confitendum, quamuis non sit recipienda Eucharistia, vt constat ex cap. *Omnis vtriusque sexus*; aliàs puer, qui nondum tenetur præcepto communionis, non peccaret non confitendo: & obligare ad confitendum saltem semel in anno, vt constat ex eodem cap.

Est tamen difficultas, Pro quo tempore anni obliget.

Petrus Sor.  
Medina.

Petrus Sotus lect. 5. de Confessione, & Medina Cod. de Confessione quæst. 18. de Confessione semel in anno, docent, præceptum annuæ confessionis obligare pro Quadragesima sumpta pro illis supradictis quindecim diebus, quibus fauet Sixtus IV. in Extrau. *Vices*, de Tregua & pace, dum ait, parochianos teneri confiteri suis Parochis saltem in Paschate. Et ratione probatur, quia sic à fidelibus tamquam necessarium obseruatur ex consuetudine approbata à Tridentino sess. 14. c. 5. & confirmata constitutionibus plurium diæcesum; ergo dictum præceptum obligat pro eis diebus vt consuetudo declarat, aut saltem pro tunc obligat ex hac consuetudine.

Sotus.  
Victoria.  
Suarez.  
Vasquez.

Dominicus tamen Sotus in 4. d. 18. q. 1. art. 4. Victoria in Summa, num. 137. Suarez disp. 36. sect. 3. Vasquez quæst. 90. art. 3. dub. 1. & communiter Doctores docent, & optimè, præcepto annuæ confessionis satisfieri, confessione facta in qualibet parte anni. Quod satis indicat Tridentinum sess. 14. c. 5. dum, postquam dixit, ex decreto Concilij Lateranensis nos teneri saltem semel in anno confiteri, & esse morem in Ecclesia confitendi in

Quadragesima, postea subdit, quem morem hæc sancta Synodus maxime probat ac amplectitur, tamquam piæ & merito retinendum. Quibus verbis satis indicat, hunc morem non esse sub præcepto.

Et ratione constat, quia præceptum annuæ confessionis nec in dicto cap. *Omnis vtriusque sexus*, vbi traditur, limitatur ad aliquam partem anni (etiam si præceptum communionis, quod etiam ibi traditur, limitetur ad Pascha) nec ex consuetudine fidelium, quia consuetudo confitendi in Quadragesima (quamuis non determinatè in dictis quindecim diebus) quæ à maiori parte populi tamquam necessaria obseruatur, non est confitendi ratione ipsius confessionis (cuius tantum vt sic est præceptum annuæ confessionis) sed ratione susceptionis Eucharistiæ, quæ pro Paschate est sub præcepto, quamuis inde imperitum vulgus deceptum sit, vt existimet etiam illis, qui non communicant, inesse obligationem confitendi in Quadragesima (quamuis non determinatè in illis quindecim diebus) & ob id etiam hi pauci regulariter in Quadragesima quasi pro tunc obligati confitentur; quo nequit consuetudo, habens vim legis, introduci, quia à paucissimis obseruatur (ex quo constat ad rationem pro aduersariis) ergo præceptum confessionis per se & ratione sui non obligat pro Quadragesima.

Sixtus ergo IV. in dicta Extrauagante tantum intendit, confessionem non posse fieri nisi proprio Parocho: quia tamen confessio debet semel in anno fieri saltem in Paschate ratione Communionis, idè obiter addidit, saltem in Paschate, non quia non satisfaciatur confitendo in qualibet alia parte anni. Quod verò ad constitutiones aliorum diæcesum atinet, Suarez & Vasquez aduersant, & benè, illis non posse tempus pro impletione præcepti confessionis & Communionis determinari, præsertim postquam vniuersalis Ecclesia illud determinauit; nec id illis intenditur, sed tantum quod impleatur præceptum Communionis, quod pro Paschate obligat, & quod pro digna Communionem fiat pro tunc confessio, qua etiam satisficit præcepto annuæ confessionis: & in eis solent apponi transgressoribus pœnæ, quas non incurunt adhuc illi, qui tantum tenentur præcepto confessionis (& non Communionis) quamuis non confiteantur in Paschate, quia ex eo non sunt transgressores dictorum præceptorum.

Suarez.  
Vasquez.

Ex dictis deducitur, eum, qui in principio anni confitetur mortalia, & etiam in fine sequentis, satisfacere pro illis duobus annis, ac proinde, iuxta nostram sententiam, quoad computationem anni, eum, qui in Ianuario anni præcedentis, & in Decembri sequentis mortalia confitetur, satisfacere præcepto annuæ confessionis pro illis duobus annis, quia iste confitetur semel in quolibet eo anno. Addidimus, eum, qui confitetur mortalia; quia qui tantum confitetur venialia, non satisficit præcepto annuæ confessionis (in que fallitur Ochagauia) quia eo tantum præcipitur confessio mortali; ac proinde si anno illo post confessionem tantum venialium committat mortale, tenetur intra eundem annum illud confiteri: si verò post confessionem mortali in eodem anno committat aliquod mortale, aut recordetur peccati mortalis, quod ob obliuionem naturalem non fuit confessus, non tenetur intra eundem illud de nouo commissum, nec illud, cuius recordatus est, confi-



confiteri, quia iam semel confessus est omnia mortalia quorum tempore confessionis habuit conscientiam, quo impleuit præceptum annuæ confessionis; quia præceptum hoc non est confitendi omnia peccata mortalia, quæ quis committit in anno, vna aut pluribus confessionibus, sed tantum est confitendi semel omnia mortalia quorum quis habet conscientiam tempore confessionis. Ille tamen tenetur anno sequenti confiteri illud mortale de nouo commissum aut naturaliter oblitum, & confessione siue de nouo commissi, siue naturaliter obliti, facta in anno sequenti, satisfacit præcepto anni sequentis, quamuis post eam confessionem de nouo committat intra eundem annum sequentem aliud peccatum mortale, iuxta ea quæ dicemus Difficultate sequenti.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum qui in toto anno non confitetur, teneatur in principio sequentis confiteri absque dilatione.*

Antonius.  
Siluester.  
Tabiena.

**A**ntoninus 3. parte, tit. 9. c. 9. Siluester v. *Eucharistia* 3. q. 15. dub. 3. & Tabiena v. *Communicare*, num. 10. docent, eum, qui in toto anno non est confessus, non teneri amplius præcepto anni elapsi, sed eo elapso eius obligationem extinguere, ac proinde illum posse differre confessionem vsque in finem anni sequentis. Quod probari potest exemplo aliorum præceptorum, nempe audiendi Missam, ieiunandi, recitandi Horas; quæ præcepta, quia obligant intra determinatum diem, eo elapso obligatio illorum extinguitur, ita vt non obliget pro die sequenti, sed præceptum annuæ confessionis etiam obligat intra determinatum annum fixis terminis clausum, ergo eo determinato anno transacto extinguitur obligatio dicti præcepti.

Sotus.  
Nauarrus.  
Victoria.  
Medina.  
Vasquez.  
Egidius.

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4. Nauarrus cap. 21. num. 45. Victoria num. 147. Medina Cod. de Confessione q. 14. Vasquez q. 90. art. 3. dub. 2. Egidius disp. 5. dub. 8. & communiter Doctores docent, eum, qui in toto anno non confitetur, teneri præcepto illius anni elapsi, & obligationem illius non extinguere adhuc eo elapso, ac proinde non posse differre confessionem, sed semper actualiter peccare quousque confiteatur; & meritò: quia præceptum annuæ confessionis non fuit latum in honorem anni pro quo præcipitur fieri confessio, sed tantum ne confessio nimium differatur; ergo eo anno elapso, non extinguitur obligatio talis præcepti, in quo hoc præceptum distinguitur à præceptis audiendi Missam, ieiunandi, & recitandi Horas, quia hæc imponuntur in honorem illius diei determinati, & ei tantum alligantur, ob quod eo die elapso extinguitur obligatio illorum.

Et ob rationem dictam obligatio præcepti communicandi pro tempore Paschatis, non extinguitur elapso Paschate, sed semper perseverat in eo qui tempore Paschatis non communicauit, vt contra Sotum, Victoriam, & Medinam aduertunt Nauarrus & Vasquez, quia scilicet præceptum Communionis non tantum latum est in honorem Cœnæ Domini, quæ eo tempore celebratur, sed etiam ne nimium differatur Communio.

Ex dictis constat, eum qui anno præcedenti

omisit confessionem peccatorum mortalium, & ob id tenetur à principio anni sequentis ad confessionem illorum, confessione tantum eorum facta eo anno sequenti, non satisfacere præcepto confitendi eo anno sequenti, etiamsi fiat ad finem anni sequentis, quia ea confessio tantum pertinet ad annum antecedentem. Addimus, *confessione tantum eorum*, quia si ea confessione etiam confiteatur aliquod peccatum mortale illius anni sequentis, ea etiam satisfacit præcepto illius anni sequentis, quia tunc illa confessio pertinet ad vtrumque annum, quia confitetur peccata mortalia in vtroque anno commissi, quorum habuit conscientiam quando confessus est, sicut etiam satisfaceret præceptis vtriusque anni, si mortalia, quæ ea vna confessione confitetur, confiteretur duabus confessionibus, vna mortalia anni antecedentis, & altera confessione peccata mortalia anni sequentis iam presentis. Obseruandum tamen est, eum qui in articulo mortis non est confessus, nec communicauit, vel quia noluit, vel quia non potuit, eo articulo elapso non teneri confiteri, neque communicare ex vi præcepti pro articulo mortis, quia hoc prius tantum est latum, nequis decedat ex hac vita absque confessione mortalis, & absque Viatico; elapso autem articulo mortis iam non decedet pro ea occasione absque confessione mortalis, nec decedet absque Viatico.

## DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum præceptum confessionis aliquando obliget pro determinato tempore.*

**C**onueniunt Primò communiter Doctores, eum, qui prudenter timet se non habiturum copiam Confessoris in residuo anni, teneri ex vi præcepti annuæ confessionis statim in principio anni confiteri, ob duplicem titulum, quorum vteruis est sufficiens. Primus est, quia iam adest tempus in quo est obligatio, quia obligatur ad confessionem intra latitudinem anni, ac proinde si non potest in residuo anni, in quo etiam est perseverantia obligatio, tenetur in principio; sicut qui in die Festo non potest audire postremam Missam, tenetur audire priorem. Secundus est, ne nimium differatur confessio, quod proximè & quasi intrinsicè intendit Ecclesia, præcipiendo annuam confessionem. Et ob eundem duos titulos, qui prudenter timet se non habiturum copiam Eucharistiæ in fine Paschatis sumpti pro illis quindecim diebus, tenetur ex vi præcepti annuæ Communionis anticipare Communionem intra ipsum Pascha.

Addimus, peccatorem, qui prudenter timet se non habiturum occasionem confessionis anno sequenti, teneri ex vi præcepti annuæ confessionis, ob dictum posteriorem titulum, confiteri ante annum illum, ne scilicet nimium seu vltra annum sequentem differatur confessio: & ob eundem posteriorem titulum etiam, qui prudenter timet se non habiturum copiam Eucharistiæ intra sequens Pascha, tenetur ante illud communicare, ne scilicet nimium seu vltra Pascha differatur Communio. Nihilominus si hic, qui præuenit Communionem, postea adipiscatur opportunam occasionem communicandi tempore Paschatis, etiam tenetur tunc, quia ad hoc tenetur per se: at qui

Nauarrus.  
Vasquez.



timet se in die Festo sequenti non posse audire Missam, non tenetur die antecedente anticipare auditionem Missæ, quia ad id nullus adest titulus, quia nec die antecedenti est obligatio illa, nec præceptum audiendi Missam latum est ne nimium differatur auditio Missæ, sed tantum in honorem & solemnitatem illius diei determinati.

Conueniunt Secundò Doctores, eum, qui est in articulo mortis, siue physico siue morali, teneri in eo confiteri saltem ex vi præcepti diuini, quia pro eo articulo latum fuit à Christo, vt diximus Diffic. II. Addidimus, *saltem ex vi præcepti diuini*, quia si tempus articuli mortis sit etiam finis anni, in quo nondum confessus sit, tunc etiam tenetur ex vi præcepti annuæ confessionis, vt patet, quia in eo tempore non solum obligatur, quia in eo est articulus mortis, sed etiam quia est ipsum tempus ab Ecclesia determinatum pro impletionem præcepti diuini lati pro tempore extra articulum mortis, vt diximus Diffic. I. non verò si non sit finis anni; quia quamuis tunc ante finem sit obligatio præcepti annuæ confessionis, cui tunc possit satisfacere, & postea forsitan non poterit, quia forsitan morietur, non sufficit, vt tunc ante finem anni teneatur confiteri ex vi dicti præcepti: quia si postea forsitan non est futurus potens, est quia forsitan est moriturus, ac proinde postea non est futura obligatio; obligatio autem anticipandi impletionem præcepti est, quando etiam postea est futura obligatio, & non est futura potestas satisfaciendi illi.

Addimus, eum, qui prudenter timet, se in articulo mortis non habiturum copiam confessoris, nec Eucharistiæ, teneri ex vi præcepti diuini ante dictum articulum confiteri, & communicare, saltem ob titulum similem supradicto titulo posteriori, ne scilicet ex hac vita decedat absque confessione mortalis numquam confessi, & ne decedat absque Viatico; si tamen postea habeat copiam confessionis & communionis, teneri in articulo mortis communicare, & si peccauit mortaliter, teneri confiteri: & etiam teneri ad anticipatè confitendum ex vi præcepti annuæ confessionis, si tempus articuli mortis sit etiam finis anni, & ex vi præcepti annuæ communionis ad anticipatè communicandum, si tempus articuli mortis sit etiam finis Paschatis.

Innoc. III. Occasione tamen obligationis confitendi in articulo mortis, siue physico siue morali, præceptum est Medicis ab Innocentio III. in cap. *Cum infirmis*, de Pœnitentiis & remissionibus, vt cum ad infirmos vocantur, antequam curationem incipiant, eos de confessione facienda moneant. Et quia lex hæc desuetudine abrogata erat, ideò Pius V. motu proprio, qui incipit, *Super gregem*, eam legem renouauit, addendo, ne Medici ultra tertium diem ægrotum visitent, nisi ipsis constet de confessione facta per fidem Confessarij in scriptis datam.

Vasquez. Reginald. Circa quam legem obseruandum est, vt optimè Vasquez quæst. 90. & Reginaldus lib. 6. num. 24. eam legem tantum obligare in morbis periculosis (sed non solum quando adest periculum, sed etiam quando prudenter iudicatur futurum) in quibus si infirmus absque consilio Confessarij differat confessionem ultra tertium diem, non potest Medicus ultra illum diem visitare infirmum, nisi infirmus in proposito non confitendi persistens constituatur in discrimine moriendi ex de-

fectu curationis, quia in hoc casu, ne contra misericordiam fiat (quod Pontifex non intendit) potest, imò & tenetur Medicus infirmum curare. Et quod attinet ad id, quod addit de testimonio confessionis dando in scriptis à Confessario, standum est consuetudini patriæ, secundum quam ferè in omnibus Prouincijs sufficit, quòd id constet Medico per domesticos, aut per ipsum ægrotum, si aliàs credatur fide dignus, aut alià vià; & secundum eam consuetudinem interpretanda est obligatio dictæ legis, & consequenter iuramenti facti de obseruatione illius, quia solum petitur, & fit in confirmationem obligationis dictæ legis.

Conueniunt Tertio Doctores, confessionem obligare determinatè, quando sumenda est Eucharistia ab eo qui est in peccato mortali, vt dicitur in Tridentino sess. 13. cap. 7. obligat tamen tunc confessio non ex vi præcepti annuæ confessionis, sed ex vi præcepti diuini, aut Apostolici, non per se ratione confessionis lati, sed per accidens ratione Eucharistiæ; & ideò qui ad Eucharistiam accedit absque præuia confessione in peccato mortali, vno tantum peccato mortali peccat, & commissionis, & sacrilegij, nempe indignæ & sacrilegæ receptionis Eucharistiæ.

Trident.

Sed quamuis confessio sit sub præcepto ad recipiendam Eucharistiam, non tamen ad recipiendam reliqua Sacramenta, vt contra Adrianum, Paludanum & Marsilium docent Vasquez, Suarez, Reginaldus, & communiter Doctores, quia id nullo fundamento constat pro alijs Sacramentis.

Vasquez. Suarez. Reginald.

Conueniunt Quarto Doctores, confessionem esse sub præcepto Sacerdotibus statim post celebrationem, quando urgente necessitate celebrandi, & deficiente copia Confessarij, celebrant cum conscientia mortalis numquam confessi. Vnde Sacerdos, qui ignarus peccati mortalis accessit ad celebrandum, non tenetur statim post celebrationem confiteri: nec tenetur quando conficius peccati mortalis accessit, si accessit vel non urgente necessitate celebrandi, vel non deficiente Confessario. Est autem hoc præceptum Ecclesiasticum modificatiuum diuini lati pro tempore extra articulum mortis, ac proinde ex vi illius, vt pote diuini quoad substantiam, tenentur Sacerdotes etiam directè ad confessionem mortalium merè intertornorum (ac proinde etiam quamuis non habeant alia mortalia) & etiam ad dolorem illum.

#### DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum per quamcumque confessionem satisfaciamus præcepto affirmatiuo confessionis.*

Conueniunt Primò Doctores, Sacramento Pœnitentiæ valido & essentialiter perfecto, quamuis informi (si informe esse potest) satisfieri præcepto affirmatiuo confessionis tam purè diuino, quam annuæ confessionis, quia vtroque præcepto tantum præcipitur verum Sacramentum recipere, & non præcipitur iustificari, quamuis iustificatio sit finis extrinsecus vtriusque præcepti, quia finis extrinsecus præcepti non cadit sub præcepto. Addidimus, *Sacramento Pœnitentiæ valido, quamuis informi, satisfieri præcepto affirmatiuo confitendi*; quia Sacramento valido informi non satisfit præcepto negatiuo diuino naturali, non indiguit



dignè recipiendi ipsum Sacramentum Pœnitentiæ, quia receptione Sacramenti informis, quod suo effectu priuatur, irrogatur iniuria ipsi Sacramento recepto, & consequenter peccatur peccato mortali commissiois sacrilegij indignæ susceptionis Sacramenti, nisi quis ab eo peccato ignorantia inuincibili excusetur: & hoc est necessarium, vt dictum Sacramentum sit validum, & essentialiter perfectum (& consequenter, vt eo satisfiat supradicto duplici præcepto affirmatiuo confessionis) quia si non excusetur ab eo peccato mortali, confessio non erit integra, quia peccatum illud non explicatur in confessione, nec de illo est dolor.

Conueniunt Secundò Doctores, eum, qui non absoluitur, quia non confitetur integrè formaliter, seu absque culpa, nulli præcepto confessionis satisfacere, nec purè diuino, nec annuæ confessionis, nec diuino naturali negatiuo indignæ susceptionis, si sic confessus absoluat.

Est tamen difficultas, An qui integrè confitetur, sed non absoluitur ob defectum doloris, satisfaciat præcepto affirmatiuo confessionis.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, illum non satisfacere præcepto purè diuino, quia hoc præcepto præcipitur susceptio Sacramenti, & ille non suscipit illud, quia ei deficit dolor essentialiter requisitus ad Sacramentum.

Punctum ergo difficultatis est, An satisfaciat præcepto affirmatiuo annuæ confessionis.

Gabriel in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. dub. 5. Siluester v. Confessor 4. num. 3. & Victoria in Summa num. 16 3. partem affirmatiuam tuentur, quam indicare videtur Alexander Papa in cap. *Quod quidam* 5. de Pœnitentiis & remissionibus, dum ait, recipiendam esse confessionem eorum, qui dicunt se à peccatis abstinere non posse, & tamen illi non sunt absoluendi, vt patet; ergo confessio etiam absque absolutione, ob defectum doloris & propositi, sufficit ad impletionem præcepti annuæ confessionis. Et ratione probatur, quia Ecclesia nequit præcipere actus merè internos; ergo præceptum annuæ confessionis nequit obligare ad receptionem absolutionis, quando ob defectum doloris nequit recipi, sicut nec dolorem ipsum.

Durand. verò in 4. d. 17. quæst. 14. Sotus d. 18. quæst. 3. art. 3. Vasquez q. 92. art. 3. dub. 5. Suarez disp. 36. sect. 3. Ægidius disp. 5. dub. 9. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meriò, quia præcepto annuæ confessionis præcipimur Sacramentum Pœnitentiæ recipere; qui autem non recipit absolutionem, non recipit hoc Sacramentum, quia etiam ex absolutione essentialiter coalescit; ergo qui non recipit absolutionem ob defectum doloris, quamuis aliàs integrè confiteatur, non satisfaciat præcepto annuæ confessionis. Quòd autem præcepto annuæ confessionis præcipiatur receptio Sacramenti, probatur, quia hoc præceptum quoad rem præceptam est diuinum, quamuis quoad tempus sit ab Ecclesia modificatum; præcepto autem diuino receptio huius Sacramenti præcipitur: & ob hanc dictam rationem præcepto annuæ confessionis non satisficit receptione Sacramenti inualidi, quocumque

modo inualidum fiat, siue ob defectum pœnitentis, siue ob defectum confessarij, siue interiores siue exteriores, siue inculpabiles siue culpabiles, quia eo præcepto præcipitur receptio veri Sacramenti.

Vnde quamuis Ecclesia præcepto purè humano, potestate communi & generali legislatrici humane lato, nequeat directè præcipere intentionem recipiendi Sacramentum, nec dolorem, nec confessionem peccati omnino interioris; nihilominus præcepto annuæ confessionis, vt pote non purè humano, sed etiam diuino, integrum Sacramentum, etiam quoad tria dicta præcipitur: imò eo non solum vt diuino, sed etiam vt humano, vt pote lato non potestate generali purè humana, quæ nequit ad purè interiora se extendere, sed peculiari Christi commissione ipsi Ecclesiæ facta, ac proinde non solum qui non absoluitur, sed etiam qui absoluitur, si Sacramentum ob aliquem alium defectum, quamuis omnino interiorem, siue intentionis siue doloris, siue confessionis peccati omnino interioris, sit inualidum, non satisfaciat præcepto annuæ confessionis adhuc vt humano. Nihilominus contra Ægidium existimamus, eum, qui suscipit Sacramentum Pœnitentiæ inualidum ob defectum tantum interiorem, non incurrere pœnas Iuris communis cap. *Omnis viriusque sexus*, nec excommunicationem, quamuis fortè in aliqua diœcesi imposita sit, quia harum pœnarum impositio tantum fit ab Ecclesia ex potestate generali humana, quæ vt sic nequit defectus purè interiores punire, sicut nec de illis iudicare. Eas tamen incurrit (quidquid Vasquez dicat) qui recipit Sacramentum inualidum ex defectu confessionis peccati exterioris, quia iste defectus est exterior non solum formaliter, sed etiam obiectiuè, quia est defectus confessionis exterioris, & peccati exterioris (quamuis ad confessionem illius requiratur actus interior attentionis & examinis) quem Ecclesia potestate generali purè humana punire potest.

In dicto autem cap. *Quod quidam*, tantum dicitur, confessionem illorum recipiendam esse, vt illis monita salutaria dentur, vt constat ex ipso contextu, non verò vt per illam satisfaciatur præcepto, & ita in eo dicitur pœnitentiam illorum non esse veram.

Obseruandum est, peccatorem ab impletione præcepti annuæ confessionis, etiam vt diuini, excusari ob grauem aliquam causam, vt si sit periculum reuelationis confessionis, aut incurrendi graue odium confessarij, aut si sit periculum damni notabilis, aut in vita, aut in honore, aut in fortuna, aut si ad confessionem faciendam necessarium sit longum & laboriosum iter conficere, vt aduertit Ægidius disp. 5. dub. 10. quia præcepta positiua, adhuc diuina, non obligant cum notabili dispendio. In articulo tamen mortis difficilius excusatur peccator à præcepto confessionis, ne fortè ex defectu illius damnetur. Nihilominus si sit periculum grauissimi damni, & aliàs firmiter iudicet se habere, aut habuisse contritionem perfectam peccatorum, excusabitur à præcepto confessionis, quamuis purè diuino.

Gabriel.  
Siluester.  
Victoria.

Alexander  
Papa.

Durand.  
Sotus.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.



## DISPUTATIO VIII.

## De qualitate confessionis.



NON pauci Doctores sedecim conditiones confessionis Sacramentalis assignant, verbis sequentibus contentas:

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,*

*Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda, Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata, Fortis, & accusans, & sit parere parata.*

Ex his dictis conditionibus confessionis Sacramentalis, quædam sunt quæ tantum requiruntur ad maiorem reuerentiam, & quædam ad valorem; quas omnes explicat Antoninus 3. p. tit. 4. c. 19. Reginaldus lib. 6. cap. 3. Ochagauia tract. 2. q. 11. & Bonacina disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. Nos tamen nunc earum explicationem omittimus, quia omnes necessarias ad valorem confessionis in variis Disputationibus explicabimus.

Antoninus.  
Reginald.  
Ochagau.  
Bonacina.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum confessio tantum secreta sit Sacramentalis, seu ad valorem Sacramenti idonea.*

Supponimus, in quo conueniunt Doctores, confessionem secretam & auricularem, id est, factam absque teste & absque interprete, esse Sacramentalem, & idoneam Sacramento Pœnitentiæ, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & ex praxi & vsu Ecclesiæ.

Trident.

Est ergo difficultas, An etiam confessio publica sit Sacramentalis, & idonea Sacramento Pœnitentiæ.

Non desunt qui partem negatiuam tueantur (quam probabilem existimat Richardus in 4. distinct. 17. art. 3. quæst. 8.) quia peccatum publica confessione fit aptum, vt in iudicio externo publicetur & probetur, quod videtur contra institutionem Christi.

Richard.

Vasquez verò quæst. 91. art. 4. dub. 1. Suarez disput. 21. sect. 2. Ægidius disp. 6. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, quam supponit Tridentinum sess. 14. cap. 5. dum sermonem instituens de confessione Sacramentali, ait, Christum non voluisse publicam peccatorum confessionem fieri. Quod etiam constat ex praxi & vsu Ecclesiæ, in qua admittitur confessio per interpretem factam. Vnde potest quis validè & licitè duobus confessariis simul confiteri, quamuis ab vno tantum possit licitè absolui.

Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

Trident.

Ex eo autem, quod peccatum confessione publica fiat aptum, vt in exteriori iudicio probetur, non fit, confessionem publicam ineptam esse Sacramento Pœnitentiæ, nec contra institutionem Christi.

Obseruandum est, confessionem publicam peccatorum non solum esse idoneam Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam vtilem & expedientem, si cessante scandalo & aliis extrinsecis incommodis (vt cessare possunt) fiat ob aliquam rationabilem

causam, vt quando nequit aliter saltem commodè fieri, vel quando fit in ædificationem aliorum, vel in humiliationem ipsius pœnitentis, vt supponitur in Tridentino vbi supra. Et quamuis non fiat ob rationabilem causam, sed quia ita placet pœnitenti, non est contra præceptum aliquod, quia non est contra aliquod diuinum, vt supponitur in Tridentino; nec contra præceptum aliquod naturale, vt patet: nec contra aliquod Ecclesiasticum, quia non est contra aliquod scriptum, vt constat; nec contra aliquod consuetudine introductum, quia non est consuetudo confitendi secretò quasi ex obligatione, qua sola consuetudine introducitur lex & præceptum.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum confessio publica aliquando obliget pœnitentem.*

Conueniunt Doctores, extra articulum mortis neminem teneri ad confitendum publicè, nec medio interprete, quamuis nequeat aliter confiteri, vt supponitur in Tridentino sess. 14. c. 5. Trident. quia nimis onerosum & durum est, extra articulum extremæ necessitatis obligari ad confessionem publicam, quod Ecclesia non præsumpsit factum fuisse à Christo, quamuis potuerit, & ita in Ecclesia id quasi traditione receptum est.

Est tamen difficultas, An in articulo mortis, siue physico siue morali, teneatur pœnitens ad confitendum publicè, quando nequit secretò confiteri.

Silvester v. Confessio 1. q. 15. & Suarez disp. 36. sect. 6. partem affirmatiuam tuentur, quia iactura

Silvester.  
Suarez.

famæ, quæ est in confessione per interpretem, aut aliter publica, non est comparabilis cum iactura salutis æternæ, quæ est, si peccator non confiteatur in articulo mortis; ergo quando non potest secretò, tenetur publicè.

Caietanus v. Confessio, cond. 11. Vasquez q. 91. art. 4. dub. 3. Ægidius disp. 5. dub. 10. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò, quia in articulo mortis confessio publica nullo Iure & præcepto obligat. Non Iure naturali, quia ex natura rei nulla est obligatio confitendi, nec publicè, nec secretò: nec Iure diuino positio

Caietanus.  
Vasquez.  
Ægidius.

Christi, quia Christus non præcepit confessionem publicam, vt dicitur in Tridentino vbi supra; nec Iure aliquo Ecclesiastico, quia si aliquod est etiam pro articulo mortis, tantum est modificatiuum Iuris positui Christi quoad tempus, iure autem Christi non obligat confessio publica, ergo nec Iure aliquo Ecclesiastico.

Obseruandum tamen est, in articulo mortis teneri peccatorem Iure naturali virtutis charitatis erga Deum ad contritionem perfectam, vel ad confessionem, quamuis publicam sub distinctione, ad vnam videlicet vel ad alteram, quia dicto Iure naturali tenetur ad reconciliationem cum Deo, ne ex hac vita decedat in inimicitia cum ipso. Reconciliatio autem cum Deo vtravis potest sufficienter

cienter



cienter obtineri, & non nisi vna vel altera. In casu autem in quo peccator videat se moraliter impotentem ad contritionem perfectam, ac proinde non nisi confessione satisfactorum sit dicto Iuri naturali charitatis erga Deum, & non possit nisi publice confiteri, sufficit ei vnum aut alterum peccatum confiteri, omisis aliis (quamuis grauioribus) quorum confessione grauius infamandus est apud interpretem, aut apud alios, quia ea infamatio est sufficiens ad excusandum ab integritate materiali confessionis (in eo casu moraliter necessaria) à Christo præcepta.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum confessio Sacerdoti presenti facta mediâ scripturâ, aut nutibus, aut alijs signis à voce distinctis, sit sufficiens ad valorem Sacramenti.*

Conueniunt communiter Doctores, vno aut altero excepto, confessionem nutibus, aut scripturâ, aut alijs signis, quamuis non vocalibus, factam, esse Sacramentalem, seu idoneam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. Ita S. Thomas Quodlib. 1. art. 10. Suarez d. 21. sect. 3. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 4. Henriquez lib. 2. de Pœnitentia c. 2. & Ægidius disp. 6. dub. 1. Quod constat ex Concilio Arausico I. sub Leone I. c. 12. dum dicitur, obmutescentem, si nutibus confiteatur, absolendum esse. Et etiam constat ratione, quia scripturâ, aut nutibus, aut alijs signis, quamuis distinctis à vocibus, potest peccator peccata sua sufficienter exprimere confessario; ergo absque fundamento negabitur confessionem medijs talibus signis factam esse Sacramentalem. Quod maximè confirmat praxis; & vsus Ecclesiæ, quæ mutos ad Sacramentum Pœnitentiæ admittit.

Eugenius verò IV. dum in suo Decreto fidei, habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, dixit, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse oris confessionem, nomine confessionis oris intelligit quamcumque externam confessionem, quia confessio externa fit regulariter ore; & idè Tridentinum, vt omnem ambiguitatem tolleret, omissa particula *oris*, dixit, confessionem esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Discrimen verò, ob quod absolutio aliter quam voce facta sit nulla, & non confessio, adduximus Disputat. v. Difficultate v 11.

Obseruandum tamen est, vt communiter Doctores, confessionem aliter quam voce factam, quamuis validam, esse illicitam, si sic fiat absque rationabili causa, vt significatur in can. *Quem pœnitet*, de pœnitentia, distinctione prima, non prohibitione naturali, nec diuina, sed Ecclesiastica, & non scripta, sed consuetudine Ecclesiæ introducta, quia fideles, quando commodè possunt voce confitentur quasi obligati: esse tamen licitam scripturâ, nutibus, aut alijs signis factam, quando nequit fieri voce absque nimia verecundia, aut absque alia nimia difficultate, quia consuetudo voce confitendi non est cum tanto rigore introducta.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum qui nequit aliter confiteri Sacerdoti presenti, quam scripturâ, aut nutibus, aut alijs signis, ad id teneatur tempore præcepti.*

Conueniunt communiter Doctores, eum, qui non potest aliter confiteri quam nutibus, aut alijs signis distinctis à voce & ab scriptura, ad id teneri tempore præcepti, siue purè diuini, siue annuæ confessionis, quia confessio potest absque inconuenienti dictis signis fieri.

Est tamen difficultas, An teneatur ad confitendum mediâ scripturâ, quando aliter non potest.

Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. Nauarrus cap. 21. num. 36. Medina Cod. de Confessione quæst. 15. Victoria n. 173. Toletus lib. 3. cap. 6. Henriquez lib. 2. de Pœnitentia, cap. 2. & Valentia disp. 7. q. 11. pun. 1. partem negatiuam tuentur; quia confessio facta per scripturam non est secreta, sed publica; quia scriptura, vtpote permanens, est instrumentum publicum, aut saltem est exposita periculo publicationis, quia perdi potest, & etiam potest à Sacerdote alijs ostendi.

Maiores verò in 4. dist. 17. q. 1. Gabriel q. 1. art. 2. Siluester v. *Confessio* 1. nu. 16. Petrus Sot. Lect. 11. de Confessione, Suarez disp. 36. sect. 6. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 5. & Ægidius disp. 5. dub. 10. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia confessio, ex eo quòd fiat per scriptum, non est publica, nec exposita morali periculo publicationis, quia scriptura non est magis publica quam vox, vt patet, quamuis ex eo, quòd sit permanens, sit magis exposita periculo publicationis quam vox. Potest tamen ita fieri, vt non sit exposita periculo morali publicationis; quia scriptura rumpi potest statim ac fit confessio, & paulò ante confessionem scribi, & ita cautè custodiri vt moraliter nequeat perdi. Ex eo verò quòd possit à Sacerdote alijs ostendi, non est exposita morali periculo publicationis, sicut nec confessio per vocem facta, quamuis vtraque possit à Sacerdote publicari.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum confessio per litteras, aut per internuntium Sacerdoti absenti facta, sit idonea ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ.*

Paludanus in 4. distinct. 17. quæst. 2. Adrianus in 4. quæst. 1. de Confessione, Petrus Sotus lect. 11. de Confessione, Medina Cod. de Confessione quæst. 15. Nauarrus cap. 21. num. 36. & plures alij docent, confessionem per litteras aut per internuntium absenti factam, esse sufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ (ac proinde etiam esse licitam in casu necessitatis) quod videtur supponere Leo I. in can. *Qualis* 30. quæst. 5. dum ait, pœnitentiam adulteræ per scripturam esse recipiendam. Et ratione potest probari desumpta ex exemplo matrimonij, quod potest fieri inter absentes per litteras, & per internuntium, & exemplo iudicij

S. Thomas.  
Suarez.  
Vasquez.  
Henriq.  
Ægidius.  
Concilium  
Arausico.

Eng. IV.

Sotus.  
Nauarrus.  
Medina.  
Victoria.  
Toletus.  
Henriq.  
Valentia.

Maiores.  
Gabriel.  
Siluester.  
Petrus Sot.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

Paludan.  
Adrianus.  
Petrus Sot.  
Medina.  
Nauarrus.



iudicij humani, instar cuius Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, quod potest per litteras seu scripturas inter iudicem & reum absentes validdè fieri.

Caietan.  
Sotus.

Victoria.  
Valentia.  
Toletus.  
Vasquez.  
Ægidius.

Clem. VIII

Paulus V.

Caietanus verò in Summa v. *Confessio*, conditione 11. Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 6. Victoria num. 171. Valentia disput. 7. quæst. 11. puncto 1. Toletus lib. 3. cap. 6. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 2. Ægidius disput. 4. dub. 10. & plures alij docent, confessionem per litteras aut per internuntium absentem factam, non esse idoneam & sufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ: quod ad eò verum est, vt oppositum Clemens VIII. anno 1602. damnauerit vt falsum, temerarium, & scandalosum, & prohibuit, ac præcepit ne vquam vt probabile defendatur, cuius verba retulimus & expendimus Disputatione v. Difficultate v. i. quod etiam Paulus V. declarauit & approbauit.

Ratio à priori huius doctrinæ est institutio Christi, instituentis pro parte materiali Sacramenti Pœnitentiæ, confessionem Sacerdoti præsentem factam; hæc autem institutio constat ex praxi & vsu Ecclesiæ, quæ numquam vsa est confessione nisi præsentem facta ab ipso pœnitente, siue per se ipsum, siue per interpretem, quamuis tantum referentem quod pœnitens in absentia Sacerdotis confessus est: cui vsui Clemens VIII. innixus, oppositam doctrinam damnauit, & eidem Paulus V. innixus, damnationem à Clemente VIII. factam, declarauit & approbauit.

In dicto autem can. *Qualis*, qui est Leonis I. tantum est sermo de confessione publica in ordine ad pœnitentiam Canonicam, non de Sacramentali: imò est sermo de confessione faciendâ in præsentia, quia scriptura ibi tantum requiritur propter maiorem certitudinem.

Et ad rationem concedimus, Sacramentum matrimonij posse inter absentes celebrari, & etiam iudicium humanum, non tamen Sacramentum Pœnitentiæ, quod Christus instituit instar iudicij humani, quoad alia, & non quoad hoc: nec illud instituit instar Sacramenti Matrimonij, quia hoc instituit in ipso contractu aliàs ciuili, qui verè potest inter absentes celebrari, non minus quam alij contractus.

Leo I.  
Concilium  
Arausic.  
Carthag.

Ægidius.

Clem. VIII

Bellarmin.  
Armacan.

Id verò, quod Disputatione 1 x. sequenti, Difficultate 1 x. ex Leone I. & ex Concilio Arausicano, & ex Carthaginensi IV. dicemus, nempe absoluendum esse moribundum, qui aegritudine impeditus nequit per se ipsum in præsentia Sacerdotis signa doloris & confessionis præbere, si testimonio adstantium, & in præsentia pœnitentis constet signa illa ante aduentum Sacerdotis præbuisse, non contrariatur dicto decreto Pontificio, nec nostræ doctrinæ; vt aduertit Ægidius disp. 7. dub. 10. quia confessio hæc, quæ fit Sacerdoti ab adstantibus, non fit Sacerdoti absentem & distanti à pœnitente, sed iam præsentem illi, medijs adstantibus, vel tanquam testibus, vel quasi interpretibus & non quasi internuntijs. Et ob id Clemens VIII. interrogatus, an moribundus in casu dicto esset Sacramentaliter absoluendus, respondit, debere absolui, & se absoluturum illum, & casum hunc non comprehendere suo Decreto, vt Cardinalis Bellarminus, & Archiepiscopus Armacanus testificati sunt se ex ipso audiuisse, de quo Armacanus testimonium scriptum

manu sua subsignatum præbuit Lessio, & pluribus Doctores Louanensibus, vt refert Ægidius vbi supra.

## DIFFICULTAS VI.

### *Vtrum mendacium in confessione sit peccatum mortale.*

Circa mendacium de peccato veniali, conueniunt communiter Doctores, mendacium, quo pœnitens interrogatus negat peccatum veniale quod verè commisit, non esse peccatum mortale, quia ex vna parte eo mendacio non decipitur confessarius in re necessaria, & ex altera dictum mendacium non est ipsi Sacramento iniuriosum, quia nec obstat materiæ, nec formæ Sacramenti, nec dispositioni ad effectum Sacramenti requisitæ, quia cum his omnibus comparari potest.

Est tamen difficultas, An mentiri, sibi falsò imponendo veniale, quod ipse pœnitens non commisit, sit peccatum mortale. Procedit autem, quando aliàs pœnitens confitetur aliquid aliud peccatum quod verè commisit, quia si hoc aliud non confiteatur, peccabit peccato mortali sacrilegij, quia tunc absolutio erit nulla, vtpote cadens supra materiam falsam.

Circa difficultatem ergo Caietanus v. *Confessio*, conditione 4. Paludanus in 4. dist. 21. quæst. 2. Ledesma 2. par. quarti, quæst. 5. articulo 4. dub. 4. & Armilla v. *Confessio*, num. 5. docent, dictum mendacium esse peccatum mortale, quia tunc pœnitens supponit materiam falsam absolutioni Sacramentali, quod est peccatum mortale, non minus quam verbis consecrationis inter veras hostias supponere hostiam apparentem, & non veram.

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. Nauarrus cap. 21. num. 37. Suarez disp. 22. sect. 10. Vasquez quæst. 91. art. 1. dubio 7. Ægidius disp. 6. dub. 3. & Turrianus disput. 29. dubio 7. docent, dictum mendacium non esse mortale, sed tantum veniale; & merito: quia eo mendacio nec decipitur confessarius in re necessaria, imò nec in graui, nec irritatur Sacramentum, quia non obstat materiæ illius, quia non excludit materiam sufficientem, nec necessariam, vt patet: nec obstat formæ absolutionis, quia non obstat veritati illius, quia forma absolutionis non est distributiuâ cadens supra omnia peccata confessâ, sed tantum est indefinita, & indefinitè tantum profertur, vt tantum cadat supra peccata vera confessâ, quæ sunt necessariò confitenda ( vt sunt mortalia non confessâ ) aut si non sunt necessariò confitenda ( vt sunt venialia ) vt tantum cadat supra ea quorum pœnitens habet sufficientem dolorem ( aliàs etiam falsificaretur, si pœnitens confitens plura venialia, vnus non haberet sufficientem dolorem, & consequenter peccaret mortaliter ( quod est falsum ) in quo forma absolutionis distinguitur à verbis consecrationis; quia hæc cum sint demonstratiua, cadunt & feruntur in omnia quæ proponuntur consecranda, ac proinde partialiter falsificantur, quando inter hostias veras supponitur falsa. Nec eo mendacio frustratur Sacramentum Pœnitentiæ suo effectû, quia non obstat dispositioni ad illum requisitæ, quia non obstat fidei, neque



neque spei, neque dolori, quia nihil horum excludit; ergo dictum mendacium ex nullo capite est peccatum mortale.

Circa mendacium de mortali conueniunt Doctores, mentiri circa mortale non confessum, illud negando, esse mortale, quia est contra integritatem confessionis, quæ est necessaria & magni momenti.

Est tamen difficultas, An mentiri in confessione imponendo sibi peccatum mortale quod non commisit, sit peccatum mortale.

*Siluester.* Non desunt, qui existiment tale mendacium non esse mortale (quod etiam indicat *Siluester* v. *Confessio* 1. quæst. 8.) quia pœnitens eo peccato sibi imposito, non se infamat grauius, quia hæc infamatio est in confessione, & tantum apud vnum, & respectu ipsius pœnitentis, qui potest cedere iuri suo, præsertim quando infamatio attentio pœnitente est leuis, vt sæpè esse potest, vt vulneratio à pœnitente milite inflicta.

*Sotus.* *Suarez.* *Vasquez.* *Ægidius.* Sotus verò, *Suarez*, *Vasquez*, *Ægidius* vbi supra, & communiter Doctores docent, dictum mendacium esse mortale, non quia infamatio sit gratis, quia non semper est grauis, nec quia est deceptio in materia graui & necessaria, & in ordine ad iudicium & sententiam Sacramentalem, quia ea deceptio præcisè vt est deceptio, & tantum contra veritatem in dicendo, non est mortalis, sed quia forma absolutionis partialiter falsificatur, quia fertur in omnia mortalia confessa, vt pote quæ confitentur necessariò seu ex obligatione, & quorum pœnitens debet habere dolorem.

Vnde existimamus, in eo mendacium triplex reperiri peccatum: aliud mendacij contra veritatem in dicendo, quod tantum est veniale; aliud sacrilegij contra religionem, & contra reuerentiam Sacramenti, quia eius formam falsificat, quod est mortale; & aliud infamationis, seu prodigalitatis famæ contra liberalitatem, quo pœnitens suam famam prodigit, quod aliquando est mortale, quando, attentà personâ pœnitentis, & alijs circumstantijs, infamatio est grauis.

Obseruandum est, confiteri vni Sacerdoti peccata mortalia, & postea alteri venialia, non esse peccatum mortale, non solum quando fit tantum semel aut iterum, in quo Doctores conueniunt, sed etiam quando fit sæpè, vt contra *Victoriam* num. 196. docent *Nauarrus* cap. 21. num. 4. *Suarez* disp. 22. sect. 1. & *Ægidius* disp. 6. dub. 4. imò nec id ex suo obiecto est veniale, quia id non obstat integritati confessionis, nec veritati doloris & proposito.

## DIFFICULTAS VII.

### Quando confessio sit inualida.

**S**upponimus, Sacramentum confessionis multis modis posse fieri inualidum, tam ex parte pœnitentis quam ex parte Confessarij, & consequenter esse necessariò repetendum, quando confessio fuit mortali.

In primis ex parte pœnitentis fit inualidum, quando ipsi deficit intentio suscipiendi Sacramentum, & etiã quando ipsi deficit dolor peccatorum.

Est tamen difficultas Primò, An fiat inualidum, quando pœnitens est excommunicatus.

Conueniunt Doctores, fieri inualidum, quando pœnitens aduertit se esse excommunicatum, &

excommunicationem esse impedimentum saltem prohibens susceptionem Sacramenti, & quia tunc non confitetur integrè; quia non confitetur peccatum mortale, quod tunc committit accedendo ad susceptionem Sacramenti, & quia non dolet integrè, quia non dolet de illo; & quia ponit obicem peccati mortalis oppositi dispositioni requisitæ ad effectum, nempe dolori.

Punctum ergo difficultatis est, An quando pœnitens naturali obliuione aut ignorantia inuincibili excommunicationis, aut rationis impedimenti ad susceptionem Sacramenti bona fide accedit, etiam fiat inualidum: & procedit de excommunicato non tolerato (id est publicè denunciato, aut notoriè excommunicato ob percussorem Clerici notorietate facti seu percussoris) quia toleratus validè suscipit Sacramentum fauore facto Confessario, cui relinquitur iurisdictio, vt licitè & validè possit communicare cum excommunicato tolerato.

Circa punctum Difficultatis *Suarez* de censuris disp. 10. sect. 3. & *Ægidius* disp. 14. dub. 5. docent, non fieri inualidum, quia nullo iure inuolidatur.

*Siluester* v. *Confessio* 1. quæst. 3. & *Vasquez* de Excommunicatione dub. 4. docet, fieri inualidum, & meritò: quia Ecclesia non paucis Iuribus excludit excommunicatum à participatione passiuâ Sacramentorum, & ita vt ei non solum prohibeat illam, sed etiam irritet, quia eum excludit quantum potest, eum habendo & tractando quasi Ethnicum & publicanum. Ecclesia autem potest illi irritare susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, extrahendo ipsam à iurisdictione omnium Confessariorum Papa inferiorum, sic efficiendo eum inabsolubilem ab illis, de quo latius Tractatu de Excommunicatione, Disp. 111. Diffic. 111.

Secundò est difficultas, An fiat inualidum, quando suscipitur ex malo fine.

Certum est, fieri inualidum, quando suscipitur ex malo fine mortali, peccando mortaliter, & quia nec confitetur, nec dolet integrè, & quia ponit obicem effectui Sacramenti.

Est ergo difficultas, An fiat inualidum, quando suscipitur ex malo fine veniali, venialiter peccado.

Conueniunt Doctores, non fieri inualidum, quando suscipitur principaliter ex fine remissionis, seu veniæ peccatorum, etiam si minus principaliter suscipiatur ex fine veniali.

Est ergo punctum difficultatis, An fiat inualidum, quando principaliter suscipitur ex fine veniali.

*Siluester* v. *Confessio* 1. quæst. 7. docet, tunc fieri inualidum, imò quando suscipitur principaliter ex quocumque alio fine quam remissionis & veniæ peccatorum, quia hæc sola est principalis effectus Sacramenti Pœnitentiæ; ergo ea sola est principaliter intendenda.

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 3. ar. 3. & *Vasquez* quæst. 92. art. 3. dub. 2. docent, non fieri inualidum ex quocumque fine suscipiatur, dum in eo non peccetur mortaliter, quamuis ex eo principaliter & tamquam ex motiuo suscipiatur, dum etiam suscipiatur ex fine remissionis & veniæ peccatorum, quamuis minus principaliter, & tantum impulsuè; & meritò: quia ex eo quòd hoc modo suscipiatur, non deficit intentio suscipiendi Sacramentum, nec aliqua pars essentialis Sacramenti; ergo non ex eo fit inualidum, quia valor Sacramenti tantum pendet ex dicta intentione, & ex partibus essentialibus.



fentialibus illius. Imò nec ex eo fit infructuosum: quia etiam si suscipiatur ex fine peccati venialis, peccando venialiter, & ex eo principaliter suscipiatur, non tollit etiam suscipi ex fine remissionis & veniæ peccatorum, & cum dolore sufficiente vt dispositione ad eam remissionem, quæ sufficiunt ad eam. Ex eo autem quòd remissio & veniæ peccatorum sit effectus principalis Sacramenti Pœnitentiæ, tantum deducitur, esse congruum & consonum institutioni illius, remissionem & veniam peccatorum principaliter intendere, non tamen esse necessarium ad effectum illius.

Tertiò, Sacramentum Pœnitentiæ fit inualidum ex defectu integritatis confessionis mortalium, quando scilicet pœnitens absque graui incommodo extrinseco ipsi Sacramento omittit confiteri aliquod mortale, non solum scienter, in quo Doctores conueniunt, sed etiam quando omittit ex ignorantia seu negligentia culpabili, vt contra non paucos, nec ignobiles, docent Ioannes Medina, Suarez & Vasquez, & latius dicemus Disp. ix. Diff. x.

Quartò, ex parte pœnitentis solet assignari alius defectus, ob quem confessio (quamuis valida) debeat repeti, nempe quando pœnitens oblitus est culpabiliter pœnitentiæ Sacramentalis sibi à Confessario iniunctæ: id tamen esse falsum, dicemus Disputatione xiv. Difficultate 11.

Deinde Sacramentum confessionis fit inualidum ex parte Confessarij. Primò, ex defectu intentionis absoluenti Sacramentaliter: Secundò, ex defectu iurisdictionis, vel quia ea simpliciter careat, vel quia ea priuatus est per excommunicationem non toleratam, quamdiu hæc durat: Tertiò, ex defectu perceptionis peccati, quia scilicet Confessarius nullum peccatum pœnitentis percipit, siue ob distractionem, siue ob linguæ ignorantiam: quamuis Henriquez lib. 5. cap. 14. & Laymannus tract. 6. cap. 9. sentiant esse validum, si pœnitens bona fide processit. Sed an quando Confessarius percipit peccatum, nescit tamen discernere an sit mortale an veniale, etiam fiat inualidum, dicemus Disput. x. Difficultate xv.

Obseruandum est, quòd quando necessarium est confessionem aliquam repetere, quia ob defectum aliquem fuit inualidè facta, non est necessarium confessiones intermedias repetere, quando factæ sunt bona fide, quia ex eo præcisè quòd fiant post confessionem illam inualidam, non fiunt inualidæ, sed tantum illam, in qua fuit defectus illam inualidans, & alias confessiones, quæ post illam mala fide factæ sunt, si harum & illius defectus memoriæ occurrant.

#### DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum quando confessio repetenda est quia fuit inualida, necessarium sit iterum peccata distinctè confiteri, ac si non fuissent confessæ.*

**D**ifficultas hæc non procedit, quando confessio antea inualida repetenda est diuerso Confessario, quia tunc ita distinctè repetenda est,

ac si numquam fuisset facta, sed quando repetenda est eidem Confessario.

Conueniunt Doctores, quòd quando fit eidem Confessario, qui retinet notitiam (quamuis confusam) sufficientem ad imponendam conuenientem pœnitentiam, non sint necessariò distinctè repetenda, quia post confessionem distinctè factam, & à Confessario perceptam, non est necessaria ipsi Confessario maior recordatio seu notitia peccatorum, quam sufficiens ad imponendam pœnitentiam conuenientem; ergò non est necessarium, quòd illi fiat iterum distinctè confessio, sed sufficit defectum confessionis inualidæ explicare, & vnico verbo confiteri peccata in confessione inualida distinctè confessæ, & ea absolutioni subijcere, vt si pœnitens dicat se accusate de peccatis in illa confessione confessis. Quòd est verum, etiam si confessio, quæ fuit inualida, non fuerit Sacramentalis, vel quia facta fuit non iudici, vt Sacerdoti excommunicato non tolerato, vel non approbato, quia illa repetitione, sic in confuso, & vnico verbo facta, fit Sacramentalis omnium antea distinctè confessorum.

Est tamen difficultas, An quando Confessarius non retinet dictam notitiam peccatorum, tunc pœnitens teneatur iterum distinctè confiteri peccata, ac si illa non fuisset confessus.

Corduba in Summa quæst. 6. partem affirmatiuam tuetur, quia tunc Confessarius se habet, ac si ipsi numquam facta fuisset confessio illa. Medina Cod. de Confessione, quæst. 28. de Confessione facta Confessori prauo, partem negatiuam tradit, quia ex vna parte iam illi facta est distinctè confessio, & ex altera non est necessarium, quòd Confessarius imponat pœnitentiam commensuratam peccatis, & statui pœnitentis.

Nos verò existimamus (vt indicant Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. & Siluester v. Confessio 1. q. 3.) quòd si Confessarius pœnitentiam imposuit, & ea est ipsi nota, vel ipsi fit nota à pœnitente, non sit necessarium quòd ei fiat iterum distincta peccatorum confessio, quia ad absoluentem sufficit, confessionem fuisse à pœnitente distinctè factam, & distinctè à Confessario perceptam, & ab eo impositam aut taxatam pœnitentiam, & horum notitia; quia absque fundamento amplius exigitur. Si verò Confessarius non imposuit pœnitentiam, vel non taxauit illam, aut si imposuit vel taxauit, & non recordatur illius, nec habet notitiam aliàs sufficientem ad eam prudenter taxandam, necessarium est quòd ipsi fiat confessio maior, quam quæ fit illo vnico supradicto verbo; sed non requiritur confessio distinctè facta, sed sufficit confessio aliqua confusa peccatorum antea distinctè confessorum, talis qualis sufficit vt Confessarius acquirat notitiam sufficientem ad prudenter taxandam pœnitentiam, quia tunc ad id tantum requiritur noua confessio peccatorum antea distinctè confessorum. Ad causandam autem in Confessario notitiam sufficientem ad taxationem pœnitentiæ, non requiritur confessio distinctè facta, quia ad eam taxationem sufficit notitia confusa, qualis post longam pœnitentis confessionem solet in Confessario relinquere.

Ioannes  
Medina.  
Suarez.  
Vasquez.

Corduba.

Medina.

Henriq.  
Layman.

Antonin.  
Siluester.



## DISPUTATIO IX.

## De integritate Confessionis Sacramentalis.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum omnia peccata mortalia sint necessario explicanda.*



ONVENIUNT Doctores, necessariam esse confessionem omnium mortalium, quæ post Baptismum commissa sunt. Quod significatur in Concilio Lateranensi II. approbato ab Innocentio III. in cap. 21.

quod est 12. in titulo de Pœnitentia & remissionibus, & incipit, *Omnis utriusque sexus*; & in Decreto Eugenij IV. in Concilio Florentino post ultimam sessionem, & etiam significatur in Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. & eam confessionem esse necessariam Iure diuino, conueniunt communiter Doctores: quod etiam indicatur in dictis Concilijs, imò in Tridentino exprimitur. Quod etiam constat, quia necessitas confessionis omnium mortalium deducitur ex eo, quòd Christus Ioannis 20. Apostolis. & eorum in Sacerdotio successoribus, contulit potestatem absoluendi & retinendi peccata, ex quo id deducit Tridentinum cap. illo 5. & nos deduximus Disputatione VII. Difficultate 1. quòd maximè congruum fuit ita à Christo institui, quia sicut numquam vnum peccatum mortale remittitur sine alio, ita etiam maximè conueniens fuit, vt in hoc Sacramento, ad remissionem peccatorum instituto, non fiat absolutio directè & per se, nisi ab omnibus mortalibus; ad absolutionem autem per se & directam peccati, requisita est confessio illius.

Ita tamen Iure diuino est necessaria confessio integra omnium mortalium, vt non solum sit necessaria necessitate præcepti diuini, seu quia præcepta est à Christo, sed etiam sit necessaria necessitate Sacramenti, seu ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, vt significat Tridentinum, vbi suprâ: quia in primis cap. illo 5. vtramque necessitatem significat, dum ait: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Deo integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Iure diuino necessariam existere.* Vbi prioribus verbis significat, integram peccatorum mortalium confessionem institutam esse à Christo partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde esse necessariam ad valorem illius: & posterioribus verbis, nempe, *Et omnibus post Baptismum lapsis Iure diuino necessariam existere*, significat, etiam esse necessariam necessitate præcepti diuini. Et can. 7. clariùs significat, illam esse necessariam ad valorem, dum ait, confessionem omnium mortalium esse Iure diuino necessariam ad remissionem peccatorum; quia nequit ad hanc esse necessaria, nisi sit valida. Hæc autem necessitas confessionis omnium mortalium, ad effectum remissionis peccatorum, & antecedenter ad valorem, probatur congruenter dicta congruentia,

quia scilicet vnum peccatum mortale non potest remitti sine alio.

Est autem duobus prædictis modis necessaria confessio omnium mortalium, non omnium materialiter seu physicè, id est omnium quæ commissa sunt, sed omnium formaliter seu moraliter, id est omnium quæ modo humano & commodo confiteri possunt, de quo postea.

Ex dictis deducimus, eum, qui confitetur tempore pro quo præcisè obliget præceptum diuinum, siue purum, vt in articulo mortis, siue etiam diuinum Ecclesiasticum annuæ confessionis, & non confitetur integrè omnia sua peccata mortalia, duplex peccatum mortale committere, alterum omissionis, contra præceptum diuinum posituum affirmatiuum confitendi integrè, siue purè diuinum, siue etiam Ecclesiasticum; & alterum commissionis contra præceptum diuinum naturale negatiuum non inualidandi Sacramentum Confessionis: eum verò, qui confitetur tempore pro quo non obligatur, & non confitetur omnia mortalia, peccare tantum dicto posteriori peccato commissionis, & non priori omissionis.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum omnes species peccatorum sint necessario confitenda.*

CONueniunt Doctores, non esse necessarium, confiteri omnes species peccatorum physicè distinctas, nempe quòd occisio facta sit gladio, aut quòd facta sit veneno.

Est tamen difficultas, An sit necessarium confiteri omnes species peccatorum moraliter, seu in ratione peccati distinctas.

Caietanus tomo 1. Opusculorum, tract. 5. q. 3. *Caietanus.* Nauarrus in cap. *Desideret*, de Pœnitentia, dist. 5. *Nauarrus.* Canus Relectione de Pœnitentia, parte 5. §. *Ad Canus.* *quartum argumentum*, docent, non omnes species peccatorum moraliter distinctas esse necessariò confitendas, sed tantum illas, quæ ad sui curationem & remedium causant in Confessario diuersum iudicium, vt quòd occisio sit patris, aut sit Clerici; non verò reliquas, vt quòd diuinatio fiat per aquam, aut quòd fiat per ignem, quas existimant (quamuis formidose) specie morali differre, quæ eodem modo curanda sunt à Confessario: illas autem species existimant Caietanus & Canus diuersum iudicium causare in ordine ad curationem, quæ communiter sunt notæ mediocriter doctis, non verò alias species subtiliores.

Sorus verò in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. *Sorus.* Suarez disp. 22. sect. 2. *Suarez.* Vasquez quæst. 91. art. 1. dub. 1. *Vasquez.* Egidius disputat. 7. dubio 2. & communiter Doctores docent, & meritò, omnes species peccatorum moraliter, seu in ratione peccati distinctas, esse necessariò confitendas. Quod absque dubio definitum est in Tridentino sess. 14. cap. 5. & *Trident.* can. 7. dum absolutè, nulla adhibita exceptione

Concilium  
Lateranen.

Eugen. IV.  
Trident.

Trident.



nec limitatione, decernitur, omnes species peccatorum, & omnes circumstantias speciem mutantem esse confitendas. Quod etiam insinuat Tridentinum in ratione quam adducit, quia scilicet aliàs Sacerdos non poterit rectè de criminum grauitate iudicare, & pœnitentiam, quam oportet, pro illis imponere; quia negari non potest, omnia peccata, quæ specie morali distinguuntur, siue eorum specifica distinctio sit communiter nota mediocriter doctis, siue non, sed tantùm doctioribus, diuersum iudicium in ordine ad curationem & ad absolutionem causare in Confessario, quia à Confessario iudicantur moraliter specificè distincta, & pro eis, vt specie morali distinctis, pœnitentiam imponit, quamuis sæpè pro peccatis specie morali distinctis pœnitentiam eiusdem rationis imponit, vt orationem, & aliquando æqualem.

Quòd si diuinatio per aquam & per ignem non generant diuersum iudicium in ordine ad curationem sui, est, quia specie morali non distinguuntur, quia vtraque dæmon tamquam Magister docens honoratur.

Ex dictis constat, omnes circumstantias speciem moralem mutantem esse necessariò confitendas, cum omnes species morales peccatorum sint necessariò confitendæ. Quod etiam specialiter definit Tridentinum vbi suprâ.

### DIFFICULTAS III.

*Vtrum circumstantiæ, quæ speciem peccati non mutant, illud tamen augent aut minuunt intra eandem speciem, sint necessariò confitendæ.*

**D**ifficultas hæc tantùm procedit de circumstantiis quæ cadunt supra peccatum mortale, & illud intra rationem mortalis augent aut minuunt, quia certum est, circumstantiam, quæ de peccato, quod aliàs esset tantùm veniale, facit quòd sit mortale; & circumstantiam, quæ de peccato, quod aliàs esset mortale, facit quòd tantùm sit veniale, quamuis intra eandem speciem peccati, esse necessariò confitendas.

Circa Difficultatem ergo conueniunt communiter Doctores, circumstantias, quæ intra rationem mortalis non aggrauant nec minuunt grauius & notabiliter, non esse necessariò confitendas, vt constat ex sensu & vsu fidelium: quod præterquam quòd esset intolerabile & nimis durum, nullo sufficienti fundamento ostendi potest.

Est ergo difficultas de circumstantiis notabiliter aggrauantibus & notabiliter minuuntibus intra rationem mortalis, & præcipuè de notabiliter aggrauantibus.

Caietanus v. *Confessio*, conditione 15. Victoria de Confessione, num. 176. Canus Relectione de Pœnitentia, p. 5. Catechismus Pij V. par. 2. cap. 5. n. 41. Dominicus Sotus in 4. d. 18. q. 2. art. 4. Petrus Sotus Lect. 9. de Confessione, Suarez disp. 22. sect. 3. Aegidius disp. 7. dub. 2. docent, circumstantias notabiliter aggrauantes esse necessariò confitendas. Quod indicari videtur in can. *Consideret*, de Pœnit. d. 5. dum dicitur, confitendam esse circumstantiam temporis, loci, & ætatis, & vtrum necessitate fecerit, an voluntate, & quanta fuerit vis tentationis. Quod etiam supponi videtur in pluribus Canonibus antiquis pœnitentialibus, à Gra-

tiano in fine Decreti relatis, dum in eis pro peccatis grauioribus intra eandem speciem grauioribus pœnitentiæ assignantur.

Quod etiam ratione probatur Primò, quia si circumstantiæ grauius seu notabiliter aggrauantes non explicantur in cōfessione, non poterit Confessarius rectè de grauitate criminum iudicare, & pœnitentiam, quam oportet, pro illis imponere; quia grauitas peccatorum ratione earum circumstantiarum notabiliter crescit, & fiunt digna pœna notabiliter maiore. Qua ratione vtitur Tridentinum *Trident.* sess. 14. cap. 5. ad probandum, necessariù esse confiteri omnia mortalia, cuiuscumque speciei sint.

Secundò, quia circumstantiæ mutantem speciem intra genus mortalis, sunt necessariò confitendæ; ergo etiam notabiliter aggrauantes intra eandem speciem, quia ob has circumstantias peccata aliquando grauius fauciant animam, & periculosiora sunt quam plura peccata, secundum speciem prouenientia ex circumstantiis mutantibus speciem. Qua ratione vtitur Tridentinum vbi suprâ, ad probandum, etiam esse confitenda peccata occultissima & purè interna, quia scilicet hæc aliquando grauius fauciant animam, & periculosiora sunt peccatis manifestis & externis.

S. Thomas verò in 4. d. 16. q. 3. ar. 2. quæstion. 5. Paludanus quæst. 3. ar. 3. Durandus q. 4. Dionysius q. 2. Albertus ar. 24. Bonauentura d. 17. quæst. vii. Richardus art. 3. quæst. 5. Almainus quæst. 1. ar. 2. Adrianus q. 4. de Confessione, Medina Cod. de Confess. quæst. de Circumstantiis cōfitendis, Antoninus 3. p. tit. 14. c. 19. Siluester v. *Cōfessio* 1. q. 9. Nauarrus cap. 6. n. 6. Toletus lib. 3. c. 7. & Vasquez q. 91. ar. 1. dub. 2. docent, & meritò, circumstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem, non esse necessariò confitendas, quia necessitas integritatis confessionis solum est ex institutione, & ex iure Christi: sed non constat Christus instituisse confessionem earum circumstantiarum, vt necessariam ad valorem Sacramenti, nec eam præcepisse; ergo non est dicendum, necessarium esse illas confiteri. Consequentia patet, quia absque fundamento, & magno, non est admittenda necessitas confessionis tam duræ & tam difficilis, & tam rigorosæ, cum potuerit Christus Sacramentum confessionis instituere & præcipere instar iudicij nõ adedò exacti & rigorosi, vt necessarium sit in eo de dictis circumstantiis iudicare, & eis attentis pœnitentiam imponere; sed instar iudicij ita suauis, vt in eo sufficiat species & numerum mortalium confiteri, & eis attentis pœnitentiam imponere. Quòd autem non constet, Christum confessionem dictarum circumstantiarum præcepisse, nec eam vt necessariam ad valorem instituisse, patet, quia id non constat ex Scriptura, nec ex traditione aliqua, nec ex Patribus, nec ex definitione aliqua Ecclesiæ. Imò Ecclesia in Tridentino vbi suprâ ex Ioan. 20. vbi Christus Sacramentum confessionis instituit, solum deduxit necessitatem confitendi species & numerum mortalium, & circumstantias speciem mutantem, nulla facta mentione circumstantiarum aggrauantium intra eandem speciem: quo satis indicatur, Tridentinum non fuisse persuasum, necessarium esse ex ordinatione Christi illas confiteri, aliàs in re doctrinali adedò graui diminutè processisset. Nec id constat ex aliqua efficaci ratione, nec ex aliquo alio efficaci fundamento, vt patebit statim, dum fundamentis aduersariorum satisfacimus.

*Trident.*

*S. Thomas.  
Paludan.  
Durandus.  
Dionys.  
Albertus.  
Bonauen.  
Richardus.  
Almain.  
Adrianus.  
Medina.  
Antoninus.  
Siluester.  
Nauarrus.  
Toletus.  
Vasquez.*

*Caietanus.  
Victoria.  
Canus.  
Catech.  
Do. Sotus.  
Pet. Sotus.  
Suarez.  
Aegidius.*



Et ob hanc dictam rationem, idem dicendum est de circumstantijs grauius seu notabiliter minuendis seu alleuiantibus peccatum intra rationem mortalis, quod scilicet non sint necessariò confitendæ, vt contra Dominicum Sotum docent communiter Doctores (etiam illi, qui quoad circumstantias notabiliter aggrauantes nobis aduersantur) & maiori ratione quàm circumstantiæ notabiliter aggrauantes, quia confiteri circumstantias notabiliter minuendas, excusationem potius redolet, quàm accusationem. Nihilominùs, quamuis has circumstantias confiteri, excusationem redolet, licitum est, imò & laudabile, si id fiat ex fine explicandi perfectè & exactè veritatem.

In dicto ergo can. *Consideret*, de Pœnitentia d. 15. pro aduersarijs adducto, non continetur necessitas, nec præceptum confitendi circumstantias in eo assignatas, quia in eo continentur plures, quæ aut non aggrauant, aut saltem non aggrauant notabiliter, vt tempus, locus, & ætas: sed in eo tantùm continetur consilium confitendi illas.

In illis verò antiquis Canonibus in fine Decreti habitis, assignantur grauius pœnitentiæ pro grauioribus peccatis intra eadem speciem: ex hoc tamen non deducitur, tempore illo ex necessitate confitendas esse circumstantias notabiliter aggrauantes; quia etiam pro peccatis leuiter grauioribus assignantur grauius pœnitentiæ, & tamen circumstantiæ leuiter tantùm aggrauantes non explicantur in confessione ex necessitate: assignantur ergo in illis grauius pœnitentiæ pro peccatis grauioribus, etiam pro leuiter tantùm grauioribus, quia tunc ob feruorem illius temporis regulariter explicabantur plures circumstantiæ ex aggrauantibus, etiam leuiter tantùm aggrauantibus: imò nunc etiam à non paucis aliquando explicantur.

Ad primam autem rationem concedimus, quòd etiam si, quando circumstantia notabiliter aggrauantes non explicantur, non possit Confessarius rectè iudicare de grauitate accidentali peccatorum ipsis superaddita, & proueniente ex eis circumstantijs, nec pœnitentiam ei correspondentem imponere; si tamen explicantur species & numerus mortalium, potest rectè iudicare de grauitate specifica & numerica, & de accidentali ratione, cuius peccata aliquando sunt mortalia; quod sufficit vt satisfiat institutioni & præcepto Christi confessionis, qui noluit ampliùs exigere, vt suauiter & non rigide procederet. Nec ratio Tridentini habet locum in circumstantijs notabiliter aggrauantibus intra eandem speciem, quia ea non probat, omnia mortalia cuiuscumque speciei esse necessariò confitenda, quia id deducit ex Ioan. 20. vbi Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituit: sed, hoc supposito, dicta ratione tantùm probat, omnia mortalia in specie & sigillatim esse necessariò confitenda, quando moraliter fieri potest; & non sufficere illa tantùm in communi & in genere confiteri: quia si sic tantùm confiterentur, non posset Confessarius rectè iudicare de omnibus mortalibus, & pro eis pœnitentiam proportionatam imponere.

Et ad secundam concedimus, peccata mortalia aliquando ob circumstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem, grauius sauciare animum, & periculosiora fieri, quàm ob circumstantias speciem mutantem. Nihilominùs Christus exegit harum confessionem, & non illarum, vt iam diximus: nec ratio Tridentini pro peccatis occul-

tis & internis, habet locum in illis; quia illis verbis, *Quæ nonnumquam animum grauius sauciant, & periculosiora sunt*, non redditur ratio, ob quam peccata occulta & interna debeant confiteri, quia hoc deduxit ex eo quòd sint mortalia, quòd sunt talia; sed redditur ratio, ob quam non debeat videri non esse necessariò confitenda ex eo quòd sint occulta aut interna, cum scilicet aliquando sint peiora, quàm manifesta, & quàm externa.

Ex dictis constat, quòd quamuis Christus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ instar iudicij, sed non adeò exacti & rigorosi, vt voluerit ampliùs esse confitendum necessariò, quam species & numerus peccatorum mortalium, nec Confessarium necessariò iudicare de alio quàm de speciebus & de numero eorum, nec necessariò pœnitentiam imponere, & æquitatem in ea imponenda seruare, nisi iuxta grauitatem specificam & numericam mortalium, & non iuxta excessuum ex circumstantijs prouenientem, nisi ex suppositione quòd pœnitens velit illas confiteri, & clauibus Confessarij subijcere.

## DIFFICULTAS IV.

*De quibusdam circumstantijs in particulari, vtrum debeant confiteri.*

**C**ircumstantiæ humanorum actuum septem communiter numerantur, hoc versu contentæ: *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.*

De harum nonnullis in particulari disputandù est, an sint necessariò confitendæ, vt doctrina Difficultate præcedenti à nobis tradita meliùs intelligatur.

## Q V A N D O.

**C**irca circumstantiam *quando*, per quam explicatur tempus in quo fit actio, est difficultas: Primò, An duratio peccati mortalis, quòd est notabiliter excessiua & aggrauans, sit necessariò confitenda.

Sotus & Canus vbi Difficultate præcedenti, partem affirmatiuam tuentur, quia qui bis peccat per vnam horam, tenetur numerum binarium confiteri; sed qui semel peccat per duas horas continuas, non minùs, imò magis peccat quàm qui bis per vnam; ergo tenetur durationem illarum duarum horarum confiteri.

Nauarrus verò & Vasquez vbi Difficultate præcedenti partem negatiuam tradunt, & meritò: quia ex institutione & præcepto Christi non cognoscimus necessitatem confitendi, nisi species & numerus mortalium, non circumstantias ad species & ad numerum impertinentes, quamuis ratione earum vnum peccatum ita notabiliter crescat in malitia accidentali, vt pluribus mortalibus æquiualeat.

Secundò est difficultas, An circumstantia diei Festi, in quo fit mortale, sit necessariò confitenda.

Alexander, Bonauentura, & Adrianus, quos refert & sequitur Corduba lib. 1. q. 6. partem affirmatiuam tuentur, quia peccatum ratione diei Festi speciem mutat, seu addit, quia eo ipso peccatum fit contra Religionem, quia peccatum est opus seruile: quia qui facit peccatum, seruus est peccati; opus autem seruile in die Festo est contra Religionem.

Caietanus verò 2. 2. quæst. 122. ar. 4. Sotus 2. de Iustitia q. 4. ar. 4. Nauarrus, Suarez, Vasquez, Egidius, & communiter Doctores, partem negatiuam tradunt, Egidius.



tradunt, & meritò: quia peccatum ratione diei Festi non mutat speciem, quia non est opus seruale quod in honorem Dei in die Festo ab Ecclesia prohibetur, quia ab ea tantum prohibetur opus quod est tantum seruatorum, vt laborare in agro; peccatum autem non est proprium seruatorum, quia etiam conuenit heris & dominis, imò peccatum ratione diei Festi non aggrauat notabilitet.

Tertiò est difficultas, An, quando in eodem die occurrit duplex præceptum, latum ex eodem proximo motiuo specifico virtutis, vt quando in eodem die occurrit duplex Festum obseruandum, in quo audienda est Missa ex duplici præcepto, & utroque Religionis, etiam quando vnum ex illis est alicuius Sancti, & quando in eodem die occurrit duplex Vigilia, aut Vigilia & Quatuor tempora, in quo ieiunandum est ex duplici præcepto temperantiæ, an scilicet tunc confitenda sit necessariò hæc circumstantia occurfus istius duplicis præcepti in eodem die.

Nauarrus.  
Ægidius.  
Reginald.

Nauarrus cap. 11. nu. 4. Ægidius disp. 7. dub. 6. & Reginaldus lib. 6. nu. 129. affirmant, quia tunc fiunt duo peccata mortalia.

Vasquez.  
Henriq.  
Suarez.

Vasquez verò 1. 2. disp. 98. cap. 3. Henriquez lib. 5. cap. 5. & Suarez negant, & meritò: quia in dicta omissione aut commissione est vna tantum numero malitia, & vnum tantum numero peccatum; quia malitia eiusdem speciei, quæ ex violatione vniuersæ præcepti, vtpote eiusdem speciei, prouenit, continuatur in vna illa omissione aut commissione, quia ex vna parte habet eandem numero materiam, & eandem numero circumstantias: & ex altera parte non respicit aliqua diuersa extrinseca, in ordine ad quæ possit numero multiplicari, vt contingit, quando alicui personæ vno præcepto prohibetur opus aliquod, ne ex eo eueniat Petro damnum; & altero præcepto prohibetur idem opus, ne ex eo eueniat damnum Paulo, quia tunc opus illud ob respectum ad ea duo extrinseca, nempe ad Petrum & ad Paulum, habet duplicem malitiam iniustitiæ, vnã contra Petrum, & alteram contra Paulum.

#### Q V O M O D O.

Circa circumstantiam *quomodo*, per quam intentio actionis humanæ explicatur, est difficultas, An sit necessariò explicanda, quando notabiliter aggrauat.

Pet. Sotus.  
Suarez.

Petrus Sotus & Suarez docent, esse necessariò explicandam in confessione, quando agnosci potest.

Vasquez verò, & communiter Doctores docent, non esse necessariò explicandam, quamuis agnoscat, & meritò, ob generalem rationem adductam Difficultate præcedenti: quod maximè confirmat vsus fidelium, etiam sapientium & timoræ conscientia.

#### Q V I D.

AD circumstantiam *quid* pertinent conditiones materiæ peccati. Circa quam est difficultas, An quantitas materiæ in furto, quado mortaliter aggrauat supra eam, quæ sufficit ad mortale, sit necessariò explicanda in confessione.

Suarez.  
Ægidius.

Suarez, Ægidius, & communiter recentiores Thomistæ affirmant, ob rationem generalem circumstantiarum notabiliter aggrauantium. Idem quoad hanc circumstantiam docet Valentia, quia existimat eam pertinere ad substantiam furti in

indiuuiduo, quia est obiectum furti in indiuuiduo.

Nauarrus verò c. 6. n. 9. Toletus & Vasquez negant, & meritò: quia quamuis quantitas rei furata non sit circumstantia furti totalis in indiuuiduo, quia pertinet ad eius obiectum, & consequenter ad eius substantiam, nihilominus absque eo quod excessus ille notabilis explicetur à pœnitente, si tamen dicat se quantitatem grauem fuisse furatum, exprimit sufficienter indiuuiduum etiam totale furti non distinctè, sed confusè (ad eum modum, quo ille, qui confitetur se quemdam hominem occidisse, non assignando Petrum quem occidit) quia non est necessarium confiteri id, absque quo peccatum in indiuuiduo potest saltem confusè explicari, siue id sit circumstantia siue non.

Nauarrus.  
Toletus.  
Vasquez.

Quia ergo quantitas excessiua materiæ furti non est circumstantia peccati furti totalis in indiuuiduo, quia pertinet ad eius substantiam, cum sit pars obiecti ipsius, idè qui furatus est centum, non satisfacit confitendo se furatum quadraginta, quia non confitetur adhuc confusè indiuuiduum illud totale furti quod commisit.

Sed quamuis quantitas excessiua materiæ furti non sit circumstantia furti totalis in indiuuiduo, est tamen circumstantia furti partialis præsuppositi, siue realiter siue per rationem ad furtum partiale habens pro obiecto quantitatem excessiuam, quia furto partiali præsupposito, siue realiter siue per rationem habenti pro obiecto priorem partem furti, accidit furtum partiale subsequens, habens pro obiecto partem excessiuam furti; ac proinde hæc posterior pars excessiua furti est circumstantia furti partialis præsuppositi, est autem circumstantia aliquando realis, quando videlicet materia furti successiuè accipitur, & aliquando est circumstantia rationis, quando videlicet simul accipitur, imò tunc quantitas excessiua non est determinata materialiter, sed formaliter.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis quantitas excessiua materiæ furti non sit necessariò confitenda per se ratione aggrauationis, tamen aliquando per accidens est necessariò confitenda à pœnitente, aut ratione excommunicationis annexæ furto in ea quantitate, vt ab ea excommunicatione absoluat, saltem dicendo se furatum fuisse tantam quantitatem vt excommunicationem incurreret, aut ratione restitutionis, aut ratione pœnitentiæ medicinalis, vt in futurum caueat furtum, ob quæ pœnitens Confessario interroganti de quantitate determinata furti respondere tenetur, nisi pœnitenti aliàs constet; nec ratione restitutionis, nec ratione cautionis in futurum se indigere directione & consilio Confessarij, quia tunc non tenetur respondere, nec Confessarius poterit illi, quia non respondet, absolutionem negare, si verbis pœnitentis, aut aliter reddatur moraliter securus de prædictis: sicut nec pœnitens tenetur respondere de consuetudine peccandi, si ipsi constet non indigere directione Confessarij ad cautionem in futurum, nec Confessarius poterit illi absolutionem negare quia non respondet, si aliàs reddatur de eo moraliter securus.

Ad circumstantiam *quid* reducitur à Theologis circumstantia *circa quid*, qua explicatur persona, circa quam sit peccatum quoad eius conditiones & qualitates.

Circa hanc circumstantiam *circa quid*, seu *quid* supponimus, esse necessariò confitendam, quoties ratione

Suarez.

Ægidius.

Valentia.



ratione illius oritur aliqua malitia secundum speciem distincta, vt quando quis occidit suum patrem, aut Clericum.

Est tamen difficultas Primò, An circumstantia virginitatis personæ cum qua committitur fornicatio, ratione cuius fornicatio dicitur stuprum, vt quando quis violat virginem, sit necessariò confitenda.

Conueniunt Doctores, esse necessariò confitendam, quando violenter violatur virgo, quia tunc violatio supra speciem peccati luxuriæ contra castitatem, addit speciem peccati iniustitiæ; imò duplicem numero malitiam iniustitiæ, alteram, quia virgo violenter opprimitur, sicut quado quæcumque alia antea violata postea violenter opprimitur; alteram, quia violenter defloratur.

Est ergo difficultas, An quando virgo, ipsa consentiente, violatur, sit necessariò confitenda.

Non desunt, qui docent, etiam tunc esse necessariò confitendam, quia existimant intra latitudinem intemperantiæ speciem mutare.

Sotus verò in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Vasquez 1. 2. disp. 112. c. 1. Sancius 7. de Matrimonio disp. 14. Ægidius disp. 7. n. 19. & Reginaldus lib. 6. n. 128. docent, tunc non esse necessariò confitendam, & meritò: quia nullo fundamento constat tunc mutare aut addere speciem, imò non esse circumstantiam notabiliter aggrauantem. Quod etiam est verum, vt aduertit Ægidius, quamuis virgo sit sub custodia parentum, dum parentibus nulla inferatur violentia; quia hac seclusa, nulla alia illis irrogatur iniuria.

Secundò est difficultas, An consanguinitas, & etiam affinitas personæ ad quam luxuriosè acceditur, sit necessariò confitenda.

Conueniunt Doctores, circumstantiam tam consanguinitatis quam affinitatis esse necessariò confitendam, saltem sub nomine cognationis carnalis confitendo incestum, quia tam consanguinitas quam affinitas addit fornicationi oppositæ castitati nouam speciem incestus oppositi pietati.

Est tamen difficultas, An consanguinitas sit necessariò distinguenda ab affinitate, & gradus cuiuslibet inter se.

*Nauarrus.* Nauarrus c. 16. n. 3. quoad vtrumque affirmat, quia consanguinitas addit malitiam specie distinctam à malitia quam addit affinitas, & quilibet gradus eorum addit malitiam specie distinctam ab ea quam addit quilibet alius gradus.

*Caietanus.* Caietanus verò 2. 2. q. 154. art. 9. quoad vtrumque negat, quia malitia incestus, quam consanguinitas addit, est eiusdem speciei cum malitia quam addit affinitas; & malitia quam addit consanguinitas in quolibet gradu, est eiusdem speciei; & etiam malitia quam affinitas addit in quolibet suo gradu, est eiusdem speciei: quamuis malitia proueniens ex consanguinitate sit intra eandem speciem notabiliter maior, quam proueniens ex affinitate; & etiam malitia quam addit quilibet gradus supra alterum, propinquior videlicet supra remotiorem.

Nos tamen existimamus, consanguinitatem esse necessariò distinguendam ab affinitate, quia consanguinitas, vt pote cognatio secundum speciem distincta ab affinitate, addit malitiam specie distinctam à malitia quam addit affinitas. Difficile tamen existimamus, gradus ipsos consanguinitatis inter se, & gradus affinitatis inter se esse necessariò

distinguendos, quia difficile est gradus ipsos consanguinitatis inter se, vt pote inter se eiusdem speciei, & gradus affinitatis inter se, vt pote inter se eiusdem speciei, addere malitiam distinctam secundum speciem; quamuis intra eandem speciem addant notabiliter maiorem illi qui sunt propinquiore. Ob quod non desunt (vt Cord. q. 2. refert) qui existiment, gradus consanguinitatis non esse inter se necessariò distinguendos & explicandos, neque gradus affinitatis inter se, sed sufficere, si pœnitens dicat se personam consanguineam cognouisse, non declarando gradum consanguinitatis; & se personam affinem cognouisse, non declarando gradum affinitatis. Confessarius autem qui in confessione sollicitat feminam pœnitentem ad peccatum luxuriæ cum ipso, id tenetur in confessione explicare, quia præter peccatum luxuriæ contra castitatem, peccat etiam peccato sacrilegij contra reuerentiam sacram Pœnitentiæ, quia id est prohibitum intuitu reuerentiæ illius.

## Q V I S.

**C**irca circumstantiam *quis*, quæ conditionem & qualitatem personæ operantis inquirat, potest etiam esse difficultas circa virginitatem peccantis cum alio, & circa eius consanguinitatem & affinitatem. Idem tamen omnino dicendum est, ac dictum est de eisdem existentibus in persona cum qua peccatur, & pertinentibus ad circumstantiam *circa quid* aut *quid*.

Addunt nonnulli, dignitatem personæ peccantis esse necessariò confitendam. Id tamen absque fundamento dicitur, vt Ægidius aduertit num. 19. Fatemur, personam in dignitate constitutam suo peccato mortali publico non raro alios mortaliter scandalizare, seu ad peccandum mortaliter inducere: & in casu, in quo ad id inducat, est necessariò confitendum scandalum, quia ex eo quòd inducit ad mortale, aliud peccatum mortale committit, distinctum ab eo quo ad illud inducit; dignitas tamen personæ non est necessariò confitenda.

## V B I.

**C**irca circumstantiam *vbi*, per quam circumstantia loci explicatur, difficultas est, An quando peccatum mortale fit in loco sacro, circumstantia loci sacri sit necessariò confitenda.

Medina Cod. de Confessione, q. 9. de circumstantijs confitendis, partem affirmatiuam tuetur, quia quolibet peccato adhuc interiori fit irreuerentia loco sacro contra Religionem.

Caietanus verò, Suarez, Vasquez & Ægidius partem negatiuam tradunt, & meritò: quia peccata tantum homicidij & effusionis voluntariæ seminis, & etiam furti, addunt malitiam sacrilegij contra Religionem, ex eo quòd fiant in loco sacro, quia hæc tantum peccata sunt prohibita, & solo Iure humano, fieri in loco sacro, intuitu reuerentiæ talis loci. Imò addunt Lessius de Iustitia c. 45. Reginaldus lib. 14. n. 42. & Ægidius, non quodcumque furtum in loco sacro commissum addere malitiam sacrilegij, sed tantum quando subripitur res deposita, aut custodita in loco sacro tamquam in asylo; quia id tantum videtur prohibitum Iure humano, vt indicatur in can. *Quisquis* 17. q. 4. vbi furtum in loco sacro prohibetur.

In peccato autem sacrilegij sepeliendi excommunicatum non toleratum, & Paganum, & infidelem



delem baptizatum in loco sacro, & in peccato sacrilegij iudicis extrahentis delinquentem de loco sacro gaudentem immunitate illius, locus sacer non est circumstantia alterius peccati præsuppositi, respectu cuius possit esse circumstantia, quia in peccato sepeliendi excommunicatum, aut pagannum, aut infidelem baptizatum, nullum aliud est peccatum quam sacrilegij, quia sepelitur excommunicatus, aut paganus, aut infidelis baptizatus in loco sacro; & in dicto peccato sacrilegij iudicis, quamuis etiam sit aliud peccatū iniustitiæ contra delinquentem qui extrahitur, istud tamen non est prius, sed si aliquod est prius, est ipsū sacrilegium.

Circa circumstantiam *quibus auxilijs*, per quam instrumentum quo quis peccat explicatur, & etiam concausa, à qua quis ad peccandum iuuatur; & circa circumstantiam *cur*, per quam finis peccati ipsi peccato extrinsecus (qui dicitur finis operantis) explicatur, nihil peculiare dicendum occurrit, præter ea, quæ dicuntur in Tractatu de Peccatis.

## DIFFICULTAS V.

*Quomodo numerus peccatorum mortalium sit confitendus.*

Conueniunt, contra nonnullos Canonistas, reliqui Doctores, non sufficere pœnitenti, si dicat, se sapius peccasse mortaliter, v.g. se sapius furatum fuisse, sed ei necessarium esse omnia & singula peccata mortalia confiteri, vt exprimitur in Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. & satis significatur in Concilio Lateranensi II. c. 21. & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum in eis dicitur, omnia peccata mortalia esse explicanda in confessione. Non tamen est pœnitenti necessarium quolibet peccatū mortale seorsim in indiuiduo confiteri, sed ei sufficit omnia illa simul in aliquo numero confiteri, v. g. se viginti fornicationes commisisse, in quo Doctores communiter conueniunt, quia eo modo omnia & singula explicantur: imò etiam sigillatim modo requisito à Tridentino c. 5. quia ea particula *sigillatim* ab ipso addita, tantum denotatur esse confitenda in indiuiduo, & non sufficere illa tantum in genere, & in specie confiteri, vt patet ex contextu, & vt praxis & vsus fidelium declarauit.

Ita tamen numerus peccatorum mortalium confitendus est, vt si post diligentem discussionem possit certò Mathematicè confiteri, debeat sic fieri, aliàs non satisfiet necessitati & obligationi confitendi integrè omnia mortalia: quòd si non possit certò Mathematicè, & possit certò moraliter, addèdo paulò plus minùsve, verbi gratia, *comisi decem fornicationes, paulò plus minùsve*, sic facièdum est.

Addunt Sotus, Egidius, Ochagauia, quòd qui post confessionem factam, addendo paulò plus minùsve, recordatur se genus illud peccati aliquot paucis vicibus amplius commisisse, quorum in confessione non fuit memor, non teneatur vices illas confiteri, quia ratione particula *paulò plus minùsve* censetur sub priori numero comprehensæ, vt qui confitetur se fornicatum fuisse decem vicibus, paulò plus minùsve, & postea recordatur se alijs tribus vel quatuor vicibus fornicatū fuisse, non teneatur illas tres vel quatuor vices de nouo confiteri: quòd nos verù existimamus, quòd etiam postquam recordatus est, se illis tribus vel quatuor

vicibus amplius fornicatum fuisse, possit rectè & verè iudicare se decem vicibus fornicatum fuisse, paulò plus minùsve; non verò quando id non potest sic iudicare, & dicere, vel quia post confessionem iam pœnitenti constat de certo & determinato numero, nempe se duodecim vicibus determinatè fornicatum fuisse; vel quia post dictam recordationem, non possit verè & rectè iudicare, & dicere se fornicatum fuisse decem vicibus paulò plus minùsve, sed duodecim plus minùsve: quia sicut si in principio pœnitenti certò constaret se duodecim vicibus determinatè fornicatum fuisse, aut iudicaret se duodecim paulò plus minùsve fornicatum fuisse, teneretur sic confiteri, sic etiam teneretur post confessionem factam.

Est tamen difficultas, Quomodo explicandus sit numerus peccatorum mortalium à pœnitente, qui in aliquo genere peccati longo tempore vixit, & nequit congruam notitiam peccatorum habere, vt regulariter contingit meretricibus, quæ longo tempore cuilibet prostituta fuerunt; quia si haberi potest, dicendo quoties per diem aut per hebdomadam aut per mensem peccatum mortale commiserit, ad id tenetur.

Circa hanc difficultatem Sotus in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. Canus Relect. de Pœnitentia p. 5. §. Colligo tandem, Nauarrus c. 6. n. 15. Vasquez q. 91. art. 1. dub. 5. Egidius disp. 7. du. 7. Ochagauia q. 15. & cõmuniter Doctores docent, tunc pœnitenti, v.g. meretrici, sufficere animi præparationè confiteri, & tempus quo in eo genere peccati vixit, quia tunc nequit meliori modo numerū mortalium cõfiteri.

Curare tamen debet meretrix, aut Confessarius pro ea, vt numerus peccatorum mortalium extraordinariorum explicetur, quia iste aliquando facile explicari potest, vt peccatorum cum consanguineis, & cum Clericis Ordinis sacri, & cum Religiosis, & peccatorum contra naturam: & sæpè erit necessarium meretrici pro exacta numeri peccatorum confessione, circumstantiam loci explicare, quia pro oppidorum diuersitate solet esse maior aut minor fornicationum frequentia.

## DIFFICULTAS VI.

*Vnde sumenda & discernenda sit pluralitas & multiplicatio numerica peccatorum necessario explicanda in confessione.*

Supponimus, affectum interiorem efficacem voluntatis, & actum exteriorem (id est actum extra ipsam voluntatem) quem affectus ille habet pro obiecto, & in què consummatur, ita efficere vnum moraliter, aut in fundamèto generis moris, vt ad vnitatem numericam peccati requisita sit vnitatis numerica dicti affectus, & dicti actus exterioris. Ac proinde quando in aliquo eorum est pluralitas numerica, quamuis in altero sit vnitatis numerica, erit etià pluralitas numerica peccatorum & malitarum. Si enim affectus efficax voluntatis est duplex numero, quamuis actus exterior sit vnus, erit duplex numero peccatū: vt si quis habeat duplex propositum, seu duplicem affectum efficacem occidèdi aliquem, v.g. Petrum; & si actus exterior sit duplex numero, quauis affectus efficax sit vnus numero, erit etià duplex numero peccatum, vt quando quis habet vnum affectum efficacem, seu vnum propositum cõmittendi duo homicidia.

Hoc

Trident.  
Concilium  
Later II.  
Eugen. IV.

Sotus.  
Egidius.  
Ochagau.



Hoc ergo supposito, difficultas est, Vnde sumenda & discernenda sit vnitas, & vnde pluralitas tam affectus efficacis interioris seu propositi, quam actus exterioris.

Circa affectum efficacem voluntatis conueniunt Doctores, quod quamuis expressè cesset, & sæpè repetatur, censeatur vnus tantum moraliter, si virtualiter perseveret in aliquo opere procedente ab ipso affectu, siue ab eo proximè procedat, vt quando opus procedens ab eo affectu, est medium proximam fini intento per eum affectum efficacem; siue ab eo affectu procedat remotè, vt quando opus procedens ab eo affectu seu proposito est medium remotum fini intento per eum effectum, est tamen connexum, & concatenatum cum ipso fine: quia tunc effectus ille primus, quamuis desierit esse expressè, manet tamen virtualiter in opere illo procedente ab ipso primo affectu tanquam in suo effectu: affectus autem virtualis censeatur moraliter idem cum expresso, ac proinde quando affectus iterum expressè repetitur, non censeatur moraliter nouus & distinctus, sed idem cum primo expresso tunc virtualiter perseverante, ac proinde censeatur vnum tantum numero peccatum cum eo. Vnde quando quis existens Compluti, ex affectu efficaci occidendi inimicum existentem Toleti, quærit pecunias, conducit currum, & iter facit, quamuis ille sæpè obliuiscatur homicidij, & consequenter sæpè cesset ab expresso affectu homicidij, tamen dum perseverat in opere aliquo deriuato ex illo affectu & proposito, dicitur in hoc affectu virtualiter perseverare, & cum eo affectu continuatur moraliter quicumque alius affectus de nouo expressè elicitus. Imò addimus, affectum illum primum, dum virtualiter in opere aliquo permanet, etiam manere in se ipso actualiter & formaliter (quauis non expressè, sed confusè ex expresso physicè mutatum in confusum) quia non manet virtualiter in opere, nisi vt procedente ab ipso affectu, ac proinde non manet nisi in opere facto & amato vt vtili proximè ad actum, seu finem eo effectu intentum, vel vtili remotè, id est facto vt vtili ad aliud vtile ad illum actum, seu finem intentum eo affectu, siue proximè siue remotè.

Et idem ob eandem rationem contingit in effectu efficaci, qui etiam consummatur interiùs, vt est affectus occidendi aliquem ex displicentia illius, qui est vnus numero affectus, habens rationem prosecutionis respectu occisionis, & rationem fugæ seu odij respectu persone cui appetitur occisio, dum etiam perseverat virtualiter in aliquo opere deriuato ab ipso, sicut quando affectus occidendi non est odium.

At postquam primus affectus efficax retractatus est, quoties postea renouatur seu repetitur, discontinuatur etiam moraliter ab ipso primo affectu retractato, & est distinctum numero peccatum. In quo Doctores conueniunt, quia primus affectus dicta retractatione omnino desinit esse etiam habitualiter adhuc moraliter: imò vt optimè Vasquez 12. disp. 75. quando affectus efficax cessat non solum formaliter in se ipso, sed etiam virtualiter, quia nullum apponitur medium ad actum eo affectu intentum, vt quando quis in casu supra assignato non considerat homicidium adhuc confusè, nec aliud opus vt ordinatum ad homicidium (siue id proueniat ex naturali inconsidera-

tione, siue ex somno, siue ex aliqua alia occupatione) tunc quamuis non retractetur quoties repetitur, etiam in supra dicto progressu, discontinuatur etiam moraliter, & censeatur distinctum numero peccatum; quamuis primus effectus pro paruo tempore cesset, quia tunc verè sunt plures affectus physicè, quorum quilibet est malus, & non vnus ab altero, quamuis omnes sint mali ab vno opere intento, verbi gratia ab vno homicidio. Quòd verò primus affectus, quamdiu non retractatur, perseveret habitualiter, non sufficit vt dicatur continuari cum posteriori: quia quamdiu tantum manet habitualiter, non manet sufficiente modo vt sit peccatum actuale, & vt is, qui illum elicit, dicatur tunc peccare, sed tantum vt dicatur habere peccatum, aut esse in statu peccati; ergo non sufficit vt continuetur tamquam vnum actuale peccatum cum affectu sequenti, qui est peccatum actuale, quia eo tempore intermedio primus affectus desinit esse peccatum actuale; & quòd pro paruo tempore cesset seu interrumpatur, vt pro somno vnus noctis in dicto longo progressu ad homicidium, non sufficit vt dicatur moraliter continuari cum affectu sequenti (etiamsi quoad hoc Nauarrus cap. 6. num. 16. Canus Relectione de Pœnitentia parte 5. & Lorca 12. disp. 46. oppositum doceant) sicut nec sufficit pro affectibus interiùs tantum consummatis, vt statim dicemus. Imò addit Vasquez, primum affectum etiam discontinuari, & fieri distinctum numero peccatum naturali inconsideratione malitiæ ipsius affectus: vt si eliciens affectum in principio considerauit esse malum, & postea naturaliter diuertatur ab ea consideratione, quia tunc ex defectu considerationis malitiæ discontinuatur quoad malitiam, quia pro tempore dictæ inconsiderationis desinit habere malitiam, & esse peccatum.

Et nos addimus, etiam discontinuari naturali inconsideratione ipsius affectus, eo modo quo statim dicemus de affectu, qui interiùs tantum consummatur.

Affectus verò, qui interiùs tantum consummatur, & efficax non est (qualis non esse affectus odij, & qualis non est affectus simplex delectationis libidinosæ) quoties, physicè renouatur, est distinctus numero, etiam moraliter, & distinctum numero peccatum, quia tunc primus affectus non manet virtualiter in aliquo opere deriuato ab ipso affectu, cum inefficax sit, & effectum non habeat. Quod etiam est verum, vt optimè Vasquez contra Lorcam, quamuis inter vtrumque sit parua interruptio: quia quamuis vnitati numerice Sacramenti, & materiæ & formæ ipsius non obstat parua interruptio, quia vnitas Sacramenti instituta est à Christo non physica nec rigorosa moralis, sed lata accommodata, & congruens vsui humano in negotijs humanis, ad quam, vtpote latà, non requiritur omnimoda simultas adhuc moralis; obstat tamen vnitas inumerice peccati, quia hæc vnitas nō est ex beneplacito & institutione alicuius, sed ex natura rei: & ideo parua interruptio, quæ verè discontinuat actus & affectus non continuatos in aliquo effectu, seu opere deriuato, sufficiens est ad pluralitatem numericam peccati; aliàs duo odia physicè distincta, & duæ delectationes libidinosæ, si pro paruo tempore interrumpantur, essent vnum tantum numero peccatum, imò etiam duæ fornicationes pro paruo tempore interruptæ, quia ratio est eadem. Consequens autem

Nauarrus.  
Canus.  
Lorca.  
Vasquez.

Vasquez



autem quoad fornicationes est absurdum, & quoad odia & delectationes libidinosas est ad minus falsum, quâuis Lorca quoad odia & delectationes existimet verum. Imò addimus, dictum affectum interiùs tantùm consummatũ, quamuis idem expressè perseueret, discontinuari moraliter in consideratione naturali ipsius affectus habita tempore intermedio (id est, quando eum eliciens non aduertit tempore intermedio se eum elicere) quia tali inconsideratione discontinuatur vt humanus, & vt capax malitiæ, & etiam discontinuari inconsideratione naturali ipsius malitiæ habita tempore intermedio ipsius affectus, vt quando tantùm in principio & in fine aduertitur esse malus.

Circa actum exteriorem conueniunt Doctores, actus exteriores ordinatos ad aliquod peccatum, qui ex se seu ratione sui non habent aliquam malitiam, sed eam tantùm habent à peccato in quod ordinantur, quamuis sint physicè distincti adhuc secundùm speciem, ita moraliter continuari cum peccato ad quod ordinantur, vt non censentur peccata distincta nec inter se, nec ab illo ad quod ordinantur: vt quando quis ad occidendum inimicum querit illum, & conducit currum, & iter facit, & occidit, vnum tantùm comittit peccatum homicidij, dum procedant ex affectu occidendi non interrupto adhuc pro paruo tempore, nec in esse humani, nec quoad malitiam modis supradictis. Quod etiam est verum, quamuis dicti actus exteriores non sint inter se connexi, nec concatenati, dum fiant ex vno affectu non interrupto, & in ordine ad idem peccatum: vt quando quis ad homicidium querit pecunias, & conducit currum, & assumit enssem, siue fiant simul, siue pro diuerso tempore; quia tunc moraliter continuantur in vno affectu peccati ad quod ordinantur.

Addunt quoque Doctores, actus exteriores, qui ex se seu ratione sui ordinantur ad aliquod peccatum, quia sunt inchoationes ad illud, vt sunt tactus & amplexus libidinosi ad fornicationem, & percussiones ad nocumentum corporis, siue mortis, siue non tam magnum, quamuis ratione sui habeant propriam malitiam, non censeri moraliter peccatum numero distinctum ab eo in quod ordinantur, si fiant ex affectu dicti peccati, & non interrupto aliquo modo ex dictis: quia tunc ex se & ex affectu operantis non interrupto ordinantur in illud, ac proinde cum eo continuantur moraliter. Vnde in confessione sufficit homicidium absque percussione & earum numero, & fornicationem absque tactibus & eorum numero confiteri. Et id est verum, quamuis vnus actus ex his, quæ sunt media ad illud peccatum, non ordinetur in alterum actum, vt duo tactus, aut duæ percussiones, dum aliàs perseueret idem affectus illius peccati, quo ordinantur in illud: quia tunc quamuis non sint connexi inter se tanquam medium proximum, & remotum peccati ad quod ordinantur, connectuntur tamen in affectu ex quo procedunt, & in peccato ad quod ordinantur. Quòd si tactus, verbi gratia, non fiant ex affectu fornicationis, sed tantùm ob libidinem in ipsis repertam, si fornicatio postea fiat ex alio affectu, tunc erunt peccatum distinctum à fornicatione, quia tunc non ordinantur ad illam ex affectu operantis.

Addunt tamen Suarez & Vasquez contra Nauarrum & Lorcam, tactus & verba impudica post

fornicationem, quamuis fiant ad complementum fornicationis, & quasi appendix illius, esse peccata numero distincta à fornicatione antecedente, quia ex se (qua ratione habent propriam malitiam) tantùm sunt inchoationes nouæ fornicationis, & non complementum præteritæ, quia peccatum carnis suâ naturâ consummatur in fornicatione, quamuis operans sua voluntate possit ultra fornicationem ad alios tactus procedere.

Addunt quoque Nauarrus & Vasquez, vnum tantùm numero censeri peccatum, quando quis vno impetu aut conflictu efficit plures actus, qui ex se tendunt in vnum peccatum principale, vt quando quis vno impetu sæpiùs percutit. Et idem indicare videntur, quando quis vno impetu sæpiùs tangit & osculatur impudicè, etiam id non ordinando ad fornicationem, quia ex vna parte malitia eorum actuum non consummatur in ipsis; & ex altera, quamuis vnus actus ex se non sit inchoatio seu via ad alterum, tamen eo ipso, quòd vno impetu seu conflictu eos efficit, moraliter efficit priorem præambulum, & viam ad posteriorem. Et idem exprimunt de eo, qui vno conflictu sæpè offendit aliquem verbis iniuriosis, eiusdem rationis, vt eum sæpè appellando Iudæum, aut furem. Ratio huius esse potest, quia tunc communi aestimatione non censetur nisi vna numero iniuria.

#### DIFFICULTAS VII.

*Vtrum peccata mortalia dubia sint necessario confitenda.*

**D**ifficultas hæc procedit de peccatis mortalibus in puro dubio, id est, quando quis ita dubitat an commiserit peccatum mortale (siue quia dubitat an fecerit actum ipsum, v.g. an infamauerit, siue quia certus de actu, dubitat an sit mortalis) & quoad id ita suspensus manet, vt nulli parti, nec affirmatiuæ nec negatiuæ, probabiliter adhæreat; quia si pro parte affirmatiua habet probabilem assensum, & non pro negatiua, tenetur peccatum illud confiteri: & si pro vtraque parte habeat probabilem assensum, non tenetur illud confiteri, quia tunc potest sequi partem quam maluerit.

Circa difficultatem ergo conueniunt communiter Doctores, & merito, peccata mortalia in puro dubio esse necessario confitenda. Ita Suarez disp. 22. sect. 9. Sancius in Summa cap. 10. n. 66. Toletus lib. 3. cap. 7. Sà v. Confessio, nu. 7. & Turrianus disp. 29. dub. 6. quod indicat Tridentinum sess. 14. cap. 5. dum ait, fideles teneri ad confitendum omnia mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientiam habent: qui autem prudenter dubitat an commiserit mortale, verè habet conscientiam illius, quamuis dubiam. Et ratione probatur, quia in dubijs, præsertim facti, tutior pars est eligenda, vt dicitur in cap. *Ad audientiam* 12. & in cap. *Significasti* 16. & 18. de Homicidio, & in cap. *Iuuenis* 3. de Sponsalibus; aliàs purè dubitans, temerariè exponitur periculo peccandi; ergo qui est purè dubius an peccauerit mortaliter, tenetur id confiteri, ne se temerè exponat periculo non confitendi integrè mortalia. Et ob eandem rationem, qui certus est se peccatũ mortale commississe, dubitat tamen an illud fuerit confessus,



fectus, tenetur illud confiteri; nisi sit scrupulosus: quia iste, nisi sit certus se comisisse peccatum, & illud fuisse mortale, & illud non fuisse confessum, non tenetur illud confiteri, quia id ratio dicit in illo.

Observandum tamen est, peccatum mortale dubium confitendum esse tamquam dubium, aliàs confessio non erit vera, nec servabitur æquitas in iudicio confessionis. Si tamen post confessionem peccati tamquam dubij, adueniat pœnitenti notitia determinata peccati, sine certa, sine probabilis, tenetur in sequenti confessione illud tamquam determinatum confiteri, vel tamquam certum, vel tamquam probabile, eo modo quo iudicatur, ut advertit Sancius n. 69. quia necessarium est confiteri mortale, non minus quam ut est in conscientia. In casu autem dicto post confessionem illius tamquam dubij, est in conscientia pœnitentis tamquam determinatum, siue tamquam certum, siue tamquam probabile, & non fuit explicatum ut tale. Si tamen confessum fuit ut determinatum, & postea pœnitens definit habere notitiam determinatam, & incipiat habere dubiam, non est necessarium illud ut dubium confiteri, nisi id iudicetur necessarium, ne pœnitens maneat infamatus graviter apud Confessarium.

Qui autem confessus est mortale sub dubio, & non potest etiam aliud nec mortale nec veniale saltem iam confessum confiteri, vel quia non recordatur illius, vel quia iam non potest loqui, absolvendus est sub conditione. Quod si possit aliud ex dictis, ad id tenetur, ut contra Gertonem advertunt Suarez & communiter Doctores, quia Sacramenta absque gravi necessitate aut causa non sunt sub conditione perficienda.

## DIFFICULTAS VIII.

*Quale examen pœnitentis prærequiratur ad confessionem.*

Conveniunt Doctores, ad confessionem mortalem faciendam præsupponendum esse prudentem, seu cordatum & diligens examen (ut supponitur in Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 7. quia eo ipso quod præcipitur aliquis actus, etiam sunt sub obligatione illius præcepti omnia media necessaria ad eum actum. Ad confessionem autem integram omnium mortalium, quæ necessaria est, & sub præcepto, necessaria est discussio, & præmeditatio, & examē, ut patet: & non sufficit quodcumque examen, sed prudens & diligens, utpote ad confessionem moraliter integram, quæ nequit fieri nisi discussio præsupposita sit prudens & diligens.

Pro prudente autem & diligente peccatorum examine & discussione non potest certa aliqua regula tradi, ut advertit Vasquez q. 91. art. 1. dub. 6. Suarez disp. 22. sect. 10. Egidius disp. 7. dub. 9. & Reginaldus lib. 4. c. 2. quia ad prudentem & diligens examen habenda est ratio temporis à quo pœnitens non est confessus, & modi vivendi ipsius, & personæ eiusdem, quia rudiores non sunt ad tam exactum examen obligandi, ac ingeniosiores: imò contingere potest, pœnitentem esse adeo rudem, ut ad nullum examen obligetur, tamen tunc defectus pœnitentis supplendus est à Confessario suis interrogationibus.

Communiter ergo requiritur, & sufficit, quod examen sit mediocriter diligens, quale fieri solet à

viris prudentibus, & mediocriter timoratis, aut quale fieri solet à viris prudentibus in re gravi: sed non requiritur quale fieri solet in re gravi honoris, nec divitiarum, quia naturalis propensio ad honores & ad divitias excitat ad maiorem diligentiam, quam prudentia dicit; sed sufficit examen quale fieri solet in re gravi, cuius discussio & executio molestiam affert, qualis est discussio & confessio peccatorum, quia examen ad similes actus non fit communiter adhuc à prudentibus nimis exacte, retardante & reuocante ab eo propensione naturali excutiendi molestiam. Quod verum est, etiam si pœnitens credat, quod maiori aliqua diligentia supra mediocrem veteris sit in notitiam aliorum mortalium: & ob id, ut advertunt communiter Doctores, non est necessarium peccata mortalia scribere, quamvis timeatur, imò certo credatur obliuio aliorum; quia peccata scribere, est extraordinaria diligentia, & maior quam mediocris.

## DIFFICULTAS IX.

*Utrum aliquando sufficiat confessio peccatorum in communi, nullum peccatum in individuo explicando.*

Difficultas hæc procedit de eo, qui est in articulo mortis, & ita impeditus, ut nec verbis nec alijs signis possit peccatum aliquod in individuo exprimere, nec indicare; exhibet tamen signa siue doloris, siue alia quibus insinuat se peccasse sic in communi, & absolutionem desiderare: procedit autem quando confessio sic confusa sit Sacerdoti præfenti.

Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Abulensis super cap. 16. Matth. q. 69. Canus Relectione de Pœnitentia, par. 5. Ledesma 2. p. 4. q. 9. art. 5. dub. 2. & Nauarrus cap. 26. num. 27. docent, eam confessionem non esse sufficientem, ut pœnitens absoluitur: quibus favere videtur Tridentinum sess. 14. cap. 5. & can. 7. dum ait, non sufficere confessionem peccatorum in genere. Et ratione probatur, Primum, quia Sacerdos, utpote iudex, nequit iudicare & absolvere causam incognitam, ut exprimit Tridentinum ubi supra: confessione autem sic in confuso facta, non cognoscitur à Sacerdote causa de qua iudicaturus est, ut ex se patet, & etiam supponit Tridentinum, dum ex eo quod Sacerdos nequeat ferre iudicium, causam sibi incognitam, infert, confessionem peccatorum in genere non sufficere; ergo dicta confessio non sufficit, ut pœnitens iudicetur & absoluitur. Secundò, quia absolutio est actus prudentiæ, utpote actus & sententia iudicialis: prudentia autem tantum versatur circa singularia; ergo absolutio tantum potest cadere supra confessionem peccatorum in singulari. Tertio, quia si ad absolutionem sufficeret confessio illa peccatorum in communi, etiam posset absolui is qui nullo modo insinuat se peccasse, quia tali insinuatione nihil novi innotesceret Sacerdoti, quia absque ea moraliter est certum Sacerdoti, illum peccasse.

Paludan. verò in 4. dist. 21. q. 2. Antoninus 3. par. tit. 10. cap. 2. Medina Cod. de Confessione quest. 39. Suarez disput. 23. Tolet. lib. 3. cap. 8. Vasquez quest. 91. art. 2. dub. 1. & Egidius disp. 7. dub. 6. docent, & meritò, confessionem peccatorum

Sancius.

Suarez.

Trident.

Vasquez.  
Suarez.  
Egidius.  
Reginald.Sotus.  
Abulensis.  
Canus.  
Ledesma.  
Nauarrus.  
Trident.Paludan.  
Antonin.  
Medina.  
Suarez.  
Toletus.  
Vasquez.  
Egidius.



tum sic in communi in casu dicto esse sufficientem ad absolutionem. Quod sensit Pontifex, qui tempore Henrici IV. concessit Hispaniæ Bullam Cruciatæ, continentem indulgentiam pro his, qui cum signis tantum contritionis, nihil amplius potentibus, absoluebantur, ut refert noster Mariana lib. 22. suæ Historiæ cap. 18. & id exprimitur in Rituali Romano Pauli V. de Sacramento Pœnitentiæ pag. 45.

Mariana.

Et ratione probatur, quia quamvis ex institutione & ex iure Christi ad absolutionem obtinendam necessaria sit confessio omnium mortalium in specie & in individuo, quando moraliter fieri potest; nihilominus quando nequit fieri omnium, sed tantum alicuius, confessio illius sufficit ad absolutionem; ergo quamvis ex institutione & ex iure Christi necessaria sit confessio peccatorum in particulari ad absolutionem, quando sic fieri potest, nihilominus quando non potest sic fieri, sed tantum confessio peccati in communi, hæc sufficit ad absolutionem, cum aliàs sit vera confessio, & accusatio individua, & singularis, quamvis peccati in communi. Et confirmatur, quia qui certus est se peccasse mortaliter, & non recordatur cuius speciei peccato peccavit, tenetur ad sic generaliter confitendum, & ei sufficit ut absolvatur; ergo etiam confessio, qua quis confitetur se peccasse, quando nequit alio modo, sufficit ad absolutionem obtinendam.

Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

Ad dimus, ut optimè Vasquez Suarez, Ægidius, & ferè omnes Auctores nostræ dictæ opinionis, pœnitentem in dicto articulo existentem posse absolui non solum quando per se ipsum exhibet dicta signa Sacerdoti præsentem, ut diximus, sed etiam quando illa exhibuit in absentia Sacerdotis, si Sacerdoti aduenienti ad pœnitentem, & iam præsentem adstantes in præsentia pœnitentis testentur illa exhibuisse, ut exprimitur in Concilio Arausicano sub Leone I. & expressum fuit in Concilio Carthaginensi IV. cap. 36. & refertur in can. 75, qui pœnitentiam 26. q. 6. quod etiam expressit ipse Leo I. Epistolâ 91. ad Theodorum Episcopum, & exprimitur in dicto Rituali Romano, quod non contrariatur Decreto Clementis VIII. quo decreuit, confessionem absentem factam per litteras aut per internuntium, non esse licitam, ut ipse interrogatus respondit, & nos diximus Disp. VII. Difficul. v. quia confessio in casu præsentis Difficultatis non fit absentem, sed præsentem, quamvis non à pœnitente per se ipsum, sed per adstantes tamquam per testes, vel quasi per interpretes.

Conciliū  
Arausic.  
Carthag.

Leo I.

Tridentinum ergo ubi supra, dum significat non sufficere confessionem peccatorum in genere, sed requiri confessionem peccatorum in specie & in individuo, tantum loquitur quando confessio sic fieri potest.

Ad primam verò rationem concedimus, per se, seu quando moraliter fieri potest, Sacerdotem non posse iudicare & absoluerè causâ incognitâ in individuo, quod tantum voluit Tridentinum; non tamen quando non potest fieri physicè, aut moraliter, quia tunc sufficit cognitio causâ in communi.

Ad secundam respondemus, quod, ut absolutio sit actus prudentiæ, sufficit quod sit circa pœnitentem in particulari hoc aut illo modo dispositum, & individua confessione confitentem, quamvis peccata tantum in communi, quia ad actum prudentiæ non est necessarium, quod ad singularia

perueniatur, præsertim quando peruenire nequit.

Ad tertiam respondemus, quod quamvis absolutio possit conferri pœnitenti confitenti se peccasse, non tamè ei qui id non confitetur, quamvis Sacerdos id aliàs sciat absque confessione pœnitentis, quia in priori casu reperitur materia proxima absolutionis, nempe confessio pœnitentis, non verò in posteriori, quia scientia Sacerdotis non est materia proxima absolutionis.

Obseruandum est, ut optimè Suarez, Vasquez, & Ægidius, Confessarium, quamvis oppositè opinioni adhaereat, teneri sub mortali ad absolvendum hominem in articulo mortis constitutum dicta signa præsentem, quia id potest licitè facere, conformando se nostræ opinioni, cum sit probabilis; ac proinde obligatione misericordiæ spiritualis ad id tenetur, quia quilibet, quando licitè & absque incommodo, potest, tenetur proximo in tanta necessitate spirituali alterius vitæ existenti providere & succurrere.

Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

### DIFFICULTAS X.

*Utrum aliquando possint aliqua peccata mortalia omitti in confessione.*

Conueniunt Primò Doctores, pœnitentem existentem in articulo mortis, siue physico siue morali, & prudenter timentem non posse ob imminentem mortem omnia mortalia confiteri, posse omittere illa mortalia, quæ nequit absque dicto timore confiteri. Ita Vasquez q. 91. ar. 2. dub. 1. Suarez disp. 23. sect. 2, Ægidius disp. 7. dub. 9. Reginaldus lib. 5. c. 5. & Turrianus disp. 30. dub. 1. quia integritas confessionis mortaliū, instituta & præcepta à Christo, non obligat pro tanto periculo, moriendi videlicet abque absolutione, nec pro eo requisita est à Christo ad valorem Sacramenti.

Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.  
Reginaldus.  
Turrianus.

Conueniunt Secundò, quando Confessarius est in articulo mortis, & prudenter timetur eum non posse ante suam mortem omnia mortalia audire, posse pœnitentem ob rationem dictam illa peccata mortalia omittere, quæ timet non posse à Confessario audiri, si pœnitens ante suam mortem nequeat ab altero absolutionem expectare, ne scilicet pœnitens exponatur periculo moriendi absque absolutione. Addunt Vasquez & Turrianus, idem posse fieri, quando Confessarius prudenter timet infectionem morbi periculosi, si in audiendo pœnitentem detineatur, quia credi non potest, confessionem integram pro eo periculo præcipi à Christo, & ad valorem Sacramenti ab eo requiri. Quod si Confessarius adhuc cum tanto periculo detineri vult (ut laudabiliter potest) nequit pœnitens integritatem confessionis omittere.

Vasquez.  
Turrianus.

Tertiò conueniunt Doctores, idem posse fieri, quando sunt plures in periculo mortis constituti, ut in peste, aut in bello, aut naufragio, & prudenter timetur, Confessarium non posse omnia mortalia cuiuslibet ante mortem aliquorum aut alicuius audire, ne scilicet aliquis eorum exponatur periculo moriendi absque absolutione: imò iuxta ea quæ diximus Difficultate IX. quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul signo aliquo, ut genuflexione, significare se peccasse sic in communi, & de eo dolere, ut continget, si Confessarius dicat, Omnes, qui volunt à peccatis absolui, genuflectant; & tunc etiam possunt



possunt omnes simul absolui à Confessario, dicente, *Ego vos absoluo à peccatis vestris, &c.*

Quartò conueniunt Doctores, pœnitentem posse omittere confessionem alicuius mortalis, quando ex illius confessione prudenter timet graue aliquod damnum, quamuis solum corporale; & non tantum proprium, sed etiam Confessarij, aut alius personæ: quia præcepta positiua, quale est integritatis, non obligant cum graui dispendio; ac proinde integritas confessionis cum tanto dispendio non requiritur à Christo ad valorem Sacramenti. Quamuis in præsentī casu potius est differenda confessio, quàm mutilanda, si dilatione vitandum sit damnum, & dilatio fieri possit absque magno incommodo; quia si nequit absque eo differri, potius est mutilanda quàm differenda, vt si nequeat differri absque periculo moriendi sine absolutione, aut infamiae alicuius ponderis, aut priuationis magni fructus spiritualis, quæ erit in eo, qui ob id desistit pro non paruo tempore à solita frequentia confessionis & Communionis.

Obseruandum est, quoties ob aliquam causam ex dictis omittitur in confessione aliquod mortale, postea, si cesset causa, confitendum esse suo tempore mortale omissum.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum circumstantia complicitis, cuius explicatio necessaria est ad integritatem confessionis, possit aliquando omitti.*

**D**ifficultas hæc tantum procedit, quando confessio tantum potest fieri Sacerdoti, qui ex explicatione complicitis deueniet in notitiam illius, & nequit alteri fieri, saltem absque magno incommodo, quamuis solius dilationis notabiliter incommodæ, & quando ex explicatione complicitis non imminet ipsi complici aliud detrimentum, quàm infamatio apud ipsum Confessarium sub sigillo confessionis: quia si immineat aliud notabile, vt mors, vel notabilis infamatio extra confessionem, tunc circumstantia complicitis tacenda est, quia cum graui detrimento tertie personæ non est necessaria integritas confessionis, nec sub præcepto. Et etiam procedit, quando explicatio complicitis est apud Confessarium infamatio grauis: quia si, attentà personâ complicitis, & attentò peccato confessò, sit parui momenti, non est tacenda, quia absque graui causa non est mutilanda confessio.

*Marsilius.* Marsilius ergo in 4. quæst. 12. *Viguerius.* cap. 16. §. 4. num. 17. *Bañez.* 22. q. 33. art. 8. dub. 8. *Nauarrus.* cap. 7. num. 3. & *Valentia.* disp. 7. q. 11. puncto 1. docent, pœnitentem in casu dicto non solum non teneri explicare complicem, sed nec posse, quia quoties occurrunt duo præcepta, illud implendum est quod strictius obligat: in casu autem dicto occurrunt duo præcepta, nempe integritatis confessionis, & non infamandi proximum, ex quibus hoc posterius, utpote naturale, strictius obligat quàm illud prius, utpote positiuum, quamuis diuinum; ergo in casu dicto tacendus est complex, ne infametur.

*S. Thomas.* S. Thomas verò in 4. d. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 5. *Durandus.* q. 4. *Paludan.* d. 19. quæst. 2. *Vasquez.* quæst. 91. art. 2. dub. 2. *Suarez.* disp. 35. sect. 2. *Ægidius.* disp. 7. num. 89. & *Turrianus.*

disp. 30. dub. 2. docent, etiam in casu dicto explicandum esse complicem. Quod expressit Bernardus in Opusculo de formula honestæ vitæ, in fine, dum ait: *De nullo sinistro loquaris nisi in confessione; & hoc, ubi non potes aliter peccatum tuum manifestare.* Et merito: quia præceptum naturale non infamandi proximum non obligat absolute & in omni euentu, sed tantum existentibus aut deficientibus aliquibus circumstantiis; quod etiam conuenit aliis non paucis præceptis naturalibus, adhuc præceptis non accipiendi alienum, imò & non occidendi: quia infamare proximum, & eius bona accipere, imò eum occidere, fieri possunt ex rationabili causa; reus enim aliquando detegit crimina occulta testis, quando necessarium est ad infirmandum testimonium illius. Ergo si reuelatio & infamatio complicitis est necessaria ad integritatem confessionis, potest licite fieri. Antecedens patet. Consequentia autem probatur, quia ex vna parte integritas confessionis à Christo præcepta, & requisita ad valorem Sacramenti, est ex suo obiecto maioris momenti, quàm non infamare proximum apud vnum tantum Confessarium, & sub sigillo confessionis; & ex altera parte proximus sic infamandus, fuit socius & cooperans ad peccatum pœnitentis; ergo integritas confessionis est causa satis rationabilis, vt complex potest sic reuelari & infamari; ergo in casu dicto ob necessitatem & præceptum integritatis confessionis reuelandus est.

*Bernard.*

Addidimus, & ex altera parte proximus sic infamandus, fuit socius & cooperans ad peccatum pœnitentis; quia quando proximus infamandus ex confessione peccati, non fuit socius & cooperans ad peccatum, integritas confessionis non est sufficiens & rationabilis causa ad infamandum illum, quia esset nimis durum, eum, qui non fuit cooperans ad peccatum, grauius infamari ex confessione illius peccati. Ob quod filius, qui suam matrem viduam, quam inuenit ex prauo concubitu grauidam, occidit, nequit adhuc in casu nostræ Difficultatis peccatum iniustitiæ contra prolem in utero existentem confiteri, ne concubitum matris reuelet, quia mater non est cooperata ad iniustitiam occisionis prolis.

Deinde addidimus in primo consequenti, ergo si reuelatio & infamatio complicitis est necessaria ad integritatem confessionis, potest licite fieri; quia quando infamatio complicitis, aut alia damnificatio, non est per se necessaria ad integritatem confessionis, sed aliunde per accidens ex reuelatione complicitis timetur, non est reuelandus complex: vt quando pœnitens timet complicem reuelatum infamandum esse à Confessario apud alios, aut occidendum; quia tunc integritas confessionis non censetur causa sufficiens infamandi complicem, cum ad integritatem confessionis non sit per se necessaria infamatio complicitis apud alios, nec occisio illius, quia sunt extrinsecæ confessioni, & ei per accidens adueniunt.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, præceptum integritatis confessionis esse positiuum, & præceptum non infamandi proximum esse naturale, & præceptum naturale, quamdiu perseuerat, strictius obligare quàm positiuum: nihilominus quia præceptum naturale non infamandi proximum complicem in casu dicto ob occursum præcepti positiui non perseuerat, sed cessat,

O

non



non præcisè quia positium sit fortius, sed quia positio præcepti positui integritatis confessionis est circumstantia & causa, & ratio sufficiens vt infametur proximus, & vt cesset præceptum illud naturale.

Vasquez.  
Ægidius.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Ægidius, quòd quando ad reuelationem complicis necessaria est fractio sigilli alicuius confessionis factæ, tunc non est reuelandus complex, quia sigillum confessionis est multò maioris momenti, quàm integritas confessionis.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe ex defectu integritatis confessionis.*

Paludan.  
Sorus.  
Caietanus.  
Victoria.

**P**aludanus in 4. dist. 17. q. 5. art. 3. Sorus d. 18. q. 3. art. 3. Caietanus v. *Confessio* condit. 10. & Victoria in Summa n. 160. docent, Sacramentum Pœnitentiæ posse esse informe (id est validum, & absque effectu) ex defectu integritatis confessionis, quando scilicet in confessione omittitur peccatum mortale ex negligentia, aut ex ignorantia culpabili. Et in primis, quòd tunc Sacramentum careat effectu dubitari non potest, quia omisio illa est mortalis. Quòd verò tunc sit validum (ac proinde non necessariò repetendum) probatur, quia aliàs onus confessionis esset nimis graue, durum, & rigidum, & laqueis iniiciendis expositum.

Medina.

Medina verò Cod. de Confessione q. 23. de

Confessione dimidiata iteranda, Suarez disp. 33. sect. 4. Vasquez quæst. 92. art. 3. dub. 1. Turrianus disp. 28. dub. 3. & Ochagauia Tract. 2. q. 31. docent, Sacramentum Pœnitentiæ non posse esse informe ex defectu integritatis confessionis, sed in casu aduersariorum etiam esse nullum (ac proinde necessariò repetendum) & meritò: quia integritas confessionis, quæ sufficit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nempe integritas formalis, id est confessio more humano & prudenti integrè facta, ac proinde absque negligentia culpabili, etiam est requisita ad valorem & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, vt significatur in Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 7.) quia sicut ad absolutionem, vt pote sententiam, prærequiritur essentialiter confessio, ita etiam ad illam, vt pote sententiam iustam, prærequiritur essentialiter confessio more humano & prudenti integra, ac proinde facta absque negligentia culpabili saltem grauitè; ergo eo ipso, quòd confessio, quantum est ex parte integritatis, sufficit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, eo ipso sufficit ad effectum illius, & consequenter nequit esse informe ex defectu integritatis confessionis.

Quòd verò Sacramentum Pœnitentiæ fiat nullum, & consequenter sit necessariò repetendum, quando confessio culpabiliter non fit integra adhuc ex negligentia & ignorantia culpabili, non debet graue, durum, & rigidum censeri; quia emendare quod culpabiliter fuit omisum, non est censendum rigidum. Nihilominùs quamdiu ratione cordata & prudenti non constat, aut prater non dubitatur confessionem fuisse culpabiliter mutilatam, non est necessariò repetenda.

# DISPUTATIO X.

## De ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

### DIFFICULTAS I.

*Vtrum in extrema necessitate, Sacerdote deficiente, sit necessarium laico confiteri.*



**S**UPPONIMVS contra hæreticos, in solis Sacerdotibus esse potestatem & iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, vt traditio ipsa ostendit nobis, constans perpetuo Ecclesiæ vtu & praxi. Et definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 14. cap. 6. & can. 10. & constat ex eo, quòd illis solis conuenit dicta potestas & iurisdictione, quibus specialiter dicitur illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* id autem solis Sacerdotibus in ipsorum ordinatione dicitur.

Est tamen difficultas, An, quamuis in laico non sit potestas & iurisdictione ad absoluendum à peccatis, nihilominùs in articulo mortis ipsi, quamuis non potenti absoluere, sit necessariò facienda confessio, quando deficit Sacerdos.

Magister.

S. Thomas.

Cyprianus.

Magister in 4. dist. 17. art. 3. partem affirmatiuam tuetur, cui consentire videtur S. Thomas eadem distinct. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 2. ad 1. & docere videtur Cyprianus lib. 3. Epistola 17. dum ait: *Si quis oppressus infirmitate, non potuerit expe-*

*tere aduentum Sacerdotis, reconcilietur per Diaconum, facta priùs confessione.* & indicari videtur Iacobi 5. illis verbis, *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Bonauentura verò, Scotus, Durandus, Gabriel, Paludanus, & communiter Scholastici in 4. dist. 17. Suarez disp. 24. Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 1. Ægidius disp. 8. dub. 1. & communiter Theologi partem negatiuam tradunt, & meritò: quia id nec est necessarium Iure aliquo Christi, quia confessio instituta & præcepta est à Christo tantum in ordine ad absolutionem à peccatis obtinendam; laicus autem numquam, nec in articulo mortis, potest ab illis absoluere, quamuis deficiat Sacerdos; nec Iure aliquo Ecclesiastico, quia Ecclesia numquam præcepit confessionem, nisi in ordine ad eundem finem ad quem Christus illam instituit & præcepit: ob humilitatem autem non est necessariò laico facienda, vt patet; imò nec licitè ei fiet, si ex ea timeatur grauis aliqua infamia, & aliàs non appareat grauis aliqua necessitas aut vtilitas consilij aut auxiliij.

Cyprianus verò non loquitur de reconciliatione Sacramentali, sed de reconciliatione externa, qua publici pœnitentes in foro externo reconciliabantur cum Ecclesia. Et Iacobus aut non loquitur de confessione Sacramentali, sed de ea quæ fit ad capiendum consilium; aut si loquitur

Bonauent.  
Scotus.  
Durandus.  
Gabriel.  
Paludan.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.



quitur de Sacramentali, ita faciendâ est alterutrum, vt non fiat cuiuslibet indiscriminatim, sed tantum Sacerdoti.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum quilibet Sacerdos possit Sacramentaliter à peccatis absoluerè.*

Conueniunt Catholici, non omnes Sacerdotes posse licitè absoluerè quoscumque pœnitentes indiscriminatim, quia id est prohibitum saltem Iure Ecclesiastico.

Est tamen difficultas, An quilibet Sacerdos possit validè quemcumque pœnitentem absoluerè.

*Armacan.*

Armacanus lib. 1. Quæstionum Armenicarum cap. 4. partem affirmatiuam tuetur (in quam inclinat Almainus in 4. d. 17. art. 4. & probabilem censet Durandus d. 19. q. 2.) quia Sacerdotes in sui ordinatione, quæ fit verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, &c.* quibus institutum fuit Sacramentum Pœnitentiæ, verè & completè fiunt iudices, & accipiunt iurisdictionem completam ad id, & non ab Ecclesia; ergo Ecclesia nequit potestatem ad absoluendum impedire, vt non habeat effectum, sicut nec potestatem ad consecrandum, quia Ecclesia non potest mutare ministrum à Christo præscriptum, nec eum impedire, vt validè efficiat id ad quod præscriptus est à Christo. Et confirmatur, quia si Sacerdos acciperet immediatè ab Ecclesia potestatem completam ad absoluendum, & non immediatè à Christo ex vi verborum quibus ordinatur, à nullo posset Pontifex absolui, quia ipse, vt pote supremus in Ecclesia, nulli potest communicare iurisdictionem supra se, vt absolueretur à peccatis, sicut nec vt excommuniceretur.

*Sotus.*

*Nauarrus.*

*Suarez.*

*Vasquez.*

*Ægidius.*

*Trident.*

Sotus verò in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. Nauarrus c. 4. num. 2. Suarez disp. 24. sect. 2. Vasquez q. 93. art. 1. dub. 2. Ægidius disp. 8. dub. 2. & communiter Doctores docent, & meritò, non posse quemlibet Sacerdotem validè absoluerè Sacramentaliter quemcumque pœnitentem. Quod supponit Tridentinum sessione 14. c. 7. dum ait, nullius esse momenti absolutionem collatam à Sacerdote non habente iurisdictionem ordinariam, vel delegatam: quibus verbis manifestè supponit, esse aliquos Sacerdotes, qui ex defectu iurisdictionis saltem completæ non possunt validè absoluerè à peccatis, quod ampliùs constabit Difficultate sequenti.

## DIFFICULTAS III.

*A quo Sacerdotes accipiant iurisdictionem ad absoluendum à peccatis.*

Conueniunt Primò Doctores, Sacerdotes omnes in sui ordinatione, ac proinde à Christo, seu ex institutione Christi, accipere potestatem quamdam ordinatam, & requisitam ad absoluendum Sacramentaliter à peccatis, vt constat ex verbis ipsis, quibus ordinantur, nempe, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, &c.*

Conueniunt Secundò contra Armacanum, dictam potestatem ad absoluendum à peccatis in ordinatione immediatè à Christo acceptam, non esse sufficientem ad validè absoluendum, aliàs quilibet Sacerdos, quacumque prohibitione Ec-

clesiæ existente (vt modò existit) validè absolueret, quod est contra Tridentinum sess. 14. c. 7.

Est tamen difficultas, An dicta potestas in ordinatione accepta, sit etiam potestas iurisdictionis ad absoluendum, an tantum præsupposita, & prærequisita ad potestatem iurisdictionis.

Bonauentura in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 2. Medina Cod. de Confessione quæst. 35. Suarez disp. 16. sect. 3. & Ægidius disp. 8. dub. 2. docent, potestatem ad absoluendum in ordinatione à Christo acceptam, non esse potestatem iurisdictionis, sed præsuppositam ad hanc, & hanc Sacerdotes accipere ab Ecclesia, præsupposita potestate illa Ordinis accepta à Christo (excepto Pontifice, qui etiam potestatem iurisdictionis accipit immediatè à Christo) & ex defectu potestatis iurisdictionis non posse Sacerdotem ex vi suæ ordinationis solius aliquem à peccatis absoluerè.

*Bonauent.*

*Sotus.*

*Medina.*

*Suarez.*

*Ægidius.*

Maior verò in 4. d. 19. q. 1. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 4. Angelus v. *Confessio* 3. n. 4. Nauarrus c. 4. n. 3. Vasquez q. 93. art. 1. dub. 3. & Turrianus disp. 23. dub. 2. docent, & meritò, dictam potestatem ad absoluendum, quam Sacerdotes accipiunt à Christo in sui ordinatione, esse ipsam potestatem actiuam iurisdictionis ad absoluendum à peccatis. Quod satis significat Tridentinum sess. 15. c. 5. dum ait, Christum Sacerdotes constituisse iudices ad absoluendum à peccatis: supponit ergo, Sacerdotes in sui ordinatione à Christo instituta accipere iurisdictionem actiuam ad absoluendum à peccatis, quia iudex iurisdictione actiua constituitur, & est iudex.

*Maior.*

*Antoninus.*

*Angelus.*

*Nauarrus.*

*Vasquez.*

*Turrian.*

Et ratione Theologica probatur, quia Sacerdotes verbis illis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, &c.* quibus ordinantur, accipiunt potestatem ad absoluendum à peccatis, vt Tridentinum docet, & patet ex ipsorum verborum significatione; sed potestas ad absoluendum à peccatis est potestas iurisdictionis, quia est potestas ad dicendum ius, & ad ferendam sententiam absolutionis; ergo Sacerdotes ex vi suæ ordinationis à Christo accipiunt iurisdictionem actiuam ad absoluendum à peccatis; ac proinde potestas iurisdictionis in Sacerdotibus est indistincta à potestate Ordinis ad absoluendum à peccatis, cum sit potestas ad absoluendum ex vi ordinationis collata.

*Trident.*

Vnde quando in Sacerdotibus absolutè distinguitur potestas Ordinis à potestate iurisdictionis, nomine potestatis Ordinis, intelligitur potestas ad consecrandum, quia hæc nullo modo est iurisdictionis: & nomine potestatis iurisdictionis intelligitur potestas ad absoluendum à peccatis, quia quamuis hæc sit Ordinis, etiam est iurisdictionis.

Addimus contra Nauarrum, vt optimè Maior, Angelus, Antoninus, Vasquez & Turrianus, dictam potestatem & iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, conuenientem Sacerdotibus ex vi ordinationis, non esse ex se completam, & sufficientem ad validè absoluendum; aliàs absolutio validè conferretur à Sacerdote, quamuis prohibito absoluerè, sicut etiam validè fit consecratio, quamuis Sacerdos prohibitus sit consecrare; sed vt prouenientem à Christo ex vi ordinationis, esse insufficientem, & inchoatam ad validè absoluendum, quia dicta potestas & iurdictio, vt à Christo ex vi ordinationis collata, est absoluta, nullum subditum saltem determinatum respiciens, quia vt sic non

*Trident.*

*Maior.*

*Angelus.*

*Antoninus.*

*Vasquez.*

*Turrian.*



respicit omnes pœnitentes tamquam subditos, ut patet ex dictis; aliàs quilibet pœnitens validè absolueretur à quolibet Sacerdote: nec respicit aliquem subditum determinatum, ut etiam patet: perfici tamen ab Ecclesia, quando Sacerdotibus designat subditos (sive designatione ordinaria tamquam propriis pastoribus, qua ratione diœcesani designantur suo Episcopo, & parochiani suo Parocho; sive designatione ex commissione, seu ex delegatione, & non tamquam propriis Pastoribus) quia designatione subditorum facta ab Ecclesia, potestas & iurisdicção in ordinatione collata respicit subditos designatos, quo completur & perficitur, quia ea designatione fit potestas & iurisdicção ad absolvendum determinatè subditos designatos. Vnde designatione subditorum facta ab Ecclesia, dicta potestas & iurisdicção in ordine collata non tantùm completur & perficitur, sed etiam fit ordinaria aut delegata.

Ex dictis constat, absolutionem prolatam in illum qui aliquo ex dictis duobus modis non est designatus tamquam subditus absolventi, esse nullam, quia absque dicta assignatione vno aut altero modo facta absolvens, non habet iurisdicçãoem in illum.

Quia ergo iurisdicção, prout in ordinatione collata, quamvis sit vera iurisdicção, & superioritas, & relatio, quia tamen est incompleta, & inchoata, idè potest esse absque subiectione passiva, & absque inferioritate alicuius ipsi correspondente, seu absque eo quòd respiciat terminum aliquem saltem determinatum, & in particulari: quod possibile est, & facilè intelligi potest in relationibus seu respectibus moralibus prouenientibus ex libera voluntate & institutione qualis est dicta iurisdicção, & superioritas: possibile enim est & facile Episcopo, designare aliquem in eleëmofynarium, remittendo in posterum designationem pauperum quibus danda est eleëmofyna.

Constat ergo ex dictis, non quemlibet Sacerdotem posse validè absoluerè, sed tantùm illum qui ab Ecclesia preficitur in iudicem aliquorum, determinatè eos illi subditos designando, sive assignatione ordinaria, sive delegata: & Pontificem, dum eligit sibi Confessarium, non tribuere illi iurisdicçãoem, seu iurisdicçãoem à Christo in ordinatione collatam perficere & complere, se ipsum illi subditum in eo foro designando ex generali potestate, quam habet designandi subditos Sacerdotibus.

#### DIFFICULTAS IV.

*Quis Sacerdos possit Sacramentaliter à peccatis absoluerè.*

Conueniunt Primò Doctores, quemlibet Sacerdotem, habentem iurisdicçãoem ordinariam in aliquem, posse illum Sacramentaliter à peccatis absoluerè, quia eo ipso habet iurisdicçãoem completam in illum: Sacerdos autem ille dicitur habere iurisdicçãoem ordinariam in aliquem, qui eam habet ex vi muneris, seu officij instituti ex Iure ordinario, sive diuino, sive humano, ut Parochus respectu suorum parochianorum, & Episcopi respectu suorum diœcesanorum, & Pontifex respectu fidelium totius Ecclesiæ. Et quilibet ex his tribus, & non tantùm Parochus, dicitur

proprius Pastor, & proprius Sacerdos, non proprius prout distinguitur contra communem & vniuersalem, sed prout distinguitur contra alienum, qua ratione proprius Sacerdos sumitur in cap. *Omnis vtriusque sexus*, 12. de Pœnitentiis & remissionibus, & non tantùm pro Parocho, dum dicitur: *Omnis vtriusque sexus fidelis, saltem semel in anno proprio Sacerdoti confiteatur, & non alieno, nisi de licentia proprij.* ut contra Canum Relect. de Pœnitentia p. 5. & contra Suarez disp. 25. sect. 2. aduertunt Sotus in 4. d. 18. quæst. 4. art. 2. & Valquez q. 93. art. 2. dub. 1. tum quia in dicto c. *pro-* prius contraopponitur *alieno*, tum etiam quia in eo cap. nomine *proprij* intelligitur ille, cui, aut de cuius licentia faciendâ est confessio, qua satisfiat præcepto annuæ confessionis, quia de eo Sacerdote est ibi tantùm sermo: cuiusque autem habenti iurisdicçãoem ordinariam, etiam Pontifici, & aliis ex licentia cuiuscumque habentis illam, potest fieri confessio, qua satisfiat præcepto annuæ confessionis. Et eodem modo sumitur proprius Sacerdos in Extrauag. *Vices*, de Tregua & pace, & in Extrauag. *Vas electionis*, de Hæreticis, quia Pontifices in his Extrauagantibus assumunt prædicta verba ex dicto cap. *Omnis vtriusque sexus*, mentionem illius facientes, & alludentes ad verba illius: imò in dicta Extrauag. *Vas electionis* notari videtur quidam Doctor, quia nomine proprij Sacerdotis intelligat Parochum.

Archiepiscopus verò non habet iurisdicçãoem ordinariam in subditos Episcoporum sibi suffraganeorum, nisi dum visitat, ut constat ex cap. final. de Censibus, in 6. ac proinde tunc tantùm, & non alio tempore, potest illos Sacramentaliter absoluerè, & iurisdicçãoem ad id aliis delegare.

Ut verò quis dicatur habere aliquem Episcopum aut Parochum ut proprium Sacerdotem, & ut ab eis possit Sacramentaliter absolui absque licentia alicuius, non est necessarium quòd in eius Episcopatu aut Parochia habeat domicilium (id est quòd habitet in eo Episcopatu, aut in ea parochia, animo ibi in perpetuum commorandi) ut contra Glossam in cap. *Is qui*, de Sepulturis, in 6. contra nonnullos alios docent Suarez disp. 25. sect. 2. Egidius disp. 8. num. 21. & Sancius lib. 3. de Matrimonio disp. 19. quia sufficit in eo Episcopatu aut in ea Parochia habitare, animo commorandi per medietatem anni, paulò plus minùsve, ut contingit Scholasticis in Academiis, & militibus in prædiis, & mercatoribus in alienis oppidis; ac proinde isti poterunt prout voluerint confiteri, vel Pastori loci, in quo modo dicto habitant, aut in quo habent domicilium, quamvis in alio loco toto anno habitent, aut alij, de vtriuslibet licentia.

Obseruandum est, ut optimè Suarez & Egidius, posse Episcopum extra suum Episcopatum, & Parochum extra suam parochiam confessionem sui subditi audire, quia iurisdicção, quæ fit sine strepitu, potest extra proprium territorium exerceri, ut ostendit Sancius 3. de Matrimonio, disp. 19. num. 8.

Conueniunt Secundò Doctores, Sacerdotes habentes iurisdicçãoem delegatam seu commissam in aliquem, posse illum Sacramentaliter absoluerè, quia eo ipso habent iurisdicçãoem completam in illum: quilibet autem proprius Sacerdos, nempe Rom. Pontifex, & Episcopus, & quilibet

Sotus.  
Valquez.

Suarez.  
Egidius.  
Sancius.

Suarez.  
Egidius.

Sancius.



libet alius habens iurisdictionem Episcopalem, & Parochus, potest eam iurisdictionem pro suis subditis delegare & committere, vt manifestum est.

*Henriq. Suarez. Egidius.*  
 Circa Episcopum, Henriquez lib. 7. cap. 21. Suarez disp. 26. sect. 3. Egidius disp. 8. dub. 20. & Sancius 8. de Matrimonio disp. 28. docent, illum posse dictam iurisdictionem in perpetuum delegare durantem post mortem ipsius, & eam sic conferre, quoties absolurè & absque limitatione illam confert. Aliàs grauissima inconuenientia orirentur, quando Episcopus moritur ignorantibus Confessariis longè distantibus, & confessiones audientibus, quia itæ confessiones essent nullæ.

*Paludan. Antonin. Angelus. Siluester. Vasquez.*  
 Paludanus verò in 4. dist. 17. q. 4. art. 3. Antoninus tit. 17. c. 9. Angelus v. *Indulgentia*, num. 7. Siluester eodem v. num. 18. & Vasquez q. 93. art. 2. dub. 2. docent, Episcopum non posse dictam iurisdictionem in perpetuum durantem post ipsius mortem delegare, ac proinde eam, quamuis absolurè delegatam, morte Episcopi delegantis expirare, & meritò: quia Episcopus circa hanc materiam nequit legem perpetuam condere, ergo nec perpetuum priuilegium circa eam concedere.

Nihilominus confessiones in casu aduersariorum sunt validæ, quamuis factæ sint absque iurisdictione habituali, sola iurisdictione actuali dictis Confessariis pro singulis confessionibus collata ab Ecclesia ob titulum coloratum, quem habent, & ob communem ignorantiam populi, iuxta ea quæ dicemus Difficultate v. r.

Addimus tamen, approbationem sufficientiæ Confessarij factam ab Episcopo, aut ab eius Vicario, vtpote sententiam sufficientiæ illius, perseuerare post mortem approbantis: quod verum existimamus, etiam quando addit, *quamdin nobis placuerit*; quia hoc addito non tam significatur perseuerantia consensus positiui dictæ approbationis, qui post mortem perseuerare nequit, quàm non reuocatio approbationis, morte autem non reuocatur approbatio.

*Vasquez. Egidius.*  
 Tandem (vt aduertit Vasquez vbi suprâ, & Egidius dub. 4.) Vicarius, seu locum-tenens proprij Sacerdotis, adhuc Parochi, potest iurisdictionem ad absoluendum à peccatis delegare, quando ipsi Vicario seu locum-tenenti non solùm delegata est iurdictio ad absoluendum, sed ei substituitur totum officium & plena potestas proprij Sacerdotis.

#### DIFFICULTAS V.

*Qua ratione delegetur & committatur iurdictio ad absoluendum à peccatis.*

**S**upponimus, necessarium esse, quòd delegatio iurisdictionis ad absoluendum à peccatis fiat signis externis; & non sufficere, quòd fiat mentaliter tantùm, quia absque signis externis non fit humano modo.

Hoc supposito, Primò est difficultas, An dicta iurdictio delegetur per ratihabitionem futuram post collatam absolutionem, quando probabiliter præsumitur futura.

*Raimund.*  
 Raimundus in Summa tit. de Pœnitentiis & remissionibus, §. 15. partem affirmatiuam tuetur; quia, vt dicitur in Regula iuris 10. in 6. *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur*, ergo iurdictio ad absoluendum non minùs delegatur

ratihabitione futura, quàm mandato seu commissione expressè facta ante absolutionem.

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. Suarez disput. 26. Vasquez quæst. 93. art. 2. dub. 2. Egidius disp. 8. dub. 5. Turrianus disp. 24. Ochagavia quæst. 36. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia ratihabitio futura post absolutionem non est quando fit ipsa absolutio, sed erit post absolutionem; ergo non sufficit ad tribuendam iurisdictionem ad eam absolutionem.

Regula autem illa Iuris, *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur*, tantùm habet locum, quando valor actus pendet ex sola voluntate ratiu habentis: ac proinde non habet locum in absolutione, cuius valor dependet ex eo quòd conferatur ab habente iurisdictionem eo tempore quo confertur absolutio.

Secundò est difficultas, An præsens ratihabitio tacita (vt quando alienus Sacerdos audit confessionem, & proprius sciens eum non habere iurisdictionem ad id, videt, & non contradicit, cum facillè possit) sufficiat ad delegandam iurisdictionem.

Non desunt, qui negent præsentem ratihabitio-nem tacitam sufficere, id tamen negant absque idoneo fundamento; & idè Suarez, Turrianus, Egidius & Ochagavia docent, sufficere, & meritò: quia dicta ratihabitio, vtpote ante absolutionem existente, & signo exteriori explicata, nempe dicta visione, & non contraditione facili, verè confertur iurdictio. Et eodem modo, vt aduertunt Vasquez & Egidius, consuetudo audiendi confessiones, sciente & non contradicente proprio Pastore, sufficit ad delegandam iurisdictionem ad absoluendum, quamuis consuetudo incipiat & introducatur aliquibus confessionibus inualidis, factis ante sufficiens signum ratihabitio-nis proprij Pastoris.

Tertiò est difficultas, An iurdictio petita, & non obtenta, sufficiat ad validam absolutionem.

Non desunt, qui existiment sufficere, quia id videtur haberi in can. *Placuit*, de Pœnitentia, distinct. 6.

Suarez verò disp. 27. num. 20. & communiter Doctores existimant, non sufficere, & meritò: quia ea petitio non sufficit Iure naturali, vt patet; nec Iure aliquo positiuo, quia nullibi reperitur, nec in dicto can. *Placuit*, quia in eo potius absque petitione iurisdictionis conceditur facultas eligendi Confessarium in casu illius canonis, nempe quando proprius Parochus est ignorans.

Quartò est difficultas, An licentia seu iurdictio per vim, aut metum, aut fraudem extorta, sufficiat.

Sancius 3. de Matrimonio, disp. 39. & Egidius num. 39. affirmant, immeritò tamen, quia licentia & concessio iurisdictionis est vera donatio iurisdictionis, quæ fit ipsius cui datur, quæ nequit esse valida, quia fit absque aliquo titulo adhuc liberalitatis. Approbatio tamen sufficientiæ Confessarij simili modo facta erit sufficiens & valida, quia non est donatio alicuius rei quæ fiat ipsius approbati, ac proinde nullo indiget titulo vt sit sufficiens & valida.



## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum Confessarius putatiuus validè  
& licitè absoluat.*

Conueniunt communiter Doctores, præfertim recentiores, Sacerdotem, qui habet titulum coloratum iurisdictionis completæ ad absoluedum, & communi errore populi putatum (qui dicitur Confessarius putatiuus) quamuis aliàs via communi & ordinaria non habeat iurisdictionem completam, validè absolueret. Ita Paludanus in 4. dist. 17. q. 6. Sancius 3. de Matrimonio, disp. 20. Henriquez 2. de Pœnitentia, cap. 14. Lessius c. 29. dub. 8. & Ægidius disp. 8. dub. 3. Quod deducunt Doctores ex L. *Barbarus*. ff. de Officio prætoris, & ex can. *Infamis* 3. quæst. 7. quia in omni Repub. tam sæculari quàm Ecclesiastica receptum est, vt iudici putatiuo tribuatur à superioribus iurisdictione, ne in Repub. communiter decepta magna sit perturbatio, si acta omnia illius iudicis fiant nulla.

Paludan.  
Sancius.  
Henriq.  
Lessius.  
Ægidius.

Ad id autem duo requirunt Doctores, quæ deducunt ex dicta Lege & ex dicto canone; vnum ex parte iudicis putatiui, nempe quòd habeat titulum coloratum, id est, quòd à superiore vero vel saltem putatiuo acceperit iurisdictionem, siue ordinariam siue delegatam, siue verè eam acceperit, & eam iam occultè amiserit, siue tantùm apparenter acceperit, & non verè, ob impedimentum aliquod occultum. Alterum ex parte populi, nempe quòd communi ipsius populi errore censeatur legitimus iudex. Addunt Sancius, Henriquez & Lessius, non tantùm errorem communem populi, sed etiam opinionem probabilem aliquorum aut alicuius ad id sufficere loco erroris communis, vt quando quis iuxta probabilem opinionem absoluit à peccatis referuatis, aut quando approbatus in alio Episcopatu eligitur in Confessarium.

Sancius.  
Henriq.  
Lessius.

Sed quamuis iudex putatiuus validè absoluat quia absoluit iurisdictione, quamuis non habituali, sed tantùm actuali pro singulis actibus sibi collata, illicitè tamen & peccaminosè absoluit peccato usurpationis iudicij, quia absoluit iurisdictione incommotis quasi extorta, & sibi non omnino liberaliter donata.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum quilibet Sacerdos in sui ordinatione  
à Christo accipiat iurisdictionem completam in quoslibet pœnitentes in articulo mortis constitutos.*

Supponimus, quemlibet Sacerdotem, deficiente proprio aut delegato, habere sufficientem & completam iurisdictionem in quoslibet pœnitentes existentes in articulo mortis, vt dicitur in Tridentino sess. 14. cap. 7. & in multis canonibus 26. quæst. 6.

Trident.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An illam accipiant immediatè à Christo quando ordinantur, an ab Ecclesia.

Paludan.  
Durandus.  
Capreolus.  
Canus.

Paludanus in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2. Durandus dist. 20. q. 2. Capreolus q. 1. art. 3. Canus Rele-

ctione de Pœnitentia, p. 5. & Richardus art. 3. contra Caluinum docent, eam accipere immediatè à Christo, seu Iure diuino in sui ordinatione, quia aliàs Christus non sufficienter prouidisset de ministro, si ipse quoslibet in articulo mortis existentes non reliquisset assignatos tamquam subditos cuiuslibet Sacerdoti, & id reliquisset Ecclesia faciendum.

Richardus

Bonauentura verò in 4. d. 19. art. 3. q. 1. Sotus d. 18. quæst. 4. art. 4. Suarez disp. 26. lect. 4. Valquez q. 93. ar. 1. dub. 4. docent, & meritò, Sacerdotes dictam iurisdictionem completam accipere ab Ecclesia, & non immediatè à Christo. Quod satis significat Tridentinum c. illo 7. dum ait, piè semper in Ecclesia fuisse custoditum, vt omnes Sacerdotes possint quoslibet pœnitentes in articulo mortis constitutos absolueret à quibusuis peccatis & censuris; quia si id fuisset à Christo constitutum, non diceret Tridentinum, id fuisse piè in Ecclesia custoditum, quia his verbis id reducit in pietatem Ecclesia.

Bonauent.  
Sotus.  
Suarez.  
Valquez.

Trident.

Et ratione probatur, quia in reliquis casibus Christus commisit & reliquit Ecclesiæ assignationem & applicationem subditorum ipsi Sacerdotibus, qua iurisdictione in ordinatione accepta completur; ergo etià in casu articuli mortis. Consequentia probatur, quia ad excipiendum hunc casum nullum est sufficiens fundamentum, cum satis prouideatur de ministro, & de remedio pro eo casu, relinquendo Ecclesiæ assignationem illorum vt subditorum cuiuslibet Sacerdoti, quia Ecclesia potuit eam statim facere, & semel factam nunquam reuocare, vt verè fecit; quo ea assignatio ita sufficienter stabilita est, ac si Christus eam factam reliquisset. Et quòd id factum sit ab Ecclesia, non leuiter confirmatur ex eo, quòd in præsentia proprii Sacerdotis id nequit efficere, qui aliàs non habet licentiam ab Ecclesia: imò nec in præsentia Sacerdotis delegati, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, & declarauit Gregorius XIII. viæ vocis oraculo, vt refert Molina tom. 4. de Iustitia disp. 36. Et meritò: quia supradicta concessio fit omnibus Sacerdotibus circa pœnitentes existentes in articulo mortis, ratione extremæ necessitatis, quia facta fuit, vt dicitur in Tridentino, ne pœnitentes pereant defectu Confessarij; quando autem adest proprius, aut aliàs delegatus, non sunt alij necessarii ipsi pœnitenti.

Greg. XIII  
Molina.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum iurisdictione completa in pœnitentes  
existentes in articulo mortis, etiam concedatur  
Sacerdotibus hæreticis & schismaticis, & excommunicatis non toleratis.*

Medina Cod. de Confessione, quæst. 32. *Cui* *Medina.*  
*debeat fieri confessio.* & Couarru. in cap. *Al-* *Couarru.*  
*ma mater.* 2. par. §. 6. docent, nullum Sacerdotem excommunicatum non toleratum ( id est nullum excommunicatum denuntiatum, aut excommunicatum notoriè ob percussione Clerici ) habere iurisdictionem in pœnitentes in articulo mortis, quia per eam excommunicationem aufertur omnis iurisdictione saltem Ecclesiastica.

Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 4. art. 4. Nauarrus cap. 26.

Sotus.  
Nauarrus.



*Ledesma.* cap. 26. num. 26. & Ledesma 2. parte quarti, quæstione 21. art. 6. docent, Sacerdotem hæreticum non habere dictam iurisdictionem, vel quia caret fide, quæ est fundamentum necessarium ad iurisdictionem Ecclesiasticam, vel quia ita dispositum est ab Ecclesia.

*Canus. Suarez. Vasquez.* Canus verò de Pœnitentia parte 5. Suarez disput. 26. sectione 4. Vasquez quæst. 93. art. 1. dubio 4. & communiter Doctores docent, quemcumque Sacerdotem, quantumvis hæreticum, & schismaticum, & excommunicatum non toleratum, habere iurisdictionem completam in pœnitentes existentes in articulo mortis, & merito: quia ex vna parte Ecclesia potest complere iurisdictionem, quam Sacerdotes hæretici & schismatici, & dicti excommunicati habent acceptam in ordinatione, eis applicando & subiiciendo dictos pœnitentes, quia huic applicationi & subiectioni non obstat hæresis, nec schisma, vt patet; nec dicta excommunicatio, quia hæc ex Iure tantum Ecclesiastico impedit aut aufert dictam applicationem:

*Trident.* & ex altera parte in Tridentino sess. 14. cap. 7. & in pluribus Canonibus 26. quæst. 6. omnino generaliter absque exceptione aliqua dicitur, omnes Sacerdotes posse absoluere pœnitentes in eo articulo constitutos; ergo negandum non est, in omnibus Sacerdotibus, etiam in dictis præcis, esse completam iurisdictionem in dictos pœnitentes ex Ecclesiæ benignitate erga hos, ne absque confessione decedant.

Observandum est, quòd quamuis dicti Sacerdotes præcisi possint validè dictos pœnitentes absoluere; vt tamen licitè possint, necessarium est quòd sint à peccato mortali contritione aut aliter iustificati, nisi quando periculum ægroti ita vrget, vt ob ipsum statim audiendum nequeant conteri, nec aliter iustificari, quia tunc licitè possunt, quamuis sint in peccato mortali: & quamuis Sacerdos non sit licitè administraturus absolutionem, quia iustificari potest, & non vult, tunc pœnitens in articulo mortis existens potest ab illo absolutionem petere (quando pœnitens non timet subuersionem ob communicationem cum eo Sacerdote, & quando ob communicationem cum eo non apparet profiteri errorem aliquem illius Sacerdotis) quia tunc petit, quod Sacerdos ille potest licitè facere, si velit: quod etiam est verum, quamuis Sacerdos ille non sit paratus ad illicitè absoluendum; quia regula illa, nempe quòd nequeat quis inducere aliquem ad id in quo peccaturus est, quando qui inducitur non est paratus ad id, tantum est vera, quando inducenti non est in præcepto id ad quod inducit, confessio autem & receptio absolutionis in dicto articulo est pœnitenti in præcepto, imò ipsi ministro est in præcepto auditio & absolutio.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum iurisdictio completa concessa omnibus Sacerdotibus, etiam præcis, in pœnitentes existentes in articulo mortis, etiam concedatur in pœnitentes in periculo mortis constitutos.*

**A**rticulus mortis dicitur tempus illud, in quo proximè instat mors cerò moraliter euentura: periculum verò mortis tunc interuenit, quan-

do est probabile seu prudens dubium mortis, quale est in actuali bello, in longa navigatione, in primo partu mulieris, & in graui infirmitate, & tempus in quo proximè instat dictum periculum, potest dici moralis articulus mortis.

Circa difficultatem ergo Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 4. Canus de Pœnitentia p. 5. Couarruias in cap. *Alma mater*, par. 1. §. 11. num. 8. & Valentia disp. 7. quæst. 8. punct. 2. partem negatiuam tuentur, quia Tridentinum sess. 14. c. 7. vbi facit mentionem dictæ concessionis, tantum loquitur de pœnitentibus existentibus in articulo mortis.

Nauarrus verò c. 26. n. 31. Henriquez lib. 3. de Pœnitentia c. 11. Suarez d. 26. sect. 4. Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 5. Egidius disp. 8. n. 16. & communiter Doctores partem affirmatiuam merito tradunt. Quod efficaciter deducitur ex Iure Canonico, in quo quoad confessionem facultatis absoluendi à reseruatis pro eodem vsurpatur articulus & periculum mortis, vt patet in cap. *Eos qui*, de Sententia excommunicationis, in 6. vbi quod in principio appellatur articulus mortis, postea dicitur periculum mortis: & in can. *Si quis suadente diabolo* 17. q. 4. & in cap. *Non dubium*, de Sententia excommunicationis: quia quod in hoc cap. dicitur periculum mortis, in eo can. *Si quis* dictum fuerat articulus mortis; ac proinde in Tridentino vbi supra nomine articuli mortis, etiam comprehenditur periculum mortis, & merito, quia moraliter est articulus mortis.

Et ratione probatur, quia dicta confessio fit, vt quantum fieri possit pœnitentes non moriantur absque confessione, ne fortè ex defectu illius damnentur: ergo etiam fit pro existentibus in periculo mortis, alias relinquerentur expositi periculo moriendi sine confessione. Esse autem in periculo moriendi sine confessione, æquiualeat moraliter ipsi mori sine confessione, quia in moralibus periculum æquiualeat euentui, & ita cauendum est sicut ipse euentus.

Ex quo deducitur, dictam concessionem non tantum fieri pro tempore ipso periculi in quo pœnitens fortè morietur, sed etiam pro tempore ante illud, in quo instat ipsum periculum, seu pro articulo periculi, nempe pro tempore in quo quis aggreditur periculum, aut appropinquat periculo, vt quando appropinquat ipsi actuali bello, aut longæ navigationi, aut primo partui, aut statui infirmitatis grauis in quo fortè morietur, ne in ipso periculo seu in tempore periculi fortè moriatur absque confessione, si ante illud non fuit confessus.

## DIFFICULTAS X.

*A quo quilibet Sacerdos habeat iurisdictionem completam in peccata venialia, & etiam in mortalia iam legitime confessã.*

**S**upponimus, in quo conueniunt Doctores, Sacerdotes etiam simplices habere sufficientem & completam iurisdictionem in mortalia iam legitime confessã, & in venialia, quamuis non confessã. Quod vsu & consuetudine Ecclesiæ constat.

Est tamen difficultas, A quo Sacerdotes etiam



simplices habent dictam iurisdictionem, an in sui ordinatione immediatè à Christo, an ab Ecclesia.

Paludan.  
Sorus.  
Ruardus.  
Ledefma.  
Canus.  
Vasquez.

Paludanus in 4. dist. 19. quæst. 2. Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 2. Ruardus art. 3. contra Caluinum, Ledefma 2. p. quarti, q. 22. art. 1. Canus Relectio- ne de Pœnitentia par. 5. & Vasquez q. 93. art. 1. dub. 6. docent, dictam iurisdictionem accipi im- mediatè à Christo in ordinatione, Primò, quia di- cta peccata non sunt necessario subiicienda clau- bus, sed pro libito pœnitentium subiiciuntur; ergo complexio iurisdictionis in illa non est Ecclesiæ commissa, sed accepta in ipsa ordinatione. Secun- dò, quia Ecclesia nequit reseruare venialia; ergo iurisdictione in illa non dimanat ab Ecclesia, sed im- mediatè à Christo.

Nauarrus.  
Medina.

Nauarrus verò cap. 4. num. 5. Medina Cod. de Confessione quæst. de Confessione voluntate & non necessitate facta, Henriquez lib. 3. de Pœni- tentia cap. 8. Valentia disp. 7. q. 10. p. 2. Suarez disp. 26. sect. 5. & Ægidius disp. 8. num. 17. do- cent, dictam iurisdictionem completam conferri ab Ecclesia, & non immediatè à Christo, & meri- tò: quia eisdem verbis Ioan. 20. *Quorum remisit- tis peccata*, &c. conceditur à Christo in ordina- tione potestas & iurisdictione absoluendi à mortalibus, & à venialibus, sed dictis verbis non conceditur completa iurisdictione in mortalia non confessa; ergo nec conceditur in mortalia iam confessa, nec in venialia, sed iurisdictione incompleta & inchoata, quæ applicatione subditorum tantum habentium conscientiam similium peccatorum, facta ab Ec- clesia completatur & perficitur.

Henriq.  
Valentia.  
Suarez.  
Ægidius.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, con- cedimus Antecedens, & negamus Consequen- tiam, quia quamuis dicta peccata pro libertate pœ- nitentium subiiciantur clauibus Ecclesiæ, & Sa- cerdotibus; sed non cuiuscumque sunt subiicienda, sed tantum ei cui subiectus est in eo foro ab ha- bente potestatem subiiciendi, sicut etiam quis libe- rè ordinatur, & tamen non potest pro sui liber- tate à quocumque ordinari, sed tantum ab eo qui habet facultatem ad id.

Et ad secundam respondemus, quòd quamuis Ecclesia non possit dicta peccata perfectè reserua- re, si non præcipiat confessionem Sacramentalem eorum, quia non concessio aut ablatio iurisdic- tionis in peccata, quæ non sunt necessariò confiten- da, qualia sunt prædicta non posito præcepto Ec- clesiæ, non est perfecta reseruatio; nihilominus potest non concedere, & auferre iurisdictionem in illa, cum ab ipsa dimanet, quod est illa quoad ab- solutionem reseruare, de quo dicemus Disputa- tione sequenti Difficultate IV.

### DIFFICULTAS XI.

*Vtrum in aliquo casu sit generaliter per- missum cuiuscumque pœnitenti eligere sibi Confessarium alienum.*

Sotus.  
Canus.  
Ægidius.

Sotus in 4. d. 18. quæst. 4. art. 2. Canus Rele- ctione de Pœnitentia, p. 5. & Ægidius disp. 8. dub. 8. docent, in nullo casu permitti pœnitentibus confiteri alieno Confessario absque licentia pro- prij: quia si in aliquo casu, maximè quando pro- prius Parochus est ignorans; in hoc autem casu id non permittitur, quia si in aliquo iure id permit- teretur, maximè in can. *Placuit* 9. quæst. 2. de Pœ-

nitentia d. 6. in eo autem canone aut id non per- mittitur pro absolutione Sacramentali à peccatis, sed pro mutanda pœnitentia publica imposita à proprio Parocho ignorante, vt ait Sotus, aut si pro absolutione Sacramentali, iam id est abrogatum per cap. *Omnis vtriusque sexus*, vt ait Canus.

Nauarrus verò in dicto can. *Placuit*, de Pœni- tentia d. 6. Medina Cod. de Confessione quæst. 35. de Licentia curati alieno confitendi, & Vasquez quæst. 93. art. 2. dub. 3. docent, in casu ignorantie proprij Parochi permitti pœnitentibus confiteri alieno Sacerdoti absque licentia proprij, & meri- tò: quia in dicto can. *Placuit*, absque dubio id permittitur pro confessione Sacramentali ordina- ta ad absolutionem Sacramentalem, quia in eo est fermo de confessione pro dicta absolutione, & facienda Parocho vt Parocho, tum quia in eo pro- hibetur pœnitentem commissum vni Sacerdoti tamquam Parocho admitti ab altero ad confes- sionem, nisi in casu ignorantie proprij, tum etiam quia in eo est fermo de confessione, media qua in- uenitur gratia, & facienda ei qui habet potestatem ligandi atque soluendi, de qua est fermo in primo canone dictæ distinctionis; confessio autem abso- lutè dicta, & facienda Parocho vt Parocho, & ei qui habet potestatem ligandi & soluendi, est con- fessio Sacramentalis ad absolutionem Sacramen- talem ordinata.

Nauarrus.  
Medina.  
Vasquez.

Id verò, quòd Canus ait, permissionem in hoc casu factam, abrogatam esse per cap. *Omnis vtrius- que sexus*, dum dicitur confitendum esse proprio Sacerdoti, vel alteri de licentia illius, sine funda- mento dicitur: imò contra rationem, quia in eo cap. nihil noui statuitur, sed tantum declaratur ge- neralis obligatio confitendi proprio Sacerdoti, vel alteri de illius licentia, quo non tollitur prædicta particularis concessio pro casu ignorantie proprij Parochi.

Prædictus autem canon *Placuit*, intelligitur, vt aduertit Vasquez, quando Parochus est ad eò igno- rans, vt confessio illi facta sit nulla aut illicita, ra- tione ignorantie ipsius; iuxta ea quæ dicemus Diffic. xv. & etiam intelligitur quando non est alius Sacerdos, qui ex priuilegio, aut aliter habeat iurisdictionem delegatam, quia concessio in eo ca- none facta videtur in defectum habentis iurisdic- tionem, & absque onere petendi licentiam ab ali- quo, adhuc ab Episcopo.

Addunt Richardus, Paludanus & Gabriel in 4. dist. 17. Bonauentura dist. 19. Adrianus quæst. 5. de Confessione, & Siluester v. *Confessio* 1. quæst. 6. etiam permitti pœnitentibus eligere Confessa- rium ratione malitiæ proprij Parochi, quando sci- licet pœnitens ex confessione illi facta timer dam- num sibi ab illo inferendum: id tamen additur absque fundamento aliquo in Iure, quia pro hoc casu nullum extat Ius.

Richard.  
Paludan.  
Gabriel.  
Bonauent.  
Adrianus.  
Siluester.

### DIFFICULTAS XII.

*Vtrum aliquibus in particulari conueniat in omni casu eligere sibi Confessarium absque licentia proprij.*

Conueniunt Doctores, esse aliquos, quibus in omni casu, etiam in præsentia proprij Sacer- dotis, & absque eius licentia conuenit eligere sibi Confessarium, quos iam nominamus.

In



In primis Romano Pontifici ex Iure diuino conuenit eligere sibi Confessarium ratione potestatis ipsi collatæ à Christo ad designandum subditos Sacerdotibus, se ipsum designando & applicando, vt subditum in eo foro, Sacerdoti cui vult.

Secundò conuenit Episcopis eligere sibi Confessarium non ex Iure diuino Christi, quia ex hoc tantùm subijciuntur Pontifici tamquam proprio Pastori, sed Iure Ecclesiastico, habito in c. finali, de Pœnitentiis & remissionibus: in quo id etiam conceditur Prælati exemptis à iurisdictione ordinaria, vt Generalibus, Prouincialibus, & Superioribus immediatis domus Religiosæ, vt Prioribus, Guardianis, Rectoribus, & Abbatibus, sed non Abbatissis: quod in eodem cap. etiam conceditur Prælati qui sunt Episcopis superiores, vt Primatibus, Patriarchis, & etiam Cardinalibus Episcopis, & Cardinalibus Legatis: reliquis verò Cardinalibus id etiam conuenit non ex Iure dicti capituli, sed vel ex alicuius Pontificis viuæ vocis oraculo, vel ex Iure consuetudine introducto.

Tertiò idem conuenit Parochis, & omnibus aliis Sacerdotibus, etiam simplicibus, ex Iure consuetudine introducto.

Quartò Imperatores, Reges, & alij Principes sæculares habere solent priuilegia à Romano Pontifice ad eligendum Confessarium; quibus standum est.

Quintò idem priuilegium eligendi Confessarium conceditur accipientibus Bullam Cruciatæ, & concedi solet per alias Bullas, quibus etiam standum est.

Circa vagos seu vagabundos, qui nullum habent firmum domicilium, sed vagantur, Paludanus in 4. d. 17. quæst. 3. Antoninus tit. 17. cap. 4. Nauarrus in can. *Placuit*, num. 79. Caietanus v. *Absolutio*, ex parte absoluentis, & Vasquez quæst. 93. art. 2. dub. 4. docent, illos posse sibi eligere Confessarium, quia carent proprio Parocho, cum careant firmo domicilio, ex quo fideles sortiuntur Parochiam, vt statuitur in cap. finali, de Parochiis.

Paludan.  
Antoninus.  
Nauarrus.  
Caietanus.  
Vasquez.

Socus verò in dist. 18. quæst. 4. Medina Cod. de Confessione q. 35. Siluester v. *Confessor* 1. quæst. 1. Suarez disp. 25. sect. 2. & Egidius disp. 8. dub. 8. docent, illos non posse eligere sibi Confessarium, & merito: quia habent proprium Parochum (quamuis non firmum) eum videlicet, in cuius parochia actu habitant, quia eis assignandus est aliquis proprius Parochus, cui incumbat cura ipsorum; aliàs non esset illis sufficienter prouisum; nullus autem alius illis potest commodè assignari, nisi ille in cuius parochia habitant actu. Quod etiam praxis confirmat, quia nullus Parochus censetur obligatus ad administrandum illis Sacramenta, quando eis indigent, nisi ille in cuius parochia actu hospitantur & habitant.

Socus.  
Medina.  
Siluester.  
Suarez.  
Egidius.

Circa peregrinos & iter agentes, qui alibi habent domicilium, Paludanus docet, eos non posse confiteri, nisi illi Parocho in cuius parochia habent domicilium, vel alteri de licentia illius, quam censentur habere, quando ex licentia illius peregrinantur.

Paludan.

Caietanus verò, Suarez, Vasquez & Egidius docent, illos posse confiteri Parocho parochiæ in qua inueniuntur, & alteri de eius licentia, & merito: quia, vt Caietanus refert, id declarauit Eugenius IV. viuæ vocis oraculo pro confessione &

Caietanus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Egidius.  
Eng. IV.

Communionem: imò addit Pontifex, eos ex Iure ad eam parochiam pertinere, & non ex commissione: intelligit autem Pontifex non ex commissione proprii Episcopi, nec Parochi, sed ex Iure, consensu tacito Pontificum introducto. Et idem maiori ratione dicendum est de eo, qui negotij, aut studij, aut mercaturæ, aut militiæ causâ commoratur in aliquo oppido, quamuis in eo non sit commoraturus per medietatem anni: quod addimus, quia quando habet animum commorandi per medietatem anni parum plus minusve, certius est ad eam parochiam in qua habitat pertinere; nisi quando pro similibus personis designata est aliqua parochia, quamuis habitent extra eam, vt pro Scholasticis designata est Compluti, quia tunc ad hanc designatam pertinent.

Circa eos verò qui habent duo domicilia, Nauarrus, Suarez & Egidius docent, posse vtrilibet Parocho ex illis confiteri, & merito: quia vterque est illis Parochus ratione vtriusque domicilij.

Nauarrus.  
Suarez.  
Egidius.

## DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum habens facultatem eligendi sibi Confessarium, possit eligere Sacerdotem simplicem, & non approbatum.*

Certum est, habentem facultatem eligendi sibi Confessarium absque restrictione aliqua collatam, posse eligere Sacerdotem simplicem, id est aliàs carentem iurisdictione completa in ipsum habentem dictam facultatem, aliàs nullum illi fieret priuilegium: & post Tridentinum, vbi receptum sit, non posse à pœnitente sæculari eligi in Confessarium, nisi Sacerdotem, qui vel sit Parochus, quamuis aliàs alienus, vel qui sit approbatus ab Ordinario, quia in Tridentino sess. 23. cap. 15. Trident. decernitur, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi approbatum ab Ordinario, vel habentem beneficium parochiale.

Est tamen difficultas, An Religiosi habentes dictam facultatem, possint eligere Sacerdotem non solum simplicem, sed etiam eum qui nullius est Parochus, nec approbatus ab Ordinario, & an id possint sæculares, secluso decreto Tridentini, aut vbi forte receptum non fuerit.

Canus Relectione de Pœnitentia par. 5. Glossa in cap. *Si Episcopus*, de Pœnitentiis & remissionibus in 6. Vasquez quæst. 93. art. 2. dub. 5. & Ochagania quæst. 56. partem negatiuam tuentur, quia aliàs fortè eligeretur Confessarius qui non sit idoneus, quod non est credendum velle superiorem dictam facultatem concedentem; in generali autem concessione non veniunt, quæ non esset quis in specie concessurus, vt habetur Regula 18. Iuris, in 6.

Canus.  
Glossa.  
Ochagan.  
Vasquez.

Paludanus verò in 4. d. 17. quæst. 3. art. 2. Gabriel quæst. 2. dub. 5. Socus d. 18. quæst. 4. art. 3. Adrianus quæst. 5. de Confessione, dub. 1. Antoninus tit. 17. cap. 17. & Medina Cod. de Confessione, quæst. de Sacerdote alieno, partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia concedi potest facultas eligendi Confessarium non Parochum, & non approbatum; ergo quando generaliter & absque restrictione conceditur facultas eligendi Confessarium, verè conceditur facultas eligendi quemlibet aliàs non impeditum, dummodo sit

Paludan.  
Gabriel.  
Socus.  
Adrianus.  
Antoninus.  
Medina.

suffi-



sufficiens & idoneus, quod non difficilè potest pœnitens prudenti diligentia aut interrogando, aut aliter discernere. Vnde Religiosi possunt Sacerdotem non Parochum, & non approbatum, eligere in Confessarium, & etiam sæculares, vbi fortè dictum decretum Tridentini non fuerit receptum.

## DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum confitentes Religiosis priuilegiatis, satisfaciant præcepto annuæ confessionis.*

Supponimus, fideles posse validè & licitè confiteri Religiosis priuilegiatis ad audiendas confessiones, aliàs nullum fuisset eis concessum priuilegium.

Est tamen difficultas, An fideles, confessione illis facta, satisfaciant præcepto annuæ confessionis.

Henriq.  
Poliaco.

Henriquez Quodlib. 10. quæst. 2. & Ioannes de Poliaco existimant, fideles confitentes dictis Religiosis, non satisfacere præcepto annuæ confessionis, ac proinde semel in anno teneri omnia sua peccata mortalia, quantumuis dictis Religiosis iam confessà, suo Parocho confiteri, aut alteri de eius licentia. Primò, quia in cap. *Omnis vtriusque sexus*, dicitur, fideles teneri omnia sua peccata mortalia proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia, saltem semel in anno confiteri; per priuilegia autem Religiosis concessa non est derogatum dicto capitulo, quia in eo continetur & determinatur præceptum diuinum confitendi proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia, saltem semel in anno, præcepto autem diuino nequit derogari per priuilegia Ecclesiastica; ergo qui proprio Sacerdoti, vel alteri de eius licentia non confitetur semel in anno, quantumuis dictis Religiosis confiteatur, non satisfacit dicto præcepto. Secundò, quia in Extrauag. *Ad vberes fructus*, edita à Martino V. quæ refertur ab Henriquez, in qua Martinus concedit Mendicantibus idem priuilegium audiendi confessiones, addit: *Volumus autem, quòd hi qui Fratribus confitebuntur, teneantur proprio Sacerdoti saltem semel in anno, prout generale Concilium constituit, confiteri.* Et in Extrauag. *Vicos*, de Tregua & pace, edita à Sixto IV. dicitur, quòd Fratres mendicantes desistant prædicare, quòd Parochiani non sunt obligati tempore Paschatis proprio Sacerdoti confiteri, quia ad id de iure tenentur.

Mart. V.

Sixt. IV.

Clem. VIII

Nihilominus iam negari non potest, confitentes Mendicantibus, & quibuscumque aliis Religiosis, etiam satisfacere præcepto confessionis, tam annuæ, quam purè diuino pro articulo mortis, vt declarauit Clemens VIII. in Bulla edita anno 1592. die 22. Decembris, & meritò: quia iam priuilegia ad audiendas confessiones Sacerdotibus nostræ Societatis, & reliquis Mendicantibus renouata, aut de nouo concessa (quibus etiam reliqui Religiosi gaudent) verè sunt concessa absque vlla limitatione & exceptione alicuius confessionis, ergo illis concessa est facultas audiendi confessiones, etiam pro præcepto confessionis, & tam pro purè diuino, quam pro præcepto annuæ confessionis.

Concessione autem dictæ facultatis non derogatur Iuri diuino modificato in cap. *Omnis vtriusque sexus*, confitendi proprio Sacerdoti, vel alteri de licentia illius, saltem semel in anno, quia qui ex

licentia & ex priuilegio Romani Pontificis audit confessiones (vt audiunt Religiosi) verè audit illas ex licentia proprii Sacerdotis, quia Rom. Pontifex, quamuis non sit proprius Parochus, est tamen proprius Sacerdos, & pastor omnium fidelium, & non alienus; & in dicto cap. *Omnis*, nomine proprii Sacerdotis non tantum intelligitur Parochus, sed etiam quicumque habens iurisdictionem ordinariam, quam etiam habent Rom. Pontifices, & reliqui Episcopi. Ex quo constat ad prius fundamentum aduersariorum.

Et ad posterius, desumptum ex Martino V. & ex Sixto IV. respondemus, eo tempore priuilegium audiendi confessiones antea à Bonifacio VIII. in Extrauag. *Super cathedram*, de Sepulturis, & Benedicto XI. in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuilegiis, absolute absque exceptione alicuius confessionis Mendicantibus concessum, quod Ioannes XXII. supponit in Extrauag. *Vas electionis*, de Hæreticis, in qua sententiam Ioannis de Poliaco damnauit, fuisse eo modo dicto limitatum à Martino V. & à Sixto IV. iam tamen antiquum priuilegium concessum à Bonifacio VIII. & à Benedicto XI. fuisse absolute, absque exceptione alicuius confessionis à Romanis Pontificibus, iterum nostris & reliquis Mendicantibus renouatum, vt constat ex Bullis ipsis concessis.

## DIFFICULTAS XV.

*Quanta scientia necessaria sit in Sacerdote, vt possit confessiones audire.*

Supponimus, in Sacerdote necessariam esse scientiam seu notitiam aliquam peccatorum, & aliquarum aliarum rerum, vt confessiones audiat; quia ad iudicandum (vt verè iudicat Sacerdos in confessione) necessaria est cognitio causæ, & aliarum rerum ad iudicium & ad sententiam iudicij pertinentium. Ita Caietanus v. *Confessio-ri necessaria*. Silvester v. *Confessor* 3. Antoninus 3. parte, tit. 17. cap. 16. disput. 28. sect. 2. Valquez quæst. 93. art. 3. dub. 1. Egidius disp. 8. dub. 16. & Reginaldus lib. 1. cap. 12.

Caietanus.  
Silvester.  
Antoninus.  
Suarez.  
Valquez.  
Egidius.  
Reginald.

Est ergo in primis necessarium Sacerdoti vt possit confessiones audire, quòd sciat discernere inter mortale & veniale, & inter species peccatorum, & an peccatum sit vnum, vel multiplex. Secundò necessarium est, quòd sciat casus referuatos, à qua obligatione magna ex parte liberantur Religiosi, quia habent priuilegium absoluendi à multis: & etiam qui audiunt confessiones habentium Bullam Cruciatæ, quia habet priuilegium absoluendi ferè ab omnibus referuatis. Tertio necessarium est quòd sciat obligationes restituendi, & impedimenta matrimonij, & omne aliud quod necessarium est vt pœnitens possit absolui. Ratio omnium trium prædictorum est, quia absque eorum notitia nequit Sacerdos in confessione prudenter procedere, & indicare, & pœnitentibus mederi, ad quod ex officio Confessarij tenetur.

Ita tamen necessarium est Sacerdoti quòd tria prædicta sciat, & possit inter ea discernere, vt necessarium non sit quòd id possit in omnibus peccatis quæ se auditurum credit, quia id vix possunt doctissimi; sed sufficit quòd id possit in peccatis & casibus qui frequenter contingunt his quorum confessiones audit. Ex quo fit, quòd possit aliquis esse



esse idoneus ad audiendas confessiones in vno oppido, nempe in oppido rusticorum, & respectu alicuius generis personarum, vt Clericorum; & non sit sufficiens in alio oppido, vt in Curia regia, & respectu alicuius generis personarum, vt mercatorum, & scribarum. Et ita necessarium est quod omnium trium prædictorum notitiam habeat, vt necessarium non sit, quod notitia sit tanta vt possit ex tempore & per se ipsum in omnibus casibus occurrentibus omnia dubia resolvere, sed sufficit quod id possit in casibus frequenter occurrentibus, & quod in difficilioribus dubitare possit, vt possit absolutionem detinere, quousque doctos vel libros consulat. Imò non videtur necessarium, quod in casibus frequenter occurrentibus possit omnia dubia circa illos ex tempore resolvere, si maiori ex parte possit, & circa reliqua pauca possit dubitare.

Nec detinenda est absolutio, quia Sacerdos nesciat discernere circa peccata non frequenter contingentia, an sit mortale peccatum, an tantum veniale; & an multiplex, an vnum; & an huius aut illius speciei: imò nec quando id nescit circa peccata frequenter contingentia, si id discernere sit difficile ob incertitudinem materiæ, aut aduertentiæ pœnitentis quando peccatum commisit, aut ob alias circumstantias: sed auditò facto pœnitentis, & adhibito remedio prout melius possit, conferri potest absolutio; quia sicut ex parte pœnitentis ad confessionem formaliter integram sufficit mediocri diligentia, ita etiam ex parte Confessarij ad absolutionem formaliter integram sufficit scientia, & iudicium, & discretio mediocri circa peccata.

Est tamen difficultas Primò, An Confessario sit necessaria notitia irregularitatum, saltem confusa, sufficiens ad dubitandum.

*Caietanus.* Caietanus negatiuè respondet, quia absolutio potest conferri irregulari. *Nauarrus.* verò & *Vasquez.* sub distinctione respondent, & benè, nempe eam notitiam tantum esse necessariam Confessario audienti confessiones Clericorum (nisi quando suppleri potest scientia ipsorum pœnitentium) & nos addimus, etiam quando audit confessiones eorum quos credi potest esse ordinandos, vt tam Clericos quam ordinandos dirigat, & de irregularitate moneat, vt ordinati abstineant ab vsu Ordinum, & non ordinati ab ordinatione.

Secundò est difficultas, An ignorantia Confessarij suppleri possit, si ipse faciat vt pœnitens ante confessionem consulat peritos circa res, quas Confessarius ipse ignorat.

*Ochaganus.* Ochaganus quaest. 38. negat, quia id esset nimis onerosum pœnitenti. *Caietanus.* verò affirmat, & meritò, quia tunc non est necessaria Confessario notitia earum rerum: id tamen limitat, quando id non est Confessario frequenter necessarium, sed tantum in vno casu, aut in altero. Quam limitationem nos tantum veram existimamus, quando Confessarius est debitus pœnitenti, vt Parochus: quia tunc contra rationem est concedere pœnitenti Confessarium molestum, non verò quando Confessarius liberaliter conceditur.

Tertiò est difficultas, An in eo, qui propria voluntate suscipit officium Confessarij, requisita sit maior scientia quam in eo qui ex obedientia illud suscipit.

*Antoninus.* *Nauarrus.* *Suarez.* *Vasquez.* *Reginald.* Antoninus affirmatiuè respondet, immeritò tamen, vt optimè *Nauarrus*, *Suarez*, *Vasquez* & *Re-*

ginaldus; quia obedientia nequit supplere defectum scientiæ aliàs ad munus Confessarij requisitè.

Quartò est difficultas, An confessio facta ei qui modo supradicto nescit discernere circa materiam confessionis, inter mortale videlicet & veniale, & inter species peccatorum, & inter eorum vnitatem & multipliciter in casibus frequenter occurrentibus, sit nulla, & consequenter necessariò repetenda.

*Suarez.* *Vasquez.* *Suarez*, *Vasquez*, & communiter Doctores supponunt, Sacerdotem sic ignorantem non esse incapax recipiendi de nouo iurisdictionem, & multò minùs retinendi antiquam, quia talis incapacitas nullo fundamento ostendi potest: & consequenter si ea, quæ sibi dicuntur in confessione, de facto percipiat vt mala, & fortè benè iudicet, & inter ea modo dicto discernat, confessio ipsi facta erit valida.

Est tamen difficultas, An, quando ratione dictæ ignorantia de facto non benè iudicat, nec discernit, tunc confessio sit nulla defectu veri iudicij, & actualis discretionis.

*Richardus.* *Victoria.* *Vasquez.* *Turrianus.* *Ochaganus.* *Richardus* in 4. d. 17. art. 2. quaest. 8. *Victoria* de Confessione num. 168. *Vasquez* q. 93. art. 3. dub. 2. *Turrianus* disp. 25. dub. 2. & *Ochaganus* q. 38. docent, tunc confessionem esse nullam, quia tunc absolutio fertur à iudice, causa insufficienter cognita.

*Gabriel.* *Adrianus.* *Petrus Sot.* *Suarez.* *Ægidius.* *Gabriel* verò in 4. d. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. *Adrianus* q. 4. de Confessione, *Petrus Sotus* Lect. 6. de Confessione, *Suarez* disp. 22. sect. 6. & *Ægidius* disp. 6. dub. 5. docent, tunc confessionem esse validam quantum est ex parte Sacerdotis, & meritò: quia actus pœnitentis cogniti vt peccata, sunt materia sufficiens absolutionis; ergo absolutio supra illam cadens erit valida. Peccauit tamen Sacerdos (nisi bona fide excusetur) quia causâ insufficienter cognitâ tulit sententiam absolutionis.

Addimus, *quanium est ex parte Sacerdotis*, quia si pœnitens confiteatur Sacerdoti sic ignorantem, eius ignorantiam aduertens peccauit mortaliter, ac proinde quantum est ex parte ipsius, confessio fiet nulla defectu doloris & integritatis confessionis.

Obseruandum tamen est, in quo non pauci conueniunt, in casu extremæ necessitatis non solum validè, sed etiam licitè confessionem fieri Sacerdoti sic ignorantem, dum percipere possit facta pœnitentis vt peccata, sicut etiam in casu extremæ necessitatis validè & licitè fit à pœnitente confessio peccatorum in genere & in communi, quando aliud non potest. Imò non tantum in casu extremæ necessitatis, sed etiam in casu grauis necessitatis id potest licitè fieri, vt si defectu aliorum Confessariorum populus aliquis longo tempore destitutus manerèt, quia tunc melius erit confiteri sic ignorantem; postea tamen si adsit Confessarius idoneus, & non ignorans, repetenda est huic confessio suo tempore.

## DIFFICULTAS XVI.

*Vtrum in Sacerdote præter scientiam necessaria sit aliqua approbatio ad audiendas confessiones.*

**Q**uamuis ante Tridentinum nullo Iure fuerit requisita approbatio in Sacerdotibus ad audiendas confessiones, iam verò post Tridentinum requi-



Trident.

requiritur approbatio ab Episcopis facta, siue cum examine, siue sine illo, prout ipsi visum fuerit, quia ita decernitur in ipso Tridentino sess. 23. c. 15. de Reformatione, quæ distincta est à concessione iurisdictionis, vt patet: requiritur autem non tantum vt licitè audiant confessiones, sed etiam vt validè, vt sonant verba Tridentini, & praxis ostendit.

Hæc autem approbatio non requiritur à Tridentino in his Sacerdotibus, qui habent beneficium parochiale (cuius nomine intelligitur quodcumque beneficium cui annexa est cura animarum) quia Tridentinum supponit, habentes illud esse idoneos: requiritur tamen in his qui iam beneficium reliquerunt, quia tantum excipit eos qui beneficium parochiale obtinent. Et dicta approbatio tantum requiritur ad audiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum: ac proinde ad audiendas confessiones Religiosorum, sufficit in Sacerdote adhuc sæculari delegatio iurisdictionis à Superiore Religiosi pœnitentis facta absque aliqua approbatione: & requiritur dicta approbatio ad audiendas confessiones sæcularium in omnibus Sacerdotibus, etiam Religiosis, vt exprimitur in Tridentino, quamuis Mendicantibus, & Magistris seu Doctoribus Theologiæ, quia in omnibus, etiam in Religiosis, absque vllius exceptione illam requirit Tridentinum. Imò addit, *Præuilegijs & consuetudine quacumque immemorabili non obstantibus.*

Nauarrus.

Nauarrus ergo cap. 27. num. 265. dum ait, Regularem Mendicantem à suo Prælato præsentatum Episcopo, manere idoneum ad audiendas confessiones sæcularium, quamuis ab Episcopo non approbetur, quando absque iusta causa ab eo non approbatur, quasi hoc priuilegium concedatur Mendicantibus in Clementina *Dudum*, de Priuilegijs, fallitur, vt aduertunt Suarez disput. 28. sect. 5. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 3. & Ægidius disp. 8. num. 58. quia in omnibus Religiosis absque exceptione Mendicantium requiritur à Tridentino approbatio, addendo, *præuilegijs non obstantibus*: præsertim quòd Mendicantibus non fuit concessum tale priuilegium, quia iuxta dictam Clementinam non fiebat præsentatio Mendicantium Episcopo vt eos approbaret, quia nulla erat requisita approbatio, sed vt illis iurisdictionem concederet; quam si Episcopus absque rationabili causa præsentatis negabat, eo ipso Pontifex illam concedebat: ac proinde priuilegium in dicta Clementina Mendicantibus concessum non fuit reuocatum per Tridentinum, quia in ea Clementina non priuilegiabantur quoad approbationem, sed quoad iurisdictionem; quoad hanc autem dictum priuilegium iam est ampliatum per alia priuilegia particularia nouiter concessa, per quæ iurisdictionem accipiunt immediatè à Papa Vnde modò Mendicantes, & qui cum eis in priuilegijs communicant, quando ad Episcopum accedunt, non accedunt pro iurisdictione, sed pro approbatione, quia hæc sola est necessaria ipsis ab Episcopo.

Sacerdotibus verò sæcularibus necessaria est non solum approbatio ab Episcopo, sed etiam acceptio seu completio iurisdictionis, siue à Parocho, siue ab Episcopo, siue à Papa, quia Sacerdotes sæculares nullo priuilegio habent iurisdictionem completam. Imò addimus, quòd non eo ipso quòd aliquem approbat vt sufficientem, ipsi concedit iurisdictionem, vt aduertunt Vasquez, Ægidius &

Vasquez.  
Ægidius.

Ochagua: ac proinde quando Episcopus confert generalem licentiam audiendi confessiones (nisi aliud exprimat) tantum approbat, & non confert iurisdictionem: Primò, quia credi non potest, Episcopum licentia illa velle priuato Sacerdoti ita gratis, & absque peculiari aliqua causa rationabili, conferri vniuersaliorum iurisdictionem quam habeat Parochus; quia iste quamuis sit sufficiens & idoneus pro tota Ecclesia, sed non habet iurisdictionem nisi in suos parochianos, ille verò priuatus Sacerdos haberet in omnes diœcesanos Episcopi. Secundò, quia tali concessione frustraretur priuilegium Cruciatæ quoad facultatem eligendi Confessarium, quia ex vna parte nemo potest eligere virtute Bullæ Cruciatæ nisi approbatum ab Episcopo; & ex altera parte, eo ipso quòd Episcopus illum approbaret, & ei conferret licentiam, posset quilibet absque priuilegio Bullæ illi confiteri, vtpote habenti iurisdictionem ab Episcopo, quòd non est credendum Episcopos velle.

Dicta autem approbatio facienda est ab Episcopo, attendendo non solum ad scientiam quæ necessaria est, sed etiam ad prudentiam, ad ætatem, & ad mores approbandorum, quia hæc maximè expediunt ad rectè exercendum munus Confessarij, quamuis dum oppositum non constat, semper præsumuntur idonei quoad alia, excepta scientia; & sicut Sacerdos potest esse idoneus pro vno oppido, & non pro alio, & pro vno genere personarum, & non pro alio, ita etiam potest approbari ab Episcopo pro vno oppido, & non pro alijs, & pro vno genere personarum, & non pro alijs.

Nomine autem Episcopi à quo facienda est approbatio, intelligitur etiam (vt constat ex communi Doctorum consensu, & praxi, & consuetudine) quicumque habens iurisdictionem Episcopalem in foro exteriori respectu sæcularium, nempe Vicarius seu Prouisor Episcopi, Capitulum Cathedralis, sede vacante, & alij Prælati exempti, qui habent dictam iurisdictionem, quia in dicto Decreto Tridentini potius attenditur ad iurisdictionem Episcopalem, quam ad consecrationem.

## DIFFICULTAS XVII.

*Vtrum approbatus ab vno Episcopo pro sua diœcesi, etiam censeatur approbatus pro qualibet alia.*

**S**upponimus, habentem beneficium parochiale in vna diœcesi, quamuis tantum fuerit approbatus vt idoneus ad officium Parochi, ab Episcopo à quo accepit beneficium, posse nihilominus absque alia approbatione vbique terrarum confessiones audire, si aliàs iurisdictionem accipiat à proprio Sacerdote pœnitentis, quamuis tantum à Parocho, quia à Tridentino non requiritur approbatio, nisi in alijs non habentibus beneficium parochiale.

Difficultas ergo tantum procedit circa approbationem in alijs Sacerdotibus non habentibus beneficium parochiale.

Henriquez lib. 7. cap. 12. & Ægidius disp. 8. dub. 7. docent, approbationem ab vno Episcopo factam sufficere pro qualibet diœcesi, quia Tridentinum tantum requirit approbationem ab Episcopo factam, quæ in casu dicto reperitur.

Vasquez verò quæst. 93. art. 3. dub. 4. Gutierrez lib. 1.

Henriq.  
Ægidius.Vasquez.  
Gutierrez.



Ochagau. lib. 1. Questionum Canoniarum c. 27. & Ochagauia q. 40. docent, & meritò, approbationem ab vno Episcopo factam non sufficere pro alijs diœcesibus. Quod constat ex communi praxi Ecclesiæ, & deducitur ex Tridentino in dicto decreto, dum in eo dicitur, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi ab Episcopis idoneus iudicetur, & non dicitur ab Episcopo, nec ab vno Episcopo, quo indicatur, approbationem faciendam esse ab vnoquoque Episcopo pro sua diœcesi. Quod etiam ratio suadet, quia bonæ gubernationi est maximè consonum & expediens, vt nullus audiat confessiones eorum quorum cura incumbit Episcopo, nisi sit ab ipso approbatus, supposito quòd sit approbandus ab Episcopo.

## DIFFICULTAS XVIII.

*A quo Episcopo faciendâ est approbatio.*

Henriq. Henriquez lib. 7. cap. 12. docet, ad audiendas confessiones sufficere, quòd approbatio fiat à quocumq; Episcopo, siue pœnitentis, siue Confessarij, siue loci in quo fit confessio, quia in Tridentino tantùm requiritur approbatio ab Episcopo; hæc autem, à quocumq; Episcopo ex dictis fiat, verè fit ab Episcopo.

Vasquez. Vasquez quæst. 93. art. 3. dubio 4. Guttierrez lib. 1. Quæstionum cap. 27. & Ochagauia qu. 40. docent, approbationem faciendam esse ab Episcopo loci in quo fit confessio, quia approbatio faciendâ est ab Episcopo; in eo autem loco in quo fit confessio, non est alius Episcopus.

Suarez. Suarez disp. 28. sect. 6. Egidius disp. 8. dub. 7. Reginaldus lib. 1. cap. 16. & Filliucius tit. 7. c. 9. quæst. 10. docent, approbationem faciendam esse ab Episcopo Confessarij. Quibus fauere videntur duæ responsiones Congregationis Cardinalium ex ore Pontificis acceptæ; quarum prior est: *SS. D. N. audita consultatione Congregationis, declarauit, Episcopum vigore priuilegij, de quo in capite finali de Pœnitentijs & remissionibus, non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus.* quo indicatur, Episcopum non posse sibi non subditum approbare, aliàs posset illum statim approbare, & ita eum in Confessarium eligere. Posterior est: *SS. D. N. declarauit, tempore Iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario; in Bulla enim non fit mentio nisi de Ordinario eorum qui audiunt confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium:* quo significatur, ad approbationem non respici quòd sit Ordinarius pœnitentis, sed Confessarij, vt ab eo fiat.

Et ratione probatur, quia approbatio, vtpotesententia declaratiua sufficientiæ Confessarij, est actus iurisdictionis in Confessarium; ergo tantùm pertinet ad eum Episcopum qui habet iurisdictionem in approbandum, ac proinde tantùm est faciendâ ab Episcopo Confessarij.

Rodriguez. Rodriguez verò in Expositione Bullæ §. 5. & communiter Theologi & Canonistæ docent, approbationem Confessarij faciendam esse ab Episcopo pœnitentis, & meritò: quia approbatio Confessarij fit in fauorem pœnitentium, eis prospiciendo, vt ipsis idoneus & conueniens minister tribuatur; prospicere autem pœnitentibus, & ipsis

de ministro conueniente prouidere, ad eorum Episcopum & Pastorem pertinet, iuxta rectam & prudentem gubernationem. Ex quo constat ad rationem Henriquez.

Ad rationem verò Vasquez respondemus, quòd quamuis in loco in quo fit confessio, non sit alius Episcopus nisi Episcopus ipsius loci; approbatio tamen faciendâ est ab Episcopo pœnitentis, ob rationem dictam: sed quia pœnitens in aliquo loco existens de iure etiam pertinet ad Episcopum illius loci, quoad Communionem & confessionem, vt diximus Difficultate XI. idè approbatio etiam fieri potest ab Episcopo loci in quo fit confessio, quia eo ipso etiam est Episcopus pœnitentis; sed non solum fieri potest ab Episcopo loci in quo fit confessio, sed etiam fieri potest ab Episcopo proprio pœnitentis ratione domicilij, & meliùs, quia pœnitens non minùs, imò magis pertinet ad Episcopum domicilij, quàm ad Episcopum loci in quo actu hospitatur & habitat.

Et ad rationem Suarez concedimus, approbationem esse actum iurisdictionis in Confessarium, hunc tamen actum posse exerceri ab Episcopo pœnitentis in Confessarium aliàs non sibi subditum, si Confessarius velit, vt potest se subijcere illi Episcopo ad hoc vt possit confessiones subditorum illius Episcopi audire.

Nec responsiones Congregationis Cardinalium nobis aduersantur; quia in priori tantùm est sermo de Episcopo iter agente, & existente in alieno Episcopatu, qui nequit sibi in Confessarium eligere Sacerdotem aliàs non sibi subditum, qui à suo Ordinario non sit approbatus, quia in eo Episcopatu nequit eum pro se approbare, quamuis possit pro suis subditis, sicut, non existente dicto priuilegio cap. finalis, non posset illi confiteri absque licentia Episcopi loci, quamuis in eo loco ipse posset confessiones suorum subditorum ratione domicilij audire.

Et in posteriori tantùm significatur, Religiosos, vt Iubilæum lucentur, qui ad id confiteri debent Sacerdoti approbato, debere confiteri Sacerdoti approbato, non à suis Prælati, sed à Prælate Episcopali: quia quando in Bulla quoad effectum lucrandi Iubilæum fit mentio Ordinarij, dicendo, confessionem ad illud lucrandum requisitam faciendam esse Sacerdoti approbato ab Ordinario, tantùm fit mentio Ordinarij Confessarij (id est Ordinarij à quo approbandi sunt Confessarij, quibus faciendâ est dicta confessio) qui quoad hanc approbationem est Episcopus, & non fit mentio Ordinarij pœnitentium, qui respectu Religiosorum vt pœnitentium tantùm est proprius Prælatus.

Ex dictis deducimus contra Rodriguez §. 9. n. 9. vt optimè Suarez & Henriquez, quoties vi Bullæ Cruciatæ aut alterius priuilegij conceditur facultas Religiosis eligendi Confessarium approbatum ab Ordinario, etiam pro absolutione à reseruatis, non posse eligere Confessarium approbatum tantùm à suo Prælate, vt constat ex prædicta responsione Congregationis Cardinalium: & ex eo quòd in eis priuilegijs alluditur ad approbationem faciendam ab Ordinario requisitam à Tridentino, quæ faciendâ est ab Ordinario Episcopali.

Vnde quando Difficultate præcedenti diximus, approbationem ab vno Episcopo factam non sufficere



ficere pro alijs diœcesibus, intelligitur personali-  
ter, non localiter, idest, intelligitur pro diœcesibus  
aliorum Episcoporum dum existunt in proprijs  
diœcesibus, non verò quando actu hospitantur in  
alieno Episcopatu, quia tunc approbatio ab Epi-  
scopo huius Episcopatus facta sufficit pro diœce-  
cesano alterius Episcopi existente in alieno Epi-  
scopatu.

## DIFFICULTAS XIX.

*Vtrum approbatio semel facta possit  
reuocari.*

**C**onueniunt Primò Doctores, approbationem  
Sacerdotis adhuc secularis absolutè  
datam, non finiri morte Episcopi per se aut per  
suum Vicarium approbantis, quamdiu non reuo-  
catur, vt patet ex vsu & praxi Ecclesiæ. Quod etiam  
ratio suadet: quia approbatio est quædam iuridica  
sententia declaratiua sufficientiæ approbati; sen-  
tentia autem non expirat morte eius qui eam tulit:  
quod, vt diximus Difficultate I v. verum existima-  
mus, quamuis in approbatione addatur, *quamdiu  
nobis placuerit*; quia per particulam *placuerit* non  
tam significatur consensus positiuus dictæ appro-  
bationis, qui nequit post mortem perseverare,  
quàm non reuocatio approbationis, quæ morte  
non reuocatur.

Conueniunt Secundò, facultatem ad accipiendam  
iurisdictionem pro confessionibus omnium  
fidelium, quam habet qui obtinet beneficium pa-  
rochiale, non posse ab Episcopo reuocari quamdiu  
ille obtinet beneficium; quia eo ipso quòd illud  
obtinere, est absque alia approbatione idoneus ad  
eam iurisdictionem accipiendam.

Est tamen difficultas, An approbatio, qua non  
habentes beneficium parochiale, siue sæculares si-  
ue Regulares ab Episcopo approbati sunt, possit  
ab ipso Episcopo reuocari?

Circa hanc difficultatem Doctores non parum  
variant: quia alij absolutè docent, reuocari non  
posse, quia approbatio non est mera gratia ex vo-  
luntate Episcopi pendens, sed quædam quasi sen-  
tentia declaratiua, quæ transit in rem iudicatam.  
Et alij absolutè docent reuocari posse, quia cre-  
dunt ex mera voluntate Episcopi pendere. Alij  
sub distinctione docent, approbationem Reli-  
giosorum non posse reuocari, benè tamen sæcu-  
larium.

Suarez.  
Vasquez.  
Henriq.

Suarez verò disp. 28. sect. 8. Vasquez quæst. 93.  
art. 3. dub. 5. & Henriquez lib. 6. cap. 6. docent,  
approbationem etiam Religiosorum, existente ra-  
tionabili causa, posse validè & licitè reuocari,  
etiam ab eodem Episcopo à quo facta fuit; & me-  
ritò: quia reuocatio approbationis nullo iure fieri  
impeditur. Non Iure naturali ipsius approbatio-  
nis, quia approbatio suâ naturâ est reuocabilis, sic-  
ut etiam fundamentum ipsius, nempe scientia &  
virtus, mutari potest; ergo Iure naturali non tan-  
tùm validè reuocari potest, sed etiam licitè, si ali-  
qua causa rationabilis existat, nempe prudens ti-  
mor diminutionis scientiæ requisita, & virtutis in  
approbato. Nec reuocatio impeditur fieri Iure ali-  
quo positiuo: quia non quoad Sacerdotes sæcula-  
res, quia quoad illos nullibi tale Ius reperitur; nec  
quoad Religiosos, quia si aliquo Iure quoad illos,

maximè aut Iure contento in Motu proprio edito  
à Pio V. qui incipit, *Romani Pontificis*, aut Iure  
contento in Clementina *Dudum*, de Sepulturis:  
sed non Iure contento in dicto Motu proprio,  
quia quamuis in eo Pius V. concesserit Mendi-  
cantibus, vt semel medio examine approbati, ne-  
queant iterùm ab eodem Episcopo examinari  
(quamuis possint à successore) hunc tamen Mo-  
tum proprium Pij V. reuocauit Gregorius XIII.  
alio Motu proprio habito in Summa Nauarri in  
fine, & statuta in Motu Pij V. reduxit ad forum  
Iuris communis & Tridentini: nec Iure contento  
in dicta Clementina, quia quamuis in ea priuile-  
giantur Mendicantes, vt semel præsentati Episco-  
po non indigeant iterùm præsentari, non tamen  
priuilegiantur quoad approbationem, sed quoad  
iurisdictionem, quoad quam iam sunt magis pri-  
uilegiati nouis alijs priuilegijs, vt diximus Dif-  
ficultate xv i.

Addimus, reuocationem approbationis etiam  
Religiosorum, quantumuis sine rationabili causa  
pro solo nutu Episcopi factam, esse validam & li-  
citam. Et in primis est valida, vt aduertit Vasquez,  
quia approbatio sua natura est reuocabilis, &  
nullo Iure eius reuocatio irritatur; ergo si de  
facto fiat reuocatio, quamuis absque rationabi-  
li causa fiat, erit valida. Deinde est licita (quod  
Ochagavia quæst. 40. admittit quoad Sacerdotes  
sæculares) quia nullo Iure prohibetur. Non posi-  
tiuò, quia nullibi extat: nec naturali, quia sicut in  
principio, potuit ab Episcopo pro solo suo nutu  
absque causa licitè negari, quia nullo Iure Sacer-  
dotis, nec alio titulo cogitur Episcopus ad id fa-  
ciendum, ita etiam post eam factam poterit pro li-  
bito absque causa licitè reuocari, quia post appro-  
bationem factam nullum apparet ius in approba-  
to acquisitum, vt approbatio ipsius non reuocetur:  
quia quamuis approbatio sit instar sententiæ, est  
tamen solum declaratiua sufficientiæ, quam an-  
teà approbatus habebat, non collatiua alicuius, in  
quo vel ad quod ius aliquod acquirat, ac proinde  
sicut potuit à principio licitè pro solo nutu Epi-  
scopi non declarari sufficientia Sacerdotis, ita  
etiam declaratio semel facta poterit licitè pro li-  
bito Episcopi reuocari.

## DIFFICULTAS XX.

*Vtrum Parochus teneatur toties audire  
confessionem Parochiani, quoties iste  
confiteri voluerit.*

**C**onueniunt Doctores, Parochum teneri au-  
dire confessiones suorum subditorum, quo-  
ties eis sunt sub præcepto, quia si aliquando tene-  
tur, vt verè tenetur, maximè in casu præcepti suo-  
rum subditorum.

Est tamen difficultas, An etiam teneatur, quo-  
ties subditi ex sola deuotione confiteri volunt.

Richardus in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 3. Medina  
Cod. de Confessione, quæst. 41. de Confessione  
per Curatum audienda, Siluester v. *Confessor* 1. *Siluester*  
n. 14. & Armilla v. *Absolutio*, n. 28. docent, Pa-  
rochum in casu dicto non teneri, quia tunc Pa-  
rochus non tenetur ad id ex misericordia, nec ex cha-  
ritate, vt patet, quia tunc non adest extrema imò  
nec grauis necessitas: nec tenetur ex fidelitate vel



ex iustitia ratione sui officij, quia officium Parochi tantum videtur obligare tempore necessitatis & præcepti.

Sotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. Suarez disp. 31. sect. 1. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 6. & Ægidius disp. 8. dub. 17. docent, Parochum teneri ad audiendas confessiones suorum parochianorum etiam extra tempus præcepti, quoties ipsi rationabiliter volunt confiteri; & merito: quia Parochus est verè Pastor spiritualis suorum parochianorum; Pastor autem ex officio non tantum tenetur ad providendum omnibus partem præcisè necessarium, sed etiam aliàs vtilem, quando potest absque nimio onere, & ipse oves appetunt & querunt, ut ratio ipsa dicat; ergo Parochus ex officio tenetur ad audiendas confessiones suorum parochianorum, etiam extra tempus præcepti, quando id potest absque nimio labore, & id subditus rationabiliter appetit & requirit. Nihilominus semel aut iterum confessionem parochiani non audire, non erit mortale, nisi quando grauis aliqua occasio confitendi urgeat, ut tempore Iubilei, aut quando parochianus aliqua graui tentatione vrgetur.

Sotus.  
Reginald.

Addimus, ut contra Richardum, Siluestrum & Armillam aduertunt Sotus & Reginaldus lib. 1. nu. 83. non eo ipso quòd Parochus recusat audire confessionem parochiani, censetur illi conferre licentiam eligendi alium Confessarium, cum tam facile possit dicere, Adeas alium, ac dicit, Nolo, aut Non possum te audire.

## DIFFICULTAS XXI.

*Vtrum Confessarius teneatur pœnitentireuocare in memoriam peccatum, quod post sufficiens examen videt in confessione omitti ob obliuionem.*

**S**upponimus, quòd quando peccatum, quod ob obliuionem omititur, fuit in damnum graue proximi, cui satisfaciendum sit, Confessarius teneatur illud aduertere pœnitenti, & ex misericordia erga proximum, ut ei fiat satisfactio: & ex officio erga pœnitentem, ut à continuatione peccati mortalis grauis cesset, iuxta ea quæ dicemus Difficultate XXI 11.

Hoc supposito, difficultas est, An etiam teneatur, quando peccatum oblitum non fuit in damnum graue proximi, cui satisfaciendum sit.

Medina.

Medina Cod. de Confessione q. 23. de Confessione dimidiata iterada, partem negatiuam tuetur (quam etiam indicare videtur Victoria in Summa 193.) quia Confessarius non tenetur iuuare pœnitentem, nisi ad supplendum defectum ipsius pœnitentis; in casu autem dicto pœnitens non deficit, quia confessus est integrè formaliter.

Antonin.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ochagau.

Antoninus verò 3. par. tit. 17. c. 20. Vasquez q. 93. art. 3. dub. 7. Suarez disp. 32. sect. 3. & Ochagauia q. 41. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia Confessarius, utpote iudex ex vi sui officij, quando aliud non obest, & facile potest, tenetur efficere ut omne crimen, quod ex se debet ad suum tribunal deferri, & in eo iudicari, deferatur & iudicetur; in casu autem dicto nihil obest, & facile potest adhuc absq; onere & labore superaddito diligentia sufficienti à pœnitente adhibita reuocare pœnitenti in memoriam dictum peccatum, ergo ad id tenetur.

Ad rationem ergo Medinae concedimus, Confessarium non teneri iuuare pœnitentem nisi ad supplendum defectum ipsius pœnitentis, sed teneri non solum ad supplendum defectum formalem (id est ad supplendum id quod deficit ut confessio fiat formaliter integra) sed etiam ad supplendum defectum materiale (qualis est in casu dicto) quando id quod Confessarius addit supra diligentiam sufficientem à pœnitente adhibitam, est adeò facile, ut ex eo diligentia prærequisita, & sufficiens ad confessionem, non censeatur moraliter maior, & transire ad excessiuam.

Si verò Confessario non constet, pœnitentem peccatum aliquod omittere, quamuis probabiliter credat se suo examine & suis interrogationibus aliquod peccatum à pœnitente extracturum, non tenetur examinare & interrogare, quando conijcit pœnitentem diligentiam prudentem fecisse, ut aduertunt Vasquez & Ochagauia, quia quando non constat peccatum omitti, sed exquirendum est examine & interrogationibus, tunc diligentia à pœnitente adhibita efficitur moraliter maior, quam quæ sufficit, & Confessarius tantum tenetur suo examine superaddere diligentia pœnitentis, quod ipsi deficit vsque ad sufficientem.

Vasquez.  
Ochagau.

Quia ergo defectus potest à Confessario suppleri, ideò possunt ad confessionem admitti pœnitentes absque præuio examine ab ipsis facto, si Confessarius velit defectum pœnitentis suis interrogationibus supplere. Imò, quando pœnitentes sunt rustici, & inepti ad examen per se ipsos faciendum, expedit eos admittere & interrogationibus iuuare, & eorum defectum supplere: semper tamen est necessarium, pœnitentem absque proprio examine sufficiente, aut absque vilo examine admissum, ita iuuare, ut iuxta capacitatem pœnitentis fiat confessio moraliter integra.

## DIFFICULTAS XXII.

*Vtrum Confessarius teneatur monere pœnitentem bona fide confessum, sed inualidè absolutum.*

**C**onueniunt Doctores, Confessarium teneri pœnitentem bona fide confessum, & inualidè absolutum, monere defectum absolutionis, ut iterum confiteatur, quando sine graui damno alicuius fieri potest. Ita Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 6. Nauarrus ca. 26. num. 14. Antoninus 3. par. tit. 17. cap. 12. Suarez disput. 32. sect. 6. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 8. & Ægidius disp. 8. dub. 17. & merito: quia Confessarius utpote pastor spiritualis pœnitentis, tenetur bono spiritali illius prospicere, præsertim quando ipse Confessarius fuit causa defectus boni.

Sotus.  
Nauarrus.  
Antonin.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

Addimus, quando monitio fieri potest sine graui damno alicuius, quia quando absque eo nequit fieri, non est necessariò & ex obligatione facienda, quia obligatio ad monendi pœnitentem inualidè absolutionis, tantum est ut pœnitens iterum confiteatur peccata illa ut obtineat absolutionem ab illis, quod non est tanti momenti, ut in casu grauis damni sit obligatio admonendi pœnitentem: nisi sit in periculo aut in articulo mortis, in quo credi aut timeri potest, quòd non sit iterum confessurus; quia extra dictum articulum aut



periculum iterum confitebitur, quo etiam peccata illa, à quibus non fuit validè absolutus, remittentur per accidens, eo modo quo remittuntur peccata oblita.

*Vasquez. Ægidius.*  
Id verò, quod addunt Nauarrus & Antoninus, nempe tunc posse Confessarium absoluere pœnitentem iam absentem, falsum est, vt aduertit Vasquez & Ægidius, Primò, quia, vt iam diximus Dif. v. Diff. vi. absolutio Sacramentalis nequit fieri in absentia. Secundò, quia postquàm pœnitens discessit, existimans se iam fuisse absolutum, confessio præterita non manet materia sufficiens absolutionis, quia non manet Sacramentalis, & absolutioni subiecta, quia iam pœnitens eam non expectat. Et ob hanc posteriorem rationem, postquam pœnitens iam discessit, nequit postea, quamuis fiat præfens, absolui, nisi ipse de nouo velit absolui. Nihilominus pœnitens potest in casu dicto in absentia absolui ab excommunicatione, quia ad absolutionem ab excommunicatione non requiritur in pœnitente præsentia, nec noua voluntas receptionis absolutionis, & ideò tunc ad id tenetur Confessarius, cum possit.

*Suarez. Ægidius.*  
Oseruandum est, vt optimè Suarez & Ægidius, Confessarium non monentem pœnitentem restitutionis alieni, non teneri ad eam restitutionem, quia Confessarius ea omissione nullam iniustitiam commisit contra eum cui facienda erat restitutio, quia Confessarius non tenetur ad eam monitionem faciendam in commodum creditoris, sed in bonum animæ pœnitentis. Tenebitur tamen ad eam restitutionem, pœnitente non restituente, si ex malitia, aut ex negligentia culpabili consuluit posituè pœnitentem, eum inducendo, seu suadendo, & cum effectu induxit seu persuasit ad non restituendum, quia tunc culpabiliter fuit causa moralis non restitutionis. Ab ea tamen obligatione excusabitur, si ita reuocet dictam inductionem, vt pœnitens non perseveret ex vi illius in voluntate non restituendi. Addidimus, si consuluit inducendo, & cum effectu induxit: quia si consuluit non inducendo, seu suadendo, sed tantum dicendo, sibi videri quòd non teneatur ad restitutionem, *Lessius.* Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 7. existimat non teneri ad restitutionem, quia tunc non est causa moralis non restitutionis: nec tenetur si consuluit inducendo, sed cum effectu non induxit, quia pœnitens aliàs erat in ea voluntate, & Confessarius sua inductione illam non auxit, quia etiam tunc non fuit moralis causa omissionis restitutionis.

### DIFFICULTAS XXIII.

*Vtrum Confessarius teneatur monere pœnitentem, qui ex ignorantia versatur in aliquo peccato mortali.*

*Suarez. Vasquez. Ægidius.*  
**C**onueniunt Primò Doctores, Confessarium teneri etiam ante absolutionem monere pœnitentem, qui ex ignorantia culpabili versatur in aliquo peccato mortali, quamuis nullam speret emendationem. Ita Suarez disput. 32. sect. 4. Vasquez quæst. 93. articul. 3. dubio 9. & Ægidius disput. 8. dub. 17. & meritò: quia tunc pœnitens, vtpote peccans mortaliter, non potest absolui, quia caret dolore sufficiente, & non confitetur integrè.

Conueniunt Secundò, Confessarium teneri

monere pœnitentem, adhuc ex ignorantia inuincibili versantem in aliquo peccato mortali, vt in omissione restitutionis, vel in vsu matrimonij inuicibili, existimati inuincibiliter validi, si speretur emendatio, & non timeatur graue aliquod damnum alicuius; vt contingeret, si in casu dicti matrimonij Confessarius posset facilè obtinere dispensationem, & matrimonium posset scienter iterum celebrari absque periculo considerabili, siue ad id Confessarius teneatur ex vi officij quod exercet, siue ex ea virtute contra quam est peccatum illud in quo pœnitens versatur, siue ex vtroque.

Addidimus, si non timeatur graue aliquod damnum, & speretur emendatio; quia si timeatur, cuiusque timeatur, tunc non tenetur: quia ob vitandum graue damnum, permittit potest peccatum mortale materiale etiam pœnitentis, aut si non speretur emendatio, non tenetur, quia monitio ordinatur in bonum illius cui fit: tunc autem pœnitenti melius est relinqui in sua bona fide, quam quòd moneatur, ex quo sumat occasionem peccandi formaliter, ac proinde relinquendus est in bona sua fide, & absoluendus, si aliàs sit benè dispositus, vt esse potest.

Ita tamen pœnitens in dictis casibus relinquendus est in sua bona fide, vt ei nihil falsum dicendum sit, quia id est intrinsecè malum, vtpote mendacium: potest tamen illi veritas dissimulari. Vnde coniugi non vero, sed tantum putatiuo, interroganti Confessarium, an possit alteri coniugi reddere debitum, quia dubitat ob vorum castitatis emissum, potest responderi, id non impedire redditionem debiti: & si dicat, se habere propositum non reddendi alteri, quia eum aduersatur; non est absoluendus, quia in eo peccat mortaliter, supposita ignorantia inuincibili nullitatis matrimonij, tamen non est directè inducendus ad propositum reddendi (quidquid dicat Ægidius) quia induceretur ad id quod est intrinsecè malum contra castitatem, sed directè est inducendus, vt desistat à proposito non reddendi. *Ægidius.*

*Suarez. Ægidius.*  
Id verò quod addunt Suarez & Ægidius, nempe coniugi putatiuo dubitanti de valore matrimonij, & de eo interroganti Confessarium, esse illi aperiendam veritatem, quamuis non speretur emendatio, est mihi maximè difficile; quia id potius erit nocium pœnitenti quam vtile, ac proinde tunc meliori modo, quo possit, est illi veritas dissimulanda.

Tandem Confessarius nequit absoluere pœnitentem, quem non credit sufficienter dispositum: potest tamen credere eum esse sufficienter dispositum, quoties non contingit occasio aliqua prudens dubitandi, vt sæpè contingit in rudioribus: pœnitenti verò affirmanti credendum est, nisi oppositum constet.

Vnde pœnitenti, qui continuò est in occasione proxima peccandi mortaliter (vt in concubinau, quia tunc credi potest non esse sufficienter dispositum) non est conferenda absolutio, nisi firmiter proponat occasionem illam deseratur; & si post tale propositum aliquoties reincidat, non est absoluendus, nisi cum effectu occasionem illam deseruerit, nisi graue aliquod incommodum aliud facere cogat, vt contingit, quando femina habitans in ea domo, in qua ab aliquo ex domesticis sollicitatur; & cum eo sæpè peccat, & nequit inde exire absque grauissimo incommodo, quia in hoc casu non est cogenda

exire:



exire: ei tamen iniungenda sunt media quæ ipsam possint à peccato auertere. Quòd si illis iniunctis, nihilominus sæpiùs reincidat, differenda est illi aliquoties absolutio, quousque agnoscat emendatio aliqua.

Pœnitenti autem, qui sequens opinionem probabilem credit aliquid sibi licere, quamuis nolit illud omittere, nequit licitè negari absolutio, quamuis Confessarius probabilius iudicet illud esse illicitum; quia tunc iste pœnitens nolens illud omittere non peccat. Quod verum est, non solum quando Confessarius tenetur ex officio audire

confessionem illius, sed etiam quando ex officio non tenetur, postquam confessionem illius audiuit: quia postquam pœnitens admissus & auditus est, habet ius, ut si indispositus non sit, absolvatur; ac proinde ipsi fit iniuria, si ob id ei negetur absolutio. Hanc autem iniuriam Lorca 1. 2. dist. 41. existimat esse mortalem, & Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 7. existimat esse tantum venialem. Nos verò existimamus esse mortalem, quando, attentis persona pœnitentis, & peccatis, sit ipsi graue onus iterum illa alteri confiteri, non verò quando onus sit leue.

## DISPUTATIO XI.

## De ministro Sacramenti Pœnitentiæ quoad casus reseruatos.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum in Ecclesia sit potestas reseruandi casus in foro conscientie.*



**H**ÆRETICI nostri temporis irrident reseruationem casuum in foro interiori & conscientie, quia existimant, in Ecclesia non esse potestatem absoluendi in eo foro, ac proinde dicunt, reseruationem tantum fieri in exteriori politia.

Catholici tamen conueniunt, in Ecclesia esse potestatem reseruandi casus in foro interiori & conscientie; quod definitum est in Tridentino sess. 14. cap. 4. & oppositus error damnatus est can. 11. Quod etiam constat ex antiquissimo vsu Ecclesiæ, quem fuisse Sotus in 4. d. 18. q. 2. art. 5. & Waldensis tom. 2. de Sacramentis c. 149. ostendunt testimonijs Patrum, præsertim Innocentij III. in Sermone de Natali Apostolorum Petri & Pauli: & eum vsu etiam nunc seruari constat, quia in Iure Canonico multi sunt casus Pontifici & Episcopis reseruati, & etiam sunt in Religionibus reseruati Prælati earum.

Ratio autem huius Catholicæ doctrinæ est, quia reseruatio nihil aliud est quam limitatio iurisdictionis completæ ad absoluendum in foro conscientie quoad aliquos casus; in Ecclesia autem superiores possunt illam in inferioribus quoad aliquos casus limitare, quia iurisdictionem completam inferioribus concedunt, & in eos à superioribus dimanat, & dependenter ab ipsis conseruatur; ac proinde eam possunt illis quoad aliqua non concedere, & semel concessam limitare.

Ex quo deducitur, potestatem reseruandi casus in foro conscientie reperiri in Romano Pontifice, & in Episcopis, & in Prælati Religionum, etiam in immediatis domorum, & in quocumque alio habente iurisdictionem ordinariam, quia ab omni eo dimanat iurisdictione completa in alios: & ob hanc rationem hæc potestas etiam est in Parochis, vt contra Suarez & cõtra Ochagauiam aduertunt Maior in 4. d. 17. q. 5. & Vasquez 91. art. 3. dub. 5. quia quamuis id non sit Parochis in vsu, tamen per non- vsu non amittitur potestas. Excipimus reseruationem venialium, & etiam mortalium iam legitime confessorum, quæ reseruari non

possunt nisi à Papa, quia ipse est qui immediatè concedit iurisdictionem completam in prædicta peccata omnibus Sacerdotibus, & à quo immediatè conseruatur, ob quod nullus inferior potest eam illis limitare quoad hæc peccata.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum reseruatio possit fieri pro arbitrio superioris absque legitima causa.*

**C**onueniunt Doctores, reseruationem factam absque legitima causa, esse illicitam, quia est pœnitentibus onerosa, ob quod confessio fit illis molestior & difficilior, quod non est faciendum absque rationabili causa; imò est iniuriosa Confessarijs habentibus iurisdictionem ordinariam, quia est minoratiua iurisdictionis illis ex proprio officio competentis.

Est tamen difficultas, An reseruatio facta absque rationabili causa sit etiam nulla.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, reseruationem quamuis sic factam, respectu Confessariorum delegatorum esse validam, quia iurisdictione delegata conceditur & conseruatur à delegante pro libito; ergo quando ipse illam non concedit quoad aliqua peccata, aut semel concessam limitat, non erit in delegato quoad illa aliqua peccata, ac proinde ita valida erit, vt absolutio delegati ab eis peccatis sit nulla, vtpote facta à non iudice quoad illa.

Punctum ergo difficultatis est, An reseruatio respectu Confessariorum ordinariorum sit nulla, quando facta est absque rationabili causa.

Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Ruardus ar. 3. contra Calvinum, & Vasquez quæst. 91. art. 3. dubio 4. absolutè docent, esse nullam (quod Maior dist. 17. quæst. 5. & Angelus v. *Casus* existimant verum de reseruatione facta ab Episcopo) quia Pastores ordinarij, vt Episcopi & Parochi, ex proprio officio, & non pro libito superiorum habent iurisdictionem completam ad absoluendum ab omnibus peccatis; ergo quando fiunt pastores ordinarij, aut quamdiu perseuerant tales, nequit illis iurisdictione ad absoluendum limitari validè absque causa rationabili.

Siluester v. *Confessor* 1. q. 3. Henriquez Quod lib. 1. q. 27. Suarez disp. 29. sect. 4. & Egidius d. 8. dub. 11.

Trident.

Sotus.  
Vvaldem.Maior.  
Vasquez.

Siluester.

Henriq.

Suarez.

Egidius.



*Maior.  
Angelus.*

dub. II. absolutè docent esse validam (quod Maior & Angelus existimant verum de reservatione facta à Papa) & meritò: quia iurisdictione completa inferiorum ad absoluendum etiam ordinaria conceditur & dimanat à superioribus pro libito ipsorum, dum pro libito inferioribus assignant subditos quoad absolutionem; ergo pro libito superiorum absque aliqua causa potest in principio validè limitari, vt non sit pro omnibus casibus. Quod si in principio potest, etiam poterit postea, quãuis in principio non fuerit limitata; quia nullo fundamento ostendi potest eam iurisdictionem sic in principio absolutè donari, vt postea nequeat à superioribus validè limitari: quod totum non leuiter confirmatur ex eo, quòd quando adest rationabilis causa, potest à superioribus non tantum validè, sed etiam licitè limitari.

Quòd autem iurisdictione ordinaria conueniat Pastoribus ordinarijs ex suo proprio officio, vel potiùs in ordine ad proprium officium, non obstat vt possit à superioribus limitari, quamuis non auferatur officium; quia iurisdictione ordinaria, & officium ipsius Ordinarij sunt semper superioribus subordinata modo prædicto.

### DIFFICULTAS III.

*Vtrum reservatio casus fiat tantum ratione censura, an etiam ratione peccati & culpe.*

Supponimus Primò, in Ecclesia esse potestatem referuandi peccata, tam ea quibus annectitur censura, quam ea quibus non annectitur, & de facto Episcopos & superiores Religionum aliquando referuare peccata, quibus nulla annectitur censura: imò etiam Rom. Pontificem antiquitus aliqua peccata referuasse, & sibi, quibus nulla erat annexa censura, vt deducitur ex can. *Latorum* 33. q. 2. iam tamen nullum esse peccatum à Pontifice referuatum, cui non sit censura aliqua annexa, quia reservatio in eo canone facta, & qualibet alia, si verè fuit, iam est desuetudine quassata. Imò nullum esse hodie peccatum referuatum Pontifici, cui non sit excommunicatio annexa, excepto peccato simoniacè ordinantis, & peccato simoniacè ordinati, quod referuatum est Pontifici, & tamè ei non est annexa excommunicatio, sed suspensio annexa à Sixto V. in Bulla, quã affert Sayrus li. 4. c. 14. cuius suspensionis fit mentio in Bulla Clementis VIII. quam etiam affert Sayrus in fine dicti libri.

*Sayrus.*

Supponimus Secundò, circa peccata referuata, quibus annexa est censura, esse in Ecclesia potestatem referuandi culpas & censuras simul, & referuandi culpas absque censuris, & censuras absque culpis: quod deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. & can. 11. & ostendi potest ratione adducta Difficultate 11.

*Trident.*

His suppositis, difficultas est, An de facto, quando referuantur peccata quibus annexa est censura, referuentur quoad culpas tantum, an quoad censuras tantum, an quoad culpas & censuras simul.

Circa quam conueniunt Doctores, peccata referuata ab Episcopis & Prælatibus Religionum, referuari quoad culpas & quoad censuras simul, & id ab ipsis intendi; & peccata à Pontifice referuata, ad minus referuari quoad censuras.

Punctum ergo difficultatis est, An peccata à Pontifice referuata etiam referuentur quoad culpas, & non tantum quoad censuras.

Durandus in 4. d. 17. q. 15. nu. 13. docet, Pontificem tantum referuare peccata quoad censuras, & non quoad culpas: ex quo ipse infert, reservationem Pontificiam tantum fieri quoad forum exterius, non quoad interius & conscientiam.

*Durandus.*

Sotus verò in 4. d. 18. q. 2. art. 5. Suarez disp. 29. sect. 2. Vasquez quaest. 91. art. 3. dub. 1. Henriquez lib. 6. c. 14. Egidius disp. 8. num. 83. & communiter Doctores docent, peccata à Pontifice referuata, etiam referuari quoad culpas, & non tantum quoad censuras; & meritò: quia ex vna parte id possunt Pontifices, & ex altera parte ea peccata absolutè & absque vlla limitatione referuant, ergo quoad vtrumque referuant. Quod maximè confirmat communis Ecclesie sensus & vsus; aliàs peccatum simoniacè ordinationis tam actiue quam passiuè à Sixto V. referuatum, cui tantum est annexa suspensio, posset sacramentaliter absolui quoad culpam à Confessario ordinario, quia suspensio, quæ secundum Durandum esset tantum referuata, non impedit absolutionem à peccatis & culpis.

*Sotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Henriq.  
Egidius.*

Nihilominus quia Pontifex non vult referuare, nec referuat peccata nisi eis annectendo censuram, & eam etiam referuando, eo ipso quòd per absolutionem dictam auferatur censura à peccato referuato à Pontifice, aut auferatur reservatio censurae, censetur ablata reservatio quoad culpam; ac proinde eo ipso quòd conceditur facultas ad absoluendum à censura, etiam censetur concessa ad absoluendum à culpa, & e contra, ob rationem dictam, in quibus Suarez, Egidius & communiter Doctores conueniunt, & quoad omnia hæc idem ob eandem rationem credimus circa peccata quoad culpas, & quoad censuras simul referuata ab Episcopis & à Prælatibus Religionum.

*Suarez.  
Egidius.*

Addunt Henriquez & Egidius, quòd quando peccata à Pontifice referuata ita committuntur, vt ratione ignorantia censura non incuratur censura, peccata non maneant referuata: quod absque dubio etiam dicerent de peccatis referuatis ab Episcopis & à Prælatibus Religionum, quibus annexa est censura referuata, quia est eadem ratio.

*Henriq.  
Egidius.*

### DIFFICULTAS IV.

*Vtrum venialia peccata possint referuari.*

Difficultas procedit de reservatione sumpta pro limitatione iurisdictionis ad absoluendum (quamuis ex vi illius peccata sic referuata non relinquuntur ex obligatione confitenda) quæ dici potest reservatio quoad absolutionem.

Vasquez quaest. 91. art. 3. dub. 2. docet, peccata venialia (& idem est de mortalibus iam legitime confessis) non posse validè referuari quoad absolutionem, quia Sacerdotes ex vi ordinationis accipiunt immediatè à Christo iurisdictionem completam ad absoluendum à venialibus, sicut etiam potestatem ad consecrandum; ergo Ecclesia nequit illam validè auferre nec limitare, sicut nec potestatem ad consecrandum.

*Vasquez.*

Suarez disp. 29. sect. 3. Filliucius tract. 7. c. 10. quaestio 2. & Egidius disp. 8. dub. 11. docent, Ecclesiam posse validè referuare peccata venialia quoad absolutionem (& idem est de mortalibus iam

*Suarez.  
Filliucius.  
Egidius.*



iam legitimè confessis) & meritò: quia Sacerdotes ab Ecclesia accipiunt iurisdictionem completam ad absoluendum à venialibus, vt diximus Disp. x. Difficul. x. ergo Ecclesia potest eam validè auferre & limitare, quamuis non quicumque, sed tantùm Pontifex, quia ipse est qui iurisdictionem completam in illa concedit omnibus nulli subordinatam, saltem quantum ad valorem actuum illius.

Addimus, Ecclesiam non solum posse venialia, & etiam mortalia iam legitimè confessa quoad absolutionem referuare, sed etiam omnino perfectè, sumpta referuatione pro limitatione iurisdictionis ad absoluendum à peccatis ex obligatione confitendis; quia Ecclesia etiam potest obligare ad confessionem dictorum peccatorum, vt diximus Disputatione VII. Difficultate VIII.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum peccata mortalia omnino interiora possint referuari.*

**R**atio difficultatis pro parte negatiua est, quia Ecclesia non habet potestatem in actus merè internos, cum de eis, vt pote merè internis, nequeat iudicare; ergo non potest illa referuare.

Nihilominus Doctores conueniunt, in Ecclesia esse potestatem referuandi peccata merè interna, nempe peccata infidelitatis & odij, & desperationis. Ita Suarez disp. 29. sect. 3. Vasquez quaest. 91. art. 3. dub. 4. & Aegidius disp. 8. dub. 11. & meritò: quia iurisdictione completa ad absoluendum à mortalibus merè internis etiam conceditur ab Ecclesia; ergo quoad hæc peccata potest ab Ecclesia limitari.

Ad rationem ergo Difficultatis concedimus, in Ecclesia non esse potestatem in actus merè internos ad eos præcipiendum, nec ad eos prohibendum, nec ad eos puniendum, quia potestas ad id conuenit Ecclesie ratione generali superioris & legislatoris humani; superior autem & legislator humanus, quamuis possit præcipere, prohibere, & punire actus externos, non tamen actus merè internos, cum nequeat eos cognoscere: peculiari tamen commissione & institutione Christi habet potestatem, & iurisdictionem circa actus merè internos ad absoluendum ab eis, & ad eam communicandam inferioribus.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis in Ecclesia sit potestas ad referuanda peccata merè interna, tamen non expedit illa referuare, tum quia non sunt alijs nociua, tum etiam quia regulariter non egent speciali aliqua curatione, quæ ab ordinarijs Confessarijs adhiberi non possit.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum quando peccatum aliquod mortale simpliciter referuatur, etiam censeatur referuatum, quando est in dubio.*

**S**upponimus, in quo Doctores communiter conueniunt, peccata mortalia dubia (id est ea de quibus quis dubitat an commiserit illa, vel an sint mortalia) referuari posse. Ita Armilla v. *Casus* num. 13. Corduba in Regulam S. Francisci cap. 7. Henriquez lib. 6. cap. 14. Sancius in Summa lib. 1. cap. 10. Suarez de Censuris disp. 4. sect. 6. & Sa-

v. *Casus referuatus* num. 5. & meritò: quia iurisdictione completa ad absoluendum à peccatis mortalibus quomodolibet dubijs, etiam communicatur à superioribus; ergo potest quoad illa à superioribus limitari.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An quando peccatum aliquod mortale absolutè & simpliciter de facto referuatur, nulla facta mentione dubij, nec certitudinis peccati, quando dubium est an sit commissum, etiam censeatur de facto referuatum; aut si certum est fuisse commissum, tamen est dubium, an fuerit mortale, siue ex defectu grauitatis materiae, siue ex defectu deliberationis perfectæ, siue aliunde, quia quando non fuit mortale, non est referuatum.

Armilla & Corduba partem affirmatiuam tuentur, quia in dubio tutior pars est eligenda; ergo, quando quis est dubius an commiserit peccatum, quod est absolutè referuatum, vel an fuerit mortale, tenetur procedere ac si certò commisisset illud, & ac si certò esset mortale, ne se temerariè exponat periculo recipiendi absolutionem ab eo qui non habet iurisdictionem in illud peccatum, si fortè fuit verè commissum, & verè fuit mortale; ac proinde inuvalidam, vt pote à non iudice.

Suarez verò, Sa, & communiter recentiores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia referuatio, vt pote odiosa, potius est restringenda quàm amplianda; ergo quando referuatur peccatum aliquod simpliciter & absolutè tale, in eius referuatione non comprehenditur peccatum sub dubio, aliàs referuatio ampliaretur, quia peccatum dubium, minus quid est quàm peccatum simpliciter.

Ad rationem ergo aduersariorum respondeamus, propositionem illam, *In dubio tutior pars est eligenda* (quæ tantùm est vera de puro dubio, quando scilicet quis manet pendulus, nulli parti, nec affirmatiuæ nec negatiuæ assentiens) non habere locum in præsentî Difficultate: quia quando peccatum est in puro dubio, an scilicet sit commissum, vel an sit mortale, non est purum dubium, an comprehendatur sub referuatione peccati simpliciter, quia probabile est, & nobis probabilius, non comprehendi; sed habere locum in alijs difficultatibus, an scilicet sit necessariò confitendum, quia tunc tutior pars est eligenda, ac proinde peccatum illud est necessariò confitendum.

## DIFFICULTAS VII.

*Quæ peccata sint de facto referuata.*

**S**upponimus, in quo conueniunt Doctores, de facto nullum peccatum veniale, quantumuis exterius, esse de facto referuatum; & nullum purè internum, quantumuis mortale & grauissimum, vt odij Dei, & desperationis, & hæresis, esse referuatum.

Hoc ergo supposito, certum est, plures esse casus Pontifici referuatos, qui continentur in Bulla Cœnæ Domini, & in Decreto, & in Decretalibus, & in 6. & in Clementinis, & in Extrauagantibus, & in motibus proprijs, qui omnes sigillatim referuntur à Suarez Tomo de Censuris, à disp. 21. & à Tole-

to lib. 1. à cap. 18. & à Reginaldo lib. 1. cap. 11. Quoad Episcopos verò duobus modis fieri potest, vt ipsi peccata referuentur. Vno modo, iure peculiari Episcopatus; & de peccatis sic referua-

Suarez.  
Vasquez.  
Aegidius.

Armilla.  
Corduba.

Suarez.  
Sa.

Suarez.  
Toleros.  
Reginald.

Armilla.  
Corduba.  
Henriq.  
Sancius.  
Suarez.  
Sa.



tis Episcopo nihil in particulari dicemus, quia eorum referuatio pendet ex varijs cōstitutionibus & consuetudinibus diœcesum, quæ consulendæ sunt. Altero modo, Iure communi, siue scripto, siue consuetudine introducto: Iure autem communi scripto nullum est peccatum propriè referuatum Episcopo. Ex referuatis tamen Pontifici remittitur Episcopo percussio violenta Clerici, quando non est enormis, in cap. *Peruenit* 17. de Sententia excommunicationis: & etiam enormis, quando percussio est legitime impeditus adire Pontificem, in cap. *Ea noscitur* 13. & in cap. *Quamuis* 58. de Sententia excommunicationis; sub onere tamen, quod absolutus comparebit coram Pontifice, & recepto ab ipso iuramento comparandi, cessante impedimento (excepto impedimento impubertatis, quia impubes non obligatur ad comparandum) quod Doctores in casu legitimi impedimenti extendunt ad omnia peccata Pontifici referuata, & supponi videtur in cap. *Eos qui* 22. de Sententia excommunicationis, in 6. Deinde Iure communi scripto Tridentini sess. 24. cap. 6. de Reformatione committitur Episcopis per se, aut per Vicarios ad id specialiter deputatos, quodcumque peccatum Pontifici referuatum, quando non est publicum, etiam peccatum hæresis exterioris, quamuis hoc ipsis tantum per se ipsos. Sed an nunc possit Episcopus uti hac commissione Tridentini quoad casum hæresis, & quoad alios casus Bullæ Cœnæ Domini, non conuenit inter Doctores; quia plures affirmant, & alij non pauci negant, de eo tamen legatur Sancius in Summa lib. 2. c. 11. n. 27. Iure verò communi consuetudine introducto referuati sunt Episcopis quatuor casus, qui continentur in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuilegijs, & in ea eorum referuatio approbatur. Primus est, homicidij voluntarij: secundus est, peccati falsificandi scripturas, id est faciendi scripturas falsas, aut veras faciendi falsas: tertius est, sacrilegæ violationis immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ: quartus est, sortilegij seu diuinationis.

Quoad Parochos certum est, Iure communi nullum esse illis peccatum referuatum: sed an sit aliquod Iure aliquo peculiari Episcopali, constabit ex peculiaribus Constitutionibus & Consuetudinibus cuiuscumque Episcopatus.

Quod ad Prælatos Religionum, certum est, eos, adhuc Generales, Bulla quadam Clementis VIII. non posse absque consensu Capituli, seu Congregationis generalis, vel Prouincialis, referuare, nisi vndecim genera peccatorum. Primum est, beneficia, incantationes, & sortilegia: secundum, apostasia à Religione, etiam habitu retento, quando eò peruenit ut fiat extra septa Conuentus: tertium, nocturna ac furtiua è Conuentu egressio, etiam absque animo apostatandi facta: quartum, proprietas contra vorum paupertatis, quæ sit peccatum mortale: quintum, iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo: sextum, procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum factum, etiam effectu non secuto: septimum, falsificatio manus, seu sigilli Officialium Conuentus: octauum, furtum de rebus Conuentus in ea quantitate quæ sit peccatum mortale: nonum, lapsus carnis voluntarius opere consummatus: decimum, occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ: vndecimum, malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aper-

tio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores missarum.

Obseruandum tamen est, Iure dictæ Bullæ Clementis VIII. non referuari de facto dicta vndecim genera peccatorum, sed permitti Prælati, ut ea omnia vel aliqua possint referuare, & eo statui, ut præter ea vndecim non possint aliud genus peccati referuare, nisi ex consensu Capituli generalis, vel Religionis pro tota Religione, aut pro parte Religionis, vel Prouincialis pro tota Prouincia aut pro parte illius, & non nisi graue, ut constat ex dicta Bulla: ac proinde non poterunt referuare peccata graui dubia, quia hæc non sunt simpliciter peccata graui, sed peccata graui secundum quid, & cum addito *dubia*, quod est valde diminuens. Vnde absque dicto consensu non poterunt aliud peccatum graue, præter dicta illa vndecim, prohibere, nec aliquid, cuius transgressio sit peccatum graue, distinctum ab illis vndecim præcipere, sub excommunicatione eam referuando; quia id esset peccatum illud referuare quoad excommunicationem ipsi annexam, & aliàs ferè frustraneum esset dictum ius Clementis VIII. quia ferè tam onerosum & molestum est inferioribus, quibus Pontifex quoad hoc fauere intendit, peccatum quoad solam excommunicationem referuare, ac si etiam simul quoad culpam. Quæ verò peccata sint, de facto in qualibet Religione referuata, pendet ex varijs earum cōstitutionibus & Consuetudinibus.

Addimus, ut contra Henriquez, Rodriguez, & Sà aduertunt Corduba lib. 1. quæst. 30. Vmbertus in Explicatione Regulæ S. Benedicti, & Turrianus disp. 31. dub. 9. & sentiebant Suarez & Vasquez, Prælatos Religionum posse modo prædicto peccata Nouitiorum referuare, quia Nouitius quamdiu in Religione perseverat, est subditus Prælati, aliàs maneret immediatè subditus Pontifici, quia non manet subditus Episcopo: & Prælati Religionis est pastor illius, & ob id confitendo Prælati, vel alteri de licentia illius, satisfacit præcepto annuæ confessionis; ergo potest peccata illius referuare, ita ut quamdiu in Religione perseverat, nequeat à Confessario ordinario absolui, quamuis possit post exitum à Religione. Vnde peccata quæ de facto in Religione referuantur, non facta exceptione Nouitiorum, etiam censentur referuata pro illis; quod in nostra Societate seruatur, & firmatum est Regula 7. Magistri Nouitiorum consilio doctissimorum facta.

Corduba.  
Vmbertus.  
Turrianus.  
Suarez.  
Vasquez.

### DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum confitens habenti facultatem absoluendi à referuatis, si inculpabiliter omisit peccatum referuatum, maneat liber à referuatione omisi.*

**S**upponimus, confessione peccati referuati, facta habenti iurisdictionem in illud, siue ordinariam siue delegatam, quamuis inualida, vel quia scienter fuit omissum aliquod peccatum, vel quia non fuit dolor sufficiens, vel aliter, satisfieri referuationi, ita ut quamuis sit iterum necessariò confitendum, non maneat referuatum, & possit ordinario Confessario confiteri, quia referuatio ad id tantum ordinatur, ut peccata referuata constentur habenti iurisdictionem in illa, & ipse



ipse iudicet de illis pro eis pœnitentiam conuenientem imponendo, & ab eis absolucendo, quæ omnia fiunt in confessione illi facta, quamuis inualida.

Hoc supposito, difficultas est, An peccatum referuatam, quod inculpabiliter omittitur, ex ignorantia aut ex obliuione in confessione facta habenti iurisdictionem in illud, maneat absque referuatione.

Adrian.  
Conarru.  
Canus.  
Ledesma.  
Filliucius.

Adrianus in 4. quæst. 4. de Confessione, Couarruias in cap. *Alma mater*, 1. p. §. 11. nu. 12. Canus Relect. de Pœnitentia, par. 5. Ledesma. 2. par. quarti, q. 8. art. 2. dub. 8. & Filliucius cap. 10. puncto 12. partem affirmatiuam tuentur; quia qui absoluit à peccatis confessis, eo ipso saltem virtualiter vult absolucere ab omnibus à quibus potest, quamuis omisis inculpabiliter; quia eo ipso quod absoluit pœnitentem à confessis, vult iustificare pœnitentem, quod non fit absque remissione omnium mortalium, ergo si aliàs habet potestatem absolucendi ab omnibus peccatis pœnitentis, etiam à referuatis, verè absoluit ab omnibus, etiam à referuatis inculpabiliter omisis.

Suarez.  
Vasquez.

Suarez verò disp. 31. sect. 4. & Vasquez q. 91. art. 3. dub. 5. partem negatiuam tradunt, & merito: quia referuatio ad hoc fit, vt peccata referuata exprimantur habenti potestatem in illa, vt de illis iudicet, pœnitentiã & medicinam conuenientem adhibendo, & ab eis directè absolucendo; ergo quando non exprimuntur, nec directè & distinctè iudicantur, non satisfiit eorum referuationi, quamuis per absolucionem per accidens simul cum alijs remittantur. Quod etiam est verum, vt Vasquez aduertit, quamuis habens potestatem in referuata, siue ordinariam siue delegatam, habeat directam & expressam intentionem absolucendi à referuatis (nisi aliàs possit extra confessionem absque absolucione referuationem auferre) quia ea intentio supplere nequit defectum confessionis necessariò faciendæ habenti potestatem in referuata requisitæ ratione referuationis, vt conuenienter iudicet de illis, & defectum talis iudicij. Addidimus, nisi aliàs possit extra confessionem absque absolucione referuationem auferre, quia si possit, eo ipso quod habet eam intentionem, censetur referuationem auferre.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, cum, qui absoluit à peccatis confessis, eo ipso absolucere ab omnibus etiam omisis inculpabiliter; sed non absoluit directè de eis iudicando, sed tantum absoluit indirectè, & non aliter quam sua absolucione à confessis perficiendo Sacramentum Pœnitentiæ, medio quo pœnitenti confertur gratia iustificans, qua remittuntur omnia peccata, etiam referuata (quod etiam efficeret Confessarius ordinarius) dicta tamen absolucio non sufficit ad auferendam referuationem peccati omisi inculpabiliter, quia ea absolucio supplere nequit defectum confessionis illius media referuatione requisitæ, nec defectum iudicij directi faciendi ab habente facultatem sufficientem media referuatione requisiti, & ad quod confessio referuati ordinatur & requiritur.

Quia tamen, vt pœnitens validè absolucatur à peccatis etiam non referuatis, necessarium est auferre excommunicationem, tam referuatam quam non referuatam, idè qui habet potestatem absolucendi à referuata, eo ipso quod absoluit pœnitentem

tem à peccatis, quamuis intentione tantum communi & generali, etiam absoluit ab excommunicatione referuata. Sic tamen absolutus ab excommunicatione referuata, quamuis non teneatur eam explicare in sequenti confessione, & absolucionem ab ea petere (quia explicatio excommunicationis, & petitio absolucionis ab ea, non est necessaria, quando iam absolucio est obtenta) tenetur peccatum referuatam, cui annexa est, confiteri habenti facultatem in illud; quia ablacione excommunicationis non explicatè modo dicto facta, non auferretur referuatio peccati quamuis referuati Papæ. Id verò quod Diff. III. diximus, nempe ablacione excommunicationis referuata etiam auferri referucionem peccati & culpe, cui erat annexa, tantum est verum, aut quando excommunicatione ita auferretur à peccato, vt ei non maneat amplius annexa, aut quando excommunicatione scienter & ratione sui auferretur absolucione; non verò quando absolucione auferretur ignoranter, & quasi per accidens, vt pœnitens validè absolucatur à confessis, & quamuis non referuatis.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Filliucius Tract. 7. c. 11. quæstio 3. quod quando confessio, in qua inculpabiliter omittitur peccatum referuatam, fit habenti iurisdictionem in illud ex priuilegio non facto ipsi Confessario, sed pœnitenti, eligendi Confessarium, qui possit illum à referuatis absolucere, vt contingit in Iubilæis, tunc pœnitens manet liber à referuatione peccati inculpabiliter omisi, non absolucione; quia non absolucitur directè à referuato omisso, quamuis inculpabiliter, sed manet liber voluntate Superioris volentis quod tum cesset referuatio, quia eo ipso quod Superior concedit pœnitenti facultatem eligendi Confessarium pro referuatis, censetur auferre referucionem, quando pœnitens confitetur intra tempus assignatum, quamuis omittat peccatum referuatam, dummodò inculpabiliter omittat. Limitatio autem temporis, intra quod solet præscribi confessio referuatorum faciendæ, tantum operatur, quod si priuilegiatus in eo tempore non confiteatur, aut si confitetur, & culpabiliter omittit referuatam, non maneat liber à referuatione.

#### DIFFICULTAS IX.

*Vtrum pœnitens ex priuilegio, verbi gratia Iubilæi, absolutus in aliquo die septimana à referuatis, antequam impleat omnia quæ præcipiuntur faciendæ per totam septimanam, & post absolucionem non impleat reliqua, ita absolutus maneat, vt non teneatur postea coram Superiore pro absolucione comparere.*

**D**ifficultas procedit in casu, in quo pœnitens accedit ad confessionem bona fide, id est animo faciendi quæ ad effectum dicti priuilegij necessaria sunt; quia si accedit animo non faciendi illa, non manet absolutus à referuatis, imò nec à non referuatis, si aliqua via non excusetur à peccato mortali, quod committit accedendo dicto animo pro absolucione à referuatis.

Circa hanc difficultatem conueniunt Doctores, cum, qui bona fide & dicto animo accedit, manere



nere absolutum à referuatis, quia absolutio confertur absque conditione de futuro, imò absolutio à culpâ non facta absque ea conditione, est nulla; ergo eo ipso quod pœnitens virtute priuilegij absolutus à referuatis, verè & absolutè manet absolutus ab illis.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An talis pœnitens ita maneat absolutus à referuatis, vt etiam maneat absque onere & obligatione iterùm illa confitendi Superiori cui referuata sunt, quando reliqua requisita non implet.

Non desunt qui existiment, pœnitentem, qui reliqua requisita non implet, quamuis bona fide & animo illa implendi ad confessionem accedat, teneri postea ad comparandum coram Superiore cui peccatum est referuatum, vt ei illud iterùm confiteatur; quia dictum priuilegium concessum videtur sub onere faciendi omnia quæ ad lucrandam indulgentiam Iubilei requisita sunt, aut sub onere iterùm peccata referuata confitendi, si reliqua requisita non implet.

Corduba.  
Henriq.  
Suarez.  
Vasquez.

Corduba verò in Summa Hispana, quæst. 21. Henriquez lib. 6. cap. 16. Suarez disp. 31. n. 5. Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 6. existimant, talem pœnitentem ita absolutum à referuatis manere, vt quamuis reliqua requisita non implet, non teneatur iterùm illa Superiori nec alteri confiteri, & meritò: quia dicta priuilegia absolutè conceduntur, & absque dicto onere, vt ex ipsis priuilegijs constat, & satis rationabiliter, cum concedatur pœnitentibus bona fide, & dicto animo procedentibus; ergo.

Id verò quod addit Suarez, nempe pœnitentem ita absolutum teneri sub mortali ad implenda omnia requisita ad lucrandam indulgentiam, quasi teneatur ex pacto quodam virtuali in facultate concessa incluso, falsum est, vt aduertit Henriquez: quia quamuis pœnitens, quando reliqua non implet, non lucretur indulgentiam, nullo tamen sufficienti fundamento ostendi potest ad id teneri ex pacto aliquo, aut ex alio titulo.

Filliucius.  
Suarez.  
Vasquez.

Sed an ita absolutus, qui reliqua requisita non implet, maneat liber à reservatione peccati referuati omisi inculpabiliter, est sub controuersia: quia Filliucius cap. 10. & alij affirmant (quod probabile existimat Suarez num. 24.) immeritò tamen, vt optimè Vasquez; quia talis pœnitens nec liberatur à reservatione media absolute, quia nullus absolute liberatur à reservatione, nisi absolute directa à referuato in confessione explicato; nec liberatur voluntate Superioris, quia absque fundamento præsumitur, Superiorem velle pœnitentem, qui non implet omnia requisita ad lucrandam indulgentiam, gaudere priuilegio cessationis reservationis peccati omisi, quamuis inculpabiliter, cum tale priuilegium concedatur ad meliùs lucrandam indulgentiam.

#### DIFFICULTAS X.

*Vtrum possit quis obligari ab Ecclesia ad iterùm confitendum peccata, à quibus est iam legitime absolutus.*

**S**upponimus, confessionem peccatorum à quibus iam quis est legitime absolutus, esse sufficientem ad absolutionem obtinendam: quia, vt

diximus Disp. IV. Diff. III. peccata, quamuis iam confessà & remissà, sunt legitima & sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ; & quamuis eadem confessio, quia est materia proxima, nequeat diuersis absolutionibus & diuersis Sacramentis pœnitentiæ deseruire, sicut nec eadem absolute diuersis Baptismis; nihilominùs eadem peccata possunt, vt subsunt diuersis confessionibus, quia sunt materia remota; sicut eadem aqua potest, prout subest diuersis abluitionibus, deseruire diuersis Baptismis. Accedere autem iterùm ad confessionem eorundem peccatorum, nò est à prima absolute appellare, quia hoc fieri non potest, cum absolute sit definitiua, & vltima sententia; sed est eadem peccata iterùm iudicio & sententiæ subijcere, in quo nullum est inconueniens.

Ita tamen iterata confessio eorundem peccatorum est sufficiens ad absolutionem obtinendam, vt etiam sit utilis ad nouum fructum Sacramenti non solum gratiæ, in quo Doctores conueniunt; sed etiam remissionis pœnæ temporariæ, vt contra Scotum & Gabrielem docent communiter Doctores: quia Sacramentum Pœnitentiæ, quod sufficienter coalescit ex iterata eorundem peccatorum confessione, & ex absolutione, non tantum habet ex institutione Christi gratiam conferre, sed etiam pœnam remittere, vel totam vel partem, pro dispositione pœnitentis.

Hoc ergo supposito difficultas est, An possit quis ab Ecclesia obligari ad confessionem peccatorum à quibus iam est legitime absolutus.

S. Thomas Quodlib. 1. art. 12. Durandus in 4. S. Thomas. d. 17. q. 15. nu. 10. Dionysius Cisterciensis d. 23. Durandus. Dionysius Cisterciensis. Ledesma. art. 2. & Ledesma 2. p. 4. q. 8. art. 2. dub. 19. partem negatiuam tuentur, quæ insinuat in Extrauag. Inter cunctas, de Priuilegijs, dum dicitur, absurdum esse, teneri aliquem confiteri peccata quæ confessus est, & quod liberatus debitor maneat obligatus ad iterùm soluendum.

Et ratione probatur Primò, quia de ratione legis humanæ est, quod sit secundum rationem tolerabilis; lex autem ad iteratam confessionem obligans, esset admodum intolerabilis & difficilis. Secundò, quia Ecclesia efficere nequit, vt materia Sacramenti, quæ necessaria non est, fiat necessaria; peccata autem legitime confessà, quamuis sint materia sufficiens, non tamen necessaria.

Alexander verò 4. p. q. 18. memb. 4. art. 5. Adrianus in 4. q. 5. de Confessione, num. 9. Maior d. 17. q. 6. & Angelus v. Confessio 5. num. 9. partem affirmatiuam meritò tradunt, quam non leuiter confirmat Statutum quoddam Cisterciensium à duobus Pontificibus confirmatum, quo statuitur, vt Fratres, qui intra annum confitentur ordinario Confessori, teneantur semel in anno eadem peccata mortifera suo Superiori confiteri.

Alexand.  
Adrianus.  
Maior.  
Angelus.

Et ratione probatur, quia hæc repetita confessio est actio exterior & honesta, & non parum utilis profectui spiritali, & paci conscientiæ, vt patet; & non est intolerabilis, nec admodum difficilis; ergo potest à Superiore humano præcipi. Quod autem non sit intolerabilis, nec admodum difficilis, in quo tota difficultas consistit, declaratur: quia quamuis repetita confessio eorundem peccatorum sit ex se difficilis, supposita tamen institutione, & vsu confessionis, & obligatione primæ confessionis, & attentis fructu & utilitate iteratæ confessionis, absque dubio fit tolerabilis, & non admodum diffi-



difficilis, & vt talis iudicatur communiter: pauci enim, & forsan nullus ex his qui peccata iterum confitentur, iudicant se rem intolerabilem facere. Et sanè si prima peccatorum confessio, supposita eius institutione & utilitate, talis esse iudicatur, vt potuisset ab Ecclesia præcipi, quamuis non fuisset præcepta à Christo, vt diximus Disp. vii. Diff. iv. iterata confessio, quamuis non sit præcepta à Christo, etiam poterit præcipi ab Ecclesia, cum non sit difficilior quàm prima.

Ex quo constat ad primam rationem aduersariorum.

Ad secundam autem negamus, Ecclesiam non posse materiam Sacramenti, aliàs liberam, efficere necessariam, eam præcipiendo (sicut etiam Sacramentum Confirmationis, & etiam Extremæ Vnctionis, quod Christus non reliquit sub præcepto) quia præcipere materiam quam Christus liberam reliquit, non est materiam à Christo institutam mutare, alià instituendo, quod nequit ab Ecclesia fieri.

Ad Extraneam *inter cunctas*, pro aduersarijs adductam, respondemus, eam tantum procedere de facto, quando nullum est præceptum iterandi confessionem, quia in ea tantum intendit Pontifex, eos qui ex privilegio confessi sunt alij quàm proprio Sacerdoti, non teneri de facto eadem peccata proprio Sacerdoti confiteri, non tamen negat id posse ab Ecclesia præcipi.

#### DIFFICULTAS XI.

*Utrum Superior possit concedere facultatem, vt subditus à reseruatibus absoluat, cum onere postea comparandi coram Superiore.*

Conueniunt Doctores, Superiorem posse concedere facultatem, vt subditus absoluat à reseruatibus cum onere comparandi coram ipso Superiore, vel vt ipsi iterum reseruata sacramentaliter confiteatur, & ab ipso absolutionem accipiat, vel saltem vt ipsi rationem peccati reseruati reddat, & pœnitentiæ sibi ab inferiore impositæ: & id non solum posse in casibus quibus annexa est excommunicatio, sed etiam in illis quibus non est annexa, vt ex praxi & vsu Ecclesiæ constat.

Id autem potest Superior multis modis efficere. Primò, iteratam confessionem, siue sacramentalem absolutioni subiectam, siue non sacramentalem præcipiendo, quod hoc modo nequit nisi à Pontifice fieri. Secundò id potest efficere, petendo à subdito votum, vel iuramentum quo ipse subditus ad iteratam confessionem obligetur ex Religione. Tertiò, pacto mutuo inter Superiorem & subditum de iterata confessione facienda, siue implicito, & contento in aliquo Statuto generali, quo conceditur facultas confitendi peccata reseruata Confessario ordinario, cum onere comparandi coram Superiore (vt conceditur in nostra Societate, iter agentibus, & etiam eis qui in aliquo Collegio negotiorum causâ versantur) siue pacto expresso, in quo nulla sit coactio subdito, cum ea concessio fiat à Superiore, cedendo, in gratiam ipsius subditi iuri quod habet vt ipsi fiat confessio reseruatorum.

Obseruandum tamen est, quoties pœnitens à reseruatibus absolutus sub onere comparandi obligatur ad id, quando aliud non constat, non obligari

ad comparandum coram Superiore, vt ipsi iterum peccata sacramentaliter confiteatur, vt dicemus Diffic. xi. quia ad finem reseruationis id non est necessarium, quia sufficit dicere Superiore peccata, expectando ab eo quid ipse expediens iudicauerit: hæc tamen dictio, seu manifestatio, ad quam pœnitens obligatur, dicitur confessio, etiam quando non sit sacramentaliter, quia est consummatio quædam confessionis sacramentalis antea factæ Confessario ordinario.

Ita tamen pœnitens, cui conceditur facultas vt absoluat à reseruatibus cum onere comparandi coram Superiore, potest ad comparandum obligari, vt quando de facto obligatur, obligetur sub mortali, vt aduertunt Vasquez q. 93. ar. 1. du. 6. & Egidius disp. 8. du. 15. quia obligatur ad rem grauem, & ex virtute iustitiæ aut religionis, quæ sunt strictæ obligationis.

#### DIFFICULTAS XII.

*Utrum subditus absolutus ex facultate concessa cum onere comparandi, teneatur comparere, si ante absolutionem ignorauit dictum onus.*

Supponimus, vt aduertit Suarez disp. 30. sect. 5. facultatem absoluendi à reseruatibus concessam vt pœnitens absoluat à Confessario inferiore cum onere comparandi, quando aliud non constat, non concedi de facto ita dependenter à notitia oneris comparandi habenda à pœnitente ante absolutionem, vt si eam notitiam non habeat, absolutio sit nulla: quia quamuis posset ita strictè concedi, tamen non creditur ita de facto concedi, quia id esset valdè rigidum, & minus conueniens, vt pote expositum periculo sæpè irritandi absolutionem: ex quo fieret, moribundum, tantem signa confessionis, & non habentem alia peccata nisi reseruata, & dictum onus ignorantem, & iam impotentem illud à Confessario percipere, inualidè absolui.

Hoc supposito, difficultas est, An pœnitens ex dicta facultate absolutus, teneatur postea comparere, quando ipse ante absolutionem non habuit notitiam oneris comparandi.

Non desunt qui partem affirmatiuam tueantur, quia existimant, facultatem absoluendi à reseruatibus concedi à Superiore cum onere comparandi, esse illam concedere cum præcepto Superioris obligantis subditum ad comparandum, præceptum autem Superioris vrget post absolutionem, quamuis subditus illud ignorauerit ante absolutionem.

Vasquez verò quest. 93. ar. 1. dub. 6. & Egidius disp. 8. du. 15. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia pœnitens, qui absoluitur ex facultate concessa cum onere comparandi, tantum tenetur ad comparandum ex pacto expresso vel implicito inter ipsum, & superiorem concedentem dictam facultatem; inter hunc autem Superiorem, & inter pœnitentem qui ante absolutionem ignorauit dictum onus, nequit esse dictum pactum, vt patet; ergo. Quod autem pœnitens ex facultate cum eo onere concessa absolutus, tantum teneatur ex pacto, probatur, quia non tenetur ex voto, nec ex iuramento; quia supponimus nec id vovisse nec iurasse: nec tenetur ex præcepto Superioris eam facultatem.



cultatem cum eo onere concedentis, quia non tenetur ex præcepto Superioris, quando Superior eam facultatem concedens est Episcopus (& multò minùs quando est Parochus) quia Episcopus non potest (& multò minùs Parochus) iteratâ confessionem, non tantùm Sacramentalem, sed nec consummatiuam Sacramentalis præcipere: nec tenetur ex præcepto Superioris, quando Superior eam facultatem concedens est Pontifex, quia iste creditur cum eodem onere dictam facultatem concedere; cum quo eam concedunt reliqui Pastores inferiores; isti autem nequeunt cum tali præcepto eam concedere. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

### DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum de facto in Iure ita sit commissâ inferioribus Confessarijs facultas absoluendi à referuatis in aliquibus casibus, vt absolutus postea teneatur coram Superiore eam facultatem concedente comparere.*

**S**upponimus, in quo Doctores conueniunt, pro articulo mortis, siue physico siue morali, quando non adest qui habeat iurisdictionem ordinariam vel delegatam in casus referuatos, esse in Iure concessam omnibus Sacerdotibus facultatem absoluendi à quibuscumque referuatis, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 7. in quo additur, extra eum articulum nihil posse circa casus referuatos: quod intelligitur de Sacerdotibus inferioribus, quia extra eum non possunt, & non de Episcopis, quia his extra eum articulum conceditur facultas absoluendi à referuatis, quando adest legitimum impedimentum, vt diximus Diff. VI I.

Trident.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An in dictis casibus ex dicta facultate absoluti à referuatis, teneantur, cessante articulo mortis, aut alio legitimo impedimento, comparere coram Superiore.

Conueniunt Doctores, absolutos à casibus referuatis quibus annexa est excommunicatio, quamuis non referuatis Pontifici, teneri, articulo mortis, aut alio legitimo impedimento cessante (excepto impedimento impubertatis, quia pueri non obligantur ad comparandum, cessante pueritia) quam primò commodè possint, comparere coram Superiore à quo extra eum articulum, aut extra aliud legitimum impedimentum erant absoluendi, vt generaliter decernitur in cap. *Eos qui* 22. de Sententia excommunicationis, in 6. Imò non sunt absoluendi, antequam ab eis exigatur iuramentum comparendi, vt pro absolutione ab excommunicationibus referuatis dicimus Tractatu de Excommunicatione Disp. xv. Diffic. 111. & prædictos ad minus teneri comparere ratione excommunicationis, vt in eo cap. significatur. Nihilominùs non sola excommunicatio exprimenda est Superiore, sed etiam peccatum ob quod incurta est excommunicatio, vt satis significatur in dicto cap. *Eos qui*, & constat ex fine comparendi, nempe vt prædicti pœnitentiam & medelam conuenientem à Superiore accipiant, quia pœnitentia & medela pro peccato confertur non pro excommunicatione, quæ est pœna, & non culpa.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An sic ab-

soluti, qui comparere tenentur coram Superiore vt ei peccata referuata exprimant, ad id teneantur, vt à peccatis referuatis iterùm Sacramentaliter absoluantur.

Non desunt qui partem affirmatiuam teneant (quam etiam insinuat Vasquez quæst. 91. art. 3. *Vasquez.* dub. 8.) quia ex vna parte sic absoluti possunt ad id obligari saltem ex pacto, & ex altera parte Superior concessione facultatis sub onere comparendi absolutè facta, denotat se velle vt postquam pœnitentes sibi in ea necessitate prospexerint, postea compareant ad illud idem, ad quod aliàs, si non fuissent absoluti, debebant comparere, sed si prædicti non fuissent absoluti ab inferiore Confessario, comparituri erant vt à referuatis Sacramentaliter absoluerentur; ergo.

Nauarrus verò cap. 26. nu. 26. Suarez disp. 30. *Nauarrus.* sect. 5. & Henriquez lib. 6. cap. 9. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia quamuis Superior potuerit sic absolutos obligare saltem ex pacto ad iteratam confessionem Sacramentalem referuatorum, creditur tamen de facto noluisse, quia id nulli exprimitur, & ad finem referuationis, nempe vt pœnitentes quoad referuata dirigantur à Superiore non est necessaria confessio Sacramentalis, quæ est durior, sed sufficit confessio non Sacramentalis, quæ est facilior, & multò minùs onerosa.

*Suarez.*  
*Henriq.*

Superior ergo concessione facultatis sub onere comparendi absolutè facta, non denotat se velle, vt pœnitentes, postquam sunt sic absoluti, teneantur comparere ad illud idem, ad quod comparituri erant si non fuissent absoluti, quia quando non sunt absoluti, non est onus aliquod supra expressionem peccatorum Superiore faciendam ei Sacramentaliter illa confiteri, cum teneantur alicui illa Sacramentaliter confiteri: at postquam confessi sunt illa Sacramentaliter alteri, non est modicum onus supra confessionem non Sacramentalem non exigentem dolorem, nec propositum, nec aliquam aliam dispositionem confiteri Sacramentaliter, quod non est præsumendum Superiorem velle dum id non exprimit.

Addimus, pœnitentes à casibus referuatis absolutos ab Episcopis in articulo mortis, vel quando est aliud legitimum impedimentum, & à reliquis inferioribus Sacerdotibus in articulo mortis, non solum teneri comparere coram Superiore, quando absoluti sunt à casibus quibus annexa est excommunicatio, in quo Doctores conueniunt, sed etiam (quidquid dicat Suarez) quando absoluti sunt à casibus quibus non est annexa excommunicatio, quia facultas Episcopis in dictis Iuribus concessa ad absoluendum à referuatis, quibus excommunicatio annexa est in articulo mortis, aut alio legitimo impedimento existente, extensa est à Doctoribus ad absoluendum à quibuscumque alijs, quamuis forsitan eis non sit annexa excommunicatio; ergo etiam extendenda est cum eodem onere, cum quo in Iure concessa est ad absoluendum ab illis quibus annexa est excommunicatio: qui si absoluti ab Episcopis in articulo mortis, aut alio legitimo impedimento existente à casibus quibus non est annexa excommunicatio, tenentur postea comparere, non minùs tenebuntur absoluti à reliquis inferioribus Sacerdotibus in articulo mortis à similibus casibus, quia facultas illa concessa non est magis absoluta, & minùs limitata, quam concessa Episcopis.

*Suarez.*



## DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum Confessarius inferior possit pœnitentem, confitentem casus referuatos, absoluerè, cum onere comparandi coram superiore pro referuatis.*

S. Thomas.  
Paludan.  
Gabriel.  
Antoninus.  
Siluester.

**S**anctus Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstionc. 2. ad 4. Paludanus q. 5. art. 1. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2. Antoninus tit. 14. c. 19. & Siluester v. *Confessio* 1. q. 19. absolūtè, nulla alicuius necessitatis mentione facta, docent, inferiorem Confessarium posse absoluerè pœnitentem, confitentem peccata referuata, cum onere comparandi coram superiore pro referuatis, quia existimant, referuationem non fieri quoad absolutionem à referuatis, sed quoad confessionem non Sacramentalem, vt subditus teneatur deferre peccata referuata ad superiorem vt ab ipso circa illa dirigatur, & pro eis pœnitentiam aut medelam conuenientem accipiat: fieri autem potest, vt quis absoluat ab omnibus peccatis, etiam à referuatis, & quòd maneat obligatus ad deferenda peccata referuata superiori pro directione circa illa; ergo habens casus referuatos potest etiam ab eis absolui ab inferiore Confessario, cum onere & obligatione comparandi coram superiore pro referuatis.

Sotus.  
Suarez.  
Henriq.  
Ægidius.

Doctrinam hanc Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Suarez disp. 31. sect. 3. Henriquez lib. 6. c. 15. Ægidius disp. 8. dub. 15. & alij limitant, vt tantum sit vera, quando occurrit grauis aliqua necessitas absolutionis, vt quando non potest omitti confessio aut Communio sine graui nota subditi, quia tunc rationabiliter potest præsumi, superiorem concedere facultatem ad id. Imò Sotus, Henriquez & Suarez eam amplius limitant: Sotus, vt tantum sit vera, quando peccatum referuatum non habet annexam excommunicationem; Henriquez verò & Suarez, quando subditus præter peccata referuata etiam confitetur alia non referuata.

Richardus.  
Adrianus.  
Vasquez.  
Turrianus.

Richardus verò in 4. dist. 17. art. 2. q. 8. Adrianus quæst. 4. de Confessione, Vasquez q. 91. art. 3. dub. 9. Turrianus disp. 31. dub. 6. & plures alij recentiores, docent, & meritò, Confessarium inferiorem extra articulum aut periculum mortis (quod etiam moraliter est articulus mortis) non posse absoluerè à referuatis, quamuis eis non sit annexa excommunicatio, & quamuis pœnitens etiam confiteatur peccata non referuata. Quod satis significat Tridentinum sess. 14. c. 7. dum ait, Sacerdotes extra articulum mortis nihil posse in casibus referuatis; & dum supponit, in casibus referuatis non esse legitimos iudices extra articulum mortis, monens Sacerdotes vt pœnitentes habentes casus referuatos extra eum articulum remittant superioribus & legitimis iudicibus.

Trident.

Et ratione probatur, quia referuatio peccati est limitatio iurisdictionis inferiorum quoad illud; ergo nullus potest à peccato referuato absolui ab inferiore Sacerdote absque facultate superioris, quia absolutio ab eo peccato esset à non iudice; extra articulum autem mortis inferior Confessarius non habet facultatem superioris ad absoluerè à referuatis, vt dicitur in Tridentino.

Quòd si respondeas Primo, inferiores Sacer-

dotes habere iurisdictionem in peccatum referuatum ex voluntate superioris præsumpta seu interpretatiua saltem, in casu grauis necessitatis; contra hanc responsionem est in primis, quòd voluntas præsumpta seu interpretatiua non sufficit ad concedendam iurisdictionem, quia non est vera aliqua voluntas præsens positiua, qua quis velit aliquid, sed qua velle, si illud aduerteret, vt dicimus Tractatu de Actibus humanis Disputatione 1. Difficultate 111. Deinde, quia si ita esset, non potuisset Tridentinum dicere, extra articulum mortis nihil illos posse in casibus referuatis, id est nullam habere potestatem & iurisdictionem ad absoluerè ab illis; & non potuisset supponere, extra dictum articulum inferiores Sacerdotes non esse iudices.

Quòd si Secundò respondeas, inferiores Sacerdotes extra articulum mortis non habere iurisdictionem in peccata referuata, ac proinde non posse ab illis directè & per se absoluerè, tamen quia habent iurisdictionem in non referuata, à quibus potest directè & per se absoluerè, idèò posse etiam à referuatis indirectè & per accidens absoluerè.

Contra hanc responsionem Primò vrget Tridentinum, dum ait: *Cum extra articulum mortis Sacerdotes nihil possint in casibus referuatis id unum persuadeant pœnitentibus, vt ad superiores pro beneficio absolutionis accedant.* Si ergo Sacerdotes inferiores, post auditionem referuatorum, possent ab illis absoluerè aliquo modo, iam aliquid possent in casibus referuatis sibi confessis, & non tantum superesset persuadere pœnitentibus accessum ad superiores pro beneficio absolutionis ab illis, quia post auditionem possent prius ab illis absoluerè, & postea illis persuadere vt tempore debito ad superiores accedant.

Trident.

Secundò contra eandem responsionem est, quòd si Sacerdotes inferiores nequeunt directè à referuatis absoluerè, nequeunt in casu præsentis Difficultatis pœnitentem confitentem referuata absoluerè, quia tunc directè & per se absoluerent ab illis, quia tunc pronuntiarent sententiam absolutionis ab illis, iudicando de eis auditis in confessione, & vt referuatis cognitis: quia sicut tunc si pœnitens confiteri vult, tenetur omnia peccata etiam referuata confiteri, ita etiam inferiores Sacerdotes, si absoluerè volunt, tenentur ab omnibus sibi confessis absoluerè, quia sententia absolutionis commensurari debet confessioni: absoluerè autem directè nihil aliud est, quam à peccatis in confessione auditis absoluerè; & absoluerè indirectè & per accidens, solum est, medià absolutione à peccatis auditis, conferre gratiam remissionem, etiam eorum peccatorum quæ non sunt confessà, vel quia sunt oblita, vel quia non est obligatio illa confitendi ob aliquam causam.

Tertiò contra eandem responsionem est, quòd ex ea sequitur, extra articulum mortis in casu grauis necessitatis eum, qui habet mortalia & venialia, posse confiteri simplici Sacerdoti non approbato, & ab eo absolui ab illis. Consequens autem est contra consuetudinem Ecclesiæ. Sequela probatur, quia simplex Sacerdos habet iurisdictionem completam in venialia; ergo auditis mortalibus & venialibus posset pœnitentem absoluerè etiam à mortalibus.

Q

Id



Id verò quod aduersarij supponunt, nempe reservationem non esse quoad absolutionem à reseruatis, falsum est, vt constat ex Tridentino vbi supra.

Ex dictis constat Primò, quòd sicut grauis necessitas in casu presentis Difficultatis non sufficit ad dimidiandam seu mutilandam confessionem, id est ad non confitenda reseruata (quia damnum, quod in casu presentis Difficultatis euenire potest, non proueniret ex confessione reseruati, sed ex defectu iurisdictionis Confessarij inferioris in reseruata) ita etiam non sufficit ad dimidiandam absolutionem, id est ad non absoluendum à reseruatis, sed tantum à non reseruatis.

Constat Secundò, peccata reseruata habentem posse extra articulum mortis procedere, ac si non haberet copiam Confessarij, ac proinde in casu grauis notæ, ex eo quòd non communicet aut non celebret, posse absque præntia confessione sola contritione perfecta iustificatum communicare, aut celebrare, quamuis peccatis reseruatis sit annexa excommunicatio.

Obseruandum est, pœnitentem habentem peccata reseruata quæ non confitentur, vel quia eorum est oblitus, vel quia iuxta aliqua de causa non tenetur illa confiteri, iuxta ea quæ diximus Disp. ix. Diffic. x. validè absolui (quamuis peccatis reseruatis sit annexa excommunicatio, dum excommunicatio tolerata sit) ab inferiore Confessario à reliquis peccatis confessis non reseruatis, quia absoluitur ab habente iurisdictionem in peccata confessis, ac proinde mediâ eâ absolutione, vtpote valida, conferri gratiam remissionem etiam reseruatorum, ex quo peccata reseruata dicuntur per accidens & indirectè absolui.

Addidimus, *quamuis peccatis reseruatis sit annexa excommunicatio, dum excommunicatio tolerata sit*, quia quamuis eis sit annexa, dum pœnitens ea excommunicatione excommunicatus non sit non toleratus, validè absoluitur à reliquis peccatis, si aliàs obliuione excommunicationis, aut alia via excusetur à peccato mortali suscipiendi absolutionem in statu excommunicationis, iuxta ea quæ diximus Tract. de Excommunicatione Disp. iv. Difficultate 111. manebit tamen excommunicatio post absolutionem validam à peccatis, quia gratia remissionem peccatorum reseruatorum non est expulsua excommunicationis: si tamen excommunicatus ea excommunicatione sit non toleratus, quamuis obliuione aut alia via excusetur à peccato mortali susceptionis, inualidè absoluitur, quia est incapax seu inhabilis ad susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, vt ibidem diximus.

#### DIFFICULTAS XV.

*Vtrum superior, ad quem pœnitens, habens peccata reseruata & alia mortalia non reseruata, primò accedit, possit eum, reseruatis tantum auditis, Sacramentaliter absoluere.*

**C**Aietanus in Summa v. Confessio, conditione 10. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. & plures alij docent, superiorem posse dictum pœnitentem à solis reseruatis Sacramentaliter absoluere, & eum pro absolu-

tionem aliorum ad inferiorem Confessarium remittere. Ex quibus Caietanus & Sotus causam rationabilem ad id requirunt, & dicunt, occupationem ordinariam Prælatorum esse sufficientem ad id. Probari autem potest, quia quamuis integritas confessionis & auditionis peccatorum sit Iure diuino necessaria ad absolutionem, nihilominus ex rationabili causa, qualis in Prælati est ordinaria occupatio, potest confessio & auditio aliorum peccatorum non reseruatorum omitti, confessis & auditis tantum reseruatis; ac proinde ex ea causa potest superior à reseruatis tantum confessis & auditis Sacramentaliter absoluere. Addit Caietanus, hanc esse Prælatorum consuetudinem in Curia Romana, & ob id oppositam opinionem iudicat temerariam.

Adrianus verò in 4. quæst. 4. de Confessione, Suarez disput. 21. sect. 1. Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 10. & Siluester v. Confessio 1. quæst. 19. docent, superiorem non posse Sacramentaliter absoluere dictum pœnitentem, nisi auditis omnibus mortalibus, etiam non reseruatis (inò hunc esse vsum in Curia Romana, testantur Siluester, Suarez & Vasquez) & merito: quia integritas confessionis & auditionis mortalium est Iure diuino necessaria ad absolutionem Sacramentalem, vt docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. ergo non est omittenda, nisi ob vrgentissimam causam, quæ reddat licitam dimidiationem aut mutilationem confessionis & auditionis, qualis non est quæ sumi potest ex occupatione, nec ex alio impedimento superiorum, præsertim cum post auditionem reseruatorum, & post adhibitam conuenientem medelam pro illis, possit pœnitentem pro absolutione Sacramentali omnium, tam reseruatorum quam non reseruatorum, ad inferiorem Confessarium remittere, quod non debet onus graue pœnitentium iudicari, præsertim cum superior etiam teneatur sigillo confessionis.

#### DIFFICULTAS XVI.

*Vtrum subdito per se, vel per alterum licentiam petenti à superiore, vt possit alteri confiteri reseruata, teneatur illam concedere.*

**C**Onueniunt Primò Doctores, quoties subditus prudenter timet aliquod graue damnum confessioni extrinsecum sibi euenturum, si superiori confiteatur, verbi gratia, reuelationem confessionis, vel odium superioris, vel abusum confessionis in ordine ad gubernationem subditi, teneri superiorem ex iustitia licentiam concedere, quia tunc iniuriam irrogat subdito, intendendo eum cogere vt sibi in dictis casibus confiteatur: & etiam teneri ex fidelitate, aut ex iustitia muneris pastoris debita, eam licentiam concedere, si ex negatione prudenter timeat graue aliquod nocumentum spirituale subditi, quamuis oriundum ex passione aut ex alia fragilitate subditi, verbi gratia, defectum integritatis confessionis, aut Communionem absque praua confessione, aut nimiam dilationem confessionis & Communionis, aut multò minorem fructum, quia reseruatio fit & cedere debet in vtilitatem subditi, & non in detrimentum. Id tamen intelligitur, quan-



quando ex concessione licentiæ non timetur grauenocumentum aliorum, verbi gratia, facilitas in peccando, spe similis licentiæ obtinendæ, quia si id timeatur, negari potest, imò & debet, quia potius est prospiciendum communitati, quam particulari personæ: & etiam tenetur ad eam negandam, quando prudenter timet, concessionem esse futuram occasionem subdito peccandi.

Conueniunt Secundò, quando ex negatione licentiæ non timetur prudenter damnum aliquod graue, aut minoritas grauis fructus subditi, non teneri superiorem, licentiam concedere, quamuis subditus refugiat illi confiteri ob verecundiam, aut ob timorem amittendi bonam opinionem apud illum, aut ob aliam difficultatem, quasi intrinsicam & annexam confessioni superiori faciendæ, quia ad id nec tenetur ex iustitia, nec ex fidelitate sui officij. Imò quando nullum damnum prudenter timetur, magis expediet licentiam negare: quia tunc negatio maximè congruit fini reservationis,

quia tunc, vt supponimus, absque aliquo damno subditi proderit ad cautionem in futurum.

Quia verò de facto regulariter ex negatione licentiæ petita plus periculi potest prudenter time-ri, quam ex concessione illius, ideò quando superior non habet in particulari iustas aliquas rationes ad illam negandam, conuenientius erit illam concedere, vt aduertunt Suarez disp. 30. sect. 4. & Ægidius disp. 8. dub. 14.

Suarez.  
Ægidius.

Obseruandum tamen est, Confessarium licentiam pro subdito petentem, ita cautè teneri procedere, vt superior nequeat personam consicere; aliàs Confessarius fractor erit aut sigilli Sacramentalis, si id ex confessione nouit, aut secreti naturalis, si nouit extra confessionem: nec superior poterit interrogare quis sit pro quo licentiæ petitur, nec alias circumstantias per quas possit in notitiam subditi deuenire, quia id esset ad fractionem sigilli, vel secreti naturalis prouocare & inducere.

## DISPUTATIO XII.

## De sigillo confessionis.

## DIFFICULTAS I.

*Quo Iure sit obligatio seruandi secretum confessionis.*

ONVENIUNT Primò Doctores, esse obligationem seruandi secretum confessionis; & eam obligationem oriri ex Iure humano Ecclesiastico, & ex Iure purè naturali, & ex Iure naturali diuino.

Et in primis oritur ex humano Ecclesiastico lato in can. *Sacerdos*, de Pœnitentia, d. 6. & in cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentiis & remissionibus. Secundò oritur ex Iure purè naturali virtutis iustitiæ, quia ex virtute iustitiæ tenemur famæ proximi prospicere. Tertio oritur ex Iure naturali diuino virtutis religionis, quia ex virtute religionis tenemur ad seruandum secretum confessionis ob reuerentiam ipsi debitam, ne fiat odiosa: quod Ius dicitur naturale, quia supposita institutione Sacramenti confessionis, oritur ex natura virtutis religionis; & dicitur diuinum, quia oritur ex virtute religionis, non absolute, sed supposita diuina institutione confessionis à Christo facta.

Conueniunt Secundò Doctores, obligationem seruandi secretum confessionis esse tantam, vt in nullo casu, saltem extra confessionem, inuito pœnitente licitum sit illud reuelare, vt constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & vt ex dicendis constabit: & ob id obligatio hæc per antonomasiam dicitur *sigillum*, quia sub hac maxima obligatione contentum & clausum est secretum confessionis, tamquam sub sigillo.

Est tamen difficultas, Vnde oriatur, quòd obligatio seruandi secretum confessionis sit tanta, vt in omni casu sit seruandum.

Circa quam conueniunt Primò Doctores, tantam obligationem non oriri sufficienter ex dicto Iure purè naturali iustitiæ, quo tenemur famæ

proximi prospicere, quia ex eo Iure non obligamur in omni casu adhuc extra confessionem ad seruandum proximo secretum, & ad eius famæ prospiciendum; quia absque iniustitia contra proximum potest reuelari secretum, quando reuelatio est necessaria ad vitandum maximum aliquod damnum a b ipso proximo iniuste inferendum.

Conteniunt Secundò communiter Doctores, tantam obligationem non oriri tantum ex dicto Iure Ecclesiastico, quia licet ex eo, dum fuit & perseverat, sufficienter oriatur, quia eo Iure præcipitur secretum confessionis in omni casu, & fertur ab habente potestatem ad id præcipiendum, & ex sufficientissima causa, ne scilicet odiosa fiat confessio pœnitentibus, quod est malum maximum omnium quæ oriri possunt ex non seruando secretum illius; nihilominus, quia à principio institutionis Sacramenti confessionis semper fuit dicta strictissima obligatio, & semper erit, & non semper fuit dictum Ius Ecclesiasticum, & poterit cessare si Pontifex illud abrogare velit, ideò dicendum est esse aliud Ius, ex quo semper fuerit & futura sit dicta obligatio.

Est ergo punctum difficultatis, Quod sit hoc Ius, ex quo semper orta fuit sufficienter & oriunda est dicta obligatio, an scilicet ex dicto illo Iure naturali diuino religionis, an ex aliquo diuino positivo Christi.

Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 1. Valentia q. 8. puncto 1. Henriquez lib. 6. cap. 19. Ægidius disp. 6. dub. 2. Reginaldus lib. 3. cap. 1. & Turrianus disp. 33. dub. 1. docent, dictam obligationem, quæ semper fuit & erit, non oriri sufficienter ex eo Iure naturali diuino, sed ex quodam Iure diuino positivo superaddito à Christo institutioni Sacramenti confessionis, quo Christus intuitu reuerentiæ confessionis instituta præcepit in omni casu seruari secretum confessionis, quia ex Iure naturali diuino religionis non sit obligatio seruandi secretum confessionis, nisi quando ad id ex iustitia tenemur, quia tantum tunc irrogatur iniuria,

Vasquez.  
Valentia.  
Henric.  
Ægidius.  
Reginald.  
Turrianus.



seu irreuerentia confessioni reuelando secretum illius, quando pœnitens habet Ius iustitiæ, vt sibi seruetur, non verò quando non habet Ius; sed aliquando non tenemur ex iustitia, vt nuper dicebamus; ergo aliquando non tenemur ex dicto Iure naturali diuino religionis, ac proinde admittendum videtur illud aliud Ius positium diuinum, quo à Christo præceptum sit seruari secretum confessionis in omni casu.

S. Thomas.  
Sotus.  
Suarez.  
Filliucius.

S. Thomas verò in 4. distinct. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 1. Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 5. Suarez disput. 33. sect. 1. Filliucius tract. 7. c. 11. & communiter Doctores docent, dictam strictissimam obligationem, quæ semper fuit & erit, sufficienter oriri ex dicto Iure naturali diuino religionis, ac proinde non esse admittendum illud aliud Ius positium diuinum, quod tantum fingitur ab aduersariis, vt sit, ex quo sufficienter oriatur dicta strictissima obligatio.

Quòd autem dicta obligatio sufficienter oriatur ex eo Iure naturali diuino religionis (quod semper fuit & erit) declaratur, quia supposita institutione diuina confessionis, ipsi confessioni fit iniuria, seu irreuerentia, si peccatum in ea auditum aliquando, quamuis in grauissimo casu, reueletur, quia ea reuelatione confessio fiet ita molesta & odiosa pœnitentibus, vt ab ea aliquo modo retrahantur, & ad eam non satis securè accedant; id autem est malum adeò perniciosum Republicæ Christianæ, vt ratio ipsa dicat esse necessariò vitandum, & est ita perniciosum, vt sit magis quàm mors ipsa, & quàm quodcumque aliud damnum temporale, adhuc destructionis totius patriæ: ergo ratio dicat, quòd reuelatio non fiat, quamuis sit necessaria ad vitandam mortem iniustam Confessarij, & destructionem totius patriæ, quamuis inferendam ab ipso pœnitente, in quibus casibus non esset obligatio ex iustitia seruandi illi secretum; ergo observatio secreti sacri, seu secreti confessionis in omni casu, etiam in eo in quo aliàs pœnitens sit indignus vt ipsi seruetur secretum, & non habeat Ius iustitiæ ad id, necessaria est in reuerentiam confessionis in tantum bonum Ecclesiæ institutæ, quia illius fractio est malum maius omni alio temporali, etiam destructione totius patriæ, ac proinde fractio illius est necessariò vitanda non minùs, imò magis, quàm destructio patriæ.

Fractio ergo sigilli sacri, seu sacramentalis, non tantum est peccatum iniustitiæ contra virtutem iustitiæ, quod potest aliquando esse tantum veniale, sed etiam est peccatum sacrilegij contra virtutem religionis, quod semper est mortale, quamuis tantum reueletur veniale: nihilominùs quamuis semper & in omni casu sit sacrilegij, quia semper est iniuriòsa confessioni, & contra reuerentiam illius, non tamen semper est iniustitiæ, tunc videlicet quando considerata ratione naturali, & conuictu humano, pœnitens non habet Ius iustitiæ vt sibi seruetur secretum, vt contingit quando est in proposito inferendi graue aliquod damnum, & non vult ab eo proposito desistere, & ideò tunc fractio sigilli, quamuis sit peccatum sacrilegij, non tamen iniustitiæ.

## DIFFICULTAS II.

*Ex qua confessione oriatur obligatio sigilli.*

Conueniunt Doctores, ex confessione Sacramentali, & ex ea sola oriri obligationem sigilli. Ita Henriquez lib. 6. cap. 19. Suarez disp. 33. sect. 2. & Egidius disp. 9. num. 4. illa autem est confessio Sacramentalis, quæ fit Confessario, eam subiiciendo clauibus.

Henriq.  
Suarez.  
Egidius.

Prior pars, nempe obligationem sigilli oriri ex confessione Sacramentali, est manifesta, quia ex reuelatione ipsius fit odiosa, quo homines ab ea retrahentur, quod in omni casu vitandum est: & oritur ex confessione Sacramentali, quamuis non perueniat ad absolutionem (in quo Doctores communiter conueniunt) siue non perueniat ex voluntate, siue ex impotentia tam Sacerdotis quàm pœnitentis; aliàs confessio fieret odiosa, quod ob hanc rationem etiam est verum, quamuis pœnitenti negata sit absolutio ob defectum ipsius pœnitentis.

Posterior pars, nempe obligationem sigilli ex sola confessione Sacramentali oriri, est manifesta, quia ex nullius alius reuelatione, nisi confessionis Sacramentalis ipsi confessioni fit supradicta iniuria, & potest tantum malum oriri. Vnde obligatio sigilli non oritur ex manifestatione peccati, quæ non subiicitur clauibus saltem ex intentione pœnitentis, quamuis ipse dicat se illud manifestare sub sigillo confessionis, & non aliter, quia ex eo quòd id dicat, manifestatio seu confessio peccati non fit Sacramentalis, adhuc intentionaliter, vt patet.

## DIFFICULTAS III.

*Qui teneantur sigillo confessionis.*

In primis conueniunt Doctores, Confessarium teneri sigillo confessionis, quia ipse est qui reuelatione peccati sibi confessi propriissimè irrogat iniuriam confessioni Sacramentali.

Secundò conueniunt Doctores contra Caietanum, etiam interpretem, medio quo fit confessio Sacramentalis, teneri sigillo confessionis, quia quamuis interpres non se teneat ex parte Confessarij cui fit confessio, sed potius ex parte pœnitentis, quia pœnitens medio ipso interprete confitetur Confessario, & subiicit suam confessionem illi, nihilominùs cognoscit peccatum pœnitentis ex confessione inchoatiuè Sacramentali, quia etiam vt directa ad ipsum interpretem est inchoatiuè Sacramentalis, quia medio ipso & per ipsum fit & dirigitur ad Confessarium, & subiicitur clauibus, ac proinde reuelando peccatum irrogat iniuriam confessioni inchoatiuè Sacramentali, ex qua illud cognouit.

Tertiò, qui casu vel consilio audiuit peccatum confitentis Sacramentaliter, tenetur sigillo confessionis, quia id sciuit ex confessione Sacramentali vt Sacramentali, quia id sciuit ex confessione directa ad Confessarium. Qui verò ex voluntate pœnitentis absque necessitate audiuit peccatum in confessione Confessario facta, non tenetur sigillo confessionis (sed tantum secreto naturali iusti-



iustitiæ) quia non sciuit illud ex confessione Sacramentali vt Sacramentali, quia tantum sciuit illud ex confessione quatenus ad ipsum directa, quæ vt sic non est Sacramentalis. Ille etiam qui fingens se Confessarium, audiuit confessionem, tenetur sigillo confessionis, quia sciuit peccatum ex confessione intentionaliter Sacramentali, id est facta ex intentione perficiendi Sacramentum.

Quartò, laicus, cui causa deuotionis aut humilitatis facta est confessio, non tenetur sigillo confessionis, sed tantum secreto naturali iustitiæ, vt contra Adrianum in 4. quæst. vltima, & contra Nauarrum c. 8. num. 7. docent S. Thomas in 4. d. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 3. Suarez disp. 33. sect. 2. Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 2. & communiter Doctores, quia ille non cognouit peccatum ex confessione Sacramentali adhuc intentionaliter, quia non fuit facta vero iudici, nec existimato. Ad dimus, *nec existimato*, quia si pœnitens confiteatur laico, existimans eum posse in absentia Sacerdotis absolueret, tunc laicus tenetur sigillo confessionis (non minus quam qui se finxit Confessarium) quia tunc cognouit peccatum ex confessione intentionaliter Sacramentali.

Quintò, circa eum cui Confessarius reuelauit peccatum confessum, Adrianus & Nauarrus docent teneri sigillo confessionis, quia mediata cognouit peccatum ex confessione Sacramentali.

Medina Cod. de Confessione, quæst. De his qui confessionem celare tenentur, docet, illum non teneri sigillo confessionis, quia id non cognouit ex confessione ipsa.

Vasquez verò docet, & optimè, eum, cui absque licentia pœnitentis facta est reuelatio, teneri sigillo confessionis, quia tunc cognitio peccati tantum habet ortum ex confessione Sacramentali, quia pœnitens id tantum dixit in confessione Sacramentali. Eum verò cui facta est reuelatio peccati ex licentia pœnitentis, non teneri sigillo confessionis, sed tantum secreto naturali iustitiæ, quia iste non cognouit peccatum ex confessione Sacramentali, adhuc remotè & mediata, sed tantum ex narratione non Sacramentali, qua pœnitens concedens licentiam ad reuelandum peccatum ait, siue expressè siue implicitè, *Hoc peccatum, quod feci, & tibi confessus sum, me fecisse reuelat.* Et idem ob eandem rationem dicendum est de superiore, à quo Confessarius ex licentia pœnitentis petit facultatem pro peccato reseruato pœnitentis, non teneri sigillo confessionis, quia scilicet tunc superior non accipit notitiam peccati ex confessione Sacramentali, sed ex narratione non Sacramentali pœnitentis, teneri tamen strictissimo secreto naturali iustitiæ, cum ei sit dictum causa honestissima boni spiritualis pœnitentis.

Sextò conueniunt Doctores, eum, cui aliquis extra confessionem suam peccatum detegit, sub onere quòd illud seruet sub sigillo confessionis, non teneri ex eo sigillo, sed tantum secreto naturali iustitiæ, quia id non cognoscit ex confessione, & obligatio sub sigillo tantum oritur ex confessione, & non ex pacto; ipse autem qui extra confessionem exigit sigillum confessionis, nullam irrogat iniuriam confessioni, vt contra Paludanum in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. con. 3. aduertunt Adrianus & Vasquez.

Obseruandum est, omnes, quos diximus teneri

sigillo confessionis, teneri in omni casu; reliquos verò, qui eo non tenentur, sed tantum secreto naturali iustitiæ, non teneri in omni casu.

## DIFFICULTAS IV.

*Cuius rei secretum sit seruandum sub sigillo confessionis.*

Conueniunt Primò Doctores, Confessarium sub sigillo confessionis teneri ad celandum peccatum mortale adhuc in communi, & ad celanda peccata venialia in particulari, ita vt si Confessarius dicat, aut aliter significet, pœnitentem fecisse aut confessum fuisse peccatum mortale, quamuis illud non explicet in particulari; etsi dicat, aut aliter significet fecisse aut confessum fuisse peccatum, v. g. mendacij, sit contra sigillum confessionis, quia verè reuelat occultum ex confessione Sacramentali notum: non verò si dicat pœnitentem fecisse aut confessum fuisse peccata venialia non addendo plura, quia tunc non reuelat occultum, quia manifestum est, eum qui confitetur & absolvitur, fecisse & confiteri ad minus venialia. Addidimus, *non addendo plura*, quia qui dicit aut aliter significat pœnitentem fecisse aut confessum fuisse plura venialia, reuelat quod est occultum, quia occultum est pœnitentem plura venialia fecisse.

Est quoque contra sigillum, vt aduertunt Vasquez q. 93. art. 4. dub. 3. & Egidius disp. 9. n. 16. Confessarium infamare ciuitatem alicuius generis peccati, quod ex sola confessione nouit, quando ipsi ciues, in particulari etiam pœnitentes, aliquo modo afficiuntur infamia illa, quod facile contingit, quando ciuitas non est ampla, & pœnitentes sunt aliquo modo suspecti, quia tunc ex reuelatione illa euenit pœnitentibus aliqualis infamia, ob quod confessio fit illis odiosa, & ab ea retrahuntur.

Conueniunt Secundo Doctores, Confessarium sub sigillo confessionis teneri ad celandas omnes circumstantias peccatorum, etiam peccata sociorum & complices, quia earum reuelatione fit confessio pœnitenti odiosa: quod etiam est verum, vt aduertit Suarez disp. 34. sect. 3. quamuis pœnitens inutiliter & culpabiliter reuelat circumstantias, v. g. socios & complices, si id reuelat, existimans id esse necessarium aut expediens ad explicationem sui peccati, quia etiam tunc reuelatione illarum confessio fit odiosa. Et ob eandem rationem, vt aduertit Egidius, etiam est contra sigillum, reuelare defectus naturales pœnitentis, quando ab ipso dicuntur in confessione vt conducentes ad explicationem sui peccati: non verò quando à pœnitente narrantur incidenter, & non tamquam conducentes ad id. Et etiam vt contra Henriquez & contra Valentiam supponit Egidius num. 12. est contra sigillum reuelare defectus pœnitentis, qui ex confessione conijciuntur, quamuis aliàs sint indicium bonæ & timoratae conscientia, vt esse scrupulosum, quia etiam eorum reuelatione confessio fit pœnitentibus odiosa, & ab ea retrahuntur.

Est tamen difficultas, An Confessarius sub sigillo confessionis teneatur ad celandum peccatum nondum patratum quoad effectum, vt propositum occidendi aliquem, aut prodendi Rempublicam: procedit autè quando dictum peccatum & propositum etiam perseverat tempore confessionis, quia

S. Thomas.  
Suarez.  
Vasquez.

Adrianus.  
Nauarrus.

Medina.

Vasquez.

Vasquez.  
Egidius.

Suarez.

Egidius.



quando iam cessauit, aut tempore confessionis cessat, ex nullo capite excusatur Confessarius ab obligatione sigilli.

*Alexand. Adrianus. Siluester. Angelus.* Circa difficultatem ergo Alexander 4. part. quæst. 19. memb. 2. art. 2. Adrianus in 4. quæst. ult. de Confessione, Siluester v. *Confessio* 3. quæst. 5. & Angelus v. *Confessio* ultimo, num. 7. docent, tunc Confessarium non teneri (nisi quando dictum propositum est in pœnitenti, qui antea commisit re ipsa & in effectu simile peccatum ei, quod est in proposito, & illud etiam confitetur) quia confessio dicti propositi perseverantis non est Sacramentalis, utpote inepta absolutioni, quia nullus potest à proposito peccandi perseverante absolui. Addiderunt verò, nisi quando pœnitens antea commisit in effectu simile peccatum, & illud etiam confitetur, quia tunc propositum illud, ob connexionem cum eo peccato antea commisso, cuius etiam fit confessio, etiam clauditur sub sigillo confessionis, sicut peccatum ipsum in effectu commissum & confessum, quod est aptum absolutioni.

*Richardus. Durandus. Henricus. Egidius.* Richardus verò in 4. d. 21. art. 4. q. 2. art. 2. Durandus quæst. 4. Henriquez lib. 6. cap. 19. Egidius dub. 1. & communiter Doctores absolute docent, teneri, quamuis dictum propositum non præsupponat commissum simile peccatum ei, quod est in proposito, & meritò: quia confessio dicti propositi, quamuis inepti absolutioni ob sui perseverantiam, est verè Sacramentalis, quia perseverantia dicti propositi, seu propositum perseverans, per confessionem subiicitur clauibus, non ut materia absolutionis, sed ut impedimentum ad absolutionem; quia cognitio impedimenti non minùs pertinet ad Confessarium ut non absoluat, quam cognitio peccati ut ab eo absoluat.

Quòd si propositum illud non subiiciatur clauibus, animo videlicet manifestandi statum propriæ conscientie, eum subiiciendo clauibus Confessarij vt de eo iudicet, sed alio animo, nempe vel inducendi Confessarium ad simile peccatum, vel irridendi iudicio confessionis, aut alio modo (qui ex modo confitendi conijci poterit) non clauditur sub sigillo confessionis.

Ita tamen Confessarius tenetur sub sigillo confessionis ad celandum quodlibet ex dictis, ut non solum sit contra sigillum illa verbis, sed etiam nutibus & quolibet alio signo insinuate, ut aduertunt communiter Doctores, & constat ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, quia etiam eorum insinuatione, quamuis non directè intenta, redditur confessio pœnitentibus molesta & odiosa, & ab ea retrahuntur.

#### DIFFICULTAS V.

*Vtrum Confessarius possit peccatum in confessione auditum reuelare, quando ipse nequit aliter peccatum suum in confessione explicare.*

**D**ifficultas hæc tantum habet locum, quando Confessarius confiteri tenetur, & nequit nisi ei qui ex confessione ipsius Confessarij facile conijciat peccatum pœnitentis.

*Sotus. S. A.* Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 5. & P. Sà v. *Confessor*, docent, in dicto casu Confessarium posse peccatum in confessione auditum reuelare, quia præ-

ceptum integritatis confessionis fortius obligat quam præceptum sigilli confessionis, quia istud est in vilitatem pœnitentis, illud verò in reuerentiam iudicij confessionis, quæ est maioris momenti quam vtilitas pœnitentis.

*Nauarrus. Vasquez. Egidius.* Nauarrus verò cap. 8. num. 6. Vasquez dub. 4. Egidius num. 21. & communiter Doctores docent, Confessarium adhuc in dicto casu non posse peccatum in confessione auditum reuelare, & meritò: quia maioris momenti est obseruatio sigilli confessionis, & in maiorem reuerentiam iudicij confessionis cedit, quam integritas confessionis, & idèò confessio dimidiari seu mutuari potest ob graue aliquod damnum, & ob nullum potest rumpi sigillum confessionis, quia institutio integritatis cedit bono pœnitentis, ne ipsi confessio fiat odiosa, sigillum verò nullius bono cedit.

#### DIFFICULTAS VI.

*Vtrum Confessarius possit ex licentia pœnitentis reuelare peccatum in confessione auditum.*

**C**onueniunt Doctores contra Altissiodorenses, Confessarium non posse absque fractione sigilli reuelare peccatum in confessione auditum, si pœnitens non concedat licentiam expressam ad id, quamuis Confessarius firmissimè præsumat reuelationem fore pœnitenti gratam, quia reuelatione facta, absque expressa licentia pœnitentis, fieret pœnitenti confessio odiosa, quia pœnitens posset timere ne Confessarius aliquando ex falsa præsumptione reuelet peccata.

Est tamen difficultas, An Confessarius id possit, quando pœnitens concedit expressam licentiam.

*Alexand. Scotus. Durandus. Maior. Gabriel. Angelus.* Alexander 4. part. q. 19. memb. 2. art. 2. Scotus in 4. d. 21. quæst. 2. Durandus quæst. 4. Maior q. 3. Gabriel art. 3. dub. 6. & Angelus v. *Confessio*, ult. num. 5. partem negatiuam tuerunt, Primò, quia reuelare peccatum, est contra Ius naturale diuinum; ergo fieri nequit, quamuis pœnitens id expressè concedat, quia ipse nequit in eo dispensare, cum ad hoc non sufficiat quòd dictum Ius cedat in fauorem ipsius pœnitentis, quia quamuis cedat, nihilominus latum est intuitu reuerentiæ confessionis Sacramentalis; sicut etiam quamuis exemptio Clericorum cedat in fauorem particularium, nequit Clericus à iudice seculari iudicari adhuc ex licentia ipsius Clerici, quia hæc exemptio facta fuit intuitu honoris status Clericalis. Secundò, quia Confessarius eo ipso quòd reuelat peccatum in confessione auditum, quamuis ex licentia expressa pœnitentis, mentitur, quia peccatum illud audiuit & scit vt Deus, & non reuelat vt Deus sed vt homo; ergo nequit adhuc ex licentia expressa pœnitentis reuelare peccatum. Vnde iuxta opinionem hanc, vt Confessarius capiat consilium super confessis, quando ex consilio conijciendum est peccatum pœnitentis, necessarium est quòd pœnitens extra confessionem referat Confessario peccatum reuelandum.

*S. Thomas. Richardus. Suarez. Vasquez. Egidius. Ad. Tanner.* S. Thomas verò in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 2. Richardus art. 4. quæst. 1. Suarez disput. 33. sect. 5. Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 5. Egidius disp. 9. num. 22. Adamus Tanner disp. 6. q. 9. num. 125. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt,



tradunt, & meritò: quia obligatio sigilli confessio-  
nis primariò & per se est in fauorem pœnitentis;  
in reuerentiam autem confessionis non nisi secun-  
dariò & ratione pœnitentis, ita vt non aliter obli-  
gatio illa sit religionis in reuerentiam confessio-  
nis, nisi vt pœnitenti non fiat odiosa; ergo eo ipso  
quòd pœnitens vult & expressè concedit licen-  
tiam vt peccatum ipsius reueletur, cessat obliga-  
tio sigilli, quia tunc reuelatione non fit confessio  
pœnitenti odiosa: quòd non est in Iure naturali  
diuino dispensare, sed auferre circumstantiam ne-  
cessariam vt illud obliget, nempe reuelationem fie-  
ri contra voluntatem pœnitentis, quia ratione sui  
tantùm obligat in gratiam personæ pœnitentis, ac  
proinde quando reuelatio non fit contra volunta-  
tem pœnitentis, non est contra ius illud, sicut etiam  
iuramentum promissioni accedens tantùm  
obligat quando promissarius non cedit promissio-  
ni, quia illud tantùm obligat in gratiam promissa-  
rij; in quo hoc iuramentum & sigillum confessio-  
nis differunt ab exemptione Clericorum: quia  
hæc per se non tantùm est in fauorem particula-  
rium, attendendo ad personas eorum, sed etiam in  
honorem status Clericalis, attendendo ad dignita-  
tem Clericalem, ob quòd Clericus particularis ne-  
quit cedere dictæ exemptioni. Ex quo constat ad  
primam rationem aduersariorum.

Et ad secundam negamus, Confessarium men-  
tiri, quamuis peccatum quòd sciuit vt Deus, id est  
vt gerens vicem Dei, reuelet vt homo, & absque  
licentia pœnitentis, sicut non mentitur, qui gerens  
vicem Christi consecrauit, & postea ait, *ego conse-  
cravi*; mentiretur autem, si diceret, *ego audiui pec-  
catum vt homo priuatus non gerens vicem Dei*.

Obseruandum est, vt contra Vasquez aduertit  
Suarez disp. 34. sect. 3. non esse contra sigillum  
confessionis, ex licentia expressa pœnitentis reue-  
lare peccatum complicitis absque complicitis licen-  
tia, quia sigillum tantùm obligat in fauorem pœ-  
nitentis, vt confessio non fiat ipsi odiosa, ne ab ea  
retrahatur: ex reuelatione autem complicitis ex li-  
centia pœnitentis facta, nulli alij adhuc complici  
fit odiosa confessio vt ab ea retrahatur, vnde si  
aliàs non fiat iniuria complici, vt potest contingere,  
poterit eius peccatum ex licentia pœnitentis  
reuelari.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum Confessarius, qui audiuit peccatum  
pœnitentis in confessione possit dicere,  
se illud in confessione ab eo pœnitente  
audiuisse.*

Supponimus Primò, quòd quando peccatum  
pœnitentis in confessione auditum non est pub-  
licum, non possit à Confessario affirmari ei qui  
ignorat peccatum illud pœnitentis, se illud ab eo  
pœnitente audiuisse, quia tunc vtendo notitia con-  
fessionis, detegit peccatum secretum pœnitentis,  
significando saltem indirectè pœnitentem illud  
commisisse.

Supponimus Secundò, quòd licet peccatum sit  
aliàs publicum & notum, si tamen, quia Confessa-  
rius affirmat se illud in confessione audiuisse ab  
eo pœnitente, peccatum fit magis certum, nequeat  
Confessarius id affirmare absque fractione sigilli

confessionis, quia tunc ea affirmatione, quamuis  
non iniusta seu iniuriosa pœnitenti, confessio fit  
pœnitenti odiosa, vt ab ea retrahatur, quia ea affir-  
matio ex confessione ortum habens ex se displicet  
pœnitenti.

His ergo suppositis, difficultas est, An, quan-  
do peccatum pœnitentis est ita publicum & no-  
tum, vt dicta affirmatione Confessarij non fiat  
magis certum, neque fiat notum ignorantibus, vt pec-  
cata fornicationis sic in communi notissima me-  
reticis, tunc possit à Confessario affirmari se illud  
in confessione ab eo pœnitente audiuisse.

Medina Cod. de Confessione, quæst. De his  
quæ à Confessario celanda sunt, partem affirma-  
tiam tuetur, quia tunc Confessarius ea affirma-  
tione nec infamat pœnitentem, nec detegit pecca-  
tum illius, vt patet, sed tantùm detegit actum con-  
fessionis, qui est pœnitenti laudabilis, quo confes-  
sio non fit odiosa.

Sotus verò in 4. d. 18. quæst. 4. art. 5. Vasquez  
quæst. 93. art. 4. dub. 5. Ægidius disp. 9. num. 12.  
& communiter Doctores partem negatiuam tra-  
dunt, & meritò: quia quamuis tunc affirmatio au-  
ditionis peccati in confessione non sit contra iusti-  
tiam, ob publicitatem & notorietatem peccati, est  
tamen significatio saltem indirecta ipsius peccati  
auditi in confessione, quæ ex suo obiecto est displicens  
pœnitenti, & retractiua à confessione Sacra-  
mentali, quamuis sit significatio peccati vt subest  
actui laudabili confessionis.

Addimus, dictam affirmationem non esse con-  
tra sigillum strictè sumptum, quia non est detectio  
peccati strictè sumpta, nec quoad substantiam, nec  
quoad maiorem certitudinem; esse tamen contra  
sigillum latè sumptum, quia est contra obligatio-  
nem religionis tacendi, & non dicendi peccata  
confessa, quòd ex se sit displicens pœnitenti, quæ  
aliquo modo dici potest sigillum, iuxta ea quæ di-  
cemus Difficultate XI.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum Confessarius possit peccatum pœni-  
tentis, aliàs extra confessionem notum,  
reuelare, non significando se audiuisse  
illud in confessione.*

Non desunt qui partem negatiuam tueantur,  
quia pœnitens ex ea reuelatione, si ipsi fiat  
nota, & ignoret Confessarium aliunde nosse pec-  
catum, suspicabitur fregisse sigillum, quo pœni-  
tens retrahatur à confessione.

S. Thomas verò in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 4. Vas-  
quez dub. 7. & communiter Doctores, partem af-  
firmatiuam tradunt, & meritò: quia tunc non re-  
uelatur peccatum ex notitia habita in confessione,  
sed aliunde habita. Quòd eodem modo est ve-  
rum, siue Confessarius illud aliunde nouerit ante  
confessionem, siue post confessionem. Vnde si  
Confessarius potest aliunde pœnitentem denun-  
tiare, aut contra eum testificari, etiam poterit,  
quamuis peccatum nouerit in confessione.

In dicta tamen affirmatione seu narratione ca-  
uendum est, ne certius narretur peccatum, nec cum  
aliis circumstantiis ratione auditionis confessio-  
nis, quàm erat notum extra confessionem, aliàs  
manifestè fiet contra sigillum; & ne pœnitens  
suspi-

Vasquez.  
Suarez.

Sotus.  
Vasquez.  
Ægidius.

S. Thomas.  
Vasquez.



suspiciari possit Confessarium uti notitia confessionis; aliàs etiam fiet contra sigillum, quia tunc ita reuelatur peccatum, ut pœnitens retrahatur à confessione; & ne narretur contra obligationem secreti purè naturalis; aliàs fiet iniustitia pœnitenti.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum peccatum in confessione tantum notum reuelari possit, ob correctionem pœnitentis.*

**C**ertissimum est, peccatum pœnitentis in confessione tantum notum, non posse alteri reuelari adhuc ob correctionem pœnitentis, quia directè est contra sigillum confessionis, cuius obseruatio est maioris momenti, quam pœnitentis correctio.

Est tamen difficultas Primò, An Confessarius ob peccatum tantum in confessione notum, possit pœnitentem corrigere, eum ab officio, quò malè fungitur amouendo, vel aliter; quamuis alij suspicentur aut suspicari possint sic corrigi ob aliquod peccatum.

Circa quam difficultatem communiter Doctores, etiam Gabriel, partem negatiuam tradunt, quia id est insinuare peccatum aliquod mortale pœnitentis, saltem in communi, quod est contra sigillum confessionis, cuius obseruatio est maioris momenti, quam adhibere remedium pœnitenti; & consequenter etiam tunc seruare sigillum, non militat contra charitatem proximi.

Vasquez.  
Ægidius.

Et ob eandem rationem, ut optimè Vasquez & Ægidius, negari nequit pœnitenti suffragium, ob peccatum aliquod in confessione tantum notum, quamuis ob illud iudicetur indignus, quando alij suspicantur aut suspicari possunt pœnitenti negari suffragium ob aliquod peccatum mortale, quia tunc negatione suffragij insinuatur peccatum mortale pœnitentis, saltem in communi, quod est contra sigillum confessionis, & est peius quam eligere indignum: ex duobus autem malis occurrentibus eligi potest & eligendum est minus malum.

Secundò est difficultas, An pœnitens possit remoueri ab officio, aut negari ei suffragium, aut aliud circa eum fieri, quando ipse solus conijcit aut conijcere potest id fieri ob peccatum confessum.

S. Thomas.  
Scotus.  
Vasquez.

S. Thomas in 4. d. 21. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. Scotus quæst. 2. art. 3. Vasquez dub. 8. & plures alij partem affirmatiuam tuentur, quia tunc nullo modo reuelatur peccatum, quia ipse solus pœnitens id conijcit.

Sancius.  
Armilla.  
Bañez.  
Ægidius.  
Filliucius.

Sancius verò lib. 3. de Matrimonio, disput. 16. Armilla v. Confessio n. 7. Bañez 2. 2. quæst. 33. art. 8. Ægidius disp. 9. num. 67. Filliucius tract. 7. cap. 11. quæst. 7. & plures alij partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Confessarius ita tenetur sigillo sacro confessionis, ut nequeat peccatum in confessione tantum notum alicui dicere, non solum aliis à pœnitente, quamuis viderint peccatum à pœnitente committi, sed nec illud obijcere ipsi pœnitenti; in casu autem dicto remouere pœnitentem ab officio, aut ipsi negare suffragium, aut aliud circa ipsum efficere, quando ipse conijcit aut conijcere potest id fieri ob peccatum confessum, est ipsi insinuare, imò est quodammodò obijcere & improbare peccatum confessum, quo confessio ita fiet ei molesta & odiosa, ut ob id retrahi possit ab

ipsa; ergo id est contra obligationem sigilli sacri confessionis.

Ad primum ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis tunc non reuelatur peccatum reuelatione strictè sumpta, qua efficimur certiores alicuius nobis ignoti, reuelatur tamen reuelatione latè sumpta pro locutione seu dictione, qua dicimus peccatum alicui etiam scienti, adhuc ipsi pœnitenti; vtraque autem reuelatio etiam latè sumpta est illicita & contra reuerentiam confessionis, quia vtralibet confessio fit pœnitenti molesta & odiosa, quia quælibet ex suo obiecto est pœnitenti displicens, ac proinde vtraque est contra sigillum confessionis, prior contra sigillum strictè sumptum, & posterior contra sigillum latè sumptum, nempe contra obligationem nulli, adhuc ipsi pœnitenti, dicendi peccatum tantum in confessione notum.

Nihilominus Confessarius uti potest notitia confessionis, quando nullus nec pœnitens potest in dictam suspicionem deuenire, quia nullo modo frangitur sigillum, quia tunc nulli dicitur nec insinuatur peccatum confessum. Excipimus Superiores Religionum, qui scientia confessionis nullatenus uti possunt ad exteriorem gubernationem, quia eis prohibitum est à Clemente VIII. in Motu proprio, quem pro casibus reseruat edidit anno M. D. XCVI.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum Confessarius pro tuenda vita possit aliquo modo reuelare peccatum pœnitentis in confessione tantum notum.*

**C**onueniunt Doctores, peccatum in confessione tantum notum nullo modo esse reuelandum, nec pro vitanda propria morte, nec pro vitanda destructione totius patriæ. Quod indicatur in can. *Sacerdos*, de Pœnitentia dist. 6. dum dicitur, peccata confessa pro nullo scandalo (id est pro nullo malo publico vitando) alicui recitanda esse: & in cap. *Omnis viriusque sexus*, de Pœnitentiis & remissionibus, dum dicitur: *Caveat omnino* (id est in omni casu) *ne verbo aut alio signo aliquatenus prodatur peccatorem*. Ratio huius doctrinæ est, quia obseruatio sigilli, seu secreti sacri confessionis, est tanti momenti in Ecclesia Christiana, ut fideles ad confessionem securè accedant, & ab ea non retrahantur, ut ratio ipsa dicit, in omni casu esse omnino seruandum, etiam quando fractio illius sit necessaria ad vitandam propriam mortem, imò & destructionem totius patriæ, quia ex fractione illius confessio fiet molesta & odiosa fidelibus, & ab ea retrahentur, quod est malum multò maioris ponderis, quam mors Confessarij, imò & quam destructio totius patriæ; ergo.

Ex quo deducimus, Confessarium non posse aliquid dicere nec efficere, quamuis necessarium sit ad vitandam propriam mortem, adhuc à pœnitente inferendam, ex quo conijci possit pœnitentem mortaliter peccasse, aut aliquod peccatum in particulari, licet tantum veniale, commisisse; nec posse (ut contra Scotum, Gabrielem, Henriquez & Ægidium aduertunt Richardus, Sotus & Nauarrus) aliquid dicere aut efficere, quò indicet seu insinuet, pœnitentem confessum fuisse aliquod mortale, quam-



quamuis solum in communi, aut veniale aliquod in particulari, vt continget, quando Confessarius, post auditam confessionem pœnitentis conspirantis cum aliis sociis in mortem Confessarij, fugit, scientibus sociis fugam Confessarij, & pœnitentem fuisse illi confessum, quia tunc fugâ illâ insinuat confessio illius peccati (quamuis tantum insinuetur ipsi pœnitenti & sociis qui illud iam sciebant) quod est indirectè & in obliquo significare & insinuare peccatum confessum, & quodammodo detegere seu reuelare peccatum, non reuelatione & detectione strictè sumpta, sed latè sumpta pro insinuatione peccati alicui scienti facta, ac proinde contra sigillum confessionis non strictè sed latè sumptum, eo modo quo Difficultate VII. diximus, affirmationem confessionis peccati, scienti factam, esse contra sigillum confessionis latè sumptum, quia hæc affirmatio est contra obligationem religionis non affirmandi, & illa insinuatio contra obligationem religionis non insinuandi peccatum confessum.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum Confessarius possit extra confessionem cum pœnitente loqui de peccatis confessis.*

**S**upponimus, post confessionem completam, non posse Confessarium contra voluntatem pœnitentis cum eo loqui de peccatis confessis: quia licet ex locutione non infametur pœnitens, vt patet, afficitur tamen pudore & rubore, quo confessio fit ipsi molesta & odiosa, quod est maximum malum, & necessariò vitandum: posse tamen cum eo loqui de illis ex licentia expressa illius, vt patet, sed non ex licentia præsumpta, quia posset pœnitens timere Confessarium aliquando falsò præsumptam licentiam ipsi locuturum de peccatis confessis, & eum rubore affecturum: & posse Confessarium loqui cum pœnitente (quamuis renuente, imò & debere, si commodè possit) quando commisit defectum in confessione, ex quo obligatur ad monendum illum, quia tunc non loquitur illi extra confessionem, sed in confessione, eam perficiendo, supplendo defectum illius.

Hoc ergo supposito, difficultas est (& potius de nomine, quam de re) an loqui cum pœnitente extra confessionem, contra voluntatem illius, quando non est necessarium ad supplendum aliquem defectum (quod est illicitum, & peccatum sacrilegij contra reuerentiam confessionis) sit contra sigillum confessionis.

Medina Cod. de Confessione, quest. De his quæ à Confessario celanda sunt, & Vasquez dubio 10. negant. Sotus verò in 4. dist. 18. q. 4. art. 6. & Victoria in Summa num. 185. affirmant.

Nos tamen existimamus, dictam locutionem non esse contra sigillum strictè sumptum, quia non est apertio secreti strictè sumpti, cum fiat ipsi pœnitenti scienti peccata, de quibus Confessarius loquitur; esse tamen contra sigillum latè sumptum, quia est contra obligationem nulli dicendi peccata in confessione tantum nota, quæ dici potest sigillum seu obligatio seruandi secretum, id est nulli dicendi.

Addimus tamen, eum, qui sic peccat contra sigil-

lum, non esse puniendum pœna imposita reuelantibus confessionem, quia tunc non reuelat confessionem reuelatione absolute & strictè sumpta, sed tantum latè sumpta, quæ non est punienda pœna imposita his qui absolute & simpliciter dicuntur reuelare.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum sit contra sigillum confessionis, dicere, Non absolui pœnitentem, verbi gratia Petrum.*

**C**aietanus in Summa v. *Confessori necessaria*, Caietanus negat, quia possunt esse plures causæ honestæ, ob quas pœnitens absque eius defectu non absoluitur.

Sotus verò in 4. dist. 18. quest. 2. art. 5. Suarez disput. 33. sect. 6. Vasquez dubio 10. Egidius num. 14. & communiter Doctores affirmant, & meritò: quia quamuis sint variæ causæ honestæ, ob quas pœnitens possit absque defectu ipsius non absolui, ex eo tamen dicto Confessarij, quando non declaratur causa honesta ob quam non fuit absolutus, nequit non generari suspicio quòd forsitan non fuit absolutus, vel defectu dispositionis, vel quia habuit casum aliquem reseruatam, quòd est contra sigillum, quia id est modo quodam confuso aut dubio insinuare prauum statum pœnitentis.

Imò id ita est contra sigillum, vt ob illud Confessarius dignus fiat pœna imposita violatoribus sigilli (quamuis nonnulli oppositum dicant) quia in cap. *Omnis vtriusque sexus*, postquam dicitur, *caneat omnino ne aliquo modo prodatur pœnitentem*, apponitur pœna, in casu autem dicto Confessarius aliquo modo prodit pœnitentem.

## DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum Confessarius sub iuramento interrogatus de peccato in confessione tantum noto, possit illud negare.*

**C**onueniunt Primò Doctores, Confessarium, quamuis sub iuramento & à iudice interrogatum, an sciat pœnitentem commisisse peccatum, quod verè Confessarius tantum ex confessione nouit, non posse illud manifestare, quia qui non interrogatur iuridicè, potest non manifestare id de quo interrogatur; Confessarius autem non interrogatur iuridicè de eo quod tantum ex confessione nouit, & cum possit non manifestare illud, tenetur ad non manifestandum; aliàs franger sigillum confessionis.

Conueniunt Secundò contra Gabrielem in 4. *Gabriel* d. 21. art. 3. dub. 1. Confessarium tunc posse negare se illud scire, quia dum aliud non exprimitur, ea interrogatio tantum intelligitur de auditione & nouitià habita extra confessionem: & ob hanc rationem id potest absolute negare, quamuis non addat restrictionem illam mentalem, vt *tibi dicam*, nec aliam, quia etiam absq; ea restrictione negatio est vera, quod ob eam rationem etiam est verum, siue Confessarius interrogetur à iudice, siue à priuata persona. Imò ob eandem rationem, vt contra Durandū aduertunt Paludanus, Sotus, & Vasquez vbi *Paludanus* infra, id potest Confessarius propria sponda dicere, *Sotus* *Vasquez* quam-

Medina.  
Vasquez.  
Sotus.  
Victoria.

Paludanus.  
Sotus.  
Vasquez.



quamvis non interrogetur, quia scilicet ea dictio seu affirmatio communiter intelligitur de auditione & noticia habita extra confessionem.

Addimus, Confessarium interrogatum non tantum posse licite negare, sed etiam teneri ad id, quando (vt aliquando contingit) ex silentio generatur in aliis suspicio peccati pœnitentis.

Est tamen difficultas, Quomodo se debeat gerere Confessarius, quando interrogatur, an audierit vel nouerit in confessione, pœnitentem fecisse peccatum illud.

Sotus.  
Paludan.

Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5. & Paludanus distinct. 21. quæst. 3. docent, Confessarium tunc non posse negare, quia mentiretur, quod numquam licet: & cum id non possit affirmare, dicunt, consultissimum esse illi obiurgare interrogantem, quamvis iudicem, quia id interrogat.

Medina.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.

Medina verò Cod. de Confessione, quæst. de Confessione celanda, Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 12. Suarez disput. 33. sect. 6. Ægidius disp. 9. num. 25. & communiter Doctores docent, tunc Confessarium posse negare, addendo mentaliter, seu interius, vt tibi dicam, vel quid simile; & merito: quia ex vna parte Confessarius potest salua veritate negare, addendo mentaliter, vt tibi dicam, vel quid simile; & ex altera parte est iusta & rationabilis causa ad sic negandum, quamvis interrogans ea negatione decipiatur, cum illicite interroget; ergo potest licite negare, addendo dictam restrictionem mentalem: & si potest, etiam tenetur, quando ex silentio in aliis generatur suspicio, quod pœnitens peccatum illud commiserit.

#### DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum Confessarius frangens sigillum confessionis, incurrat ipso facto pœnam aliquam.*

**I**N can. *Sacerdos*, de Pœnitentia dist. 6. Confessario frangenti sigillum confessionis imponitur pœna depositionis, & coactionis ad perpetuam & ignominiosam peregrinationem; & in cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentia & remissionibus, confirmatur dicta pœna depositionis, & additur pœna perpetuæ reclusionis in aliquo Monasterio; vnde pœna illa perpetuæ & ignominiosæ peregrinationis commutata est in pœnam perpetuæ reclusionis: neutra tamen pœna, depositionis videlicet & perpetuæ reclusionis, incurritur ipso facto ante sententiam Iudicis, vt aduertunt Suarez disp. 33. sect. 8. & Ægidius disp. 9. num. 70. quia nullo fundamento constat aliquam ex eis ipso facto incurri.

Suarez.  
Ægidius.

Aliis verò personis distinctis à Confessario,

quas etiam sigillo confessionis teneri diximus, non sunt impositæ dictæ pœnæ, vt ex dictis Iuribus constat, nec eis sunt puniendi, sed mitioribus, quia in fractione sigilli non ita grauius peccant ac Confessarius, quamvis multo grauioribus, quam si solum frangerent secretum purè naturale iustitiæ.

Est tamen difficultas, An Confessarius frangens sigillum confessionis, incurrat irregularitatem.

Maiolus lib. 5. de Irregularitate cap. 19. secutus sententiam Speculatoris, affirmat, quia irregularitas includitur in depositione imposita in dictis Iuribus; imò addit, laicum, qui sine necessitate confessionem secretam audiuit, fieri irregularem, si eam reuelet.

Suarez verò & Filliucius tract. 7. cap. 9. quæst. 8. negant, & merito: quia hæc irregularitas non deducitur ex dictis Iuribus, quia depositio in ipsis imposita non incurritur ipso facto, nec aliunde deducitur.

Quomodo verò probandum sit iuridicè crimen fractionis sigilli, ad Iurisperitos attinet, de quo videri potest Diaz in Practica cap. 109. Siluester v. *Confessio* 3. quæst. 9. Suarez vbi supra, & Reginaldus lib. 3. cap. 5. num. 68.

Diaz.  
Siluester.  
Suarez.  
Reginald.

#### DIFFICULTAS XV.

*Vtrum pœnitens ex sigillo confessionis teneatur ad celandos defectus Confessarij in confessione commissos.*

**C**onueniunt Doctores, pœnitentem teneri ad celandos defectus Confessarij in confessione commissos, vt imprudentem pœnitentiam, consilium minus sanum, & alios defectus, quia saltem ad id tenetur ex secreto naturali iustitiæ.

Est tamen difficultas, An etiam ad id teneatur ex sigillo sacro confessionis.

Nauarrus in can. *Sacerdos*, de Pœnitentia, dist. 6. num. 115. partem affirmatiuam indicat, quia quod Confessarius in confessione dicit, spectare videtur ad forum confessionis, & Dei.

Suarez verò disp. 33. sect. 4. Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 13. Ægidius disp. 9. num. 37. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & merito: quia pœnitens non nouit defectus illos ex confessione Sacramentali, qua Confessarius illos subiecerit clauibus; ergo detegendo illos, quamvis iniuriam irroget Confessario, non tamen confessioni.

Vnde dicti defectus, quamvis in confessione facti, non pertinent ad forum confessionis Sacramentalis, quia non fuerunt ei subiecti.





## DISPUTATIO XIII.

## De satisfactione secundum se, seu ex opere operantis, pro pœna temporaria restante post remissionem culpæ.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum post remissionem culpæ & pœnæ æternæ, aliquando maneat pœna aliqua temporaria luenda.*

**H**ÆRETICI nostri temporis constanter negant; post iustificationem, in qua culpa simul cum pœna æterna remittitur, manere pœnam aliquam temporariam luendam: quod indicari videtur Ezechiel. 18. dum dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor: quia si post remissionem culpam per pœnitentiam puniret peccata, quamvis pœnâ tantum temporariâ, verè diceretur recordari peccatorum.* Quod etiam ratione probatur, Primò, quia Christus pro nobis plenè satisfecit; ergo nihil restat pro quo sit à nobis satisfaciendum. Secundò, quia ablata causâ aufertur effectus; ergo ablata culpâ, quæ fuit causa dignitatis totius pœnæ, nihil remanet pœnæ luendæ.

Veritas tamen Catholica est, aliquando post remissionem culpam & pœnam æternam, aliquid pœnæ temporariæ luendum manere. Ita Bellarminus lib. 4. de Pœnitentia, Suarez disp. 10. sect. 3. Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 1. & Ægidius disp. 2. dub. 12. Quod desumitur ex Scriptura 2. Reg. 12. & 14. vbi dicitur fuisse remissa peccata David, & tamen postea fuit ob illa temporaliter punitus. Quod etiam dicitur de Moyse, & de Aaron, & de aliis, Num. 14. & 20. Et idem desumitur ex Patribus, ex Augustino 2. de Peccatorum meritis & remissione cap. 34. & sæpè alibi: & ex Ambrosio lib. de Pœnitentia, & ex Cypriano lib. de Lapsis, & ex Tertulliano lib. de Pœnitentia, & ex Gregorio Hom. 20. in Euangelia. Quod etiam desumitur ex vfu Ecclesiæ, in qua resurgentibus à peccatis erant præscriptæ pœnitentiæ, vt constat ex relictis Patribus, & ex Concilio Carthaginensi III. c. 31. & ex Carthaginensi IV. c. 76.

Vnde veritas hæc meritò definita est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 6. cap. 14. & sess. 14. c. 8. & can. 12. & sequentibus. Et non solum post remissionem culpam mortalem, & pœnam æternam, remanet aliquando pœna temporaria luenda; sed etiam post remissionem culpam venialem: imò in Purgatorio ita remittitur culpa venialis media contritione, vt media hac nihil pœnæ remittatur, quia tota soluitur media passione.

In testimonio autem Ezechielis 18. pro hæreticis adducto, tantum significatur, Deum non esse amplius recordaturum peccatorum pœnitentium, vt morte pœnæque æterna puniat illa.

Et ad primam rationem respondemus, Christum pro nobis plenè satisfecisse pro pœnis tem-

poralibus, sed non quoad efficaciam, ita vt suis meritis absque vlla nostra cooperatione immediatè dignitas pœnæ in nobis formaliter existens extinguatur, aut ea dignitate manente pœna non sit luenda, sed tantum quoad sufficientiam, quia scilicet meruit, & quod nobis dentur dona gratiæ, quibus efficiamus opera satisfactoria pro pœnis temporalibus, & quod semel facta admittantur à Deo in locum pœnæ debitæ, & etiam quod satisfactio Christi, & superabundantes Sanctorum, nobis applicentur per indulgentiam pro nostris pœnis temporalibus.

Et ad secundam respondemus, non quacumque causâ ablata auferri effectum, vt patet in filio, qui non aufertur ablato patre, sed tantum ablata causâ à qua effectus etiam dependet in conseruari; dignitas autem pœnæ temporariæ restantis non pendet in conseruari à culpa, quamvis ab ea dependit in fieri.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum pœna temporaria, quæ aliquando post remissionem culpæ remanet luenda, remaneat ex natura rei, an ex sola voluntate Dei.*

**S**COTUS in 4. dist. 22. q. 1. Suarez disp. 10. sect. 3. & Ægidius disp. 2. dub. 12. docent, remanere ex sola voluntate Dei. Quod deduci videtur ex Tridentino sess. 14. c. 8. dum, quod in Sacramento Pœnitentiæ non semper remittatur tota pœna, & quod semper in Sacramento Baptismi, reducit in exigentiam diuinæ iustitiæ, ac proinde in solam voluntatem Dei, qui id facit quia ita exigit diuina iustitia.

S. Thomas verò 3. p. q. 86. ar. 4. Vasquez q. 94. art. 1. dub. 3. & Ochagauia Tract. vlt. quæst. 3. docent, remanere ex natura rei, & non ex sola diuina voluntate, & meritò: quia pœna illa non remanet luenda, ex eo solum quod velit Deus, sed quia pœnitens post remissionem culpæ manet dignus illa, quia Deus nullum punit qui non sit pœna dignus; sed pœnitens non manet dignus quia Deus vult, sed quia ipse peccauit, & non plenè satisfecit; ergo pœna, quæ aliquando remanet luenda, remanet ex natura rei, nempe ex natura peccati, non plenè recompensati, & non ex sola voluntate Dei.

Tridentinum verò vbi supra, reducit in exigentiam diuinæ iustitiæ (ac proinde in solam voluntatem Dei) quod licet in Baptismo remittatur tota pœna, non tamen in pœnitentia; quia quamvis ante Baptismum regulariter peccet ignoranter, non verò post Baptismum, sed non reducit in exigentiam diuinæ iustitiæ, & in Dei voluntatem, quod in pœnitentia, seu post eam maneat luenda aliqua pœna temporaria, quæ aliàs ex natura rei non maneret, quod esset contra nos.

DIFFI-

Bellarmin.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

August.  
Ambros.  
Cyprianus.  
Tertullian.  
Gregorius.

Concilium  
Carthag.

Eugen. IV.  
Tridentin.

Scotus.  
Suarez.  
Ægidius.  
Trident.

S. Thomas.  
Vasquez.  
Ochagau.



## DIFFICULTAS III.

*Vtrum homo iustus possit condignè satisfacere pro pœna temporaria, quæ post remissionem culpæ remanet luenda.*

Satisfactio idem est, quod recompensatio; & condigna idem, quod æqualis secundum proportionem dignitatis, seu moraliter æquivalens; ac proinde per satisfactionem condignam pro pœna temporaria intelligimus recompensationem ipsi pœnæ æqualem secundum dignitatem & valorem.

Conueniunt ergo Catholici contra hæreticos; hominem iustum posse bonis operibus satisfacere pro pœna temporaria aliquando restante post peccatum quoad culpam remissum. Quod definitum est in Tridentino sess. 14. cap. 8. & 9. & can. 13. & id latè probant Bellarminus lib. 4. de Pœnit. à cap. 3. Valentia disp. 7. quæst. 14. puncto 2. Suarez disput. 37. sect. 1. & Ægidius disp. 10. dub. 3.

Est tamen difficultas, An homo iustus possit pro ea pœna condignè satisfacere.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, vno aut altero excepto, hominem iustum posse pro pœna temporaria aliquando restante ex peccato remisso quoad culpam, condignè satisfacere.

*Trident.  
Bellarm.  
Valentia.  
Suarez.  
Ægidius.*

*S. Thomas.  
Durandus.  
Bellarm.  
Suarez.  
Ægidius.  
Vasquez.  
Pius V.  
Greg. XIII*

Ita S. Thomas in 4. d. 15. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. Durandus quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. Bellarminus c. 7. Suarez sect. 9. Ægidius num. 19. & Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 3. Quod definitum videtur à Pio V. & à Gregorio XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, quia in ea hæc propositio (quæ est 73.) damnata est, nempe: *Satisfactiones laboriose iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatum.*

Et ratione probatur, quia opera bona pœnalia iusti habent magnam proportionem ad compensandam pœnam temporalem, etiam alterius vitæ, & aliàs sunt Deo grata, & facta à persona etiam ipsi grata; ergo nihil illis deficit, vt habeant valorem & condignitatem ad recompensandam dictam pœnam, & vt ira illi pœnæ æquivalent moraliter, vt admitti possint loco illius. Et confirmatur, quia opera bona pœnalia iusti, non habent minorem proportionem ad remissionem pœnæ temporalis, quam ad merendam vitam æternam, sed sunt condignè meritoria vitæ æternæ, quamuis vita æterna sit ordinis superioris quam opera huius vitæ, saltem aliqua; ergo etiam sunt condignè satisfactoria pro pœna temporali debita etiam alterius vitæ, quamuis pœna alterius vitæ sit ordinis superioris quam pœnalitas huius vitæ, quia ad condignitatem, siue in merito, siue in satisfactione, non est necessaria æqualitas physica inter meritum & inter præmium, & inter opus pœnale & inter pœnam debitam, sed sufficit æqualitas secundum virtutem & proportionem, qualis est inter semen & fructum, & solet esse inter pecuniam & mercem.

Vnde, vt optime Vasquez num. 5. opere pœnali huius vitæ remissione & breuiore, satisfieri potest pro pœna alterius vitæ multò intensiore & longiore, ea proportione, qua parua aut pauca pecunia, præsertim aurea, solet esse æquivalens magnæ aut multæ merci, quia opus pœnale huius

vitæ in iusto, est quasi pecunia ad recompensandam pœnam alterius vitæ, sicut etiam est quasi semen ad gloriam tamquam ad fructum.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum ad satisfaciendum condignè pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, sit necessarius status gratiæ.*

Nomine satisfactionis condignæ intelligimus non puram solutionem, seu passionem pœnæ debitæ, qua etiam debitum seu dignitas pœnæ extinguitur, quam nonnulli etiam nomine satisfactionis intelligunt, & non immeritò: quia solutio rei debitæ extinguens ipsum debitum, non incongruè dicitur satisfactio pro debito; sed intelligimus illud opus pœnale, quod quamuis non sit formaliter ipsa pœna debita, est tamen ipsi pœnæ debitæ moraliter æquivalens & sufficiens vt pro pœna debita admittatur.

Hoc ergo supposito, conueniunt communiter Doctores, & forsan nullus aduersatur, ad satisfactionem sic sumptam pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, esse necessarium statum gratiæ in satisfaciente. Ita S. Thomas in 4. d. 15. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. Bonaventura d. 15. p. 7. ar. 1. q. 3. Suarez d. 37. sect. 2. Vasquez q. 94. art. 1. dub. 4. & Ægidius disp. 10. dub. 4. Quod supponit Tridentinum sess. 14. cap. 8. illis verbis: *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes effici-mur, certissimam quoque inde arbam habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.* vbi supponit, passionem, qua satisfacimus, fieri in statu gratiæ, quia per eam dicimur nos conformari Christo qui pro nobis satisfecit, & gloriam seu conglorificationem cum Christo mereri, quæ tantum conueniunt passioni factæ in statu gratiæ. Quod etiã supponit, dum subdit: *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ.* vbi supponit, vitam spirituale supponi ad meritum & ad satisfactionem.

*S. Thomas.  
Bonavent.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Trident.*

Et ratione probatur, quia non aliter satisfacimus condignè pro pœna, quam efficiendo opus ita condignum & moraliter æquivalens pœnæ debitæ, vt possit loco illius admitti, in quo distinguitur satisfactio strictè sumpta, de qua loquimur, à solutione pœnæ debitæ: quia hæc non fit efficiendo opus dignum & æquivalens, sed patiendo & sustinendo pœnam ipsam debitam: sed existens extra statum gratiæ, in statu peccati mortalis, nequit efficere aliquid sic dignum & æquivalens, quia in eo statu existens est dignus priuari omnibus bonis etiam temporalibus quæ possunt à Deo conferri; ergo in eo statu nequit condignè satisfacere pro pœna. Et hac ratione probatur, statum gratiæ requiri ex natura rei, & non ex sola Dei voluntate, ad satisfactionem condignam pro pœna, quia extra eum in statu peccati mortalis nequit opus pœnale euadere condignum, & validum ad compensandam pœnam debitam.

Addimus, quod quamuis opera bona pœnalia existentis in statu peccati, sint satisfactoria de congruo in actu primo pro dicta pœna (id est quod habeant aliquam congruentiam, quamuis non sufficientiam, nec moralem æquivalentiam, vt assumantur in locum pœnæ debitæ) de facto tamen &



in actu secundo nullo dicto opere satisficit Deo, aut, quod idem est, de facto nullum tale opus admittitur à Deo in locum pœnæ alterius vitæ, sicut de facto pro nullo opere bono peccatoris confertur immediatè gloria, quamuis sit meritorium de congruo illius. Addimus, *alterius vitæ*, quia Deus aliquando ob pœnitentiam peccatoris auerit malum, quod aliàs ob peccatum esset illi in hac vita immitturus, siue illud auerit ob pœnitentiam peccatoris, tamquam ob meritum de congruo non punitionis (quod potius est peccatorem mereri remissionem pœnæ quàm pro ea satisfacere) siue tamquam ob satisfactionem de congruo, illam ob ipsius congruentiam admittendo in locum illius mali (quod est propriè satisfacere, quamuis latè & non strictè) siue vtroque modo.

Sed an opera bona pœnalia, facta in statu peccati, postea adueniente gratia & charitate fiant satisfactoria de condigno, sub controuersia est.

Non defuerunt qui id affirmauerint, & docuissent. *S. Thomas* se videtur *S. Thomas* in 4. d. 15. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. quando ex opere bono pœnali relinquatur aliquis effectus, vt quando ex ieiunio aut ex flagellatione relinquatur carnis maceratio.

Vasquez verò, Suarez & communiter Doctores id negant, & meritò: quia non fiunt meritoria de condigno ex natura rei, vt patèt, neque fieri possunt talia ex lege aliqua Dei, sicut nec fieri meritoria de condigno vitæ æternæ; quia nulla lege Dei aduenit operibus valor aliquis.

*S. Thomas* autem vbi supra tantùm voluit, effectum ex dictis operibus relictum, si in statu gratiæ acceptetur, & placeat ipsi iam iusto, fieri satisfactorium de condigno, & non tam ipsum quàm acceptationem ipsius.

Addimus, quòd licet opera bona pœnalia iusti in alia vita facta, sint satisfactoria in actu primo, pro dicta pœna restante, quia ad id absque fundamento requiritur status viatoris, & multò minùs quàm vt opus sit meritorium in actu primo respectu gloriæ, de quo in Tractatu de Gratia, non tamen satisfaciunt in actu secundo, nisi quæ fiunt in statu viæ; quia quæ fiunt in alia vita, non admittuntur à Deo in locum pœnæ debitæ, sed tantùm quæ fiunt in hac vita; sicut etiam tantùm retribuit gloriam pro operibus factis in hac vita, & sicut etiam punit peccata facta in hac vita, & non quæ fiunt in inferno.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum existens in peccato mortali, adhuc damnatus, passione pœnæ temporalis restantis ex peccato quoad culpam remisso, liberetur à debito talis pœnæ.*

Vasquez.  
Curiel.

Vasquez q. 94. art. 1. dub. 4. & 1. 2. disp. 141. & Curiel q. 87. art. 5. docent, existentem in peccato mortali, quamuis nondum damnatum, non liberari à debito pœnæ restantis ex peccato remisso quoad culpam passione illius pœnæ; quia solutio pœnæ apud Deum debet esse satisfactoria, aliàs per pœnalitates huius vitæ solueremus pœnam debitam pro peccatis, quamuis eas impatienter toleraremus: passio autem pœnæ in statu peccati mortalis non est satisfactoria, & multò minùs in inferno; ergo.

*S. Thomas* verò in 4. dist. 2. q. 1. art. 1. ad 5. Scotus dist. 21. q. 1. Durandus q. 2. Gabriel d. 16. q. 5. art. 3. dub. 2. Nauarrus de Pœnitentia dist. 6. cap. 1. n. 46. Vega 4. in Tridèn. c. 6. Medina Cod. de Satisfactione q. 2. Egidius disp. 10. dub. 5. & Lorea 1. 2. disp. 55. docent, existentem in peccato mortali, quamuis iam damnatum, passione pœnæ temporalis restantis ex peccato quoad culpam remisso, liberari à debito & dignitate illius, & ita vt ampliùs ob illud non puniatur, nec inferno, nec extra, & meritò: quia qui verè soluit pœnā quam debet, liberatur à debito illius, & illud extinguit; ergo qui patitur totam pœnam temporalem restantem quam ob peccatum pati debebat, quamuis existat in mortali & in inferno, liberatur à debito illius, & illud extinguit, quia passione illa verè soluit & patitur, quod debet soluere & pati, cum tantùm debeat pati pœnam illam, siue in statu gratiæ, siue extra illum, & non determinatè in statu gratiæ, quia hoc absque fundamento dicitur, imò contra rationem, quia aliàs damnatus non lueret pœnam debitam, cum illam non patiatur in statu gratiæ. Ex quo constat, damnatum non puniri in æternum ob peccatum quoad culpam remissum, siue veniale, siue mortale, quia ex vtrovis quoad culpam remisso, tantùm restat debitum pœnæ temporalis, quod tandem passione illius extinguitur.

Ad rationem ergo aduersariorum constat apud Deum solui posse pœnam, passione non satisfactoria; imò etiam pœnalitibus in hac vita impatienter toleratis, si à Deo immittantur, aut ordinentur in punitionem peccati, quamuis eis impatienter toleratis nullus strictè satisfaciatur pro pœna debita. Addimus, *si à Deo immittantur, aut ordinentur in punitionem peccati*, quia tantùm tunc passio pœnalitatis est pœna, quia pœna est malum inflictum, aut ordinatum in punitionem peccati, ab eo ad quem pertinet punitio actiua, seu punire.

Addunt Scotus, Gabriel, Vega, Medina & Nauarrus *Sacerdos*, n. 27. & non absque probabilitate aliqua, existentem in peccato mortali, etiam damnatum, passione pœnæ temporalis debitæ ob peccatum veniale, quamuis nullatenus remissum, si à Deo immittatur, aut ordinetur in punitionem illius (vt semper ordinatur in damnato) extingui debet debitum pœnæ pro illo (quod verè sentit Egidius dub. 6.) quia ex vna parte peccatum veniale, quamuis non remissum quoad culpam, solùm est dignum pœna temporali, quam verè soluit, & ex altera parte, ex culpa antiqua & præterita habitualiter tantùm permanente, non pullulat noua aliqua dignitas pœnæ.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum condigna satisfactio pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, possit fieri per opera non pœnalia.*

Scotus in 4. d. 15. q. 1. Gabriel d. 16. quæst. 2. art. 1. Sotus dist. 19. quæst. 2. art. 1. Victoria in Summa num. 202. Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 5. & Egidius disp. 10. dub. 4. num. 29. docent, posse fieri per quæcumque opera bona iusti, etiam non pœnalia (si aliqua sunt non pœnalia) quia satisfactio, quæ fit Deo pro pœna temporali,

R

vt pote

Scotus.  
Gabriel.  
Sotus.  
Victoria.  
Vasquez.  
Egidius.



utpote distincta à solutione, non fit soluendo pœnam debitam, nec aliquid æquiualens, sed condignè merendo apud Deum non puniri: iustus autem quocumque opere bono, quamuis non pœnali, condignè meretur apud Deum non puniri, quia quocumque meretur gloriam, ac proinde etiam remissionem pœnæ, ordinatam ad gloriam ad quam habet quasi ius; imò non minùs quàm opere bono pœnali, quando non pœnale non est minus bonum quàm pœnale, quia quando non est minus bonum, non est minus meritorium gloriæ, quia ratione bonitatis est meritorium gloriæ, ac proinde non est minùs meritorium nōpunitiōnis.

S. Thomas.  
Durandus.  
Maior.  
Adrianus.  
Viguer.  
Ochagau.

S. Thomas verò in 4. d. 15. q. 1. art. 4. quæstion. 1. Durandus q. 1. Maior q. 2. dub. 2. Adrianus q. 4. de Satisfactione, Viguerinus in Summa cap. 16. & Ochagauia tract. vlt. q. 5. docet, & meritò: satisfactionem condignam pro pœna temporali restante, tantùm posse fieri per opera bona pœnalia, & non per opera bona non pœnalia (si aliqua sunt non pœnalia) quod significat Tridentinum sess. 14. c. 8. illis verbis, *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis*; & indicatur in Scriptura, in qua quoties exhortamur ad satisfactionem pro peccatis, exhortamur ad opera pœnalia. Ioëlis 2. Matth. 11. & 1. ad Corinth. 11. & sæpè alibi.

Trident.

Et ratione probatur, quia condigna satisfactio pro pœna debita, ut à rigorosa solutione pœnæ debita distinguitur, qua ipsissima pœna soluitur, non aliter fit quàm efficiendo aliquid condignum seu moraliter æquiualens ipsi pœnæ debitæ (ob quod etiam quodammodò dici potest solutio, & in Tridentino cap. illo 8. dicitur exolutio, & dici potest recompensatio) sed solum opus bonum pœnale potest esse condignum seu moraliter æquiualens pœnæ debitæ, quia ipsum solum habet proportionem ad id, cum ipsum solum sit pœnalitas; ergo per solum opus bonum pœnale potest fieri condigna satisfactio pro pœna temporali debita restante.

Trident.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, condignam satisfactionem pro pœna temporali restante, fieri efficiendo aliquid condignum seu moraliter æquiualens ipsi pœnæ restanti; & non fieri strictè merendo de condigno non puniri, quia nullum opus bonum iusti id meretur strictè de condigno, quamuis sic mereatur gloriam; quia nonpunitio non est aliquid ex natura rei ordinatum ad gloriam adipiscendam, sicut est augmentum gratiæ habitualis, quod est ius vel quasi ius ad maiorem gloriam, & idèò opus meritorium gloriæ, etiam est meritorium gratiæ habitualis.

Ex dictis deducitur, opus bonum iusti, quod est magis pœnale, esse magis satisfactorium pro pœna quàm opus bonum, quod est minùs pœnale, quamuis sit magis bonum, etiam si hoc sit magis meritorium gloriæ quàm illud.

## DIFFICULTAS VII.

*Utrum condigna satisfactio pro pœna temporali restante fieri possit per flagella à Deo immissa.*

**C**onueniunt Doctores, per flagella à Deo immissa (siue ab ipso solo, siue etiam à creatura) si patienter tolerantur, satisfieri condignè

pro pœna temporali restante post remissum peccatum, ut definitur in Tridentino sess. 14. cap. 9. *Trident.* & can. 13.

Est tamen difficultas, An tunc satisfactio correspondeat soli patientiæ seu tolerantia interiori, an etiam passioni seu flagello exteriori; id est, an satisfaciamus tantùm per actum internum patientiæ, an etiam per ipsam passionem exteriorem. Procedit autem difficultas tantùm, quando passio immittitur à Deo independenter à voluntate patientis; quia quando immittitur dependenter ab illa ut contigit Christo, & contingit his qui patiuntur quia non negant Christum, tunc absque dubio etiam satisfit per ipsam passionem exteriorem, quia tunc passio exterior verè est voluntaria, libera & humana, utpote dependens à voluntate potente impedire passionem ipsam.

Suarez ergo disp. 37. sect. 7. Ægidius disp. 10. num. 25. & Filliucius Tract. 8. cap. 2. quæst. 9. docent, satisfactionem tunc fieri non solum per actum interiorem patientiæ, sed etiam per passionem exteriorem à Deo immissam, quamuis in suo esse independentem à voluntate patientis. Quod indicare videtur Tridentinum, dum absolute ait satisfieri per flagella à Deo immissa, & patienter tolerata. Et ratione probatur, quia licet ea passio exterior non proueniat ab homine patiente, eam tamen acceptando efficit moraliter propriam; ergo etiam satisfacit per eam.

Suarez.  
Ægidius.  
Filliucius.

Trident.

Medina verò Cod. de Satisfactione, quæst. 5. Valquez quæst. 94. art. 1. dub. 7. & Ochagauia Tract. vltimo, quæst. 6. docent, satisfactionem tunc tantùm fieri per actum internum patientiæ, & non per passionem ipsam exteriorem à Deo immissam, independentem à voluntate patientis; & meritò: quia satisfactio pro pœna debita, fit efficiendo aut patiendo aliquid pœnale eius dignitatis & valoris, ut moraliter æquiualeat pœnæ debitæ; passio autem in suo esse independentem à voluntate patientis, seu immissa independentem ab eius voluntate, nullam habet dignitatem moralem, quia non est voluntaria & humana, quia quamuis acceptetur à voluntate, & idèò sit volita tamquam purum obiectum, non tamen est ab ipsa tamquam à principio, ut effectus ipsius, nec ea acceptatione fit aliquo modo effectus illius; voluntarium autem est, quod est à principio intrinseco tamquam effectus. Nihilominus dicimur per flagellum patienter toleratum satisfacere, quia per illud ut patienter toleratum, id est per tolerantiam passionis seu flagelli, satisfacimus; & tantò magis, quantò patientia interior est maior: est autem maior, quando ceteris paribus ex parte intensiōnis & durationis versatur circa maius flagellum, & quando circa æquale, si quis illud sine sua culpa patitur.

Addimus tamen, ut optimè Medina, per eam passionem exteriorem à Deo immissam intentione puniendi, exsolui debitum pœnæ, siue in totum siue in partem, ita ut illud extinguat aut minuat: imò etiam addimus, passione in statu gratiæ voluntariè assumpta, non solum strictè satisfieri pro debito pœnæ, sed etiam ea passione strictè solui pœnam debitam, si à Deo ordinetur in punitiōnem, quia valor & dignitas moralis ad satisfaciendum non obest rationi solutionis, quam tunc habet passio illa.

Medina.



## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum condigna satisfactio pro pœna temporali restante possit fieri per opera præcepti.*

*Maior.  
Paludan.*

**M**Aior in 4. dist. 15. quæst. 2. dub. 1. & Paludanus quæst. 1. art. 2. partem negatiuam tuentur, Primò, quia qui ex vno titulo aliquid debet, quando aliud nouum debitum ex alio titulo aduenit, non satisfacit vtrique debito, opere debito ex vno titulo, vt patet in debitis pecuniarijs: qui enim ex vno titulo iustitiæ debet quinquaginta, & ex alio debet etiam quinquaginta, non satisfacit ambobus debitis, solis quinquaginta, sed centum; ergo debito operis orto ex præcepto, nequit satisfieri debito pœnæ orto ex peccato.

Secundò, quia aliàs Confessarius posset in pœnitentiam Sacramentalem iniungere opus aliàs præceptum, quod videtur falsum. Prædictam doctrinam limitat Siluester v. *Satisfactio*, q. 8. vt tantum sit vera de opere præcepto Iure naturali; quia opere præcepto Iure tantum positiuo, existimat satisfieri posse debito pœnæ.

*Adrianus.  
Suarez.  
Vasquez.*

Adrianus verò in 4. quæst. 3. de Satisfactione, Suarez disp. 37. sect. 4. Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 3. & communiter Doctores, partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia aliàs, qui mortem patitur à tyranno, quia non negat Christum, non satisfaceret pro dicta pœna, cum tunc eam patitur ex præcepto naturali religionis. Et ratione à priori probatur, quia opera bona pœnalia iusti, ex eo quòd sint præcepta, non desinunt habere proportionem ad compenlandam eam pœnam, quia non desinunt esse humana, seu libera, & pœnalia, & bona, & Deo grata, & facta à persona ipsi Deo grata; ergo ex eo quòd sint præcepta, non desinunt esse condignè satisfactoria pro ea pœna. Et confirmatur, quia opera bona pœnalia iusti, quamuis præcepta, non habent minorem proportionem ad satisfaciendum pro dicta pœna, quam ad merendum vitam æternam; sed ex eo quòd sint præcepta, non desinunt esse meritoria vitæ æternæ, vt definitur in Tridentino sess. 6. can. 10. & 16. ergo nec desinunt esse satisfactoria pro dicta pœna.

*Trident.*

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondetur, quòd licet duobus debitis ex iustitia, nequeat satisfieri ex iustitia solutione vni tantum debito æquali, quia illis debet satisfieri ex iustitia, ac proinde ad æqualitatem in qua consistit iustitia, & inter illa duo debita ex vna parte, & inter illam solutionem ex alia non est æqualitas; duobus verò debitis, quando vtrumque non est iustitiæ, optimè potest satisfieri vno tantum opere debito ex diuersis titulis, quamuis vnus sit iustitiæ (vt existenti in extrema necessitate corporali, cui ex titulo misericordiæ debitus est panis, quamuis aliàs sit debitus ex iustitia vtrique debito, satisfit illo solo pane) ac proinde debito pœnæ, quamuis sit instar debiti ex iustitia commutatiua, satisfieri potest opere aliàs debito ex præcepto.

Ad secundam concedimus, Confessarium posse in pœnitentiam iniungere opus præcepti, imò aliquando expedire, attenda fragilitate pœnitentis: nihilominus, quoties opus aliquod absolutè in pœnitentiam imponitur, vt ieiunium, vel auditio Missæ, intelligitur de opere quod non est pœni-

tenti in præcepto, dum oppositum ex circumstantijs non conijcitur, de quo Disputatione XIV. Difficultate VII.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum ad condignam satisfactionem pro pœna temporali restante requiratur acceptatio Dei.*

**S**upponimus, in operibus bonis pœnialibus iusti esse dignitatem & valorem ad satisfaciendum pro pœna temporali restante, vt diximus Difficult. 111. Imò etiam absque pacto aliquo, & promissione Dei, quia ex nullo pacto & nulla promissione aduenit dictis operibus valor aliquis, nec dignitas.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An opera bona pœnalia iusti, habentia dictam dignitatem & valorem, ratione cuius sunt satisfactoria in actu primo pro dicta pœna, vt de facto & in actu secundo satisfaciunt pro ea, sit necessaria acceptatio & noua voluntas Dei, qua illa opera acceptet in locum pœnæ temporalis restantis, seu in satisfactionem pro illa.

Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 3. & 1. 2. disp. vlt. *Vasquez.* cap. 3. docet, opera satisfactoria iusti ex natura rei satisfacere de facto & in actu secundo pro dicta pœna, & extinguere debitum seu dignitatem illius, absque eo quòd ad id sit necessaria acceptatio aliqua Dei, quia dicta opera ex se, absque acceptatione aliqua superaddita Dei, sunt condigna vt iustus non puniatur pœna illa; ergo formaliter absque acceptatione Dei reddunt ipsum iustum dignum quòd non puniatur ea pœna; ergo iustus, absque acceptatione aliqua Dei, per opera illa fit & manet non dignus pœna illa; ergo opera illa absque acceptatione Dei auferunt & extinguunt dignitatem & debitum illius, cum efficiant iustum non dignum puniti.

Suarez verò disp. 37. sect. 8. Egidius disp. 2. *Suarez.* num. 121. & disp. 10. dub. 3. & 4. & Ochagauia *Egidius.* quæst. 4. docent, & meritò, opera satisfactoria iusti *Ochagau.* pro pœna temporali restante, de facto & in actu secundo non satisfacere pro illa, absque acceptatione superaddita Dei, qua acceptet illa opera in compensationem pro pœna illa. Quod indicat Tridentinum sess. 14. cap. 8. dum ait, satisfactiones nostras à Christo offerri Patri, & per illum acceptari à Patre; quo supponit, acceptationem satisfactionum nostrarum, esse gratiam nouam & superadditam, factam nobis à Deo ex meritis Christi: & cap. 9. dum ait, esse maximum amoris argumentum, vt flagellis à Deo immixtis, & à nobis patienter toleratis, satisfacere valeamus; quo etiam supponit esse nouum amorem, & nouum fauorem, flagella à Deo immixta, & à nobis patienter tolerata, satisfacere in actu secundo pro pœnis debitis restantibus ex peccatis quoad culpam remissis.

*Trident.*

Et ratione probatur & declaratur, quia condigna satisfactio in actu primo pro pœna debita restante, non fit, efficiendo opus dignum non puniri ea pœna, quia in operibus iusti etiam pœnialibus, non agnoscitur alia dignitas quam gloriæ & etiam gratiæ sanctificantis, quia suâ naturâ est ius aut quasi ius ad gloriam, sed tantum fit efficiendo opus condignum & moraliter æquiualens pœnæ



debita, ac proinde sufficiens vt nihilo pœnæ remisso admittatur in locum pœnæ debitæ restantis. Et ideo satisfactio iusti dicitur in Tridentino solutio seu exolutio, quæ non ita propriè diceretur solutio, si non fieret efficiendo aliquid æquiualens pœnæ debitæ, sed efficiendo aliquid dignum non punitione debita. Opus autem istud sic condignum, seu æquiualens, ex se ipso non extinguit debitum pœnæ, seu pœnam debitam, quia opus illud non est quod debetur in pœnam, etiam si ei æquiualeat; ergo vt eo in actu secundo & de facto fiat satisfactio pro pœna debita, necessaria est acceptatio, qua Deus, cui incumbit punitione, admittat illud opus in locum illius pœnæ, & absque ea acceptatione non extinguitur debitum seu dignitas pœnæ: sicut qui debet domum, non satisfacit in actu secundo per pecuniam æquiualem domui, absque acceptatione & voluntate illius cui debita est domus, nec extinguit debitum domus.

Ex quo ad rationem aduersariorum constat, eius primum Antecedens esse falsum, nempe opus bonum pœnale iusti ex se esse condignum, vt iustus non puniatur pœna debita restante; & addimus, quòd quamuis sit verum, etiam erit necessaria acceptatio Dei, vt opus illud fiat satisfaciens in actu secundo, id est, vt inducat in actu secundo Deum vt non puniat ea pœna debita: quia licet admittamus, opus illud ex se esse condignum non punitione debita iusti, & eum reddere dignum vt non puniatur ea pœna debita, non tamen destruet dignitatem illius pœnæ, nec efficiet iustum non dignum ea pœna, quia vtraque dicta dignitas compossibilis est, etiam si termini earum, nempe puniri & non puniri, sint impossibiles, & contradictoriè opponantur; optimè enim compati possunt aliquem ab vno actu peccati remissi, esse dignum pœna, & ab alio actu bono superueniente fieri dignum vt non puniatur ea pœna (sicut optimè compatitur, aliquem ob vnicū finem desiderare mortem patris, & ob alium finem desiderare quòd non moriatur) etiam si nequeant vtramq; partem contradictionis simul efficaciter intendere, quia nequit vtraque simul fieri, & intentio efficax ad id

conatur. Vnde peccator, qui eo ipso est dignus pœna æterna damni, seu carentia æterna visionis Dei, & postea iustificatur, & eo ipso fit dignus æterna visione Dei, non desinit esse dignus carentia æterna visionis Dei formaliter, quia fit dignus æterna visione Dei, sed quia culpa mortalis, à qua dignitas æternæ carentiæ visionis Dei dependet etiam in conseruari, destruitur per formam iustificantem, & quia dignitas æternæ visionis Dei, orta ex opere bono iusti, non destruitur per peccatum mortale subsequens, sicut nec opus ipsum bonum, à quo factum, & non remuneratum, dependet in conseruari; sed tantum mortificatur & impeditur quoad adeptionem visionis Dei, & quoad hoc quòd denominet ipsum hominem dignum æterna visione Dei, vt diximus Disput. 11. Diffic. XXI 11. & docuit S. Thomas in 4. d. 22. q. 1. art. 1. ad 6. *S. Thomas.*

Idè in actibus illius peccatoris manent simul dignitas æternæ carentiæ visionis, & dignitas æternæ visionis, quamuis hæc non maneat expedita, sed impedita & mortificata quoad duo prædicta, quamdiu manet peccatum mortale; & tantum ab hoc, & non à dignitate æternæ carentiæ visionis, ac proinde etiam admissio eo primo Antecedente, erit necessaria acceptatio Dei, qua velit non punire iustum pœna illa qua verè dignus est.

Obseruandum est, Deum de facto & in actu secundo semper acceptare satisfactionem condignam iusti, in compensationem pœnæ debitæ pro peccato quoad culpam remisso, aliàs infligendæ in alia vita; non tamen semper in compensationem pœnæ infligendæ in hac vita, sed etiam aliquando infligere, vt sic à peccando deterreat; & numquam acceptare satisfactionem condignam iusti in compensationem pœnæ debitæ pro peccato veniali non remisso quoad culpam aliàs infligendæ in alia vita.

Sed an vnus iustus possit suis priuatis operibus condignè satisfacere pro alio iusto pro pœna temporali restante post remissionem peccati, quod non pauci docent, an tantum de congruo, quod alijs magis arridet, examinatur in Tractatu de Suffragijs.

## DISPUTATIO XIV.

### De satisfactione Sacramentali pro pœna debita.

Satisfactionem Sacramentalem, seu iniunctam à Confessario, esse partem, & non essentialem, sed tantum integram Sacramenti Pœnitentiæ, diximus Disput. 11. Difficultate 1.

#### DIFFICULTAS I.

*Vtrum Confessarius possit obligare pœnitentem ad impletionem pœnitentiæ iniunctæ.*

Scotus.  
Gabriel.  
Silvester.  
Nauarrus.  
Medina.  
Reginald.



COTVS in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 1. Gabriel quæst. 1. artic. 3. dubio 1. Silvester v. Confessio 1. quæst. 25. Nauarrus cap. 26. num. 21. Medina Cod. de Satisfactione qu. 6. & Reginaldus lib. 7. cap. 1. n. 15. partem negatiuam tuentur, quia non potest obli-

gare pœnitentem ad admittendam seu acceptandam pœnitentiam iniunctam, tum quia in non admittendo illam, nulli facit iniuriam, quamuis absoluat, si pœnam debitam pro peccatis confessis velit in Purgatorio luere; tum etiam, quia aliàs, qui plurima peccata mortalia confessus est, posset obligari ad acceptandam grauissimam pœnitentiam, quod videtur rigidum. Addunt tamen prædicti, pœnitentem teneri ad implendam pœnitentiam sibi iniunctam, si eam acceptat, quia eo se subijcit Confessario tamquam iudici & superiori, ac proinde tenetur ei obedire.

S. Thomas verò in 4. dist. 18. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 3. Suarez disp. 38. lect. 7. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 1. Ægidius disp. 10. dub. 9. Ochagauia Tract. vlt. quæst. 8. & communiter Doctores docent, & meritò, Confessarium posse obligare pœnitentem ad impletionem pœnitentiæ.

Quod

S. Thomas.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Ochagau.



Trident.

Quod definitum videtur in Tridentino sess. 12. cap. 8. & can. 15. dum dicitur, in Sacerdotibus esse potestatem & clauem non solum ad absolvendum, sed etiam ad ligandum; intelligit autem ad pœnitentiam iniunctam, vt patet ex contextu. Id verò quod respondet Nauarrus, potestatem ad ligandum ad pœnitentiam esse potestatem ad taxandam illam, ridiculum est: quia nullus sola taxatione pœnæ, quam alter potest liberè non admittere, dicitur ad pœnam ligare. Et ratione probatur, quia Sacerdotibus collata est potestas perfecta ad iudicandum de peccatis confessis; ergo non tantum est ad absolvendum à peccatis, sed etiam ad obligandum ad pœnam pro debito pœnæ relicto post illorum absolutionem, aliàs non esset illis collata potestas perfecta, sed imperfecta, quia non esset ad omnimodam & perfectam remissionem peccatorum. Et confirmatur, quia impositio pœnitentiæ, sicut absolutio, est vera sententia, vt pote procedens à Confessario vt à iudice; sententia autem iudicis vim habet præcepti & obligandi.

Vnde Confessarius non tantum potest obligare ad pœnitentiam, sed etiam semper obligat, quoties oppositum ex verbis non conijcitur, imò non potest non obligare, vt dicemus Diffic. 111.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd licet pœnitens non acceptando pœnitentiam nulli faciat iniuriam, facit tamen contra præceptum Confessarij, cui, vt pote iudici & superiori, obedire tenetur, etiam quando pœnitentia iniuncta est grauissima, si attentis peccatis confessis, & fragilitate pœnitentis, non sit excessiua, quia tunc non est rigidum ad illam obligare.

Pœnitens ergo sub peccato tenetur ad impletionem pœnitentiæ sibi iniunctæ: imò & sub mortali, quando pœnitentia iustè iniuncta est grauis, v. g. audiendi aliquas Missas, vt contra Caietanum tom. 1. Opusculorum tract. 6. quæst. 2. aduertunt Vasquez, Suarez, Ægidius, & communiter Doctores; quia violatio cuiuscumque præcepti rei grauis, est grauis, & grauius dissonans rationi; & ob eandem rationem tenetur sub mortali ad impletionem pœnitentiæ iniunctæ pro mortalibus antea legitime confessis, aut pro venialibus, quando est grauis (vt esse potest) vt contra Nauarrum cap. 21. num. 43. & contra Viualdum de Satisfactione num. 26. aduertunt Ægidius vbi supra, & Henriquez lib. 5. cap. 20. Tenetur autem pœnitens sub mortali ad impletionem pœnitentiæ grauis, quamuis Confessarius tantum velit obligare pœnitentem sub veniali, vt contra Medinam & contra Suarez aduertunt Vasquez, Ægidius & Ochagauia: quia sicut non est in voluntate Superioris, non obligare, supposito quòd vult præcipere, quia obligatio oritur necessariò ex præcepto semel posito; ita etiam non est in potestate Superioris, non obligare sub mortali, supposito quòd vult rem grauem præcipere, quia ex præcepto rei grauis semel posito, oritur necessariò obligatio sub peccato graui seu mortali, quia tota obligatio præcepti oritur necessariò ex ipso semel posito.

Quando verò pœnitentia iniuncta est leuis, v. g. recitandi decem Salutationes Angelicas, & vnã Orationem Dominicam, eius ommissio tantum erit leuis seu venialis, sicut ommissio cuiuscumque alterius præcepti rei leuis, vt docent communiter Doctores: ex eo verò quòd ommissione illius

non perficiatur Sacramentum Pœnitentiæ, ipsi non irrogatur grauis irreuerentia, quia ex defectu impletionis pœnitentiæ adhuc grauis non deficit Sacramento perfectio aliqua essentialis, sed tantum integralis & valdè extrinseca ipsi. Et ob eandem rationem ommissio partis leuis, pœnitentiæ grauis, tantum erit venialis, sicut ommissio partis leuis cuiusque alterius præcepti rei grauis. In ommissione autem pœnitentiæ adiunctæ, ad minus erit duplex malitia distincta, altera sacrilegij contra religionem, & reuerentiam Sacramento debitam, quæ numquam erit mortalis, quamuis pœnitentia ommissa sit grauis, quia defectus numquam erit grauis, quia est defectus partis tantum integralis & valdè extrinseca; altera contra iustitiam vindictiuiam, intuitu cuius pœnitentia iniungitur à Confessario, quæ potest esse mortalis, vt nuper dicebamus, & quando etiam iniungitur in medellam contra aliquod peccatum, erit etiam alia tertia malitia illius peccati contra quod iniuncta est, quæ erit grauis aut leuis, pro grauitate aut leuitate pœnitentiæ iniunctæ.

Circa tempus in quo pœnitens teneatur implere pœnitentiam, certum est, teneri tempore præscripto à Confessario, si illud præscripsit. Quòd si tunc illam non impleat, etiam tenetur postea illam implere, quia semper (etiam quando aliquando iniungitur in honorem diei præscripti) iniungitur in vindictam peccatorum confessorum. Si verò à Confessario nullum præscribitur tempus, implenda est quam primùm moraliter commodè possit (vt aduertunt Suarez sess. 7. & Ægidius <sup>Suarez.</sup> <sup>Ægidius.</sup> dub. 9.) nisi aliud ex verbis aut ex circumstantiis conijciatur voluisse Confessarium. Ita tamen obligat quam primùm moraliter commodè possit, vt non quæcumque dilatio impletionis pœnitentiæ grauis, sit mortalis, nisi sit nimia seu grauis: & quoad hoc idem est quando differitur pœnitentia post tempus à Confessario præscriptum, nisi quòd tunc dilatio potest aliquando esse mortalis, quando pœnitentia grauis fuit præscripta in aliquo die in honorem festiuitatis illius diei, si differatur post illum, quamuis non semper, nisi quando defectus honoris censetur grauis. Addit Ochagauia, tunc dilationem pœnitentiæ grauis esse nimiam & grauem, quando differitur vltra textum diem: sed scrupulosè procedit, quia hæc dilatio non videtur nimia, imò nec vltra octauum diem ( præsertim quando res in pœnitentiam iniuncta non potest commodè fieri, vt flagellatio) nisi quando res in pœnitentiam iniuncta esset valdè grauis, & posset commodè impleri, quia etiam ex rei grauitate crederet grauitas dilationis, sicut ex defectu commoditatis implendi illam decrescit grauitas dilationis. Nihilominus taxationem grauitatis dilationis pœnitentiæ grauis, doctioribus remittimus.

## DIFFICULTAS II.

Vtrum Confessarius teneatur pœnitentiam imponere.

Conueniunt Doctores, Confessarium absoluentem pœnitentem regulariter teneri pœnitentiam aliquam imponere. Quod significat Tridentinum sess. 14. c. 8. Tenetur autè ad id, Primò ex virtute religionis, vt perficiat Sacramentum Pœnitentiæ;

Trident.



quia Pœnitentia seu satisfactio est pars integralis illius: & ex hac virtute tantum tenetur sub peccato veniali sacrilegij. Secundò etiam tenetur ex iustitia vindicativa, vt in hoc iudicio Sacramentali æquitatem seruet, quia in eo est verus iudex; & ex hac virtute tenetur sub mortali, quando iniungenda est pœnitentia grauis. Et aliquando Tertio etiam tenetur ex aliqua alia virtute, quando scilicet est maximè conueniens ad medelam pœnitentis contra aliquod peccatum, quod timetur committendum à pœnitente; quia etiam ad hoc tenetur peculiariter ratione officij medici spiritualis, quod in hoc iudicio etiam exercet. Tenetur autem tunc ex illa virtute contra quam futurum est peccatum quod timetur, in cuius medelam iniungenda est pœnitentia; & tenetur ex ea virtute, non primariò, sicut tenetur pœnitens non peccare contra illam; sed secundariò, ne pœnitens contra illam peccet; & ex hac tenetur sub mortali, quando iniungenda est in medelam contra peccatum mortale.

Addimus, Confessarium absoluentem pœnitentem regulariter teneri pœnitentiam aliquam ei imponere; quia aliquando non tenetur, Primò, quando pœnitens est in articulo mortis, & est incapax receptionis aut impletionis pœnitentiæ, vel quia amisit sensum, vel aliter; quia tunc prospiciendum est potius pœnitenti eum absoluendo, quia in eius vtilitatem institutum est Sacramentum Pœnitentiæ, quàm perfectioni integrali, & tam valdè extrinsecè Sacramento: si vero capax sit receptionis & impletionis pœnitentiæ, imponenda est aliqua pœnitentia, quamuis leuis, quam tunc possit exequi, & etiam alia sub conditione *si viuat*, si illa leuis non sufficiat, attenda grauitate peccatorum, quam, si forsitan vixerit, impleat.

Secundò Confessarius potest absoluere pœnitentem, nullam illi imponendo pœnitentiam, quando ex confessione pœnitentis & ex alijs indicijs prudenter conijcit & credit, pœnitentem iam satisfecisse pro peccatis confessis, si aliàs non sit necessaria ad cautionem in futurum, quia tunc ex nullo titulo tenetur pœnitens pœnitentiam adimplere, quia non ob satisfactionem pro peccatis, nec ob cautionem in futurum, vt supponimus; nec tenetur vt perficiatur integraliter Sacramentum, quia perfectio hæc non est debita nisi in satisfactionem, vel in medelam, vel in vtramque. Nihilominus quia in hoc iudicio facilè potest Confessarius errare, consultius erit, quamuis non necessarium, tunc aliquam imponere pœnitentiam.

Tertio Confessarius potest pœnitentem absolute, nullam illi imponendo pœnitentiam, quando pœnitens lucratur Indulgentiam plenariam, vt contra Henriquez lib. 5. c. 22. & contra Ochaguiam q. 14. aduertunt Toletus l. 6. c. 23. Vinaldus de Satisfactione num. 26. & Sà v. Satisfactio n. 2. quia tunc impositio pœnitentiæ non est necessaria ad satisfactionem pro pœna temporali, quia remittitur aut remissa est per plenariam Indulgentiam, & aliàs potest non esse necessaria in medelam.

Obseruandum est, in quo Doctores communiter conueniunt, pœnitentiam posse pro arbitrio Confessarij imponi ante absolutionem, vel post eam, dummodò, quando imponitur post, imponatur ante discessum pœnitentis, vt in eodè iudicio imponi censetur, quod in absolutione finitur: conuenientius tamen esse, in confessione grauium

peccatorum pœnitentiam ante absolutionem imponere, vt pœnitens spe absolutionis magis acquiescat conuenienti pœnitentiæ; quod etiam ipsi pœnitenti est eligibilis, vt si nolit pœnitentiam admittere, possit non recipiendo absolutionem ad alium Confessarium confugere (quod licitè potest facere, quamuis pœnitentia sit iusta & prudens) quia si absolutus fuisset, teneretur illam, si esset iusta & prudens, admittere.

### DIFFICULTAS III.

*Quantam pœnitentiam teneatur Confessarius imponere.*

Conueniunt Doctores, Confessarium teneri imponere pœnitentiam, attendendo ad grauitatem criminum, & ad facultatem pœnitentis, vt dicitur in Tridentino sess. 14. c. 8. quia pœnitentia imponitur in vindictam & satisfactionem peccatorum, habita tamen ratione ad vtilitatem spirituales pœnitentis, quia Sacramentum Pœnitentiæ in vtilitatem pœnitentis institutum est. Trident.

Vnde conueniens erit, præsertim quando grauitas peccatorum est magna, leuiorem imponere pœnitentiam, quàm grauitas peccatorum exigit, vt sic pœnitens ad confessionem alliciatur, vel saltem ne ab ea arceatur, quia id cedit in vtilitatem spirituales illius. Et ob hanc rationem est multò moderanda, quando, si sic non fiat, prudenter timeatur quòd non impleuit pœnitentiam. Nihilominus cum pœnitente qui sæpius in eadem peccata incidit, seuerius agendum est, & eius fragilitati non est facilè indulgendum, vt sic à peccatis arceatur: quia minus malum est eum exponere periculo non implendi pœnitentiam, & concipiendi horrorem aliquem confessionis, quàm maximà indulgentià ei præbere occasionem sæpè incidendi in eadem peccata, & ea absque debito dolore & proposito confitendi.

Cauendum tamen est Confessario, ne absque rationabili causa leuissimas pœnitentias pro peccatis grauissimis imponat; quia præterquam quòd erit negligens iudex & medicus, etiam dabit pœnitenti occasionem minùs æstimandi grauitatem peccatorum, & liberiùs peccandi. Vnde, quando ex aliqua rationabili causa pro peccatis grauibus leuissima imponitur pœnitentia, monendus est pœnitens, id heri sic, vt eius fragilitati caueatur.

Ita tamen iniungenda est pœnitentia pro peccatis, attendendo ad grauitatem eorum & ad facultatem pœnitentis, vt quamuis dispositio pœnitentis non exigat alleuari, non debeat imponi pœnitentia ex se, seu ex opere operantis, æquè condigna & moraliter æquiualens pœnæ debite peccatis, remissis quoad culpam per absolutionem, vt aduertunt Valquez quæst. 94. art. 2. dub. 6. n. 5: Valquez. & Suarez disp. 38. sect. 5. quia non est necessaria Suarez. pœnitentia moraliter æquiualens, cum per ipsam pœnitentiam impletam remittatur aliquid, & non parum pœnæ restantis post absolutionem ex opere operato. Ob quod Sacramentum Pœnitentiæ est tribunal misericordiæ, non solum quoad remissionem culpæ, sed etiam quoad remissionem pœnæ.

Et quia non constat Confessario quanta pœna sit dignum peccatum, & quanta remittatur ex opere operato per Sacramentalem pœnitentiam, (imò per



per eam non remittitur determinata aliqua pœna, ut dicemus Difficultate xv.) idèd pœnitentia imponenda est ad arbitrium viri prudentis, quantum fieri possit prudenter à viro prædicta ignorante.

## DIFFICULTAS IV.

*Utrum Confessarius teneatur imponere pœnitentiam obligantem, seu sub præcepto.*

**N** Auarrus cap. 26. num. 24. Henriquez. lib. 5. cap. 21. Suarez disp. 38. sect. 3. & Adamus Tanner. disp. 6. quæst. 8. num. 7. partem negatiuam tuentur, quam etiam tradidisse videtur S. Thomas Quodlibeto 3. articulo 28. Et probari potest, quia ex vna parte pœnitentia sub consilio tantum imposita est sufficienter Sacramentalis, utpote imposita virtute clauium; & ex altera parte, pœnitentia sic imposita potest esse expediens pœnitenti ob ipsius fragilitatem.

Vasquez verò quæst. 94. art. 2. dubio 1. num. 9. Nugnus in Addition. quæst. 13. art. 2. difficult. 1. & Egidius disp. 10. dub. 8. partem affirmatiuam tradunt (quam videtur tradidisse Tridentinum s. s. 14. cap. 8. dum supponit, impositionem pœnitentiæ pertinere ad potestatem ligandi) & meritò: quia Confessarius tenetur imponere pœnitentiam in vindictam peccatorum, & aliquando etiam in cautionem in futurum, cuius impositio est vera sententia condemnatiua ad pœnam, & aliquando etiam in medelam, procedens à Confessario ut à iudice non minus quam absolutio: sententia autem iudicis semper habet vim obligandi reum, ergo Confessarius tenetur imponere pœnitentiam obligantem, seu sub præcepto, cum teneatur ferre sententiam condemnatiuam, & aliquando etiam in medelam. Vnde sola pœnitentia obligans est Sacramentalis, quia hæc sola est iudicialis, & sola iudicialis pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ, quia ea sola procedit à Confessario ut ministro huius Sacramenti, & Confessarius non est qualiscumque minister in hoc iudicio & Sacramento, sed tantum iudex. Ex quo constat ad rationem aduersariorum, priorem partem Antecedentis esse falsam.

S. Thomas. S. Thomas autem vbi supra, tantum vult, Confessarium posse imponere pœnitentiam, non obligando determinatè ad aliquod opus, sed optionem concedendo pœnitenti, ut faciat hoc vel illud, prout maluerit, obligando tamen ad vnum vel ad alterum sub disiunctione.

## DIFFICULTAS V.

*Utrum Confessarius, iniungendo pœnitentiam, obliget pœnitentem, ut eam per se ipsum exequatur.*

**D**ifficultas hæc non procedit de pœnitentia quæ imponitur in medelam peccatorum, & præseruationem ab eis, quia hæc absque dubio debet à pœnitente per se ipsum impleri, sed procedit de pœnitentia, quæ tantum imponitur in vindictam & castigationem pro peccatis.

Circa difficultatem ergo conueniant Doctores, pœnitentiam impositam pœnitenti in vindictam peccatorum, non posse impleri per alterum, quando non constat Confessarium id velle: quia cum

imponat pœnitentiã pro crimine personali, quando aliud non exprimit, vult impleri per pœnitentem in vindictam criminis personaliter commissi.

Punctum ergo difficultatis est, An pœnitens possit pœnitentiam implere per alterum, quando Confessarius id vult, siue id velit quando illam imponit, siue postea.

Henriq. lib. 5. cap. 21. Suarez disp. 18. sect. 9. Viuald. de Satisfactione num. 12. Reginald. lib. 7. cap. 7. quæst. 2 & Adamus num. 11. partem affirmatiuam tuentur; quia ex vna parte vnus potest satisfacere pro alio, pro pœna temporali relicta post remissionem peccati; & ex altera parte, obligatio implendi pœnitentiã oritur ex voluntate Confessarij; ergo quando Confessarius vult, id sufficit.

Ledesma verò 2. p. q. 14. ar. 4. Vasquez quæst. 94. ar. 2. dub. 1. Egidius disp. 10. dub. 8. & Ochagauia q. 10. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia præcepto Confessarij imponentis pœnitentiam; sicut præcepto cuiuscumque alterius superioris, tantum satisfit opere ipso quod præcipitur; Confessarius autem nequit præcipere opus alterius, sed tantum pœnitentis, quia solus ille & non alter est ipsi Confessario inferior in eo foro Sacramentali; ergo pœnitens nequit implere pœnitentiam opere alterius, sed per se ipsum opere proprio, nec aliud potest Confessarius velle.

Vnde, quamuis pœnitens, cui imposita est pœnitentia, sit impotens ad eam implendam per se ipsum, non tenetur illam per alterum implere, quia nequit illam implere per alterum; poterit tamen pœnitenti iniungi in pœnitentiam, ut procuraret opus aliquod ab altero fieri, quia hæc procuratio est opus ipsius pœnitentis, ac proinde ipsa sola procuratio est Sacramentalis, & ipsi pœnitenti proficiens ex opere operato, & non opus alterius. Hoc autem non tollit, pœnitentem, cui iniungitur eleemosyna, posse eam per alterum elargiri, quando aliud non exprimitur à Confessario, quia eo præcepto absolute lato tantum præcipitur, ut ex propriis bonis fiat eleemosyna, siue illa fiat à pœnitente per se ipsum, siue per ministrum; imò etiam poterit fieri per alterum ex bonis huius alterius, quando iste vult pro pœnitente eleemosynam facere, quasi donando pœnitenti bona illa ex quibus fit eleemosyna.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, iustum posse pro altero siue viuo siue defuncto ex opere operantis saltem de congruo satisfacere pro dicta pœna; negamus tamen, Confessarium posse præcipere opus alterius in vindictam peccatorum pœnitentis, quia non est superior illi alteri.

## DIFFICULTAS VI.

*Utrum in pœnitentiam Sacramentalem, tantum imponendum sit opus pœnale.*

**N**on procedit difficultas de pœnitentia quæ imponitur, attendendo solum ad cautionem peccati in futurum, quia in hanc absque dubio imponi potest opus non pœnale, si forte sit aliquod non pœnale, quod sit vtile ad eam cautionem; sed procedit de pœnitentia, quæ imponitur, attendendo ad peccata confessa, ut iam commissi in satisfactionem pro illis, siue in eius impositione tantum attendatur ad id, siue etiam ad cautionem similitum peccatorum in futurum.



Circa difficultatem vt sic, Doctores, qui existimant, opere bono, quamuis non pœnali, posse satisfieri ex opere operantis pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, docent, in dictam pœnitentiam Sacramentalem posse & sufficere iungi quodcumq; opus bonum, quamuis non pœnale, quia secundum illos quodcumque opus bonum, quamuis non pœnale, est satisfactorium pro dicta pœna; ergo potest & sufficit imponi in dictam pœnitentiam Sacramentalem, quia hæc imponitur in satisfactionem pro pœna temporali restante post absolutionem à peccatis.

Doctores verò qui existimant, solo opere bono pœnali posse satisfieri ex opere operantis, docent, in dictam pœnitentiam Sacramentalem imponi tantum posse opus bonum pœnale, & meritò id docent: quia dicta pœnitentia Sacramentalis imponenda est & in satisfactionem pro pœna temporali restante post absolutionem, & etiam in vindictam & castigationem peccatorum confessorum, vt ea absumatur pœna restans, vt supponitur in Tridentino sess. 14. cap. 8. Et vtrumque constat ex eo, quòd dicta pœnitentia Sacramentalis imponitur in iudicio à Confessario vt à iudice, pro criminibus & peccatis confessis, ac proinde in vindictam & satisfactionem eorum, in plenam & perfectam remissionem eorum: imò non aliter in vindictam peccatorum, quam vt media ea satisfiat plenè & vltimatè pro peccatis; opus autem bonum non pœnale, non est satisfactorium pro pœna restante, vt diximus Disp. xiii. Diff. vi. Nec est aptum vt assumatur in vindictam & castigationem pro peccatis in plenam & perfectam remissionem eorum.

Vnde ad rationem aduersariorum, negamus, opus bonum non pœnale esse satisfactorium pro pœna restante; & quamuis esset, non sufficeret vt imponeretur in dictam pœnitentiam Sacramentalem, quia non est aptum vt imponatur in vindictam peccatorum. Et ob hoc posterius nonnulli ex Doctoribus, qui existimant, quocumque opere bono, etiam non pœnali, posse satisfieri ex opere operantis pro pœna temporali, docent, in dictam pœnitentiam Sacramentalem tantum posse imponi opus bonum pœnale, quia scilicet opus non pœnale nequit imponi in vindictam peccatorum.

Ita tamen imponenda est pœnitentia in vindictam & satisfactionem peccatorum, vt quando etiam imponitur in cautionem in futurum, seu in medelam, hæc non sit superaddenda toti pœnitentiæ, quæ aliàs debet imponi in vindictam & satisfactionem, si ea quæ imponitur in cautionem, est etiam opus pœnale; quia tunc huic tantum est addendù ex aliis operibus pœnalibus, quod deest ad rationabilem castigationem & satisfactionem peccatorum pro pœna restante, attendendo etiam ad fructum quem ex opere operato confert pœnitentia imposta.

Ita tamen imponendum est opus pœnale in pœnitentiam, vt possit imponi applicandum pro anima Purgatorij, vel pro aliquo viuo, quoad valorem quem habet ex opere operantis (quamuis nequeat quoad valorem quem vt pars Sacramenti Pœnitentiæ habet ex opere operato, quia opus Sacramenti ex opere operato tantum confertur recipienti Sacramentum) imò quamuis à Confessario non imponatur applicandum pro altero, poterit

ipse pœnitens applicare, etiamsi pœnitentia imposita sit, attento valore operis impositi ex opere operantis, quia cooperatio pœnitentis ad remissionem pœnæ restantis, nullo iure est pœnitenti sub obligatione, & ideò pœnitentia potest impleri in statu peccati mortalis, in quo non remittit pœnam restantem, vt dicemus Diff. xii. & xiv.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum in pœnitentiam Sacramentalem sit imponendum opus externum.*

**A**lexander 4. par. quæst. 84. memb. 2. artic. 1. *Alexand. Almain.* & Almainus in 4. distinct. 15. quæst. 1. partem affirmatiuam tuentur, Primò, quia pœnitentia est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, quod est sensibile, sicut quodcumque aliud Sacramentum; ergo debet esse sensibilis & externa. Secundò, quia pœnitentia imponitur præcepto humano, hoc autem tantum potest præcipi actus externus.

Suarez verò disp. 38. sect. 6. Henriquez lib. 5. cap. 19. & Egidius disp. 10. dub. 8. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte actus internus, v. g. actus intellectus & actus voluntatis, potest esse pœnalis, seu afflictius & difficilis, vt actus fidei & actus contritionis, & ex altera parte nihil obstat vt imponi possit in pœnitentiam Sacramentalem, vt constabit ex soluone rationum aduersariorum.

Ad primam ergo concedimus, pœnitentiam Sacramentalem esse partem Sacramenti sensibilis, ad id tamen sufficit quòd fiat sensibilis & quasi externa per accidens, ratione alterius, nempe ratione impositionis exterioris, qua imponitur à Confessario; & ratione acceptationis, qua acceptatur à pœnitente, sicut fit contritio ratione confessionis.

Et ad secundam concedimus, pœnitentiam imponi præcepto humano, tamen non lato potestate communi superioris humani, qua non possit præcipi actus internus, sed lato potestate speciali ligandi à Christo specialiter concessa, quo præcipi potest actus internus, sicut etiam fieri potest absolutio à peccatis omnino internis, quia fit potestate speciali à Christo specialiter concessa.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum in pœnitentiam Sacramentalem imponi possit opus præcepti.*

**P**aludanus in 4. distinct. 15. quæst. 1. artic. 2. & Maior quæst. 2. dub. 1. partem negatiuam tuentur, quia opus præcepti non est satisfactorium ex opere operantis pro debito pœnæ, vt ex ipsis retulimus Disp. xii. Diff. viii.

Sotus verò in 4. dist. 19. quæst. 2. Vasquez q. 94. art. 1. dub. 6. Suarez disp. 38. sect. 6. Victoria num. 205. Viualdus de Satisfactione, num. 10. Egidius dub. 8. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte opera præcepti sunt satisfactoria ex opere operantis pro debito pœnæ, vt diximus vbi supra; & ex altera, eorum impositio in pœnitentiam potest pœnitenti expedire.

Obser-

Trident.

Suarez.  
Henriq.  
Egidius.

Paludan.  
Maior.

Sotus.  
Vasquez.  
Suarez.  
Victoria.  
Viualdus.  
Egidius.



Observandum tamen est, regulariter expedire iniungere in pœnitentiam opera non præcepta, ad aliquid noui obligando pœnitentem, vt sic magis puniatur peccator ob peccatum, & magis inducatur ad timorem peccati in futurum. Ac proinde, vt Doctores communiter aduertunt, quoties ex verbis Confessarij oppositum prudenter non conijcitur, credendum est in pœnitentiam iniungere opera aliàs non præcepta. Quod etiam est verum, quando imponit eleemosynam, quæ aliàs ob extremam necessitatem obligat, vt contra Victoriam, Vivaldum, & Ægidium aduertunt Vasquez, & Suarez: quia eadem currit ratio in eleemosyna, quando est sub obligatione, & in operibus aliorum præceptorum: & id adhuc est verum, quamuis obligatio eleemosynæ superueniat post iniunctam pœnitentiam, vt contra eosdem & contra Sotum aduertunt Vasquez & Suarez, quia etiam tunc currit dicta ratio.

Vasquez.  
Suarez.

Vasquez.  
Suarez.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum Confessarius possit imponere pœnitentiam publicam.*

**N**omine pœnitentiæ publicæ intelligimus pœnitentiam coram alijs faciendam, ex qua possint in suspicionem venire, quòd sit ob peccatum aliquod graue confessum.

Nauarrus.

Nauarrus cap. 8. num. 10. docet, pro nullo peccato, quamuis publico & scandalofo, imponi posse pœnitentiam modo dicto publicam, quia id esset contra sigillum confessionis.

S. Thomas.  
Suarez.  
Vasquez.

S. Thomas verò in 4. d. 14. quæst. 1. art. 5. quæstionc. 1. Suarez disp. 38. sect. 6. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 2. & communiter Doctores docent, & meritò, pro peccato publico posse pœnitentiam publicam imponi. Quod definitum est in cap. 1. de Pœnitentijs & remissionibus, & clarissimè in Trident. sess. 24. cap. 8. de Reformatione, dum dicitur, pro peccato publico, ex quo ortum sit scandalum, oportere pœnitentiam publicam imponi. Vbi (etiã si Nauarrus neget) sermo est de impositione pœnitentiæ in foro Sacramentali, & non in foro exteriori, tum quia in eo cap. 8. sermo est de omni peccato, & tamen iudex Ecclesiasticus non iudicat de omni in foro exteriori, vt patet in homicidio; tum etiam, quia sermo dirigitur ad omnes Confessarios, & tamen non omnes possunt in eo foro exteriori pœnitentiam imponere.

Trident.

Et ratione probatur: quia ex vna parte pœnitentia publica potest esse expediens pro peccato publico; & ex altera parte, impositione illius non fit contra sigillum, quia id, ex quo potest dicta suspicio oriri, nempe impletio pœnitentiæ publicæ, non fit absque consensu pœnitentis, imò fit ab ipso pœnitente, quia ipse admittit imò implet pœnitentiam; ergo imponi potest publica pœnitentia pro peccato publico. Imò & debet imponi, quando aliter nequit auferri scandalum ortum ex illo peccato. Et ob rationem dictam potest etiam absque fractione sigilli imponi pœnitentia publica pro peccato occulto, & multò meliùs pro peccato publico, quamuis non sit necessaria ad auferendum scandalum; ac proinde quando aliàs expedit, vt potest aliquando expedire, poterit imponi pro vno & pro altero, quamuis pœnitens relictetur.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum pœnitentia ab vno Confessario iniuncta possit ab altero mutari.*

**D**ifficultas hæc non procedit, quando pœnitentia imposita fuit iniusta, siue ex toto, siue ex parte, quia tunc non est necessarium quòd mutetur ab altero Confessario, quantum ad id in quo est iniusta; quia tunc quantum ad id, potest proprio iudicio à pœnitente omitti, quia quantum ad id non obligat. Procedit ergo difficultas, quando pœnitentia est iusta, & non procedit de mutatione quæ fit media concessione Indulgentiæ, quia hoc modo, qui potest Indulgentias concedere, potest media Indulgentia, etiam extra confessionem concessa, auferre obligationem implendi pœnitentiam ab altero impositam, quando non est imposita in medelam, sed in puram vindictam & satisfactionem peccatorum. Nihilominus quando tempore Iubilæi conceditur Indulgentia pœnitenti, si præter confessionem exigitur ab eo aliud opus ad lucrandam Indulgentiam, quod tempore confessionis nondum est factum, imponeada est pœnitentia iusta, ne fortè pœnitens deficiat in opere requisito, & ob id non obtineat Indulgentiam: illo tamen opere post confessionem facto, ob quod Indulgentia obtinetur, liber manet pœnitens à pœnitentia antea imposita in puram vindictam & satisfactionem peccatorum.

Est ergo difficultas, An pœnitentia iusta ab vno Confessario imposita, possit mutari ab altero, absque media Indulgentia.

Circa difficultatem sic intellectam, Sotus in 4. disp. 20. quæst. 2. artic. 3. & nonnulli recentiores Thomistæ, docent, solum Confessarium superiorem in dignitate, v. g. Episcopum, posse pœnitentiam à Confessario inferiore, v. g. à simplici Confessario, impositam mutare: quia solus Confessarius superior habet imperium in inferiore; ergo solus superior potest mutare pœnitentiam inferioris.

Addunt tamen prædicti, id non posse superiorem, nisi eorundem peccatorum confessione audita.

Ledesma 2. par. 4. quæst. 20. art. 4. & Vivaldus de Satisfactione num. 31. docent, quemcumque Confessarium, etiam inferiorem, mutare posse pœnitentiam cuiuscumque alterius, etiam superioris, quia inferior in dignitate non minorem habet potestatem ad soluendum & ligandum, quàm superior in dignitate. Et idem sentit Nauarrus cap. 26. nu. 22. quando pœnitentia superioris non est imposita pro peccatis reseruatis, quia tunc sententia pro his reseruata est superiori. Et addunt prædicti, id posse quemcumque Confessarium, etiam inferiorem, non audita confessione eorundem peccatorum.

Ledesma.  
Vivaldus.

Nauarrus.

Valentia verò disp. 7. q. 14. punc. 4. Henriquez lib. 5. cap. 20. Suarez disp. 38. sect. 10. & Ægidius dub. 12. docent, & meritò, quemcumque Confessarium, etiam inferiorem, mutare posse pœnitentiam à quocumque alio Confessario, etiam à superiore pro peccatis non reseruatis impositam, eorum tamen confessione audita.

Valentia.  
Henriq.  
Suarez.  
Ægidius.

Et in primis, quòd quicumque Confessarius, etiam inferior, possit mutare pœnitentiam à quocum-



quocumque alio, etiam à superiore, pro peccatis non reſeruatim impositam, probatur, quia ex vna parte pœnitens potest iterum eadem peccata confiteri, ac si illa non fuisset confessus, & nouum iudicium de peccatis subire, ac si illud non subiisset, quia nullo titulo impeditur ad id faciendum, & ex altera parte quilibet Confessarius, quamuis inferior in dignitate, habet potestatem absoluendi ab illis, & imponendi pœnitentiam pro illis, sicut habebat, quamuis pœnitens non fuisset illa confessus; ergo pœnitens poterit, imò & debet se conformare sententiæ illius, quia ad illum vt ad vltimum iudicem confugit, vt ab eo iudicetur vltimò, & non tenetur sententiã pœnitentiæ prioris Confessoris, quia eo ipso quòd reus potest suam causam ad aliud tribunal deferre, potest imò & debet se conformare sententiæ posterioris tribunalis, si in eo tribuniſiſtat, & non tenetur sententiã prioris tribunalis.

Quòd verò nullus Confessarius, quamuis in dignitate superior, possit pœnitentiam impositam mutare nisi audita confessione peccatorum, probatur, quia mutatio pœnitentiæ, quæ non fit media concessione Indulgentiæ, nequit fieri nisi iudicialiter in foro Sacramenti Pœnitentiæ, quia solum quod fit mediã Indulgentiã, fit extra Sacramentum, quia hæc solum fit applicando satisfactio-nem Christi, & superabundantem Sanctorum, illa verò tantum fit imponendo de nouo pœnitentiam pro peccatis; impositio autem pœnitentiæ pro peccatis, vt pote actus iudicialis, tantum fit in iudicio confessionis, efficiendo iudicium & Sacramentum integrum circa illa, nempe absoluendo à peccatis confessis, de quibus fit dolor, & pro eis pœnitentiam imponendo.

Addidimus, pro peccatis non reſeruatim, quia nullus potest mutare pœnitentiam pro peccatis reſeruatim impositam, nisi idem Confessarius, aut alius cui etiam sint reſeruatim peccata illa: quia quamuis peccata reſeruatim, postquam quis est ab illis legitime absolutus, non maneant reſeruatim, ac proinde quilibet etiam simplex Confessarius possit ab illis absoluere, & pro eis pœnitentiam imponere, nequit tamen priorem sententiam mutare, & efficere quòd cesset, quia nequit iudicare de illis eodem modo ac si non fuissent iudicata, & pro illis pœnitentiam imponere, eodem modo ac si non fuisset imposita, cuius impositione cessaret prior sententia, sed tantum potest imponere pœnitentiam pro illis, tamquam pro eis à quibus pœnitens iam fuit absolutus, & pro quibus imposita fuit conueniens pœnitentia; sicut Sacerdos non approbatus nequit mutare pœnitentiam impositam pro mortalibus iam legitime confessis, quamuis ab eis iam confessis possit absoluere, & pro eis pœnitentiam imponere.

Ex dictis deducitur, vt aduertit Ægidius, eundem Confessarium non posse pœnitentiam à se impositam mutare, nisi prius audita confessione eorundem peccatorum (quæ vnico verbo ipsi fieri potest, dicendo, Iterum me accuso peccatorum tibi confessorum, si Confessarius recordetur illorum aut saltem pœnitentiæ à se impositæ) & nisi iterum facta aut facienda absolute; quia nequit de illis peccatis iterum iudicare, nisi nouum & integrum Sacramentum, & nouum & integrum iudicium faciendò. Nihilominus quando primum iudicium & Sacramentum censetur moraliter

manere, potest ab eodem Confessario mutari pœnitentia, absque noua confessione & absolute. Non censetur autem manere, eo ipso quòd pœnitens discedit à Confessario, nihil aliud ab eo expectans pro complemento illius iudicij: quamuis Ægidio videatur manere, & durare toto die quo factum fuit, & Soto & Vualdo duobus alijs sequentibus diebus.

Sotus.  
Vualdo.

### DIFFICULTAS XI.

*Vtrum qui oblitus est pœnitentiæ sibi iniunctæ, teneatur iterum confessionem repetere.*

Conueniunt Doctores, inculpabiliter oblitum pœnitentiæ sibi iniunctæ, non teneri iterum repetere confessionem, quia nullo titulo ad id tenetur. Est tamen difficultas, An ad id teneatur; qui sua culpa oblitus est pœnitentiæ.

Silueſter verò v. Confessio 1. q. 3. partem affirmatiuam tuetur, quia ex vna parte pœnitens tenetur pœnitentiam implere, & ex altera nequit sibi impositam implere ob obliuionem; ergo vt ipsi sua culpa non faueat, tenetur iterum confiteri, vt aliam pœnitentiam impleat.

Vasquez verò q. 94. ar. 2. dub. 4. Suarez disp. 22. sect. 3. Ægidius disp. 1. dub. 12. & comuniter Doctores partem negatiuam tradunt, & merito: quia tunc non tenetur ad repetendam confessionem iure diuino confessionis, quia hoc tantum obligat ad semel confitenda mortalia, quod fit independenter ab impletione pœnitentiæ: nec ad id tenetur præcepto aliquo Ecclesiastico communi, quia nullum est iterum repetendi confessionem, quando pœnitentia non impletur, nec faciendi aliquid loco illius: nec ad id tenetur præcepto pœnitentiæ lato à Confessario, quia istud tantum obligat ad impletionem pœnitentiæ, quando pœnitens potest, & non ad aliquid aliud faciendum loco illius, quando non potest illam implere; nec tunc pœnitens lucrum aliquod reportat ex sua culpa, quia potius priuatur fructu, quem pœnitentia ex opere operato causat.

Obseruandum est, pœnitentem teneri ad implendam pœnitentiam, si post obliuionem recordetur illius, quamuis confessus sit culpam obliuionis (quam tenetur confiteri, si fuit mortalis) quia etiam post confessionem culpæ obliuionis vtget præceptum Confessarij, & Ius diuinum naturale virtutis religionis perficiendi prius illud Sacramentum, cui defuit satisfactio, qua integraliter completur.

### DIFFICULTAS XII.

*Vtrum pœnitentia Sacramentalis impleta, causet ex opere operato remissionem pœnæ temporalis restantis post absoluteionem à peccatis.*

Sotus in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 5. & Ledesma 2. part. 4. quæst. 13. ar. 3. dub. 4. partem negatiuam tuetur, Primò, quia pœnitentia Sacramentalis nec est Sacramentum, nec pars essentialis Sacramenti; ergo absque fundamento dicitur habere effectum aliquem ex opere operato, seu per modum

Sotus.  
Ledesma.



modum Sacramenti. Secundò, quia aliàs pœnitentia Sacramentalis, quamvis fieret ex fine venialiter malo, remitteret pœnam temporalem restantem, quia Sacramentum, quamvis factum ex fine venialiter malo, habet suum effectum; imò etiam quamvis fieret ex fine mortaliter malo, quia mortale non obest remissioni pœnæ temporalis.

Vasquez. Suarez. Egidius. Adamus. Vasquez verò q. 94. ar. 2. dub. 5. Suarez disp. 38. sect. 2. Egidius disp. 10. dub. 10. Adamus q. 5. nu. 24. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia pœnitentia Sacramentalis impleta, est pars Sacramenti, quamvis non essentialis, sed integralis; & v. pars Sacramenti concurret ad plenam & integram remissionem peccatorum; ergo ad eam concurret ex opere operato: sed non concurret ad remissionem culpæ, nec pœnæ æternæ, quia hæc remissio fit ante impletionem pœnitentiæ per contritionem, confessionem & absolutionem; ergo concurret ad remissionem pœnæ temporalis restantis, quia hac remissione completur & integratur peccatorum remissio, & ideo pœnitentia impleta dicitur pars integralis, & non essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Vnde opus in pœnitentiam impositum, multò maiorem pœnam remittit, quàm si non esset impositum, quia in pœnitentiam impositum non solum remittit pœnam ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus, pœnitentiam Sacramentalem non esse Sacramentum, nec partem essentialem Sacramenti, ex eo tamen solum deducitur non concurrere ex opere operato, ad primarium effectum, nempe ad remissionem culpæ, & pœnæ, non verò deducitur non concurrere ex opere operato ad effectum secundarium, nempe ad remissionem pœnæ restantis, qua completur & integratur remissio peccati.

Et ad secundam concedimus, pœnitentiam ex fine veniali impletam remittere ex opere operato pœnam temporalem restantem, quamvis non ex opere operantis: imò etiam remitteret impleta ex fine mortali, si aliàs ad eam remissionem non obflaret status peccati mortalis; sicut etiam absolutio ex fine veniali collata, imò etiam ex mortali confert gratiam, vt pars essentialis Sacramenti simul cum alijs partibus essentialibus; & sicut etiam confessio ex fine veniali facta, imò etiam ex mortali, si ante absolutionem fiat confessio ipsius finis mortalis: imò quamvis non fiat, si pœnitens sit naturaliter oblitus illius finis, & ante absolutionem eliciat dolorem sufficientem ex motiuo comprehendente omnia mortalia ipsius; & sicut consecratio verbalis ex fine malo adhuc mortali facta, constituit Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus Sacramentalibus; in quo detestatio seu dolor differt à confessione & ab absolutione. Quòd si fiat ex fine malo, quamvis tantum veniali, non confert gratiam, quia non tantum est pars Sacramenti, sicut sunt confessio & absolutio, sed etiam est dispositio ad gratiam, ad quam opus malum non disponit.

Addimus, in quo Doctores conueniunt, per pœnitentiam, adhuc ex fine mortali factam, satisfieri præcepto Confessarij, quia eà sic facta, efficitur quoad substantiã quod à Confessario præcipitur, & eo ipso est Sacramentalis: imò & quantum est ex se sufficiens ad remissionem pœnæ tempo-

ralis restantis, quamvis eam non remittat quando mortaliter fit, quia ei deficit status gratiæ, vt dicemus Difficultate XI v.

## DIFFICULTAS XIII.

*Utrum pœnitentia Sacramentalis causet ex opere operato augmentum gratiæ sanctificantis.*

Caietanus. S. Thomas. S. Thomas 3. par. q. 90. ar. 2. partem affirmatiuam tuetur, quam tradidisse videtur S. Thomas ad 2. dum dicit, quòd satisfactio, prout est in proposito, confert gratiam, & prout est in executione, auget illam. Et in id inclinât Suarez disp. 38. sect. 2. & Turrianus disput. 38. dub. 2. Et probari potest, quia omne Sacramentum nouæ legis causat gratiam ex opere operato, sed pœnitentia Sacramentalis est pars Sacramenti nouæ legis, ergo causat gratiam ex opere operato; sed non primam, ergo augmentum illius.

S. Thomas verò in 4. d. 16. q. 1. art. 1. quæstion. 2. Vasquez. Egidius. Ochagavia. Adamus. Trident. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 5. Egidius dub. 10. Ochagavia q. 7. & Adamus q. 8. num. 22. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia, vt deducitur ex Tridentino sess. 14. c. 3. confessioni, contritioni, absolutioni, & satisfactioni, tamquam effectus ex opere operato, conuenit plena & integra remissio peccatorum; sed contritioni, confessioni, & absolutioni, quibus essentialiter perficitur Sacramentum Pœnitentiæ, conuenit remissio peccatorum quoad culpam & pœnam æternam, quæ fit mediã gratiã sanctificante, ante impletionem pœnitentiæ Sacramentalis; ergo impletioni illius debet tribui remissio pœnæ temporalis restantis, vt ita per omnes partes Sacramenti Pœnitentiæ fiat plena & integra peccatorum remissio, qualibet parte suo modo concurrente ad illam. Et absque fundamento illi tribuitur alius effectus ex opere operato, & ad summum, impletioni pœnitentiæ impositæ in cautionem peccatorum in futurum, tribui potest collatio aliquorum auxiliorum efficacium ad præcauenda peccata (quæ non erit infallibilis, sicut nec quæ fit medijs alijs Sacramentis) ita vt impletioni pœnitentiæ non pœnalis impositæ in puram cautionem in futurum, tantum tribuatur dicta collatio auxiliorum; & impletioni pœnitentiæ pœnalis impositæ in puram satisfactionem & vindictam tantum tribuatur remissio pœnæ restantis; & impletioni pœnitentiæ pœnalis impositæ in cautionem & in satisfactionem, tribuantur dicta collatio auxiliorum, & dicta remissio pœnæ restantis.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quamvis Sacramento essentialiter perfecto, conueniat ex opere operato gratiam sanctificantem conferre, non tamen conuenit parti non essentiali, sed tantum integrali, qualis est satisfactio: quia parti tantum integrali sufficit quòd impleat & integret effectum inchoatum à partibus essentialibus, mediã gratiã sanctificante, quod est illam quoad effectum augere, quod tantum voluit S. Thomas art. 2. ad 2. quando ait, satisfactionem, prout in executione, augere illam.



## DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis facta, habeat suum effectum ex opere operato.*

Supponimus Primò, vt dicebamus Diffic. XI I. in fine, & in quo conueniunt Doctores, per pœnitentiam in statu peccati mortalis factam, imò & ex malo fine, quamuis mortali, satisfieri præcepto Confessarij, quia eâ efficitur quod à Confessario præcipitur, & eo ipso est Sacramentalis.

Supponimus Secundò, pœnitentiam Sacramentalem in statu peccati mortalis factam non causare ex opere operantis remissionem pœnæ temporalis restantis alterius vitæ, quia ad id requiritur est status gratiæ, vt diximus Disput. XI I. Difficultate IV.

Est ergo difficultas, An pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis facta, causet ex opere operato remissionem pœnæ temporalis restantis, sicut causat quando fit in statu gratiæ.

Marsilius.  
Medina.  
Vasquez.

Marsilius in 4. quæst. 11. art. 3. Medina Cod. de Confessione q. de Pœnitentia iniuncta extra gratiam impleta, & Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 5. partem affirmatiuam tuentur, quia status peccati mortalis non est obex remissioni pœnæ temporalis faciendæ mediâ pœnitentiâ Sacramentali, ergo in eo statu causatur dicta remissio mediâ pœnitentiâ in eo statu facta. Consequentia patet, quia Sacramentum, & pars Sacramenti operantur suum effectum in subiecto non habente obicem. Antecedens autem probatur, quia pœnitentia Sacramentalis non causat remissionem pœnæ temporalis media infusione gratiæ, nec per modum meriti de condigno, quibus status peccati mortalis est obex, sed impetrando illam à Deo, cui impetratio non obest, quia peccator multa potest à Deo impetrare, & impetrat.

Sotus.  
Suarez.  
Henriq.  
Ægidius.

Sotus verò in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 5. Suarez disp. 38. sect. 8. Henriquez lib. 5. cap. 20. Ægidius dub. 11. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia licet pœnitentia in statu peccati mortalis facta sit Sacramentalis, & pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, nihilominus credi non potest, ex Christi institutione non exigi statum gratiæ, vt ex opere operato causet remissionem; quia credi non potest, quòd Christus, quia eam instituit in remissionem pœnæ restantis, effectum secundarium præsupponentem remissionem culpæ, & pœnæ æternæ mediâ gratiâ factam, vt ea remissione pœnæ restantis compleat remissionem culpæ & pœnæ æternæ, non exegerit statum gratiæ, vt remissionem mediâ gratiâ factam compleat, & integret.

Ex eo autem quòd pœnitentia Sacramentalis instituta sit pars integralis ad effectum secundarium remissionis pœnæ temporalis restantis ad complendam remissionem peccati, fit, vt Suarez aduertit, pœnitentiam impletam ante absolutionem non tribuere eam remissionem pœnæ restantis: quia effectus secundarius remissionis pœnæ restantis supponit primarium remissionis culpæ & pœnæ æternæ, & factû à partibus essentialibus, quas pars integralis supponit; ac proinde pœnitentia ante absolutionem impleta, non est Sacramentalis, quia ante absolutionem non est pars Sacra-

menti, quia tantum est pars integralis Sacramenti, quæ necessariò supponit essentialis; & consequenter Confessarius nihil potest præcipere faciendum ante absolutionem in pœnitentiam purè satisfactoriam pro peccatis confessis, quamuis præcipere possit quod necessarium aut expediens sit ad dispositionem pœnitentis, aut in cautionem in futurum, vt eiectionem concubinæ, & restitutionem, &c.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis status peccati mortalis non fit ex natura rei obex ad remissionem pœnæ restantis faciendam ex opere operato, est tamen obex ex institutione Christi: & quamuis qui implet pœnitentiam in statu peccati mortalis, ponat obicem dicto effectui remissionis pœnæ restantis, non peccat, nec irrogat iniuriam Sacramento Pœnitentiæ, quia non ponit obicem effectui primario Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantum secundario conferendo mediâ pœnitentiâ Sacramentali.

Id verò quod addunt Suarez, Henriquez & Ægidius, nempe pœnitentiam Sacramentalem, in statu peccati mortalis impletam, remittere post eâ pœnam temporalem ex opere operato, quando recedit fictio, id est, quando cessat status ille, dicitur absque sufficienti fundamento: quia si tribuere effectum ex opere operato, recedente fitione, conuenit Baptismo, & fortè etiam pœnitentiæ informi (si datur informis) idè est, quia hæc duo Sacramenta sunt media necessaria ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ; pœnitentia verò Sacramentalis non est necessaria ad remissionem pœnæ temporalis restantis, quia hæc potest pluribus alijs operibus haberi.

Suarez.  
Henriq.  
Ægidius.

## DIFFICULTAS XV.

*Vtrum pœnitentia à Confessario taxata prudenter, attentata grauitate peccatorum, extinguat debitum totius pœnæ temporalis restantis.*

Conueniunt Doctores, pœnitentiam, quæ non est tanta quanta imponenda erat, attentis grauitate peccatorum, & efficacia pœnitentiæ impositæ, ad remittendum ex opere operato non paruum pœnam restantem post absolutionem, sed est minor, quamuis sit prudenter minorata ob fragilitatem pœnitentis, non extinguere ex opere operato debitum totius pœnæ restantis.

Est tamen difficultas, An pœnitentia prudenter taxata, attentis prædictis, & non minorata ob fragilitatem pœnitentis, semper extinguat debitum totius pœnæ restantis.

Petrus Sotus Lect. 1. de Satisfactione, Suarez disput. 38. sect. 5. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 6. Reginaldus lib. 7. cap. 5. num. 47. Ochagania quæst. 16. & Turrianus disp. 38. dub. 5. partem negatiuam tuentur, quia ex vna parte pœna, quæ restat luenda, est determinata, tanta videlicet aut tanta, & ex altera parte pœnitentia Sacramentalis habet determinatum valorem ex opere operato, maiorem videlicet aut minorem pro quantitate pœnitentiæ iniunctæ, prout Christus instituit & determinauit, & non prout Confessarius determinat & taxat: sicut valor Sacramenti ad conferen-

Pet. Sotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Reginald.  
Ochagan.  
Turrianus.



conferendam gratiam determinatus est à Christo iuxta dispositionem pœnitentis, & non determinatur à Confessario. Ergo si pœnitentia à Confessario iniuncta, attendendo ad prædicta, non est æqualis pœnæ restanti, quamvis humano iudicio Confessarij prudenter taxetur, non extinguet totam pœnam restantem, quia ex iudicio Confessarij non minuitur nec crescit valor pœnitentiæ, quia iste fuit à Christo determinatus iuxta quantitatem pœnitentiæ.

Scotus.  
Gabriel.  
Maior.  
Sotus.  
Medina.

Scotus verò in 4. dist. 19. q. 1. Gabriel dist. 18. quæst. 1. art. 1. Maior dist. 20. quæst. 1. Sotus q. 2. art. 3. & Medina Cod. de Confessione, quæst. de Effectu pœnitentiæ iniunctæ, partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte pœnitentia Sacramentalis instituta est à Christo, vt ex opere operato compleat remissionem peccatorum, remittendo totam pœnam restantem; & ex altera parte taxatio & impositio pœnitentiæ, qua complenda est peccatorum remissio, commissa est arbitrio & iudicio prudenti Confessarij tamquam iudicis, cum Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit instar iudicij; ergo pœnitentia, quæ arbitrio prudenti Confessarij est rationalis ad vindictam & satisfactionem peccatorum, attendendo ad grauitatem eorum, & quòd hoc Sacramentum est tribunal misericorditer puniendi, & efficax vt ex opere operato remittat pœnam aliquam, complet remissionem peccatorum, totam pœnam restantem extinguendo; & tam minor quàm maior, dum sit prudenter taxata, habet eundem & sufficientem valorem Sacramentalem ad id: aliàs Confessarius numquam aut ferè numquam posset iustum & perfectum iudicium efficere, quo peccata quoad totum iustè remittantur; quia si aliqua pœnitentia indiuisibiliter requisita esset, semper aut ferè semper excederet aut deficeret.

Fuit autem maximè conueniens, valorem ex opere operato pœnitentiæ non determinari à Christo pro quantitate ipsius pœnitentiæ, sed sufficientem ad extinguendam totam pœnam restantem conuenire pœnitentiæ prudenter taxatæ, siue maiori siue minori, intra latitudinem prudentis & rationalis, eo ipso quòd iudicio prudenti Confessarij remisit taxationem pœnitentiæ ad vindictam peccatorum, cuius impletione completur

iudicium & Sacramentum Pœnitentiæ, ad plenè remittenda peccata institutum. In aliis verò Sacramentis, & in ipso Pœnitentiæ essentialiter perfectò, valor eorum ad conferendam gratiam fuit ex sola Christi institutione determinatus, ipsis secundum se tantus correspondens, vt Sacramento paruulis collato; & etiam vltra illum maior, pro maiori parte dispositionis adulti suscipientis, quia in illis nihil quòd ad collationem gratiæ conducit, commissum est taxationi ministri, sicut commissa fuit pœnitentia Sacramentalis ad remissionem pœnæ restantis conducens.

Vt autem pœnitentia Sacramentalis sit rationalis & prudens, non tantum attendenda est grauitas peccatorum, sed etiam attendendum est quòd tribunal Sacramenti Pœnitentiæ est absoluedi, & misericorditer puniendi, & efficax vt ex opere operato remittat non paruam pœnam; ac proinde vt sit prudens, non est necessarium, quòd pœnitentia ex se seu ex opere operantis sit æquè condigna & moraliter æquiualens pœnæ restanti, sed erit prudens, quamuis sit minor, imò & non parum minor, non tamen si sit nimis minor, vt proportio aliqua inter peccata & inter eorum punitionem seruetur. Nilominus quando fragilitas pœnitentis exigit quòd sit nimis minor, sic est inungenda, quia iudicium seu Sacramentum Pœnitentiæ institutum est in utilitatem pœnitentis: & tunc quando ob id iniuncta est nimis minor, sicut etiam quando iniuncta est talis ob imprudentiam Confessarij; tantò minùs remittet ex opere operato, quanto est minor; eius tamen defectus suppleri poterit in totum, aut in partem, valore eiusdem pœnitentiæ secundum se, seu ex opere operantis.

Ad rationem ergo aduersariorum respondeamus, concedendo, pœnam restantem post absolutionem esse determinatam; negando tamen, valorem pœnitentiæ ad remittendam illam ex opere operato, esse determinatum à Christo pro quantitate pœnitentiæ iniunctæ: sed valorem sufficientem ad extinguendam totam pœnam restantem, conuenire ex Christi institutione pœnitentiæ à Confessario prudenter taxatæ, attendendo ad prædicta, siue iniuncta sit maior siue minor, intra latitudinem prudentis, vt iam diximus.





# T R A C T A T V S

## D E

### E X T R E M A V N C T I O N E .

#### D I F F I C V L T A S P R I M A .

#### *Quid sit Extrema Vnctio.*



à nomine exordiamur, Sacramentum Extremæ Vnctionis dicitur *Extrema Vnctio*. Dicitur *Vnctio*, quia hæc est materia proxima ipsius; & dicitur *extrema*, tum quia confertur homini existenti in extremo termino vitæ, tum etiam, quia est vltima & extrema qua viator vngitur: quia primò, quando baptizatur, vngitur in vertice; & secundò, quando confirmatur, vngitur in fronte; & tertio, quando ordinatur Sacerdos, vngitur in manibus, & quando consecratur Episcopus, vngitur in capite & in manibus; & tandem quartò, quando ipsi in extremis existenti confertur Sacramentum Extremæ Vnctionis, vngitur in pluribus partibus, vt postea dicimus.

Ad rem verò accedendo, Extrema Vnctio definiri potest physicè per suas partes physicas, quòd sit *Vnctio exterior olei benedicti, in aliquibus partibus corporis, à Presbytero facta sub præscripta forma verborum*. Metaphysicè verò definiri potest Extrema Vnctio, quòd sit *Sacramentum confortatiuum, ad spem vitæ æternæ*: quia definitur per *Sacramentum*, quod est genus ad Extremam Vnctionem; & per *confortatiuum ad spem vitæ æternæ*, quod est differentia, qua distinguitur ab aliis Sacramentis nouæ legis.

#### D I F F I C V L T A S I I .

#### *Vtrum Extrema Vnctio sit Sacramentum nouæ legis.*

**H**æretici antiqui, & etiam nostri temporis, constanter negant, Extremam Vnctionem esse Sacramentum nouæ legis, quia id non constat ex Scriptura. De Fide tamen est, Extremam Vnctionem esse Sacramentum nouæ legis, gratiam conferens. Ita definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 14. cap. & can. 1. & id constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quam nobis scriptam reliquerunt Innocentius I. in Epistola 1. ad Decentium, cap. 8. & Innocentius III. cap. vnic. de Sacra vnctione, & plures alij Patres, quos refert Bellarminus de Extrema Vnctione cap. 4. Et id satis indicat Iacobus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*

*Eugen. IV. Trident.*

*Innocent. I.*

*Innoc. III. Bellarmin.*

*Ecclesia, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* In quibus verbis sermonem esse de Sacramento Extremæ Vnctionis, supponunt Eugenius IV. & Tridentinum dicto cap. 1. Et ex eis verbis non leuiter deducitur, Extremam Vnctionem esse Sacramentum, quia in eis vnctioni & orationi fidei, factis à Presbytero, quæ sunt quid sensibile, tribuitur remissio peccatorum, quæ non fit absque gratia iustificante.

Quòd si obijcies Primò, Iacobum exigere in minitro illius vnctionis, de qua ipse loquitur, fidem, dum ait, *Oratio fidei saluabit infirmum* (id est, liberabit infirmum à periculo mortis) quæ non requiritur ad valorem Sacramenti Extremæ Vnctionis: & etiam tribuere alleuiationem infirmi soli orationi, effectus autem Sacramenti Extremæ Vnctionis etiam tribuitur vnctioni; ergo Iacobus non loquitur de Sacramento Extremæ Vnctionis. Respondemus, verba quibus minister vngens vtitur, dici à Iacobo orationem fidei, non ob fidem ipsius ministri, sed quia sunt verba quibus fide diuina credimus perfici Sacramentum Extremæ Vnctionis, & consequenter quibus causatur effectus illius: & Iacobus ita tribuit orationi fidei saluationem, & alleuiationem infirmi, vt non excludat vnctionem. Quòd dictæ orationi tribuit, quia oratio fidei est forma, cui absolute tribuitur effectus; præsertim, quòd Iacobus insinuat etiam prouenire ab vnctione, dum immediate ante hæc verba, *& oratio fidei saluabit infirmum*, præmittit vnctionem.

Quòd si secundò obijcias, in prædictis verbis Iacobi promitti sanitatem animæ & corporis vnctioni & orationi fidei; sed non confert infallibiliter sanitatem corporis, vt experientiâ constat, ergo neque animæ, quia eodem tenore verborum vtraque promittitur; ergo in dictis verbis non continetur Sacramentum Extremæ Vnctionis, quia hoc infallibiliter confert sanitatem animæ.

Respondemus, quòd quamuis eodem tenore verborum vtraque sanitas promittatur, & ob id vtraque infallibiliter conferatur, diuerso tamen modo vtraque promittitur & confertur: quia sanitas animæ absolute, corporis verò non nisi conditionaliter, nempe si expediat animæ, vt aduertunt Eugenius IV. & Tridentinum vbi supra, & sa-

*Eugen. IV. Trident.*



& satis conuenienter: quia quamuis conueniens sit semper conferre sanitatem animæ, sed non semper corporis, quia hæc non semper expedit animæ.

Ad fundamentum ergo hæreticorum constat, ex Scriptura deduci, Extremam Vnctionem esse Sacramentum conferens gratiam: & quamuis ex ea non deduceretur, nihil obstaret, quia ad id sufficeret traditio Ecclesiæ, quæ id semper tenuit & credidit.

DIFFICULTAS III.

*Vtrum Sacramentum Extrema Vnctionis fuerit à Christo institutum, & quando.*

Hugo de S. Victore, Magister.

Circa prius, quamuis Hugo de S. Victore 2. de Sacramentis parte 15. cap. 2. & Magister in 4. d. 23. existimauerint, Sacramentum Extremæ Vnctionis non fuisse à Christo sed à Iacobo institutum, iam tamen absque iniuria Fidei negari non potest fuisse à Christo institutum, quia Tridentinum id definit generaliter de omnibus septem Sacramentis sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & specialiter de Extrema Vnctione sess. 14. cap. 1. affirmans fuisse à Christo institutam, & à Iacobo commendatam & promulgatam, supponens non fuisse à Iacobo institutam, ac proinde immediatè à Christo, & non mediante Iacobo, sicut etiam reliqua Sacramenta, quod Tridentinum traditioni diuinæ innixum definiuit. Vnde quòd id non constet ex Euangelio, non obest, quia ad id affirmandum sufficit traditio diuina.

Trident.

Circa posterius, quod incertum est, in primis sunt qui existimant Sacramentum Extremæ Vnctionis institutum fuisse à Christo, multo tempore ante ultimam cœnam & passionem, quando Marci 6. misit Apostolos ad prædicandum, & curandum infirmos vnctione olei. Id tamen absque fundamento aliquo & vestigio dicitur, quia huic vnctioni nullus alius effectus tribuitur, quàm sanitas corporalis, & non spiritualis, quæ est propria Sacramentorum: imò id dicitur contra rationem, quia vnctio hæc etiam fiebat non baptizatis, & ab Apostolis nondum Presbyteris: imò id etiam dicitur contra Tridentinum sess. 14. cap. 1. ubi dum ait, Extremam Vnctionem apud Marcum fuisse insinuatam, supponit tunc non fuisse institutam.

Trident.

Secundò alij existimant, Sacramentum Extremæ Vnctionis institutum fuisse in nocte cœnæ, quia ex vna parte generaliter videtur Christum omnia Sacramenta ante mortem instituisse, quia ante hanc instituit Testamentum nouum, sicut quilibet alius suum testamentum ante mortem instituit, quia testamenta morte confirmantur; Sacramenta autem sunt præcipua noui Testamenti: & ex altera parte nullum aliud tempus ad id aptius excogitari potest, quàm illud ultimæ cœnæ, cum in eo Christus longissimè egerit de suo Testamento, & Ecclesiæ statu, & in eo instituerit Eucharistiam & Confirmationem.

Tertiò alij existimant, & meritò, institutum fuisse post resurrectionem, & ante ascensionem. Et in primis illud instituisse post resurrectionem, credi potest ex eo, quòd Christus instituit hoc

Sacramentum, vt consummatiuum Sacramenti Pœnitentiæ, ad purgandas reliquias peccatorum post Sacramentum Pœnitentiæ relictas, vt dicemus Difficultate V 111. ac proinde fuit institutum post Sacramentum Pœnitentiæ, quod (vt dicit Tridentinum sess. 14. cap. 1.) institutum fuit post resurrectionem, Ioan. 20. Quòd verò id fuerit factum ante ascensionem, firmiter credi potest, quia non potest credi, Christum, qui in mundum venit pro nostra salute, remedia nostræ salutis instituisse postquam reliquit mundum, & rediit in cælum.

Trident.

Et quamuis in statu legis gratiæ, & noui Testamenti (quod in voluntate Christi dandi gratiam & reliqua dona consistit, quam ipse sua passione confirmauit) Sacramenta non sint parum præcipua, non tamen fuit necessarium ipsa ante mortem Christi institui, vt morte ipsa confirmarentur, quia ipsa non fuerunt formaliter Testamentum, nec pars Testamenti, sed tantum fuerunt obiectum dictæ voluntatis, quæ non fuit quoad omnia media volita ante mortem executioni mandata, sicut nec quoad omnem collationem gratiæ, & aliorum donorum.

DIFFICULTAS IV.

*Quæ sit materia remota Sacramenti Extremæ Vnctionis.*

Conueniunt Catholici, materiam essentialem Extremæ Vnctionis, esse oleum oliuarum, quod definit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & apertè deducitur ex Iacobi 5. dum dicitur infirmum vnendum esse oleo, quod absolute & simpliciter dictum, supponit pro oleo oliuarum, sicut aqua pro elementari, & panis pro triticeo: & nihil aliud essentialiter requiri, neque sufficere pro materia huius Sacramenti, quia nullo fundamento, neque vestigio aliquo potest aliud assignari, pro parte materiæ essentialiter requisitæ, neque pro materia sufficiente. Et non obstat oleo quòd sit materia, quòd ipsi aliud misceatur, dum mixtione non corrumpatur oleum, neque desinat esse vsuale, id est, aptum vt ex eo possit fieri vnctio. Conueniunt quoque, necessarium esse quòd oleum oliuarum sit ab Episcopo benedictum.

Eugen. IV.

Est tamen difficultas, An benedictio, & ab Episcopo facta, sit necessaria necessitate Sacramenti, id est, ad valorem Sacramenti, an tantum necessitate præcepti.

Victoria in Summa n. 216. existimat, benedictionem olei non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed tantum præcepti: & Caietanus 3. par. quæst. 72. art. 3. admittens benedictionem olei esse necessariam necessitate Sacramenti, addit, non esse necessarium necessitate Sacramenti, quòd benedictio fiat ab Episcopo, sed sufficere quòd fiat à Sacerdote ex dispensatione Papæ, quod Sotus in 4. distinct. 7. art. 3. & alij probabile existimant.

Victoria.

Caietanus.

Sotus.

Reliqui tamen Doctores existimant, benedictionem olei esse necessariam necessitate Sacramenti, & quòd fiat ab Episcopo, & non sufficere quòd fiat à simplici Sacerdote, adhuc ex dispensatione Papæ, & meritò: quia Eugenius IV. in suo Decreto, & Patres Tridentini sessione 14.

Eugen. IV.

Trident.



cap. 1. intendentes assignare & prescribere materiam essentialem Extremæ Vnctionis, & totalem, & eam dogmaticè tradere, definiunt, materiam Extremæ Vnctionis esse oleum ab Episcopo benedictum: quod absolute definiunt, & absque ullo addito & limitatione; id autem nulli alij fundamento innixi definiunt, quàm perpetuæ traditioni Ecclesiæ.

Ita tamen benedictio Episcopalis olei requiritur ad valorem Extremæ Vnctionis, vt ad hoc sufficiat quomodolibet benedici inuocatione Dei, sicut diximus in benedictione Chrismatis; quia credi potest, Christum nullam formulam benedictionis prescripsisse, eam tamen prescripsit Ecclesiæ, quæ necessitate præcepti obseruanda est.

#### DIFFICULTAS V.

##### *Qua sit materia proxima Extremæ Vnctionis.*

**C**onueniunt Doctores, materiam proximam Extremæ Vnctionis esse vnctionem ex oleo oliuarum factam. Quod significat Iacobus c. 5. dum ait, *Vngentes eos oleo*, & supponit Tridentinum sess. 14. cap. 1. dum ait: *Vnctio aprissime Spiritus sancti gratiam, qua inuisibiliter agrotantis anima intingitur, representat.* Et ratione constat, quia dicta Vnctio est actualis vsus materiæ remotæ, & supra quam cadit forma Extremæ Vnctionis, nempe, *Per istam sanctam Vnctionem*, &c. Conueniunt quoque, dictam Vnctionem esse materiam sufficientem, & totalem, & quia supra eam solam cadit tota forma huius Sacramenti, & quia solum oleum est materia remota illius.

Circa qualitatem Vnctionis, quamuis conueniens sit vnctionem fieri in modum Crucis, non tamen est necessarium, adhuc ex præcepto, vt aduertunt *Egidius* disp. 19. num. 7. & *Reginaldus* cap. 9. quia neutra necessitas deduci potest ex aliquo fundamento, quia dispar est ratio de vnctione Confirmationis, quia hac insignitur quis miles ad defendendam Crucem Christi eoram tyranno, non verò vnctione Extremæ Vnctionis.

Circa quantitatem verò vnctionis ad valorem huius Sacramenti, tanta pars hominis requiritur & sufficit vngi, & tanto oleo, quanta sufficit & necessaria est, & quanto vt fiat vnctio sensibilis, quia hæc necessaria est, & sufficit vt quis dicatur simpliciter & absolute vnctus.

#### DIFFICULTAS VI.

##### *Quot Vnctiones necessariae sint in Sacramento Extremæ Vnctionis.*

**E**ugenius IV. in suo Decreto fidei septem vnctiones requirit in hoc Sacramento, quinque videlicet in quinque sensibus, seu in quinque organis sensuum, & sextam in pedibus, & septimam in renibus: quæ omnes sunt ad minus necessariae necessitate præcepti, ob Ecclesiæ vniuersalis consuetudinem, exceptis vnctione in pedibus, & vnctione in renibus, quæ in aliquibus Ecclesijs ob desuetudinem non sunt sub præcepto, ac proinde neque sunt necessariae, ad valorem Sacramenti. In

quo Doctores conueniunt, quia per vnctiones quinque sensuum, seu organorum illorum, & per formas eis correspondentes, sufficienter significatur remissio omnium peccatorum, quæ est effectus huius Sacramenti, quia omnia peccata, adhuc spiritualia, originantur ab speciebus per sensus acceptis.

Est tamen difficultas, An vnctiones in quinque organis sensuum sint necessariae necessitate Sacramenti, seu ad valorem illius.

Archiepiscopus, & Doctores Louanienles anno Domini M. D. LXXVII. existimant, Sacramentum Extremæ Vnctionis essentialiter perfici in quavis vnctione, in quouis sensu facta, ita vt qualibet cum forma sibi correspondente sit essentialiter Sacramentum, imò est essentialiter totale, quamuis non totale integraliter, sed partialiter: sicut sunt plures ordinationes, & etiam species panis & vini in Eucharistia: quod probabile existimat *Egidius* disput. 19. dub. 5. Probari autem potest: quia quavis vnctio in quouis sensu per se est integra & sufficiens vt homo dicatur simpliciter & absolute vnctus, & forma cuiuslibet correspondens habet significationem independentem ab alijs formis, ergo qualibet vnctio in quolibet sensu cum forma sibi correspondente est sufficiens ad Sacramentum essentialiter perfectum, vt pote sufficiens ad significandum, & consequenter ad conferendum vnctionem spiritualem animæ, sicut qualibet ordinatio, cum forma sibi correspondente sufficit ad perficiendum essentialiter Sacramentum ordinationis, quamuis non integraliter.

Sotus verò in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 3. *Bellarminus* cap. 10. *Valentia* disput. 8. quæst. 2. puncto 2. *Adamus Tannerus* disp. 7. dub. 1. & communiter Doctores dicunt, quinque vnctiones quinque sensuum esse essentielles, seu necessariae necessitate Sacramenti, ita vt qualibet deficiente, non sit essentialiter Sacramentum, & merito, Primò, quia vnctiones in quinque sensibus semper sunt adhibitæ absque dispensatione; ergo absque grauissimo fundamento, quod verè non est, negati nequit, eas omnes ad essentiam & valorem Extremæ Vnctionis indiuisibiliter requiri. Secundò, quia quælibet forma singulis vnctionibus correspondens, habet sensum & significationem dependentem ab alijs formis, quia remissio mortalium, quæ originantur ab vno sensu, & per formam vnctioni ipsius correspondentem, significatur, dependet, dependentiâ comitante à remissione mortalium, quæ originantur à quouis alio sensu, & significatur & fit per formam correspondentem vnctioni illius sensus à quo originantur; quia vnum mortale non remittitur absque alio; ergo omnes quinque vnctiones indiuisibiliter pertinent & requiruntur ad essentiam Sacramenti Extremæ Vnctionis: significatum autem formæ vnius ordinationis, non pendet à significato formæ alterius ordinationis, neque ministerium vnius à ministerio alterius.

Vnde ad rationem pro aduersarijs respondemus, quòd etiam si quavis vnctio, in quouis sensu facta sufficiat, vt homo sit simpliciter vnctus, sed non vt sit vnctus in omnibus partibus, à quibus originatur tota infirmitas animæ, quæ quando est mortalis, simul est auferenda; neque forma vnius vnctionis, absque formis aliarum sufficit ad

*Sotus.*  
*Bellarmin.*  
*Valentia.*  
*Tanner.*



ad totius infirmitatis sanitatem significandam, non solum significatione humana, seu ex hominum institutione, sed neque significatione diuina & Sacramentali, ac proinde omnes vnctiones & formae simul indiuisibiliter causant gratiam, sicut simul indiuisibiliter significant Sacramentaliter.

Ita tamen necessarium est necessitate praecepti & Sacramenti, vnctiones fieri in quinque sensibus, seu in quinque organis sensuum, vt ad valorem Sacramenti non sit necessarium, vnctionem fieri in duabus partibus cuiuslibet sensus, v.g. in duobus oculis, & in duabus auribus, & in duabus naribus, sed sufficiat in vna tantum parte, quia vnus partis vnctione, sensus seu organum sensus absolute & simpliciter vngitur, est tamen necessarium necessitate praecepti ob consuetudinem Ecclesiae, ac proinde omittendum non est, nisi vrgeat necessitas aliqua, aut periculum omittendi vnctiones in reliquis sensibus. Neque ad valorem Sacramenti necessarius est ordo aliquis inter dictas vnctiones, quantum ob consuetudinem Ecclesiae seruandus sit sub praecepto ordo in Manuali praescriptus, ac proinde nequeat absque aliquo peccato inuerti.

Qui autem caret organo alicuius sensus, vn-  
gendus est in parte illi propinqua, vt vsus Ecclesiae obtinet.

#### DIFFICULTAS VII.

##### Quae sit forma Sacramenti Extremae Vnctionis.

Conueniunt Catholici, formam Extremae Vnctionis esse verba illa quae praescribuntur ad Eugenio IV. in suo Decreto, & a Tridentino sess. 14. cap. 1. nempe, *Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, amen.* & sic de alijs vnctionibus aliorum sensuum. Vnde, iuxta ea quae diximus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione 1. Difficult. xii. & sequentibus, quaecumque alia verba, quoad sensum praedictis aequivalentia, sufficiunt pro forma Extremae Vnctionis.

Est tamen difficultas, An ad valorem Extremae Vnctionis ita necessaria sit forma modo deprecatione collata, vt traditur ab Eugenio IV. & a Tridentino, vt ad illum non sufficiat, si conferatur modo indicatiuo seu affirmatiuo.

Richardus in 4. dist. 23. art. 1. q. 4. Paludanus q. 1. art. 2. Albertus art. 4. Durandus q. 3. & Adamus Tannerus dub. 1. dicunt, ad valorem Extremae Vnctionis sufficere formam modo indicatiuo seu affirmatiuo prolata, nempe, *Vngo te in indulgentiam cuiuscumque, quod deliquisti per visum, amen;* & sic de alijs. Primum, quia in alijs Sacramentis sufficit forma modo indicatiuo prolata, ergo etiam in hoc. Secundum, quia apud Mediolanenses tempore Ambrosij, & olim apud Venetos, forma Extremae Vnctionis proferebatur modo indicatiuo, nempe *ungo te*, nulla deprecatione superaddita.

Sotus vero in 4. dist. 23. quaest. 1. art. 4. Suarez disp. 40. sect. 3. Aegidius disp. 19. dub. 4. & communiter Doctores dicunt, ad valorem Extremae Vnctionis non sufficere formam modo indicatiuo prolata, absque deprecatione pro remissione

peccatorum, & merito: quia id obtinet consuetudo Ecclesiae, quae semper vsa est forma deprecativa pro peccatis, & id significat Iacobus cap. 5. dum ait, *Et orate super eum, & oratio fidei, &c.* in quibus verbis continetur forma huius Sacramenti, & in eis continetur & significatur deprecatio. Accedit quod forma deprecativa est sufficiens ad valorem huius Sacramenti, ergo ad id non sufficit forma indicatiua, quia haec non aequivaleret deprecativae quoad sensum, & in nullo Sacramento sunt duae formae non aequivalentes quoad sensum.

Addimus, vt contra Sotum, Suarez, Adamum, & alios aduertunt Didacus Nugnus 3. part. q. 23. art. 8. & Bonacina dist. 9. q. vnica, pun. 3. ad valorem Extremae Vnctionis non sufficere hanc formam, nempe, *Vngo te, vt per suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti, &c.* quia in his verbis non continetur deprecatio circa Deum, quae minister de facto deprecatur Deum pro remissione peccatorum, sed tantum continetur remissio tamquam finis intentus a ministro, vt denotatur per illam particulam *vt*.

Ad primam ergo rationem respondemus, in alijs Sacramentis sufficere (imò necessariam esse) formam indicatiuam, non tamen in hoc quia Christus sic voluit & instituit, vt ex dictis deducitur: congruentia autem huius discriminis est, quia minister huius Sacramenti institutus est instar Medici qui vnctione sanat, & non instar imperantis seu superioris; in alijs vero institutus est vel instar iudicis, vt in Sacramento Pœnitentiae, vel instar superioris, vt in Sacramentis Baptismi & Confirmationis & Ordinis, vel instar contrahentis, vt in Sacramento Matrimonij.

Ad secundam respondemus, difficile credendum esse, apud Mediolanenses & Venetos verbis indicatiui non fuisse superadditam veram aliquam deprecationem erga Deum, nostrae deprecationi aequivalentem: quod si ita non fiebat, vt potuit errari, & non fieri, id debuit corrigi, & Ecclesiae ipsorum debuerunt Romanae accommodari, vt modò fit.

Addimus, verba illa, *sanctam, & piissimam, & illa, suam misericordiam*, saltem esse necessaria necessitate praecepti ob consuetudinem Ecclesiae, ac proinde non posse absque peccato omitti, imò & mortali, quando recipiens non admonetur de periculo nullitatis: est tamen verisimile, non esse necessariam necessitate Sacramenti, quia illis deficientibus manet idem sensus integer. Et idem sentiunt Aegidius & Reginaldus, Bonacina & Adamus de particula significante sensum qui vngitur, nempe, *per visum, per auditum, &c.*

Circa inuocationem Trinitatis conueniunt Doctores, non esse necessarium necessitate Sacramenti; dissentiunt tamen, an sit necessaria necessitate praecepti. Paludanus & Angelus affirmant: Petrus Ledesma & Suarez negant. Nos tamen, vt optimè Aegidius, asserimus, in vnaquaque Ecclesia seruandam esse consuetudinem illius sub praecepto.

Repetere quoque integram formam ad vnctionem cuiusque sensus, ad minus est necessarium necessitate praecepti, & praecepti grauis, quando suscipiens non admonetur de periculo nullitatis: esse tamen necessarium necessitate Sacramenti, non est certum, sicut non est certum esse

Eugen. IV.  
Trident.

Richardus.  
Paludan.  
Durandus.  
Tanner.

Sotus.  
Suarez.  
Aegidius.

Nugnus.  
Bonacina.

Aegidius.  
Reginald.  
Bonacina.

Paludan.  
Angelus.  
Ledesma.  
Suarez.



sic necessarium plus quam vnā vnctionem. Est tamen verius, sicut verius est esse sic necessarias quinque vnctiones quinque sensuum, quia vnctio absque forma sibi correspondente, non sufficit ad valorem Extremæ Vnctionis. Nihilominus credimus, hanc vnīcam formam sufficere ad valorem, nempe, *Per istas sanctas Vnctiones, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* interim vngendo organa quinque sensuum; quia hæc forma æquiualeat quinque formis repetitis, cum per ipsam significetur quinque vnctiones, sicut etiam Tractatu de Baptismo Disputatione 11. Difficultate VIII. dicimus, ministrum posse plures validè baptizare illis verbis semel prolatis, *Ego vos baptizo in nomine Patris, &c.*

## DIFFICULTAS VIII.

Quos effectus tribuat Sacramentum  
Extremæ Vnctionis.

Conueniunt Doctores, per Extremam Vnctionem, siue per se & primariò, siue per accidens & secundariò, conferri gratiam iustificantem, qua remittantur peccata si quæ sint, & cui sunt annexa auxilia gratiæ, quibus infirmus excitatur & confortatur ad spem vitæ æternæ, & quibus fortiter resistit tentationibus dæmonis tunc vehementiùs tentantis; & etiam conferri sanitatem corporis, quando expedit animæ. Quos effectus exprimit Tridentinum sess. 14. in Proœmio de Sacramento Extremæ Vnctionis, & cap. 2. & satis insinuat D. Iacobus cap. 5. dum ait, *Et gratia fidei saluabit* (id est liberabit à periculo mortis) *infirmum, & alleviabit eum Dominus* (id est confortabit & excitabit, vt dicitur in Græco) *& si in peccatis sit, remittentur ei.*

Ita tamen per Extremam Vnctionem remittuntur peccata, vt non tantum remittantur quoad ipsorum reliquias, in quo conueniunt Doctores, sed etiam remittantur quoad culpam, vt contra Scotum in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 2. docent Scotus, Bonaventura, Richardus, Durandus, Bellarminus, Vasquez, Suarez, Egidius, & communiter Doctores, & expressissimè videtur Tridentinum, dum ait: *Res huius Sacramenti, gratia est Spiritus sancti, cuius vnctio delicta si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Vbi dum distinguit delicta & peccata à reliquijs peccatorum, & absterisionem delictorum ab absterisione reliquiarum eorum, per peccata & delicta intelligit illa secundum se & quoad culpam, & per remissionem aut absterisionem delictorum intelligit remissionem eorum quoad culpam. Accedit, quod remissio peccatorum quoad culpam proprius significatur verbis Tridentini, quam remissio eorum quoad pœnam, quibus can. 2. tribuit Sacramento Extremæ Vnctionis remissionem peccatorum, dum in eo damnat dicentes, Vnctionem infirmorum non conferre gratiam, neque remittere peccata. Et idem proprius etiam significatur verbis formæ, nempe, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti, & verbis Iacobi 5. Et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Est tamen difficultas, An per Extremam Vn-

ctione tantum remittantur peccata, venialia quoad culpam, an etiam mortalia.

Scotus in 4. dist. 23. quæst. 1. Bonaventura art. 1. quæst. 1. Richardus art. 1. quæst. 5. Durandus quæst. 1. art. 3. & Vasquez quæst. 87. art. 3. dub. 2. & 3. docent, per Extremam Vnctionem tantum remitti peccata venialia quoad culpam, & non mortalia: quod significare videtur Eugenius IV. in suo Decreto, dum nullum alium effectum assignat huic Sacramento, quam sanitatem mentis, & etiam corporis, si animæ expedit sanatio autem mentis non est liberatio à mortalibus, quia mortalia sunt mors animæ, sed liberatio à venialibus, quæ sunt morbus & infirmitas animæ, & etiam à reliquijs peccatorum. Auctores tamen huius sententiæ variant in modo, quo peccata venialia remittantur per Extremam Vnctionem, quia quidam existimant, non remitti immediatè per illam, sed mediante contritione de venialibus, quam Extrema Vnctio excitet: alij verò immediatè, præsupposita tamen attritione eorum vt dispositione.

Bellarminus cap. 8. Suarez disp. 41. sess. 1. Henriquez lib. 3. cap. 9. Egidius disp. 19. dub. 7. & Laymannus tract. 8. cap. 5. & Adamus dub. 2. docent, per Extremam Vnctionem non tantum remitti venialia quoad culpam, sed etiam mortalia, & meritò: quia efficaciter satis deducitur ex dictis verbis Iacobi, & Tridentini, & ipsius formæ. Primò, quia in eis generaliter dicitur remitti peccata; peccata autem regulariter supponunt pro mortalibus, non excludendo venialia. Secundò, quia à Iacobo & à Tridentino dicitur remitti peccata, si quæ sint; appositione autem huius conditionis significatur, peccata, de quibus præcipuè est sermo, non inueniri regulariter, & tamen peccata venialia regulariter inueniuntur. Tertio, quia verbis illis, *quidquid deliquisti per visum, &c.* positus in forma Extremæ Vnctionis, significatur distributiue quodcumque peccatum, quod saltem originatiue potest per sensum committi; per sensum autem peccata mortalia, & non rarò, committuntur.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis per Extremam Vnctionem semper remittantur venialia, non tamen semper mortalia; sed tunc tantum, quando infirmus, qui vngitur, excusatur ab eorum confessione, & contritione perfecta de illis, vel quia infirmo deficiunt sensus, vel loquela, vel memoria peccatorum mortalium, vel quia illi non occurrit virtus contritionis perfecta ad remissionem eorum, vel quia bona fide credit fuisse ritè confessi, vel non esse necessarium suscipere Extremam Vnctionem in statu gratiæ, vel alia de causa, ita vt absque mala fide suscipiat Extremam Vnctionem, vt aduertunt Bellarminus, Suarez, Egidius, & Laymannus. Et in primis, non semper remittuntur peccata mortalia per Extremam Vnctionem, aliàs Christus non necessariò illa subiecisset Sacramento Pœnitentiæ: remittuntur tamen in casu susceptionis illius absque mala fide, quia quamuis mortalia sint per se necessariò subiecta Sacramento Pœnitentiæ, quia tamen aliquando per accidens non possunt subijci, vel peccator excusatur à confessione illorum, idèò conuenientissimum fuit, & benignitati Christi maximè consonum, vt pro eo vltimo tempore, à quo pendet æternitas, institueretur Sacramentum

Trident.

Scotus.

Bonavent.

Richardus.

Durandus.

Bellarmin.

Vasquez.

Suarez.

Egidius.

Trident.

Scotus.

Bonavent.

Richard.

Durandus.

Vasquez.

Eugen. IV.

Bellarmino.

Suarez.

Henriquez.

Egidius.

Layman.

Bellarmin.

Suarez.

Egidius.

Layman.



mentum pro remissione mortalium in casu dicto, ne infirmus impotentia aut ignorantia inuincibili, aut alia de causa bona fide confessionem eorum & contritionem perfectam omittens, damnetur in aeternum. Remissio autem mortalium, quamuis sint mors animæ, dici potest sanatio mentis, quia sunt mors spiritualis, relinquunt vitam physicam animæ. Ad eorum tamen remissionem, & etiam venialium, requiritur attritio omnium eorum, saltem ex motu comprehendente omnia quæ remittuntur, quia Deus nullum peccatum propria voluntate commissum remittit absque displicentia illius.

Abstergit autem Extrema Vnctio peccata venialia, & in casu dicto bona fidei, mortalia quoad culpam, vt iam diximus, & omnia quoad eorum reliquias, quod quoad has exprimit Tridentinum cap. illo 2. Hæ autem reliquæ sunt non tantum pœnæ debitæ (quæ non raro restant post remissionem peccatorum quoad culpam) ex quibus plures aut pauciores auferuntur pro maiori aut minori dispositione suscipientis, sed etiam est mœror & anxietas, quæ ex peccato relinqui solent, & in fine vitæ solent maximè vexare, quæ hoc Sacramento auferri solent medijs auxilijs gratiæ, quibus homo confortatur & alleuatur, vnde verbo illo formæ, *indulgeat*, remissio seu ablatio peccatorum significatur, non tantum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam, & quoad mœrorem & anxietatem, modo dicto.

Effectus ergo Extremæ Vnctionis est gratia sanctificans, qua, medijs auxilijs sibi annexis, ægotus animo infirmus, mœstus, & anxius, confortatus & alleuatus resistit dæmoni in extremo vitæ (vt significatur in Tridentino in dicto Procœmio, & insinuat a Iacobo cap. 5.) & quæ remittuntur peccata quoad culpam si quæ sunt, etiam mortalia, a quorum confessione & perfecta contritione infirmus tempore vnctionis excusetur; & etiam per Extremam Vnctionem confertur remissio dictorum peccatorum quoad pœnam pro ipsis debitam, secundum mensuram dispositionis infirmi, & etiam confertur sanitas corporis si animæ expedit.

Et quamuis hoc Sacramentum institutum sit etiam ad conferendam primam gratiam sanctificantem, dicitur tamen viuorum, quia per se absque accidente aliquo tantum confert augmentum gratiæ, primam verò gratiam tantum per accidens, quando scilicet quis aliquo accidenti, aut impotentia, aut ignorantia, aut inaduertentia excusatus est a confessione & contritione mortalium. Nihilominus minister potest Extremam Vnctionem conferre infirmo non potenti confiteri, & non recusanti susceptionem illius, quamuis credat infirmum esse in peccato mortali, dum non credat illum carere attritione, & dum non credat tunc illum peccare mortaliter, quia non conteritur perfectè, quæ non debet credere quamdiu ipsi non constat oppositum.

#### DIFFICULTAS IX.

*Quando Extrema Vnctio confert gratiam.*

**C**onueniunt Doctores, per primam tantum vnctionem cum sua forma non conferri totam gratiam Extremæ Vnctionis, quia prima vn-

ctio cum sua forma non est totum ipsum Sacramentum, quia etiam reliquæ vnctiones cum suis formis pertinent ad essentiam huius Sacramenti, siue diuisibiliter, ita vt qualibet etiam prima sit essentialiter Sacramentum integraliter partiale; siue indiuisibiliter, ita vt in omnibus simul vna ratio Sacramenti indiuisibiliter reperiatur, iuxta varios modos philosophandi circa essentiam Extremæ Vnctionis, de quo diximus Difficultate vi.

Est tamen difficultas, An tota gratia Extremæ Vnctionis indiuisibiliter conferatur per omnes vnctiones cum suis formis, quando vltima perficitur & completur; an verò gratia incipiat diuisibiliter conferri a prima vnctione, ita vt cuilibet vnctioni cum sua forma correspondeat pars intensiua gratiæ.

Scotus in 4. dist. 23. quæst. vnica ad 2. Paludanus quæst. 1. art. 5. Medina Cod. de Confessione, quæst. 11. satis indicat, per primam vnctionem, & per quamlibet aliam, conferri partem seu gradum gratiæ, cuilibet correspondentem, sicut per quamlibet ordinationem; ac proinde gratiam incipere diuisibiliter & particulariter conferri a prima vnctione; & id probabile existimant Suarez distinct. 41. sess. 2. & Ægidius disp. 19. dub. 6. quia Extrema Vnctio non minus constat partialibus materijs & partialibus formis, quam ordinatio, ergo vnctio non minus constat partialibus materijs & partialibus formis, quam ordinatio, ergo vnctionibus non minus correspondent partiales effectus & gradus gratiæ, quam partialibus ordinationibus.

S. Thomas verò in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 3. Suarez, Ægidius, & communiter Doctores dicunt, nihil gratiæ conferri per Extremam Vnctionem, quousque perficiatur quinta vnctio cum sua forma, & merito: quia generale est omnibus Sacramentis quæ vsu perficiuntur, nihil gratiæ conferre quousque essentialiter perficiantur, vt dicimus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione 111. Difficultate vii. quia antea non sunt verè Sacramenta; sed Sacramentum Extremæ Vnctionis essentialiter perficitur indiuisibiliter quinque vnctionibus, & formis ipsis correspondentibus, vt diximus Difficultate vi. ergo quousque quinta vnctio, & forma ipsi correspondens sint perfectæ, nihil gratiæ confertur per illud. Confertur ergo gratia in vltimo instanti terminatiuo quintæ vnctionis, aut in instanti vltimo terminatiuo prolationis suæ formæ, si hæc posterius perficitur quam vnctio, quia in eo vltimo instanti perficitur hoc Sacramentum, siue extrinsecè absque proprio indiuisibili, vt quidam existimant, siue intrinsecè medio proprio indiuisibili. Sacramenta autè quæ vsu perficiuntur, statim ac perfectæ sunt conferunt gratiã independentem a voluntate ministri, quia illa conferunt instar causarum naturalium. Et quoad hoc idem est de remissione peccatorum quoad pœnam, quòd scilicet quoad hanc remittantur in eo vltimo instanti; ac de collatione gratiæ, & remissione peccatorum quoad culpam. Auxilia verò gratiæ huius Sacramenti annexa gratiæ huius Sacramenti, & quæ conferuntur contra reliquias peccatorum quando conferuntur, non necessariò conferuntur statim in eo instanti vltimo in quo perficitur Sacramentum, sed in instanti aut in tempore opportuno, sicut & sanitas corporalis quando confertur.



Quòd autem Extrema Vnctio constet pluribus vnctionibus, & pluribus formis partialibus, sicut ordinatio, non sufficit vt cuilibet vnctioni cum sua forma correspondeat gratia partialis, sicut responderet cuilibet ordinationi, quia ad essentiam Extremæ Vnctionis omnes vnctiones cum suis formis indiuisibiliter requiruntur, & non sic omnes ordinationes ad essentiam Sacramenti Ordinis, vt diximus Difficultate vi. effectus autem Sacramentalis non prouenit nisi ab eo quod habet essentiam Sacramenti.

## DIFFICULTAS X.

## Qui sint capaces Extremæ Vnctionis.

Conueniunt Primò Doctores, baptizatos, & non alios esse capaces Extremæ Vnctionis, quia Baptismus generaliter est ianua reliquorum Sacramentorum: & id peculiariter significat D. Iacobus cap. 5. illa particula, *in vobis*, dum ait, *Infirmatur quis in vobis?*

Conueniunt Secundò, eos tantum esse capaces Extremæ Vnctionis, qui aliquando vsi sunt ratione sufficiente ad peccandum, non verò infantes, neque à natiuitate amentes: quod vsus Ecclesiæ probat, & significat Iacobus cap. 5. dum ait, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesia.* in quibus verbis supponit, eum qui vngendus est, peccatum Extremam Vnctionem, & ipsi consensurum saltem interpretatiuè; quod tantum conuenit illis qui vtuntur aut aliquando vsi sunt ratione. Et non est mirum pro his solis institutam fuisse, quia instituta fuit ad conferendam gratiam, cui annexa sint auxilia ad resistendum dæmoni in extremis vehementer insidiantibus, & ad remissionem peccatorum, si quæ sint; & soli prædicti sint capaces auxiliorum & peccatorum, non verò infantes & perpetuò amentes.

Potest autem Extrema Vnctio non solum validè, sed etiam licitè conferri adulto, qui habet aut habuit vsum rationis sufficientem ad peccandum, etiam si nondum ad Eucharistiam, adhuc vt Viaticum, admittatur, ob defectum sufficientis discretionis ad id, vt contra Sorum & Vivaldum aduertunt Nauarrus cap. 22. num. 13. Suarez tom. 5. disp. 70. & Laymannus cap. 4. quia ad recipiendam Extremam Vnctionem non requiritur tanta discretio, quanta ad receptionem Eucharistiæ, sed sufficit illa quæ sufficit ad receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, cuius Extrema Vnctio est consummatiuua.

Est tamen difficultas, An adultus præditus sufficienti vsu rationis ac peccandum, qui tamen numquam peccauit actualiter, sit capax Extremæ Vnctionis, & ipsi possit validè conferri.

Vasquez disp. 119. cap. 8. & Nugnus quæst. 32. art. 2. partem negatiuam tuentur, quam indicare videtur Tridentinum sess. 14. in Proœmio ad Extremam Vnctionem, dum ait, hanc esse consummatiuam pœnitentiæ; quia qui non peccauit actualiter, non est capax Sacramenti Pœnitentiæ. Et ratione probatur, quia ei, qui numquam peccauit actualiter, nequit applicari forma Extremæ Vnctionis, nempe, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, &c. ergo non est capax Extremæ Vnctionis.

Bonauentura verò in 4. dist. 23. part. 2. art. 1.

quæst. 3. Suarez dist. 42. sess. 3. & Egidius dub. 7. partem affirmatiuam merito tradunt, quam significat Iacobus, dum ait, *Et si in peccatis sit, remittentur*. quo supponit, Extremam Vnctionem etiam esse institutam ad aliud quàm ad indulgentiam peccatorum. Et ratione probatur, quia quamuis infirmus non peccauerit actualiter, ex vna parte potest recipere gratiam sanctificantem, cui annexa sint auxilia ad resistendum dæmoni in extremis fortiter tentanti, & ex altera parte forma Extremæ Vnctionis, potest verè & vtiliter applicari ei qui numquam peccauit actualiter; verè quidem, quia particula *quidquid deliquisti*, iunitur conditionatè, vt significat Iacobus illis verbis, *Et si in peccatis sit, remittentur ei*; vtiliter verò, quia quamuis deficiat conditio, nempe *si deliquisti*, & ob id tunc non fiat remissio peccatorum, ex vi tamen illius formæ confertur gratia Sacramentalis, respectu cuius forma non habet sensum conditionatum, & ob id illi qui nullatenus peccauit per aliquem sensum, siue illo caruerit siue non, potest verè & vtiliter applicari forma vnctioni illius sensus correspondens: ex quo constat ad rationem aduersariorum. Extrema verò Vnctio dicitur à Tridentino consummatiuua pœnitentiæ, quia etiam est instituta ad remissionem peccatorum, quæ ignorantia, aut impotentia, aut bona fide non subiiciuntur Sacramento Pœnitentiæ, & etiam ad remissionem pœnarum restantium, eorum quæ subiecta fuerunt.

Conueniunt Tertio Doctores, solos infirmos esse capaces Extremæ Vnctionis validæ, vt significant Eugenius IV. in suo Decreto, & Tridentinum sess. 14. cap. 3. & deducitur ex Iacobo cap. 5. illis verbis, *Infirmatur quis in vobis?* & eos solos infirmos esse capaces illius (quidquid Egidius dicat num. 25.) qui aded grauius infirmi sunt, vt sint in periculo mortis, quòd vsus Ecclesiæ probat, & significant Eugenius & Tridentinum vbi supra, & etiam Iacobus illis verbis, *Oratio fidei saluabit infirmum*, nempe à periculo mortis. Ad valorem tamen Extremæ Vnctionis non est necessarium, illam conferri aded grauius infirmo, vt iam agat animam, & sit in articulo mortis, vt constat ex vsu Ecclesiæ, & significat Eugenius IV. dum ait, non debere dari nisi infirmo de cuius morte timetur, vbi supponit, conferri posse infirmo quando timetur mors, adhuc ante articulum ipsum; & Tridentinum, dum ait, conferendam esse infirmis, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur, quia particula *præsertim* denotat etiam posse ante eum articulum conferri: & quia periculum mortis infirmi non potest semper certò cognosci, credendum est, ex institutione Christi Extremam Vnctionem validè conferri infirmo, qui prudenter iudicatur esse in periculo mortis, quamuis verè in eo non sit, quòd satis indicant Eugenius IV. dum supponit, posse conferri illi de cuius morte timetur; & Tridentinum, dum ait, conferendam esse infirmis, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur, id est iudicentur.

Ad valorem ergo Extremæ Vnctionis sufficit, conferri ægrotanti periculosè (siue in re, siue in existimatione prudente) statim ac periculosè ægrotat, saltem in existimatione prudente; nihilominus

Nauarrus.  
Suarez.  
Layman.

Vasquez.  
Nugnus.

Bonauent.

Eugen. IV.  
Trident.

Eugen. IV.

Trident.



minùs expedit eam conferri ad exitum vitæ, ne fortè gratia ante mortem amittatur, sed conferenda est antequam infirmus destituatur sensibus, vt eam cum maiori deuotione recipiat. Infirmo verò de quo dubitatur an viuat, conferenda est Extrema Vnctio, siue à principio, siue continuando ipsam iam inceptam, non tamen absolutè, sed sub conditione, siue exterius expressa, siue interius tantum concepta.

Eugen. IV.  
Trident.

Obseruandum est, quòd quamuis Extrema Vnctio non imprimat characterem, vt definit Eugenius IV. & supponit Tridentinum sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, nihilominùs eodem periculo mortis perseverante, nequit validè iterari; in quo Doctores conueniunt, & constat ex vsu Ecclesiæ. Addimus, non posse validè iterari, eodem periculo perseverante: quia quoties adest nouum periculum, quamuis infirmitas non cessauerit totaliter, toties potest nouiter conferri, vt aduertunt Suarez & Egidius, quia Extrema Vnctio instituta est pro infirmo periculosè laborante, ac proinde quoties nouo laborat periculo, toties iterari potest. Vt verò nouum adit periculum, non requiritur maius temporis interuallum, quam quòd requiritur vt infirmus dicatur prius periculum euasisse, seu fuisse extra illud.

Suarez.  
Egidius.

### DIFFICULTAS XI.

*Vtrum baptizati teneantur suscipere  
Extremam Vnctionem.*

Conueniunt Doctores, excepto Petro Soto, nullum esse præceptum suscipiendi Extremam Vnctionem, quamuis adsit opportunitas & commoditas illam suscipiendi, quia nullum potest ostendi præceptum; quia non positiuum, neque diuinum, neque humanum, quia de neutro præcepto positiuo constat; neque præceptum naturale, quia Extrema Vnctio, quamuis sit utilissima ad salutem æternam, & plurimi ob susceptionem illius saluati sint, qui damnarentur si eam non suscepissent, non tamen est simpliciter necessaria, ac proinde non obligat infirmum ex beneficentia, neque ex misericordia erga se ipsum, ex quarum aliqua aut ex utraque oriretur præceptum naturale, si aliquod esset.

In omissione tamen susceptionis illius, potest peccatum, imò & mortale, contingere: aut, si ex contemptu omittatur, iudicando indignum esse, vel puerile, vel pauci momenti, suscipere Extremam Vnctionem; aut, si fortè omittatur cum scandalo, vt posset contingere, quamuis rarò, si quis Extremam Vnctionem oblatam recusaret absolutè absque vlla causa, quia induceret alios ad suspicionem hæresis, aut contemptus in ipso; secùs si recusaret illam data aliqua rationabili causa, præsertim si eam non recusaret absolutè, sed tantum non tam citò recipere illam, vel quia credit se non esse in extremis, vel alia de causa.

Obseruandum est, in quo conueniunt Doctores, ante Extremam Vnctionem non esse obligationem suscipiendi Eucharistiam ratione Extremæ Vnctionis, quia de hac obligatione non constat, neque suscipiendi Sacramentum absolutio-

nis, quia ad recipiendam Extremam Vnctionem sufficit status gratiæ, qui contritione perfecta (siue formali siue virtuali) obtineri potest.

### DIFFICULTAS XII.

*Quis sit minister Extremæ  
Vnctionis.*

Conueniunt Doctores, ministrum sufficientem & necessarium ad valorem Extremæ Vnctionis, esse Sacerdotem. Et id intendunt Eugenius IV. in suo Decreto, & Tridentinum sess. 14. cap. 3. dum pro ministro Extremæ Vnctionis assignant Sacerdotem: & id significat Iacobus c. 5. dum ait, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* vbi per *Presbyteros* non intelligit seniores, sed verè Sacerdotes, vt exponit Tridentinum, & vsus Ecclesiæ ostendit, in qua nullus nisi Sacerdos illam administrat, etiam si infirmus decessurus sit absque Extrema Vnctione, quia deficit Sacerdos.

Eugen. IV.  
Trident.

Innocentius verò I. Epistola 1. ad Decentium cap. 8. quando ait, non tantum Sacerdotibus, sed etiam omnibus Christianis in sua & suorum necessitate licere vt oleo sancto ab Episcopo confecto, aut loquitur de vsu dicti olei non ad conficiendum Sacramentum, sed ad sanandum corpora; aut si loquitur de vsu ad conficiendum Sacramentum, non loquitur de vsu actiuo, sed de passiuo, quasi diceret, licere vngi, sed non nisi à Presbyteris, vt deducitur ex verbis antecedentibus.

Obseruandum est Primò, quòd quamuis quilibet Sacerdos sit sufficiens minister ad valorem Extremæ Vnctionis, nullus tamen, nisi proprius Pastor, aut de ipsius licentia, potest, nisi in necessitate, illam administrare, quia id est proprium officium Pastoris. Et Religiosi non Religiosis administrantes Extremam Vnctionem absque Parochi licentia, ipso facto excommunicantur in Clementina 1. de Priuilegijs. In necessitate tamen, quando aliàs ægrotus moriturus est absque Extrema Vnctione, quilibet Sacerdos, etiam si Parochus ægrè ferat, licitè potest illam administrare, vt contra Toletum docent Suarez disput. 44. sess. 2. Valentia disp. 8. quæst. 1. puncto 2. Egidius num. 28. & Reginaldus lib. 28. num. 61. quia Ecclesia in ea necessitate interpretatiuè consentit Extremam Vnctionem à quocumque Sacerdote administrari.

Suarez.  
Valentia.  
Egidius.  
Reginald.

Obseruandum est Secundò, quòd quamuis ad valorem Extremæ Vnctionis necessarium sit, quamlibet vnctionem cum sua forma ab eodem ministro fieri, vt significat Iacobus, dum ait, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum,* &c. quo supponit, eundem debere esse ungentem & proferentem verba, & etiam significatur illa particula formæ, *Per istum sanctam Vnctionem,* quia per eam particulam, iuxta communem modum loquendi, significatur actio, prout exercita à proferente: nihilominùs diuersæ vnctiones cum suis formis possunt validè à diuersis ministris fieri, vt aduertunt communiter Doctores, quia qualibet forma suæ vnctioni applicata habet perfectum sensum; nequit tamen fieri licitè, nisi in necessitate, quia id est contra vsus Ecclesiæ. In necessitate tamen, vt si qui vnã fecit, statim moriatur, aut aliter impediatur, potest alter licitè vnctio-


vnctio-



vnctiones restantes cum suis formis efficere, quia ex vna parte, quæ à priori ministro fuit facta, fuit validè facta, & ex altera parte Ecclesia non vult infirmum absque Extrema Vnctione perfectà decedere.

Obseruandum est Tertio, Parochum ex iustitia aut ex fidelitate teneri conferre Extremam Vnctionem agrotò ea indigenti, & eam saltem interpretatiuè petenti, quia tenetur non solum necessaria, sed etiam vtilia rationabiliter petenti conferre, præsertim in periculo mortis: nihilominus ad id non tenetur, quando ipsi imminet periculum mortis ex administratione, vt ob pe-

stem infirmi, aut aliter, quamuis infirmus sit absque Extrema Vnctione decessurus, & quamuis nullum aliud Sacramentum susceperit, vt ex alijs aduertit Adamus disput. 7. num. 62. quia ex vna parte infirmus potest absque Extrema Vnctione per contritionem saluari, & ex altera parte non satis constat, Extremam Vnctionem sufficere ad delenda mortalia quoad culpam. Quando tamen pestis est communis in populo, absque dubio tenebitur populum non deserere, & generaliter vn- gere, quia id est tanti momenti, vt non sit durum eum tunc obligare vt vitam periculo exponat.





R. P.

GASPARIS HVRTADO

DOCTORIS THEOLOGI E SOC. IESV

D E

SACRAMENTIS

TOMVS SECVNDVS,

COMPLECTENS TRACTATVS

DE EVCHARISTIA,

SACRIFICIO MISSÆ, ET ORDINE.









# F A C U L T A S P R O V I N C I A L I S .

**E**Go Franciscus Aguado, Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Toletana Prouincia, potestate ad id mihi facta à Reuereudo admodum Mutio Vitelleschi, Præposito Generali, facultatem facio, vt Tomus secundus de Sacramentis, continens Sacramentum Eucharistiæ, & de Sacrificio Missæ, & Sacramentum Ordinis, Auctore Patre Gaspare Hurtado nostræ Societatis Doctore Theologo Complutensi, & eiusdem Societatis grauium doctorum-que hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Matrì in nostro Imperiali Collegio die XXIII. Aprilis anno M. DC. XXIX.

*Franciscus Aguado.*

---

## L I C E N C I A .

**N**Os el Licenciado D. Fernando de Ballesteros y Saavedra, Vicario General en la Audiencia y Corte Arçobispal desta villa de Alcalá, y de todo el Arçobispado de Toledo, &c. Por la presente, y por lo que à nos toca, damos licencia al Padre Doctore Gaspar Hurtado, Religioso de la Compañia de IESVS, Lector de Theologia en el Collegio desta dicha villa, para que pueda imprimir vn libro, intitulado, *Traçtatus de Sacramentis Tomus secundus*, atento que nos consta por la censura retrospectiva, ser muy vtil y prouechoso, y no auer en el cosa contra nuestra santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dada en Alcalá en VIII. dias del mes de Mayo de M. DC. XXIX. años.

*D. Fernando de Ballesteros  
y Saavedra.*

Por su mandado.  
*Diego Lopez de Oliuares.*

T

CEN-



## C E N S V R A.

**E**X mandato D. Licentiatum D. Ferdinandi de Ballesteros & Saavedra, Curie huius Archiepiscopalis Generalis Vicarij, Tractatus hos de Eucharistia, de Sacrificio Missæ, & de Ordine, à P. D. Gaspare Hurtado scriptos, diligens legi, attentusque obseruavi, in quibus suspicio multa, quæ in alijs tanti Magistri operibus iam antea prædicaui, & meritò sapientum prædicantur plausu. Stilius it placidus; vno verbo, affatim dat sensus multos: doctrina errorum deterfa illuuiæ, defæcata nitet, tyronibus perspicua, veteranis profunda, vtrisque utilis, planè omnibus necessaria. Videas in eo opiniones vetustate canas recenti nitore iuuenescere, & nuperrimè excogitatas eruditionis patrocinio nunc fenescere. Propriam sententiam vt altè fundat, stabilit robustè; aduersariorum placita recenset fideliter, eorum captiunculas extricat facilis, neque omittendo neque minuendo rationis acumina (quod vitium huius sæculi est) sed robustas vires de proprio ingenio fenerans, vegetiores nonnumquam de hoste, quàm de patrono, rationes euadunt. Quod de Cypriano adorat olim Theodoricus apud Cassiodorum, sic inquit: *Alternæ parti indiscreta laude placuisti, ori tuo altercantium desideria concurrerunt.* Ergo plus placet in illo, quæ sibi non placet, aliena sententia, quàm in proprio, cui placet, auctore. Mentior, si non perbreui epitoma amplectitur vniuersa, vt nihil non hîc digestum videam, quod super hac re Biblia spirant, Concilia condunt, ructant Ecclesiæ Patres, & aut excogitauit Theologorum auctorata vetustas, aut recetium ingeniosa nouitas. Stupet sapienter inscius Magnus Cassiodorus, vt horologij *paruus radius* (gnomon Græcè dicitur) *immobilis peragat, quod tam miranda magnitudo solis discurrit.* Mixetur etiam, quòd nitidus hic libellus tam facilè, tanta breuitate, quasi immobilis, tam cito peragat cursu, quod plura Theologiæ astra vix eucurrerunt tot voluminum immensitatibus. *Adulationis suspitione polluat adfectio, amor currat in vitium,* ait S. Ennodius, dum quod sentio sincerè prædico quasi exaggerans. Panegyrim dicas, & meracissima veritas est. Compluti die v i i. Maij, anni M. DC. XXIIX.

Lib. 5. ep.  
40.

Lib. 5. ep.  
46.

Lib. 1. ep.  
10.

D. Petrus de Celada Silva.

## L I C E N T I A.

**H**Vnc Tractatum de Eucharistia, Sacrificio Missæ, & Ordine, auctore R. P. Gaspare Hurtado sacre Theologiæ Doctore Complutensi merittissimo, ac Societatis I E S V alumno, iubente Senatu Regio, attenda mentis acie legi, nihilque in eo inueni non admiratione dignum, nihil non ex toto irreprehensibile. Sic communi comitatus Patrum sententia discurrit, vt eius conclusiones vt plurimum Patrum rescripta, Conciliorumque iudicentur decreta. Sic in ipso comitatu solus præit, vt nouam gloriam in qualibet quæstione nescio quid denuò inuentum consequatur: nouumque auctorem nouus nouit inueniendi modus: nouus labor pulchrum edit partum. Quæ antiquissima Patrum doctrina nouo splendore illustris inoffenso ducet Theologiæ Professores pede. Ingenium ergo felix non superanda indicat manus, & quo micat ars discurrendi nitore, grandia quæ legeris, me tacente testantur. Hoc meum iudicium. In Carmelo Matritensi die x i x. Maij M. DC. XXIIX.

Fr. Augustinus Nuñez Delgadillo.

T R A.



# TRACTATUS DE EVCHARISTIA.

## DISPUTATIO PRIMA.

De natura, necessitate, & institutione  
Eucharistiæ.

### DIFFICULTAS PRIMA.

*Utrum EVCHARISTIA sit Sacramentum nouæ Legis.*



**Q**VAMVIS non defuerint hæretici, qui generaliter omnia Sacramenta negauerint; nullus tamen fuit, qui alia admittens, negauerit Sacramentum Eucharistiæ.

De Fide tamen est, Eucharistiam esse vnum è septem Sacramentis nouæ legis à Christo Domino institutum: quod definit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, habito post vltimam sessionem Concilij Florentini, approbato ab ipso Concilio, & Tridentinum sess. 7. can. 1. & id supponit sess. 13. & 21. idem habetur in Concilio Lateranensi II. sub Innocentio III. c. 1. & refertur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate & fide Catholica. Idem quoque constat ex perpetua traditione, & ex Patribus, quos in discursu huius Tractatus referemus.

Addimus, Sacramentum Eucharistiæ esse omnium Sacramentorum nouæ legis præstantissimum, in quo Catholici conueniunt, & significat Tridentinum sess. 13. cap. 3. præstat autem & excedit reliqua Sacramenta, tum quia continet realiter Christum, tum etiam in ratione Sacramenti, quia copiosiores gratiam significat, & confert, & hoc posterius ipsi conuenit ex priori: Christus enim instituit Eucharistiam in signum & causam copiosioris gratiæ, quia realiter continet Corpus & Sanguinem ipsius.

### DIFFICULTAS II.

*Quid sit Sacramentum Eucharistiæ quantum ad nomen.*

**E**X varijs nominibus, quibus Sacramentum Eucharistiæ nominatur, nonnulla adducemus & explicabimus.

In primis Sacramentum hoc appellatur *Eucharistia*, id est, bona gratia, seu magna gratia. Dicitur *bona*, seu *magna gratia*, vel quia continet realiter Christum, qui est plenissimus gratia, & fons omnium gratiarum; vel quia significat & confert co-

piosissimam gratiam; vel quia significat futuram gloriam, quæ est magna & consummata gratia; vel quia conficitur & consecratur in gratiarum actionem.

Secundò appellatur *Communio*, quia efficit conjunctionem & vniõnem fidelium, vt membrorum inter se, & cum Christo vt capite, vt significat Paulus 1. ad Corint. 10. dum ait: *Panis quem frangimus, nõne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.*

Tertiò appellatur *Cæna Domini*, seu *Dominica*, vel quia institutum est in Cæna Domini; vel quia Cæna agni Paschalis fuit figura huius Sacramenti; vel quia medio hoc Sacramento fit conuiuium, quod nomine Cæna significari solet. Hoc tamen nomine cautè nobis vtendum est, quia hæretici eo abutuntur, ad significandum Eucharistiam non esse sumendam à ieiunis, quia ad Cænam præmissa est comestio meridiana; & non esse sumendam nisi in vsu communionis, & qua si cæna ad quam plures conueniant.

Quartò appellatur *viaticum* in Concilio Nicæno I. can. 12. quia eo in via & in itinere huius vitæ sustentamur. Et sic communiter & specialiter appellatur, quando ægrotis morti proximis ministratur, quia ipsis ad difficillimum transitum peragendum vires subministrat.

Quintò appellatur *mysterium*, quia inter omnia Sacramenta rem maximè occultam, & maximum mysterium continet.

Omittimus alia nomina quibus etiam appellatur, quia eorum facillè potest reddi ratio, & videri possunt apud Scriptores.

### DIFFICULTAS III.

*Quid sit Sacramentum Eucharistiæ quantum ad rem, seu in quo consistat.*

**S**Upponimus, in Sacramento Eucharistiæ hæc quatuor reperiri, prolationem videlicet verborum consecrationis, species consecratas, Corpus



pus & Sanguinem Christi, & sumptionem specierum Sacramentalium.

Hoc ergo supposito, difficultas est, In quo aut in quibus ex his quatuor sita sit tota quidditas & essentia Sacramenti Eucharistiae.

*Trident.* Circa difficultatem hanc Primò sunt qui existiment, totam essentiam Sacramenti Eucharistiae sitam esse in Corpore & Sanguine Christi, prout contentis sub speciebus Sacramentalibus, his extrinsecè se habentibus, & connotatis, quia Patres appellant hoc Sacramentum Corpus & Sanguinem Christi. Modus tamen iste dicendi communiter à Theologis rejicitur, & meritò: quia Sacramentum Eucharistiae, ut tradit Tridentinū sess. 13. cap. 3. in eo conuenit cum reliquis Sacramentis, quòd sit signum sensibile gratiae; Corpus autem & Sanguis Christi Domini, prout sunt sub speciebus, non sunt sensibilia ratione sui, quia sub illis sunt insensibili & spiritali modo. Quòd verò sint sensibilia ratione specierum sub quibus continentur, non sufficit ut in Corpore & Sanguine Christi sita sit tota essentia Sacramenti Eucharistiae: quia quamuis, ut aliquid sit pars Sacramenti, sufficiat quòd sit sensibile ratione alterius partis essentialis; tamen, ut aliquid sit totum ipsum Sacramentum pro materiali, cui conuenit significatio Sacramentalis, non sufficit quòd sit sensibile ratione alterius non pertinentis ad essentiam Sacramenti, quia de ratione Sacramenti est, quòd sit sensibile ratione sui, saltem quoad aliquam partem essentialem illius.

Secundò alij indicant, totam essentiam Sacramenti Eucharistiae sitam esse in verbis consecrationis, seu in prolatione eorum, quia tota essentia rei consistit in forma illius; verba autem consecrationis sunt forma Sacramenti Eucharistiae.

Tertiò Aureolus apud Capreolum in 4. dist. 8. quæst. vnica, art. 2. docet, sumptionem specierum Sacramentalium pertinere ad essentiam Sacramenti Eucharistiae, tamquam quid ad eam requisitum: quia species Sacramentales non significant neque efficiunt gratiam, nisi media sumptione; ergo ipsarum sumptio ad essentiam Sacramenti Eucharistiae requiritur & pertinet; quia requiritur & pertinet ad significationem & collationem gratiae.

*Eugen. IV.* Quartò Recentiores nonnulli docent, essentiam Sacramenti Eucharistiae constare ex speciebus Sacramentalibus tamquam ex materia, & ex verbis consecrationis tamquam ex forma; quia, ut *Adamus.* Eugenius IV. in suo Decreto ait, omnia Sacramenta nouæ legis constant rebus ut materia, & verbis ut forma. Addit Adamus Tanner quæst. 3. dub. 3. etiam constare intrinsecè Corpore & Sanguine Christi, quæ simul cum speciebus se habeant ut materia, respectu verborum consecrationis.

*Caietanus.* Quintò Caietanus 3. par. quæst. 75. artic. 1. *Valentia.* Valentia quæst. 1. de Eucharistia, puncto 3. *Bellarmin.* Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 6. *Suarez.* Suarez disp. 52. sect. 3. *Valquez.* Valquez disp. 167. c. 5. *Egidius.* Egidius quæst. 73. art. 1. dub. vnica, & *Becanus.* Becanus cap. 15. quæst. 2. docent, Sacramentum Eucharistiae essentialiter constare ex speciebus Sacramentalibus, & ex Corpore & Sanguine Christi Domini, ita ut ad essentiam & substantiam Sacramenti Eucharistiae pro materiali intrinsecè pertineant species Sacramentales, & Corpus & Sanguis Christi.

Et in primis species intrinsecè pertinere ad essentiam Sacramenti Eucharistiae, statim probabi-

tur: quòd verò Corpus & Sanguis Christi etiam pertineant intrinsecè ad illam; varijs locutionibus à Patribus significatur, quia Ignatius Epistola ad *Ignatius.* Smyrnenfes, & Iustinus Martyr Dialog. 3. dicunt, *Iustinus.* Sacramentum Eucharistiae esse Corpus & Sanguinem Christi, & Augustinus relatus can. *Hocest.* August. de Consecratione, dist. 2. dicit, Sacramentum Eucharistiae constare Corpore & Sanguine Christi: & alij dicunt, Sacramentum Eucharistiae esse panem vitæ, & cibum animæ. quod etiam habetur in Tridentino sess. 13. cap. 2. & tamen species id non *Trident.* habent ratione sui, sed quia intra se continent Corpus Christi. Et Eugenius IV. in suo Decreto, *Eugen. IV.* & Theologi communiter dicunt, Sacerdotes verbis consecrationis conficere Sacramentum Eucharistiae. Sacerdotes autem non efficiunt species, sed quòd Corpus & Sanguis Christi sint sub speciebus.

Sextò ergo Scotus in 4. dist. 8. quæst. vnica, artic. 1. *Scotus.* Richardus art. 1. quæst. 1. *Richardus.* Marsilius quæst. 1. *Marsilius.* art. 1. & quæst. 6. art. 2. & plures recentiores docent, & meritò, in solis speciebus Sacramentalibus sitam esse totam essentiam Sacramenti Eucharistiae, & ad eam non pertinere intrinsecè Corpus & Sanguinem Christi, neque verba consecrationis, neque sumptionem specierum Sacramentalium: Corpus tamen & Sanguinem Christi extrinsecè requiri ad essentiam Sacramenti Eucharistiae tamquam quid connotatum.

Et in primis, in solis speciebus Sacramentalibus sitam esse totam essentiam Sacramenti Eucharistiae, absque consortio prædictorum tamquam partium essentialium, significat Innocentius III. *Innoc. III.* in cap. *Cum Martha,* de Celebratione Missarum, dum contendens explicare quid in Eucharistia sit Sacramentum tantum, & quid sit res Sacramenti tantum, & quid sit Sacramentum & res Sacramenti simul; pro Sacramento tantum seu puro, de quo procedit præfens difficultas, tantum assignat species. & idem significat Tridentinum, dum sessione 13. sæpè species Sacramentales appellat Sacramentum. *Trident.*

Et id ratione probatur, quia ex vna parte species Sacramentales, absque consortio aliorum tamquam partium intrinsecarum, seu essentialium, sunt aptissimæ ut institutæ fuerint signa practica & factiua gratiæ refectionis animæ, & vnionis membrorum Christi inter se & cum Christo, quæ est propria gratia huius Sacramenti; & ex altera parte, nullo sufficienti fundamento eam significationem practicaam possumus extendere ad Corpus & Sanguinem Christi, neque ad verba consecrationis, neque ad sumptionem specierum. Et specialiter quòd neque verba consecrationis, neque sumptio specierum pertineant intrinsecè ad essentiam Sacramenti Eucharistiae, significat Eugenius IV. in *Eugen. IV.* suo Decreto, dum ait, verba consecrationis esse formam effectricem huius Sacramenti, verba autem non efficiunt se ipsa, neque sumptionem specierum, nec aliquid aliud cui verba ipsa & sumptio sint intrinseca. Et id etiam significat Tridentinum *Trident.* sess. 13. cap. 5. 6. 7. & 8. dum ait, Sacramentum Eucharistiae adorari, asseruari, & deferri ad infirmos, & sumi; quod non conuenit verbis consecrationis, neque sumptioni specierum, sed solis speciebus Sacramentalibus continentibus Christum; verba ergo consecrationis potiùs sunt forma efficiens Sacramentum, quam forma Sacramento intrin-



intrinseca, & sumptio specierum potius est applicatio Sacramenti antea existentis, vt conferat gratiam, quam sacramentum, aut pars Sacramenti.

Quod verò Corpus & Sanguis Christi requirantur ad essentiam Sacramenti Eucharistiae, tamquam quid extrinsecum connotatum, nempe tamquam terminus connotatus sub ipsis speciebus, negari non potest, supposito quòd non sint pars essentialis: quia si species non continerent Corpus & Sanguinem Christi, non essent significatiuae gratiae, neque panis vitae, & cibus animae.

Patres autem Sacramentum Eucharistiae appellant Corpus & Sanguinem Christi figuratè, per figuram Metonymiam, secundum quam etiam nomen contenti tribuitur continenti; nullus ergo Patrum asserit, Sacramentum Eucharistiae consistere Sanguine & Corpore Christi, neque Augustinus: imò iste Pater loco supra citato potius nobis fauet, si attentè legatur. Solus Irenaeus lib. 4. Aduersus haereticos cap. 34. ait, Eucharistiam duabus rebus consistere, terrena & caelesti, id est natura humana & diuina, quod ratione Christi contenti verificatur per figuram Metonymiam. Sacerdotes autem dicuntur conficere Sacramentum Eucharistiae, quamuis non efficiant species secundum se, quia efficiunt quòd contineant Christum, seu efficiunt illas consecratas, & vt continentes Corpus & Sanguinem Christi, qua ratione sunt Sacramentum.

August.

Irenaeus.

Iren. III.

Observandum est, vt tradit Innocentius III. in dicto cap. *Cum Marthe*, in Eucharistia reperiri Sacramentum tantum, & rem Sacramenti tantum, & Sacramentum & rem Sacramenti simul. Species sunt Sacramentum tantum, vt ait Pontifex, quia ipsae non significantur per aliud, & tamen ipsae significant non solum Corpus & Sanguinem Christi, sed etiam gratiam sacramentalem, & ob id ab Innocentio III. dicuntur Sacramentum geminae rei. Gratia autem refectiua & vnionis, est res Sacramenti tantum, vt ait Pontifex, quia non significat, sed significatur non solum per species sacramentaliter, sed etiam per Corpus & Sanguinem Christi ex quadam naturali proportione & aptitudine, quia quatenus continentur sub speciebus, habent rationem cibi & potus, quia Corpus realiter māducatur, & Sanguis realiter bibitur, & sunt requisita tamquam contenta sub satiatiuo & refrigeratiuo ad causandam gratiam satiantem, & refrigerantem, seu recreantem, & ob id gratia haec dicitur ab Innocentio res gemini Sacramenti, id est, specierum, & Corporis & Sanguinis Christi. Ex eo verò, quòd gratia haec dicitur res gemini Sacramenti, deducitur, speciebus, & Corpori & Sanguini Christi non conuenire eandem significationem sacramentalem: ex quo non leuiter deducitur, Corpus & Sanguinem Christi non esse partem intrinsecam Sacramenti Eucharistiae. Et tandem Corpus & Sanguis Christi sunt Sacramentum & res Sacramenti simul. Sunt Sacramentum (quamuis non strictè, sed latè) quia naturaliter, seu ex quadam naturali proportione & aptitudine significant gratiam huius Sacramenti: sunt verò res Sacramenti (quamuis non strictè, sed latè) quia naturaliter significantur per species sacramentales. Addimus non strictè, sed latè sumpti, quia species, vt significant Corpus & Sanguinem Christi, non sunt strictè Sacramentum.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum Sacramentum Eucharistiae sit vnum tantum secundum speciem infimam.*

Supposito ergo, quòd solae species panis & vini consecratae habent rationem Sacramenti, difficultas est, An species panis & vini sint vnum tantum Sacramentum secundum speciem infimam; quia esse vnum secundum speciem subalternam, manifestum est, & absque difficultate.

Gabriel in 4. dist. 8. q. 2. ar. 2. conclus. 4. & Glossa *Gabriel.* in can. *Comperimus*, de Consecratione dist. 2. do- *Glossa.* cent, species panis & vini esse duo Sacramenta secundum speciem infimam: quod indicare videntur Patres & Concilia, dum species panis & vini appellantur Sacramenta in plurali. Et ratione probatur, quia cuilibet speciei seorsim independenter ab altera conuenit significatio practica gratiae, & distincta secundum speciem infimam, quia species panis independenter ab specie vini significat & confert gratiam vt satiantem tamquam cibus, & species vini independenter ab specie panis significat & confert gratiam vt refrigerantem tamquam potus, ergo.

Durandus verò in 4. dist. 8. q. 8. Sotus quaest. *Durandus.* vnica, art. 2. Valentia q. 1. puncto 4. Suarez disp. 1. *Sotus.* sect. 3. Vasquez disp. 168. c. 1. Egidius q. 37. a. 2. *Valentia.* Becanus c. 15. q. 8. & communiter Doctores docent, species panis & vini esse vnum tantum in specie infima Sacramentum, & meritò: quia in vtraque specie simul, in quibus situm est Sacramentum Eucharistiae, est vna & integra significatio sacramentalis secundum speciem infimam; ergo vtraque simul est vnum & integrum Sacramentum secundum speciem infimam. Consequentia patet, quia vnitas & pluralitas Sacramentorum ex vnitate & pluralitate significationis sacramentalis sumitur. Antecedens autem probatur, quia vtraque species simul significat vnum & integrum effectum sacramentalem in specie infima, quia Sacramentum Eucharistiae, quod situm est in specie panis & in specie vini, institutum est tamquam refectiuum, seu tamquam cibus & potus ad refecutionem spirituales animae; refectio autem ex cibo & potu proueniens est vna & integra in specie infima, si non vnitate & integritate physica, saltem morali in genere conuiuij, sicut ex cibo & potu, ex quibus refectio ipsa oritur, coalescit conuiuium moraliter integrum & vnum in specie infima: ad vnitatem autem specificam integrum Sacramenti, quod est ens artificiale morale, sufficit vnitas moralis specifica significationis & virtutis, qua vnum moraliter effectum in specie infima significet & conferat.

Ita tamen ex vtraque specie coalescit vnum integraliter moraliter Sacramentum, vt quaelibet species seorsim sit verè & propriè Sacramentum essentialiter perfectum (quamuis non integraliter) quod significat Tridentinum sess. 21. cap. 3. dum *Trident.* ait, sub qualibet specie totum Christum contineri, & verum Sacramentum sumi. Et ratione constat, quia cuilibet speciei independenter ab altera conuenit significatio & vis sacramentalis, quia quaelibet absque altera significat & confert gratiam suo modo refectiuam. Ergo quaelibet species essentialiter



tialiter est Sacramentum, quamuis integraliter incompletum, imò vt sic distinctum ab altera secundum speciem infimam, quia cuilibet conuenit distincta in specie significatio gratiæ spiritualiter refectiuæ, quia species panis significat gratiam reficientem per modum satiantis instar cibi, & species vini gratiam reficientem per modum refrigerantis instar potus.

Et ita species panis & species vini sunt duo essentialiter Sacramenta, vt non sint duo totalia integraliter Sacramenta, sed duo integraliter partialia, quia in esse Sacramenti sunt partes heterogeneæ moraliter integrantes vnum integrum & totale signum, & Sacramentum indistinctum ab ipsis collectiuè & seorsim sumptis, & non tertium aliquod ab ipsis simul sumptis distinctum, quia Christus non aliter instituit hoc integrum & totale integraliter Sacramentum, quam instituendo ambas species seorsim, vnam per modum satiantis, & alteram per modum refrigerantis, & non instituit aliquod tertium distinctum ab ipsis; ac proinde in hoc Sacramento non est alia significatio & virtus Sacramentalis præter duas distinctas, quæ in ipsis speciebus seorsim reperiuntur, sicut in toto exercitu non est alia fortitudo præter fortitudines quæ in particularibus personis seorsim reperiuntur; & sicut in tota oratione non est alia significatio præter significationes quæ in partibus seorsim reperiuntur.

Patres ergo aliquando appellant species panis & vini Sacramenta in plurali, quia sunt duo Sacramenta essentialiter distincta, & essentialiter perfecta, quamuis ex eis vnum moraliter integretur.

Et ad rationem respondeo, ea tantum probari, species panis & vini esse duo Sacramenta essentialiter distincta & perfecta, non tamen esse duo integraliter distincta & perfecta, quia tantum sunt vnum integraliter, habentes vnam integraliter significationem Sacramentalem, qua significant vnam integraliter refectionem spiritualem, ac proinde eum, qui solas species panis aut solas species vini sumit, quamuis non sumat vnum integraliter Sacramentum, sumere tamen vnum Sacramentum essentialiter perfectum.

#### DIFFICULTAS V.

*Vtrum in pluribus Hostijs consecratis sint plura numero Sacramenta.*

Sotus.  
Ledesma.  
Bellarmin.  
Bonacina.  
Puteanus.

Sotus in 4. dist. 8. quæst. vnica art. 2. Ledesma 1. par. 4. quæst. 14. Bellarminus lib. 4. cap. 22. propositione 4. Bonacina quæst. 1. puncto 4. & Puteanus quæst. 73. dub. 4. docent, plures Hostias seu formulas consecratas esse vnum tantum numero Sacramentum quando simul sumuntur, quia Sacramentum Eucharistiæ fitum est in conuiuium spirituale, conuiuium autem est idem numero, quamuis in eo plura fercula sumantur; ergo plures Hostiæ, quando simul sumuntur, sunt idem numero Sacramentum.

Suarez.  
Ægidius.

Suarez disp. 1. sect. 4. Ægidius quæst. 73. art. 2. & nonnulli recentiores docent, omnes Hostias seu formulas, quæ inueniuntur consecrate, esse idem & vnum numero Sacramentum, siue simul siue seorsim sumantur, & siue ab vno siue à pluribus: quod indicare videtur Paulus 1. ad Corinth. 10. dum ait: *Vnum corpus sumus omnes, qui de eodem pane participamus.* quia his verbis significare vide-

tur, quòd sicut omnes fideles sumus vnum numero corpus, ita etiam Sacramentum Eucharistiæ, quo omnes reficimur & nutrimur, est vnum numero. Quod etiam indicare videtur Ambrosius in cap. 10. ad Hebræos, & refertur in can. *In Christo*, de Consecratione, disp. 2. dum ait, vnam esse Hostiam, quam Christus obtulit, & quam omnes Sacerdotes offerunt. Ergo sicut est idem numero Sacrificium quoad hostiam, seu rem oblatam, ita etiam erit idem numero Sacramentum, quia quod offertur in Sacrificium, sumitur vt Sacramentum: & ratione probatur, quia si plures humanitates assumerentur à Verbo, vnum tantum hominem constituerent; ergo plures Hostiæ continentes vnum tantum numero Corpus Christi, constituerent vnum tantum numero Sacramentum.

Vasquez verò disp. 168. cap. 2. Henriquez lib. 8. c. 8. & Ochagauia q. 3. docent, plures Hostias (& idem est de pluribus speciebus vini) esse plura numero Sacramenta Corporis, quamuis simul sumantur, & meritò: quia Christus instituit Sacramentum Corporis (& idem suo modo est de Sacramento Sanguinis) non in aliquo vno morali, sed in specie consecrata panis secundum se, vna tantum physicè, attendendo tantum ad vnitatem physicam, & non ad aliquam vnitatem moralem, quia in qualibet specie panis secundum se vna tantum physicè seorsim & independentè ab altera specie panis est significatio practica, seu factiua gratiæ: ergo plures Hostiæ consecrate, quamuis simul consecrentur, & sint in eodem loco, & quamuis simul sumantur, sunt plura numero Sacramenta Corporis, quia plures illæ Hostiæ, quamuis sint sic coniunctæ; sunt tamen plures numero distinctæ, & physicè discontinuæ, & in qualibet seorsim & independentè ab altera institutum est Sacramentum Corporis.

Vasquez.  
Henriq.  
Ochagau.

Addimus tamen, vt dicemus Disp. x. Diffic. vi. quòd quando plures Hostiæ (& idem est de pluribus Calicibus) simul sumuntur ab eodem, vnam tantum conferunt gratiam, & eisdem gradus gratiæ quos vna sola sumpta conferret; per accidens tamen, quia vna sumptione & applicatione limitantur ad vnum effectum: nihilominus tunc, quamuis vnam tantum significant & conferant gratiam, sunt plura numero Sacramenta, quia sunt plura numero signa, non solum materialiter, sed etiam formaliter, siue quoad significationem Sacramentalem.

Ad rationem ergo pro primo modo dicendi adductam, concedimus, ex pluribus Hostijs, quando simul sumuntur, coalescere vnum tantum numero conuiuium actuale (quamuis non integrum, nisi etiam sumantur species vini) negamus tamen coalescere vnum tantum numero Sacramentum, quia Sacramentum Eucharistiæ non consistit in actuale conuiuium, quia ante actuale conuiuium præsupponitur Sacramentum Eucharistiæ, sed consistit in cibo & potu secundum se, qui præsupponuntur ad conuiuium, quamuis postea ex ipsis conuiuium fiat, & refectio, seu nutritio; ac proinde quamuis ex pluribus Hostijs simul sumptis fiat vnum numero conuiuium modo dicto, non tamen vnum numero Sacramentum, sed plura numero Sacramenta Corporis.

Paulus verò pro secundo modo dicendi adductus appellauit Sacramentum Corporis, vnum panem ratione vnius Corporis Christi contenti, quod



quod verè est cibus, & non quia in ratione signi & Sacramenti sit vnum tantum numero; quia in ratione signi & Sacramenti, quando sunt plures numero Hostiæ, sunt plures numero panes, vnus tamen in specie: quod etiam sufficit, vt omnes, qui de illo etiam vt sic participamus, dicamur vnum corpus mysticum. Et quamuis in Sacrificio Millæ vna sit tantum numero Hostia seu victima, vt ait Ambrosius, nempe humanitas Christi, quæ est vna tantum numero, Sacramentum tamen Eucharistiæ, quod est distinctum ab Hostia & victima, est numero multiplex in multis formulis seu speciebus panis.

Ad rationem verò negamus, quòd si plures numero humanitates assumerentur à Verbo, constituerent vnum tantum hominem, quia potius continerent plures, vt diximus Tract. de Incarnat. Disp. 111. Diffic. VII. Et quamuis id admitteremus, ex eo non inferretur, plures Hostias consecratas, continentes idem numero Corpus Christi, constituere vnum numero Sacramentum Corporis, quia si plures humanitates in eo casu constituerent vnum tantum numero hominem, idè esset, quia ad pluralitatem concreti substantiui etiam requireretur pluralitas suppositorum, quæ non esset in eo casu: ad pluralitatem verò numericam Sacramentorum sufficit pluralitas numerica signorum sensibilium, & significationum Sacramentalium; vbi autem sunt plures Hostiæ consecratae, sunt plura numero signa sensibilia, & plures numero significationes Sacramentales.

Ex dictis constat, ex vna numero specie panis, & ex altera numero specie vini, mutuo pro libito comparatis, constitui vnum numero Sacramentum Eucharistiæ integraliter completum, & distinctum numero totaliter ab altero coalescente ex alijs duabus speciebus, vna panis & altera vini, mutuo inter se, quamuis pro libito, comparatis: ita tamen ex hac specie panis pro libito assignata, & ex hac specie vini eodem modo assignata, conficitur vnum numero Sacramentum integraliter completum, vt quælibet earum specierum constituentium vnum numero Sacramentum integraliter completum, comparata cum qualibet alia, dum vna sit panis & altera vini, constituat aliud numero Sacramentum, seu indiuiduum Sacramenti à priori partialiter distinctum (& non totaliter, quia in vtraque est vna & eadem species ex duabus, quibus vtrumque constat) ac proinde quælibet species panis, seu Hostia tot numero indiuidua Sacramenti partialiter distincta integrare dicitur, quot sunt species vini; & e contra, quælibet species vini tot numero indiuidua Sacramenti partialiter distincta integrare dicitur, quot sunt Hostiæ seu species panis.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium necessitate medijs ad salutem, seu vitam æternam.*

Svpponimus, necessitatem alicuius ad vitam æternam esse triplicem, aliam medijs tantum, aliam præcepti tantum, & aliam medijs & præcepti simul. Quid autem sit vnaquæque earum, & quomodo inter se distinguantur, diximus in Tractatu de Pœnitentia Disp. 1v. Difficult. v.

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Docto-

res, Eucharistiam in re susceptam non esse determinatè necessariam necessitate medijs ad salutem, quia multi, tam paruuli quàm adulti, absque reali susceptione Eucharistiæ saluantur, quod definitum est quoad paruulos in Tridentino sess. 21. *Trident.* c. 4. Et quoad omnes, tam paruulos quàm adultos, res est manifesta, quia in quolibet ad consequendam gloriam sufficiunt prima iustificatio, & perseverantia in ea vsque ad finem vitæ; ad neutrum autem susceptio realis Eucharistiæ est medium necessarium vt medium, quia non ad iustificationem primam à peccatis, quia ad hanc pro non baptizatis sufficit Baptismus, & pro baptizatis lapsis in mortale sufficit Sacramentum Pœnitentiæ, & pro vtrisque, si adulti sint, sufficit contritio perfecta. Neque est necessaria necessitate medijs ad perseverantiam in ea iustificatione, quia non pro paruulis, quia istis, vt perseverent, sufficit rapi ante usum rationis, quia ante hunc non possunt amittere gratiam per Baptismus receptam; ad hoc autem quòd rapiantur ante usum rationis, non est modo dicto necessaria realis receptio Eucharistiæ, vt patet: neque est necessaria necessitate medijs pro adultis, quia quamuis ipsis sit medium conducens & utile ad perseverandum, vt indicat Tridentinum sess. 13. c. 2. imò possit esse medium sufficiens, non tamen est medium dicto modo necessarium ad id, quia non est medium vnicum ad id, quia alijs vijs non alligatis reali susceptioni Eucharistiæ, nempe auxilio externæ protectionis, aut etiam auxilio internæ inspirationis, quæ Deus absque Eucharistia realiter suscepta sæpè liberaliter confert, potest adultus in gratia perseverare, nullum præceptum graue transgrediendo. Ex eo autem, quòd Eucharistia realiter suscepta sit medium vtile adultis ad perseverandum, & sit illis necessaria ex præcepto, non fit, quòd sit illis medium necessarium vt medium seu necessarium necessitate medijs ad perseverandum, quia non est medium vnicum ad id, sed tantum fit quòd sit illis medium necessarium necessitate præcepti non medijs, quia seilicet est medium non vnicum, sed sub præcepto graui.

Conueniunt Secundò Doctores, Eucharistiam in voto esse omnibus, tam paruulis quàm adultis, medium necessarium vt medium, seu necessitate medijs, non quia in voto sit medium necessarium ad perseverantiam in iustificatione, sed quia est medium necessarium ad iustificationem ipsam à peccato graui, absque qua vita æterna nequit obtineri. Quòd autem Eucharistia in voto sit necessaria necessitate medijs ad iustificationem à peccato graui, constat. Et in primis, quoad adultos, quia istis ad eam iustificationem est medium necessarium necessitate medijs Baptismus, aut pœnitentia, aut contritio perfecta: quicumque autem, qui aliquo ex his tribus modis iustificatur, expressè aut implicite proponit seruare omnia præcepta grauia, ex quibus vnum est sumptio Eucharistiæ. Et quoad paruulos id etiam constat, sumendo votum non strictè pro actu aliquo, sed pro obligatione, & relatione seu ordinatione, quia paruuli per Baptismus, quo à peccato originali iustificantur, manent ordinati, & quasi parati ad sumendam Eucharistiam suo tempore, & pro eo obligabuntur ad id in tempore usus rationis. Ex eo tamen quòd Eucharistia in voto sit necessaria necessitate medijs ad iustificationem, non dicitur



tur absolute necessaria necessitate medij, sed absolute tantum est necessaria necessitate precepti, quia tota necessitas medij Eucharistiae in voto nascitur ex pura necessitate precepti Eucharistiae in re, aut ex tunc obligantis, ut respectu adulterum, aut postea in tempore usus rationis obligatur, ut respectu paruulorum: quia ex hac necessitate precepti Eucharistiae in re prouenit, quod in Baptismo, & in Poenitentia, & in contritione, quorum quolibet sufficienter iustificamur, contineatur votum Eucharistiae, sicut etiam continetur votum cuiuscumque alius rei quae est sub precepto graui. Vnde necessitas haec Eucharistiae in voto tamquam medij ad vitam aeternam, non est peculiaris Eucharistiae, sed est communis omnibus rebus quae sunt sub precepto graui.

Est ergo difficultas, An Eucharistia sit peculiariter necessaria ad vitam aeternam necessitate medij, distincta a pura necessitate precepti, & non orta ex illa.

Non desunt recentiores, qui existimant, Sacramentum Eucharistiae in re vel in voto sub disiunctione esse peculiariter necessarium adultis necessitate medij ad vitam aeternam, quibus consentire videtur Becanus cap. 15. quaest. 7. quod indicari videtur Ioann. 6. illis verbis Christi: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, quia particula nisi necessitas medij significari videtur; sicut Ioann. 3. quando dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in Regnum Dei*, ea particula nisi necessitas medij in Baptismo ad vitam aeternam denotatur. Et id confirmari videtur exemplo, quo Christus vitur Ioann. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me*: Filius autem ita viuit propter Patrem, ut nequeat absque Patre viuere; ergo neque nos, nisi propter Christum in Eucharistia sumptum, quod est esse necessarium necessitate medij.

Et ratione probatur Primò, quia ad obtinendam vitam aeternam non tantum est necessaria iustificatio a peccato graui, sed etiam perseuerantia in illa usque ad mortem: ergo sicut Sacramentum Baptismi & Sacramentum Poenitentiae sunt necessaria ad vitam aeternam necessitate medij, quia sunt instituta ad iustificationem a peccato graui; ita etiam Sacramentum Eucharistiae erit necessarium necessitate medij ad vitam aeternam, quia institutum est ad perseuerantiam in iustificatione, seu ut praeferuemur a mortalibus (quibus delinimus perseuerare) ut constat ex Tridentino sess. 13. c. 2.

Secundò probatur, quia Sacramentum Eucharistiae est cibus spiritualis animarum, & ipsis praestatur eisdem effectus quos cibus corporalis corporibus, ut definit Eugenius IV. in suo Decreto fidei: ergo sicut cibus corporalis est necessarius necessitate medij ad vitam corporalem sustentandam, ita Sacramentum Eucharistiae erit necessarium necessitate medij ad sustentandam vitam spiritualem animarum.

Durandus verò in 4. dist. 9. quaest. 2. Suarez disp. 2. Vasquez disput. 169. Aegidius quaest. 73. art. 3. Laymannus c. 5. Adamus Tannerus disp. 5. quaest. 1. dub. 4. & communiter Doctores docent, Sacramentum Eucharistiae nulli esse peculiariter necessarium necessitate medij in re vel in voto sub disiunctione, quod absque dubio docuit

S. Thomas quaest. 65. art. 4. & merito: quia Eucharistia in re vel in voto sub disiunctione, non est necessaria necessitate medij ad iustificationem a peccato graui, neque ad perseuerandum in ea usque ad mortem; ergo in re vel in voto sub disiunctione, non est necessaria necessitate medij ad vitam aeternam. Consequentia patet, quia ad obtinendam vitam aeternam sufficienter iustificatio a peccato graui, & perseuerantia in ea usque ad mortem. Antecedens autem probatur, & in primis, quod non sit necessaria ut medium ad dictam iustificationem: quia ut in re vel in voto sit medium necessarium ad iustificationem, requiritur, quod Eucharistia tam in re quam in voto sit medium vtile ad ipsam iustificationem, & quod haec nequeat obtineri absque Eucharistia in re vel in voto, quia id tantum dicitur medium necessarium in re vel in voto ad aliquid, quod utroque modo est medium vtile ad id, & ad id est vno vel altero modo necessarium, quia id nequeat alio modo obtineri: sed Eucharistia quamuis in voto seu votum Eucharistiae (nempe Baptismus, vel Poenitentia, vel contritio perfecta) sit medium, & necessarium ad iustificationem, tamen in re, seu realiter ipsa susceptio Eucharistiae, non est medium ad illam, saltem tamquam medium per se, quia Eucharistia per se non est instituta ad iustificationem a peccato graui, sed ad augmentum ipsius gratiae iustificantis. Et quamuis gratis admittamus, Eucharistiam in re per accidens iustificare a peccato graui, quia tamen per se non iustificat ab illo, non sufficit ut Eucharistia in re absolute dicatur esse medium ad iustificationem; sufficiens aliàs poenitentia in re vel in voto non esset medium necessarium ad iustificationem a peccato graui post Baptismum commissum, quia praeter ipsam poenitentiam in re vel in voto etiam Eucharistia in re esset medium sufficiens ad illam. Eucharistia ergo in re vel in voto non est medium necessarium ad iustificationem, quia altero modo, nempe in re, non est medium, saltem absolute & per se, ad illam.

Quòd verò Eucharistia in re vel in voto, sub disiunctione, non sit necessaria necessitate medij ad perseuerantiam in iustificatione, probatur, quia in primis non est necessaria in re suscepta: quia quamuis realiter suscepta, sit medium vtile ad perseuerandum, imò sit sufficiens, ita ut perseuerantia eorum, qui de facto perseuerant, & re ipsa susceperunt Eucharistiam, sufficienter attribuat ipse Eucharistiae re ipsa susceptae; tamen non est medium necessarium ad id, quia non est vnicum ad id, ut diximus in principio Difficultatis. Deinde, Eucharistia in voto, quamuis sit medium ad perseuerantiam, saltem adultis, quia saltem his intuitu propositi expressi suscipiendi Eucharistiam, aut intuitu Baptismi suscepti, aut Sacramenti Poenitentiae, aut contritionis (in quorum quolibet votum Eucharistiae virtualiter continetur) tamquam bonorum operum, possit Deus perseuerantiam conferre, & saepe conferat, & quamuis gratis admittamus esse etiam medium paruulis ad perseuerantiam; neutris tamen est medium necessarium ad id, quia neutris est medium vnicum ad id, quia Deus alijs vijs eam confert vtrisque.

Eucharistia ergo neque determinatè in re, neque sub disiunctione, in re vel in voto, est necessaria

Becanus.

Eugen. IV.

Durandus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Aegidius.  
Layman.  
Adamus.

S. Thomas.



cellaria necessitate medij ad vitam æternam. Et quamuis determinatè in voto incluso, seu implicito, vel in Baptismo, vel in pœnitentia, vel in contritione perfectâ (quod respectu paruulorum est latè votum) sit necessaria necessitate medij ad vitam æternam, vt diximus §. 2. non tamen dicitur absolutè necessaria necessitate medij ad vitam æternam, quia necessitas hæc potiùs est præcepti quàm medij, quia tota ea oritur ex pura necessitate præcepti suscipiendi re ipsa Eucharistiam, & est communis omnibus rebus quæ sunt sub præcepto graui.

In eo autem testimonio Ioan. cap. 6. pro aduersarijs adducto, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. non continetur necessitas medij, sed tantùm præcepti, & particula *nisi* non cogit ad necessitatem medij, quia est indifferens ad significandam necessitatem medij, qualis continetur in illis verbis Ioannis cap. 3. *Nisi quis renatus*, &c. & ad significandam necessitatem præcepti, qualis continetur in illis verbis Augustini epistola 54. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, & in illis Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli*, &c. In exemplo verò illo Ioan. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, viuet propter me*, nulla necessitas adhuc præcepti continetur, quia tantùm dicitur, manducantem Christum accipere vitam ob manducationem illius, sicut Christus accipit vitam à Patre: & in hoc tantùm tenet exemplum, non in alijs, neque exemplum debet in omnibus tenere.

Et ad primam rationem concedimus, Eucharistiam institutam esse ad perseverandum in iustificatione, negamus tamen, esse ita necessariam ad perseverantiam, sicut sunt Baptismus & Pœnitentia ad iustificationem: quia perseverantia lege ordinaria haberi potest, & aliquando habetur aliâ viâ, quàm Eucharistia, & voto ipsius; iustificatio verò à peccatis haberi nequit, nisi vel Baptismo, vel Pœnitentia, vel voto Baptismi vel Pœnitentia.

Ad secundam concedimus, Eucharistiam esse cibum spiritualem animarum, & præstare effectus similes illis quos cibus corporalis præstat corpori, quia eas nutrit & sustentat medijs auxilijs ad perseverandum gratiæ ipsius Eucharistiæ annexis, non tamen est necessarius ad vitam spiritualem animarum, eo modo quo cibus ad vitam corporalem corporum, quia vita corporalis nequit alia via conseruari & sustentari; benè tamen vita spiritualis animæ absque Eucharistia, quia potest sustentari & augeri prouidentia ordinaria Dei, non alligata Eucharistiæ, neque voto illius.

## DIFFICULTAS VII.

*Qua die celebrauerit Christus Pascha agni eo anno quo mortuus est.*

Supponimus, in quo Theologi contra quendam Villagagnonem conueniunt, Christum eo anno quo mortuus est, Pascha agni Iudæorum celebrasse, vt manifestè deducitur ex Matth. 26. dum, postquam Discipuli interrogarunt Christum, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* & postquam ille ipsis dixit vbi pararent, subditur, *Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt*

*Pascha: & ex Marci 14. dum dicitur, Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha?* in quibus locis manifestè est sermo de agno Paschali, qui erat necessariò immolandus & comedendus in cœna. Accedit, quod incredibile sit, cærimoniam hanc apud Iudæos adeò celeberrimam, fuisse omisam à Christo, qui nihil quod lege veteri præcipiebatur, quamuis ea non tenebatur, omittebat.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An Christus eo anno, quo mortuus est, celebrauerit Pascha agni die decima quarta Lunæ ad vesperam mensis Martij, quando reliqui Iudæi ex præscripto legis illud celebrabant.

Pro huius tamen difficultatis resolutione obseruandum est, Iudæos distinxisse & computasse menses & annos non iuxta motum Solis, vt nos distinguimus & computamus, sed iuxta motum Lunæ, quia computabant menses à nouilunio in nouilunium, & vnum annum complebant duodecim mensibus lunaribus, quorum quilibet constat aliquando triginta diebus naturalibus, aliquando viginti nouem; vnde fit vt annus lunaris sit minor anno solari diebus vndecim. Sumebant autem initium anni ex mense Nisan, qui ferè Martio nostro solari responder, & incipiebat à nouilunio quod est prope æquinoctium vernale. Et quia motus Solis & motus Lunæ non sibi vniformiter correspondent, idè menses solares ex motibus Solis desumpti, & menses lunares desumpti ex motibus Lunæ, non sibi adæquatè correspondent, ex quo ferè semper contingit, quod primus mensis lunaris Nisan amplectatur partem mensis solaris Martij, & partem mensis solaris Aprilis: & vt notauit Onuphrius Panuinius libro 2. Festorum *Onuphrius.* sub anno 180. contigit, vt anno quo Christus mortuus est, dies decimus quartus Lunæ, seu decimus quartus dies mensis lunaris Nisan, fuerit dies decimus octauus Aprilis solaris.

Circa præsentem ergo difficultatem Euthymius *Euthym.* in cap. 26. Matthæi, & Nicephorus 1. Histor. c. 28. *Niceph.* Epiphanius Hæresi 50. Chrysostomus Homil. 82. *Epiph.* in Ioannem, Theophylactus in cap. 18. Ioannis, & communiter Græci docent, Christum eo anno, quo mortuus est, celebrationem Paschalis agni anticipasse, ita vt ipse illud celebrauerit die decima tertia Lunæ Martij, ceteri verò Iudæi die decima quarta Lunæ, ex lege Exodi 12. præfixa.

Probari autem potest Primò, quia conueniens fuit Christum occidi in ciuitate Ierusalem, & diè decima quarta Lunæ Martij, vt veritas responderet figuræ, quia agnus Paschalis, cuius immolatio erat figura immolationis seu mortis Christi, à toto populo in ciuitate Ierusalem, & diè decima quarta Martij immolabatur. Ergo Christus pridie ante illam diem, in qua populus ex præscripto legis Exodi 12. immolabat & edebat agnum, eum immolauit & edit pridie quàm pateretur.

Secundò, quia Ioannis 18. vbi de Iudæis accusantibus Christum dicitur, *Et ipsi non introierunt in pratorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, supponitur, eo die, quo Christus mortuus est, Iudæos celebraturos Pascha, quia manè illius diei non audebant introire pratorium, vt absque impedimento possent illud celebrare: Christus autem iam pridie celebrauerat Pascha; ergo.

Tertiò,



Tertio, quia Christus Ioannis 19. dicitur mortuus in parasceue Paschæ, ergo ante horam celebrationis factæ à ceteris Iudæis, quia celebratio Paschalis incipiebat ad Solis occasum, & tempus præcedens erat parasceue Paschæ, quia in eodem tempore præcedente præparabantur necessaria ad eam celebrationem, & tamen pridie Christus celebraverat.

Quarto, quia Ioannis 13. dicitur, *Ante diem festum Paschæ*: ea autem quæ ibi facta narrantur, fuerunt facta in ipsa celebratione Paschatis à Christo facta, & paulò post *cenam agni Paschalis*: ergo Christus ante diem festum Paschæ, qui erat lege præfixus, & in quo Iudæi celebrabant, ipse celebravit Pascha.

Latini verò omnes, tam Patres quàm Scholastici, & sacræ Scripturæ interpretes; & ex Græcis Theodoretus q. 24. in Exod. Theophilus Alexandrinus in Epist. ad Theodof. & Victor Antioch. in illud Marc. 14. *Prima autem die azymorum*, docent, Christum non anticipasse celebrationem Paschæ agni, sed illud celebrasse decima quarta die Lunæ Martij ad vesperam, præscripta pro omnibus ex lege Exodi 12.

Sententia hæc aded expressa est in Euangelio, vt Græcorum sententia meritò à Latinis erroris insimuletur, quia Matth. 26. dicitur: *Prima autem die azymorum acceperunt Discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi manducare Pascha?* & Marc. 14. *Primo autem die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quò vis eamus, & paremus*, &c. & Lucæ 22. *Veni dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha.* vbi verbum *venit* est præteriti temporis. Ex his autem testimonijs constat, Christum celebrasse Pascha agni die ex lege præfixo, quando omnes Iudæi de more celebrabant, tum quia Marcus de die illa ait, *quando Pascha immolabant*, & Lucas, *in quo necesse erat occidi Pascha*; dies autem præfixa ex lege Exodi 12. ad celebrationem Paschæ agni eum imitando & comedendo erat decima quarta ad vesperam; tum etiam, quia in dictis testimonijs supponitur, Christum Pascha agni celebrasse prima die azymorum; dies autem azymorum quasi Ecclesiastici incipiebant à decima quarta die Lunæ à Solis occasu, & in eadem die ad vesperam illius, seu ad Solis occasum, omnes Iudæi ex lege Pascha agni celebrabant, id est immolabant agnum, & eum comedebant.

Omittimus responsionem recentiorum Græcorum, dicentium, tres dictos Euangelistas errasse, quia impudentissima est; & responsiones aliorum, quamuis modestas, quia friuolæ sunt, & videri possunt apud Vasquez disp. 172. c. 2. & apud Egidius q. 74. art. 4. dub. 1.

Ad primum ergo fundamentum Græcorum respondemus, quòd quamuis Christus non fuerit occisus eadem die & hora, qua agnus Paschalis immolari consueverat, tamen veritas sufficienter respondit figuræ, qua ei respondit quoad substantiam, nempe quoad occisionem, quia Christus fuit cruentè immolatus, quia hæc erat quæ immolatione agni figurabatur; & necessarium non fuit quòd illi responderet quoad circumstantiam diei & horæ, imò fuit maximè conueniens, vt tunc ipse Christus obseruando legem immolationis agni figuraret, quòd paulò post in se ipso vero Agno futurum erat.

Ad secundum, desumptum ex illo Ioan. 18. *Et ipsi non introierunt in pratorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, respondemus, ibi nomine Paschatis non intelligi agnum Paschalem quem iam comederant, & multò minùs panes azymos, qui numquam in Scriptura dicti fuerunt Pascha, sed intelligi alias victimas, quæ illis septem diebus azymorum immolabatur, & dicebantur Pascha, & eis non poterant vesci nisi mundi. Et in primis, quòd in illis septem diebus plures aliæ victimæ immolari consueuerint, deducitur ex Deuter. 16. & ex 2. Paralip. 30. & 35. & ex libro 3. Esdræ cap. 1. qui quamuis apocryphus sit, tamen quantum ad hoc non est modicæ auctoritatis: & quòd dictæ victimæ comedi potuerint ab omnibus qui mundi essent, constat ex Leuit. 7. & ex Deuter. 12. Et quamuis in his locis tantum videatur esse sermo de victimis immolandis in die pasche, id est decima quarta Lunæ ad vesperam, seu ad Solis occasum, creditur tamen quòd idem fiebat in omnibus septem diebus sequentibus, vt affirmat Augustinus lib. 5. Quæst. vet. Testamenti, quæst. 24. & quòd dictæ victimæ dictæ fuerint pasche, seu Pascha, constat ex Deuter. 16. & ex 2. Paralipom. 30. & 35. De his ergo victimis, quæ etiam dicebantur Pascha, intelligitur prædictum testimonium Ioan. 18. quas vt Iudæi comedere possent, noluerunt in pratorium introire.

Ad tertium, desumptum ex Ioannis 19. vbi Christus dicitur mortuus in parasceue Paschæ, respondemus, Ioannem per parasceuen Paschæ non intellexisse diem proximè præcedentem ad Pascha agni, neque ad solemnitatem azymorum quæ etiam dicebatur Pascha, vt cõstat ex Luc. 22. sed intellexisse diem proximè præcedentem ad sabbatum (quod Marcus 15. declarauit, dum loquens de morte Christi ait, *Erat autem parasceue, quod est ante sabbatum*) quia parasceue ex vsu ipso significat præparationem ciborum ad manducandum die sequenti, vt notauit Augustinus Tract. 17. in Ioannè, & in sabbato non licebat Iudæis cibum præparare, vt constat Exodi 12. & 15. & 35. licebat verò in paruo illo tempore Paschatis agni, & in diebus azymorum sequentibus; & ideo pro sabbato pridie ante ipsum præparabatur cibi ad manducandum in sabbato ipso, & non pro Paschate agni, neque pro diebus azymorum. Dicitur autem à Ioanne dies illa proximè præcedens ad sabbatum parasceue Paschæ, quia dies illa, quæ erat parasceue ad sabbatum, etiam erat Pascha, quia erat prima dies solemnis azymorum, quæ etiam dicebatur Pascha.

Sed obijcit Maldonatus in illud Matth. 26. *Sci- Maldon. tis quia post biduum*, Si dies S. Ioannis Baptiste contingeret in die immediata ante diem Corporis Christi, ineptè appellarem diem ipsum Ioannis, Vigiliam Ioannis; ergo ex eo quòd dies Paschæ azymorù esset parasceue sabbati, ineptè appellaretur parasceue Pasche. Respondemus concedendo Antecedens, & negado Consequentiam, ob manifestum discrimen, quia Vigilia est communis festo Ioannis & alijs festis, ob quod, eo ipso quòd dicimus Vigiliam S. Ioannis aut alterius Sancti intelligimus diem quæ præcedit festum illius Sancti: parasceue verò non erat communis pluribus festis, sed tantum erat ad sabbatum vltimum diem hebdomadæ, in quo solo non licebat cibos præparare: & ob id quando dicebatur parasceue Paschæ,

non



non denotabatur dies præcedens ad Pascha, sed denotabatur, diem illam, quæ erat parasceue ad sabbatum, incidere in diem ipsum Paschæ.

Ad quartum, desumptum ex illo Ioannis 13. *Ante diem festum Paschæ*, respondemus, Ioannem per diem festum Paschæ non intelligere totum diem festiuium, & quasi Ecclesiasticum, seu totam festiuitatem diei primi azymorum, quæ intrinsecè seu inclusiuè incipiebat ab occasu Solis diei decimæ quartæ, & durabat vsque ad occasum Solis diei decimæ quintæ exclusiuè: sed intelligere diem ipsam decimam quintam vsualem, seu naturalem, quæ incipiebat à prima luce, vel à media nocte ipsius diei decimæ quintæ (ob quod non dicitur *ante festum Paschæ*, quod intrinsecè incipiebat ab occasu Solis diei decimæ quartæ, sed dicitur, *ante diem festum Paschæ*) ante quam diem decimam quintam festiuam vsualem seu naturalem Christus immolauit agnum Paschalem, & illum comedit, & lauit pedes Discipulorum, & eis prædicauit, & fecit alia quæ ibi facta narrantur, quia ea omnia fecit à tempore proximo occasui Solis diei decimæ quartæ vsque ad aliquam partem non paruum noctis, sed ante mediam noctem, & ideò optimè dixit ea omnia fecisse ante diem festum Paschæ, nempe vsualem seu naturalem.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum Iudæi eo anno, quo Christus mortuus est, celebrauerint Pascha agni die decima quarta Lunæ ad vesperam, quando Christus celebrauit.*

Burgens.  
Lyranus.  
Gagneius.

**B** Vrgensis in Addit. ad cap. 26. Matth. Lyranus in illa verba Matth. 26. *Erat autem prima dies azymorum.* & Gagneius in dicta verba Matth. 26. & in illud Ioan. 18. *Non introierunt in prætorium,* Claudius in eundem locum Ioannis, Iansenius in Concordia Euangel. cap. 128. in eadem verba Ioannis, Catherinus. lib. 2. contra Caietã. & Maldon. in illud Matth. 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet,* docent, Iudæos eo anno mortis Christi celebrasse Pascha agni, non die decima quarta Lunæ ad vesperam ex lege Dei præscripta, qua Christus illud celebrauit, sed die decima quinta sequenti ad vesperam ex dispensatione seu permissione Dei.

Auctores ergo huius sententiæ conueniunt cum Græcis, in eo, quod existiment, Christum & Iudæos non celebrasse Pascha agni eadem die; differunt tamen ab illis, quia Græci existimant Christum die decima tertia ante diem lege præscriptam Pascha celebrasse, & Iudæos die decima quarta præscripta ex lege: Auctores verò istius sententiæ existimant, Christum ipsa die decima quarta præfixa ex lege, Iudæos verò die decima quinta sequenti ex dispensatione celebrasse; quia credunt, à tempore Esdræ permissum fuisse Iudæis, ut quoties in aliquo anno dies decima quarta Lunæ contingeret in Feria quinta, tunc celebratio Paschæ agni transferri posset in Feriam sextam, ut prima dies vsualis azymorum, quæ erat festiua, & proximè sequebatur post initium celebrationis Paschæ agni, & ob id tunc temporis futura erat in Feria sexta, transferretur in sabbatum, ne obseruaretur in Feria sexta pridie ante sabbatum, quod etiam

erat festiuum: quia molestum erat populo duo festa immediatè obseruare, quia in festis nullum opus seruile, adhuc ad parandos cibos, fieri poterat: & eo anno, quo Christus mortuus est, dies decima quarta Lunæ contigit in Feria quinta.

Quod ergo eo anno, quo Christus mortuus est, ipse celebrauerit Pascha agni die decima quarta Lunæ, & Iudæi dicta dispensatione vtentes, celebrauerint die decima quinta sequenti, probari potest Primò testimoniis Ioan. 13. 18. & 19. Difficultate præcedenti pro sententia Græcorum adductis, quibus denotari videtur, Christum prius quàm Iudæos Pascha agni celebrasse.

Secundò, quia Ioan. 19. de sabbato, ante quod proximè Christus mortuus est, dicitur, *Erat enim magnus ille dies sabbati*, id est, sanctior & solemnior aliis sabbatis: in eo autem sabbato nulla alia maior solemnitas esse potuit, nisi quia in eo etiam contigit & occurrit solemnitas primæ diei azymorum ex dicta dispensatione translata, ergo anno illo Iudæi primam diem vsualem seu naturalem azymorum in sabbato celebrarunt, & Feria sexta ad vesperam, seu ad Solis occasum, Pascha agni celebrauerant, Christus autem illud celebrauit Feria quinta ad vesperam; ergo.

Tertiò, quia si Iudæi Feria quinta celebrassent Pascha agni, Christum affixissent cruci prima die vsuali seu naturali azymorum, quia affixus fuit Feria sexta immediatè sequenti. credi autem non potest, Iudæos id in die festo fecisse.

Quartò, quia Christus Ioan. 13. Iudæ cum ipso cœnanti dixit, *Quod facis, fac citius;* quibus verbis discipuli intellexerunt, Christum illi significare voluisse, ut emeret ea quæ ad diem festum necessaria erant, ut constat ex sequentibus verbis; ergo restabat Pascha celebrandum ab aliquibus quibus ea erant necessaria, sed non à Christo, quia id dixit in cœna, postquam Pascha agni celebrauerat, ergo à ceteris Iudæis.

Quintò, quia si Iudæi Pascha agni celebrassent Feria quinta, sicut Christus celebrauit, & dies proximè sequens, in qua Christus mortuus est, fuisset omnibus prima dies vsualis azymorum, Iosèph non potuisset Christum de cruce deponere & sepelire, quia id prohibitum erat in die festo; neque Simon potuisset pro Christo crucem portare, quia erat opus seruile.

Sextò, quia Christus Matthæi 26. loquens de tempore Paschæ agni, in quo ab ipso celebrandum erat, dixit, *Tempus meum prope est,* & tamen non diceret *tempus meum*, si illud etiam esset commune omnibus Iudæis ad Pascha agni celebrandum.

S. Thomas verò, Caietanus & recentiores Thomistæ 3. p. quæst. 46. ar. 9. Alexander 4. parte, q. 10. m. 4. art. 1. Bonauentura in 4. dist. 11. art. 2. q. 1. Vasquez disp. 172. Egidius quæst. 74. art. 4. dubio 1. & communiter Scholastici docent, & meritò, Christum & Iudæos eadem die decima quarta Lunæ ad vesperam præfixa ex lege Exodi 12. Pascha agni celebrasse, quod exprimunt Ambrosius Epist. 83. & Augustinus Epist. 86.

Id autem significatur in Scriptura, Primò illis verbis Matth. 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet,* vbi illud, *Pascha fiet*, de Paschate ab omnibus celebrando intelligitur, quia absolutè & absque vlla limitatione dicitur; Christus autem post biduum celebrauit Pascha, ergo & ceteri Iudæi.

Secundò

S. Thomas.  
Caietanus.  
Alexand.  
Bonauent.  
Vasquez.  
Egidius.



Secundò idem significatur illis verbis Marc. 14. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha?* Ergo eo primo die Christus immolauit, & Iudæi immolarunt, aliàs non absolute diceretur, *quando Pascha immolabant.*

Tertiò significatur Lucæ 22. illis verbis, *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* vbi particula illa *necesse* ita absolute prolata comprehendit omnes, & excludit generalem permissionem oppositi; ergo Christus & reliqui Iudæi die decima quarta Lunæ secundum legem præfixa ex ipsius legis obligatione Pascha immolarunt, quæ eo anno contigit in Feria quinta: vnde supradicta dispensatio & permissio translationis commentitia est. Et quidem si esset ea permissio, illius mentionem fecissent Iosephus & Philo diligentissimi carimoniarum & legum illius populi obseruatores, & non fecerunt; neque ea permissione vitaretur obseruatio duorum festorum immediatorum, quæ secundum aduersarios vitari intendebatur in casu dictæ permissionis; quia septima dies azymorum, quæ etiam erat festiua sicut prima, contingeret in sexta Feria, ac proinde duo festa immediata ab ipsis obseruarentur.

Ad primum ergo fundamentum aduersariorum, desumptum ex illis tribus testimonijs Ioannis, constat ex Difficultate præcedenti, quomodo nobis non aduersatur.

Ad secundum, desumptum ex illo Ioann. *Erat enim magnus ille dies sabbati*, respondemus, in eo sermonem esse de sabbato, non peculiariter de illo ante quod Christus proximè fuit mortuus, quasi illud habuerit aliquid peculiare, ratione cuius esset sanctius alijs sabbatis, & ratione cuius necessarium fuerit aut conueniens in eo peculiariter non manere corpora in cruce absque sepultura; sed de sabbato secundum se, & quasi in communi, quod dicebatur magnum, quia inter omnia festa erat principalius, & ideò in eo non licebat adhuc cibos parare, imò neque ignem accendere, ac proinde Relatiuum *ille*, quando dicitur, *erat enim magnus ille dies sabbati*, non refert sabbatum illud peculiare in cuius parasceue mortuus fuit Christus, sed sabbatum secundum se, & quasi in communi Iudæorum, quod iam, quando Ioannes scripsit, erat apud Christianos antiquatum & præteritum; & ad hanc antiquationem & præteritionem significandam vitur Ioannes Relatiuum *ille*, quo rem iam præteritam significare solemus. Quòd autem Ioannes non loquatur de sabbato illo particulari, sed de sabbato secundum se, & quasi in communi, deducitur ex contextu, quia dicitur: *Judæi ergo (quoniam parasceue erat) ut non remaneret in cruce corpora sabbato (erat enim magnus ille dies sabbati) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* vbi immediate antequam dicatur, *erat enim magnus ille dies sabbati*, dictum fuerat, *quoniam parasceue erat, ut non remaneret in cruce corpora sabbato.* Ergo cum in his posterioribus verbis sermo sit tam de parasceue quàm de sabbato quasi in communi, etiam erit sermo de sabbato quasi in communi, quando immediate subditur, *erat enim magnus ille dies sabbati.* Iudæi ergo rogauerunt Pilatum, ut frangerentur crura Christi & latronum, ut citò morerentur, ut ita possent deponi de cruce, & sepeliri ante Solis occasum, à quo solemnitas sabbati

inclusiue in cipiabat; quia ex vna parte corpora damnatorum eadem die debebant tolli de cruce & sepeliri, ut constat ex Deuteron. 21. & ex altera parte, quamuis non esset prohibitum, erat tamen indecens id efficere in solemnitate sabbati, & ideò conuenientissimum erat id præuenire.

Ad tertium respondemus, Christum affixum fuisse cruci die prima vsuali seu naturali azymorum, quæ erat solemnis & festiua, id tamen factum fuit, vel quia in die festo distincto à sabbato id procurare accusando, & ius dicendo, imò exequendo, non erat lege prohibitum Iudæis, ut quibusdam placet, quia id neque erat specialiter prohibitum in Scriptura, neque generaliter, quia id non erat opus seruale, quod deducitur ex illo Matth. 26. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo,* vbi pro causa non redditur prohibitio, sed ne populus in die festo intra ciuitatem existens tumultu excitato pugnaret pro Christo, ut eum à morte liberaret: vel si Iudæis id erat prohibitum, ut alijs placet, ipsi tamen decepti, existimarunt pro eo casu se obligari, & ipsis licere Christum comprehendere & occidere, quia ipsum iudicabant valde seditiosum, & perturbatorem Reipublicæ.

Ad quartum respondemus, discipulos illis verbis dictis Iudæ, *Quod facis, fac citius*, non potuisse intelligere ut Iudas emeret quæ necessaria erant ad Pascha agni celebrandum: quia non ad celebritatem ab alijs Iudæis faciendam, quia non constat Iudam curam habuisse de alijs nisi de Christo & de eius collegio, neque faciendam à Christo & à collegio ipsius, quia iam ipsi Pascha agni celebrauerant. Intellexerunt ergo Christum dixisse Iudæ, ut emeret necessaria ad diem primam vsualem azymorum, quæ etiam dicebatur Pascha, quia festiua erat, & ideò dicitur discipulos putasse Christum dixisse Iudæ, ut emeret necessaria ad diem festum (de quo in principio capitis dixit, *Ante diem festum Paschæ*) & non dixit *ante festum Paschæ*, quod incipiebat die decima quarta Lunæ à Solis occasu inclusiue, ut expendimus in Difficultate præcedenti, in solutione ad quartum.

Ad quintum respondemus, in die festo adhuc sabbati non fuisse prohibita opera misericordiæ, vt indicatur Matthæi 12. Marc. 6. Lucæ 6. & 13. & Ioan. 7. vbi Christus contendebat, licitum esse in die sabbati curare & benefacere, vnde licitum erat corpora sepelire, vt specialiter indicatur Tob. 2. & ita Ioseph & mulieres potuerunt Christum prima die azymorum sepelire: imò mulieres potuerunt ipsum vngere, si iam emissent aromata; quia tamen non emerant, ideò expectato sabbato, in quo non vendebantur, postea emerunt, vt exprimitur Marci 16. illis verbis, *Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* Vnde id quod Lucæ 23. dicitur, *Et reuerentes (à sepulchro videlicet, die parasceues sub finem) parauerunt aromata, & unguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum,* intelligitur per figuram præoccupationis, secundum quam prius narratur quod non fuit prius factum, quia prius reuertentes, secundum mandatum siluerunt die sabbati, & postea parauerunt aromata, vt Marcus exprimit. Et quod attinet ad opus Simonis portantis crucem, excusari potest in ipso, quia fuit coactus à ministris Pilati, qui gentiles erant, quia aliter non poterant executionem mortis sibi demandam perficere;



perficere; quod significat verbum *angariare*, quod Græcum est, & à vulgato interprete Latinizatum, quia significat conducere vi compellendo, & adigendo.

Ad sextum respondemus, Christum tempus non tam Paschæ agni, quàm Paschæ azymorum appellasse suum, non ob rationem aduersariorum, sed quia in eo passurus erat pro salute hominum, quod vehementer desiderabat, vt significatur Luc. 12. illis verbis, *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?*

Quòd si adhuc contra nostram sententiam obijcias Primò, quòd eo anno, quo Christus mortuus est, Festum Pentecostes incidit in diem Dominicam immediatè sequentem post sabbatum, ergo eo anno prima dies vsualis azymorum translata fuit in sabbatum septimam diem hebdomadæ post Feriam sextam, in qua Christus crucifixus fuit. Consequentia patet, quia festum Pentecostes celebrandum erat die quinquagesima ab ea die in qua offerebantur manipuli segetum: quia, vt constat ex Leuit. 23. offerebantur altera die immediatè post sabbatum, id est, post primam diem vsualem azymorum, quæ quia erat festiua, etiam dicebatur sabbatum, Leuit. 23. Ergo eo anno dies altera seu secunda azymorum incidit in diem Dominicam, quia festum Pentecostes incidebat in similitè diem, in quam incidebat dies secunda azymorum, quæ erat dies oblationis manipulorum, quia à die in qua offerebantur manipuli, vsque ad festum Pentecostes, computandæ erant septem hebdomadæ integræ; & altera die post septimam hebdomadam completam, celebrandū erat festum Pentecostes, vt constat ex Leuit. 23. Respondemus, cõcedendo, eo anno festum Pentecostes incidisse in diem Dominicam; negamus tamen, diem primam vsualem seu naturalem azymorum incidisse in sabbatum, & diem secundam azymorum (in qua offerebantur manipuli) incidisse in diem Dominicam: quia quando Leuit. 23. dicitur, à die oblationis manipulorum computandos esse quinquaginta dies, seu septem hebdomadas & vnum diem, vt in hoc die, qui erat quinquagesimus à die oblationis manipulorum, celebraretur festum Pentecostes, intelligebatur ab illa die oblationis manipulorū exclusiue, id est, ea die non computata, seu post illam.

Quòd si secundò obijcias, Eodem die quo manipuli offerebantur, metendi & colligendi erant, vt deducitur ex Deuteron. 16. ergo eo anno quo Christus mortuus est, necessarium fuit primam diem azymorū transferre ad sabbatum septimam diem hebdomadæ, vt in sequenti possent manipuli meti & colligi, quia in sabbato septima die hebdomadæ non licebat; Respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentia: & ad eius probationem negamus, non licuisse in sabbato septima die hebdomadæ manipulos offerendos metere & colligere, quia offerendi erant in cultum Dei, sicut etiam in die sabbati licitum erat animalia sacrificanda occidere, quia opera in cultū Dei cedentia non intelligebantur prohibita, sicut neque opera misericordiarum.

Ex dictis deduci potest, per sabbatū secundum primum (in quo Lucas cap. 6. dixit discipulos Christi spicas vellere, & eas manu confringere ad manducandum, & ob id fuisse à Iudæis reprehensos, quia id in sabbato facerent) intelligi sabbatum quod est septima dies hebdomadæ primæ è

septem hebdomadis, quæ computabantur à die oblationis manipulorum exclusiue vsque ad Pentecosten; quod ideò dicebatur sabbatum secundum, quia necessariò supponebat diem primam azymorum, quæ etiam dicebatur sabbatum, quia festiua erat, & etiam dicebatur primum, quia sabbatum illud erat primum sabbatum è septem sabbatis contentis in illis septem hebdomadis. In hoc ergo primo sabbato, quod necessariò supponebat primam diem azymorum festiuam, ob quod etiam dicebatur secundum, discipuli colligebant spicas, & eas manibus fricabant, & reprehensi fuerunt à Iudæis, quia in sabbato septima die hebdomadæ non licebat grana illa ad manducandum preparare; sed excusati fuerunt à Christo, non quia ex se non esset prohibitum, sed ratione vrgentis & instantis necessitatis, qua discipuli premebantur: quod Christus confirmauit exemplo Dauidis, qui vrgente & instante necessitate panes propositionis comedit, quibus aliàs non licebat laicis vesci; quo Christus supposuit, illud ex se & ex suo obiecto prohibitum fuisse. Et ex hoc constat, sabbatum illud fuisse septimam diem hebdomadæ, quia in alijs festis, seu sabbatis, quæ non erant septima dies hebdomadæ, non erat prohibitum cibos ad manducandum preparare.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum Christus & reliqui Iudæi Pascha agni celebrauerint in priori an in posteriori vespera diei decimæ quartæ Lunæ.*

**Q**uia ex Exodi cap. 12. constat, Pascha agni celebrandum fuisse die decimaquarta Lunæ ad vesperam, & ex Leuit. cap. 23. deducitur, festiuitates Iudæorum, seu dies festiuos, & quasi Ecclesiasticos, incipere inclusiue à vespera vnius diei vsualis, & in vespera alterius sequentis diei vsualis exclusiue terminari; & ideò orta est difficultas, Ad quam vesperam ex his duabus Christus & reliqui Iudæi Pascha agni celebrauerint.

Oleaster in cap. 23. Leuitici, & Stella in cap. 12. *Oleaster.* Lucæ, Ludouicus Legionensis in Opusculo de *Stella.* Vtriusque agni, typici atque veri, immolatione, *Lud. Leg.* Montoya in libro Annot. in Canonem Missæ, & Montoya. Scaliger lib. 5. de Emendatione temporū, fol. 351. *Scaliger.* docent, Christum & reliquos Iudæos Pascha agni celebrasse in priori vespera diei decimæ quartæ Lunæ, id est die decima tertia vsuali desinente.

Quod probari potest Primò, quia in sacra Scriptura vespera alicuius diei, præsertim festiui, non est finis illius diei, sed initium; quia dies festiuus apud Hebræos à vespera diei vsualis antecedentis incipiebat inclusiue, & tota luce sequentis diei vsualis ante Solis occasum finiebatur; sed Pascha agni iuxta præscriptum legis celebrandum erat die decimaquarta Lunæ ad vesperam; ergo in priori vespera illius diei ad finem diei decimæ tertie vsualis, Christus & ceteri Iudæi Pascha agni celeberrunt, & non in posteriori, quia hæc iam pertinebat ad diem decimam quintam, (quæ erat prima azymorum) tamquam initium illius, quam computationem videntur desumpsisse Hebræi ex illo Genes. 1. *Et factus est vespere & mane dies vnus.* vbi pro fine diei ponitur mane, quod sequitur post vesperam.



Secundò, quia eadem die & hora celebrandum erat ex lege Pascha agni à Christo & à Iudæis, quia ab eorum parentibus agnus fuerat primò in Ægypto immolatus & esus, quia solemnitas hæc instituta fuit in memoriam beneficij, quod patres eorum acceperunt; sed à parentibus eorum in Ægypto agnus fuit immolatus ad initium diei decimaquartæ, non ad finem; ergo eadem die & hora immolatus fuit à Christo & à ceteris Iudæis. Consequentia patet, & etiam Maior. Minor verò, in qua est tota difficultas, nempe à parentibus eorum in Ægypto agnum fuisse primò immolatum ad initium diei decimaquartæ, seu ad priorem vesperam illius, & ad Solis occasum diei decimatertie vsualis, probatur Primò ex Iosepho, qui lib. 2. Antiquitatum cap. 5. aliàs 13. in fine loquens de celebrata Paschatis, ait: *Illucescente die decimaquarta, omnes ad exitum animati sacrificabant: illucescere autem diem decimaquartam, id est quod ad initium. Secundò probatur quia Hebræi egressi sunt de Ægypto, quando egressi sunt de Ramesse, iuxta illud Exod. 22. Profecti sunt filij Israel de Ramesse in Socoth. de Ramesse autem egressi sunt noctu, desinente decimaquarta die, & inchoante decimaquinta; ergo in ea nocte non potuerunt agnum immolare, & illum comedere, sed ad initium præcedentis noctis. Et in primis filios Israel noctu egressos fuisse de Ramesse, seu de Ægypto, dicitur Exod. 12. illis verbis: *Nox ista est observabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti: egressos autem fuisse ad initium noctis, dicitur Deuter. 16. Immolabis Phasæ vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto. Et quidem noctem istam, seu vesperam, fuisse initium diei decimaquintæ, deduci videtur ex Num. 33. dum dicitur: *Profecti sunt de Ramesse mense primo, decima quinta die mensis primi. Ex his autem colligi videtur, Iudæos non celebrasse Phasæ in eadem nocte in qua egressi sunt de Ægypto, sed in præcedenti, ad initium quasi Ecclesiasticum diei decimaquartæ, ut expressum videtur Num. 33. dum dicitur: *Profecti de Ramesse in mense primo in decima quinta die mensis primi fecerunt altera die Phasæ filij Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitis, quos percusserrat Dominus. Quod etiam iuadent res ipsæ gestæ ab immolatione agni vsque ad egressum de Ægypto, quia post immolationem agni tota illa nocte intra domos suas manserunt, vsque ad ortum diei sequentis, ut constat Exod. 12. & postea, orta iam luce, cœperunt omnes Hebræi ex omnibus vicis, in quibus habitabant, cōgregari in ciuitate Ramesse, ut inde omnes simul egredierentur, iuxta illud Exod. 12. *Profecti sunt omnes de Ramesse, quia credi non potest, tantam Hebræorum multitudinem in ciuitate Ramesse habitare. Ad hoc autem quod omnes congregarentur, necessarius fuit vnus integer dies. Cui accedit, quod filij Israel petierunt ab Ægyptijs vasa & vestes commodatas, quod fieri non potuit tempore noctis post immolationem agni. Ergo post immolationem manserunt apud Ægyptios tota luce diei sequentis, in qua congregati sunt in Ramesse, & petierunt ab Ægyptijs vasa & vestes; ergo filij Israel immolarunt agnum ad initium diei decimaquartæ quasi Ecclesiasticæ, & egressi sunt die decima quarta ad finem, & ad initium quasi Ecclesiasticum die decimaquinta.*****

Tertio, quia aliàs Christus crucifixus fuisse

prima die azymorum, quod videtur falsum, tum quia erat festiua & solemnitas, tum etiam quia veritas non ita bene responderet figuræ, ac si Christus crucifixus fuisset die decimaquarta vsuali; quia sic crucifigeretur seu immolaretur eadem die Ecclesiastica, quia agnus typicus immolabatur, quamuis non in eadem hora, quia agnus typicus immolabatur die decimaquarta Ecclesiastica ad initium, & Christus eadem die Ecclesiastica aliquot paucis horis ante finem illius.

Sebastianus verò Perez Episcopus Oxoniensis 3. parte, quæst. 73. art. 1. Ægidius quæst. 74. art. 4. dub. 1. Suarez disp. 41. sect. 1. Valquez disp. 172. cap. 6. Ribera lib. 5. de Temp. cap. 3. Pereira in cap. 13. Ioannis, disp. 6. docent, & merito; Christum & reliquos Iudæos Pascha agni secundum legem celebrasse ad posteriorem vesperam, seu ad finem diei decimaquintæ vsualis, ad initium diei decimaquartæ festiua, & quasi Ecclesiasticæ.

Id autem probatur Primò, quia Exodi cap. 12. dicitur de agno Paschali: *Immolabit eum vnuerſa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Per vesperam autem Interpretes communiter intelligunt finem diei, & posteriorem vesperam, & merito: quia nomen vespera communi Gentium sensu & vsu sumitur pro fine diei seu lucis, præsertim quando dicitur, hoc aut illo die ad vesperam fieri aliquid; v. g. Sabbato ad vesperam fecimus hoc aut illud: & etiam quando in Scriptura dicitur ad vesperam alicuius diei, numquam significatur prior, sed posterior vespera finis lucis diei, ut quando Genes. 30. dicitur, *redeunt ad vesperam de agro, ut patet; & quando Exodi cap. 18. dicitur Moysen sedisse à manè vsque ad vesperam, ut etiam patet; & quando Exodi cap. 12. dicitur, vsque ad diem vigesimam primam mensis eiusdem ad vesperam; etiam per vesperam intelligitur posterior, quia septima dies azymorum, quæ erat hæc vigesima prima, clauderebat totam lucem diei vigesima primæ ad Solis vsque occasum exclusiue. Quibus accedit Iosephus, qui lib. 3. Antiquit. cap. 1. sic ait: *Mense primo, qui à nostris dicitur Nisan, & à quo annus incipit, & Luna decimaquarta Sole arietem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca seruitute liberati sumus, sacrificium, quod tunc exeuntes fecisse diximus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lege iubemur, celebramusque id per sodalitia, nihil è victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est decimaquinta, & azymorum festiuitas prima. Ex his ergo constat, diem vsualem proximè sequentem, & succedentem immolationi agni, esse decimam quintam, quæ erat prima azymorum.***

Quòd si respondeas, testimonio Iosephi diem decimam quintam appellari à Iosepho sequentem, & succedentem immolationi agni, non ipsi horæ immolationis, sed toti diei decimaquartæ quasi Ecclesiasticæ, claudenti Solis occasum diei decimatertie vsualis, & totam lucem diei decimaquartæ vsualis vsque ad Solis occasum exclusiue; contra hanc responsionem est, quia quod Iosephus dixit, *Nihil è victimis in sequentem diem relinquentes*, Moyses Exodi 12. dixerat, *nec remanebit ex eo quidquam vsque manè. Pro manè autem intelligitur lux quæ nocti proximè succedit. Cùm ergo immolatio agni inchoari deberet ad Solis occasum, id quod Deus præcipiebat, erat, ut nihil agni maneret vsque ad manè, seu vsque ad lucem sequen-*



tis diei vsualis, ergo istud manè pertinebat ad decimam quintam diè vsualem, d quam vsque Iosephus dixerat nihil esse relinquendum; ergo vespera præcedens, ad quam agnus erat immolandus, erat posterior diei decimæ quartæ vsualis, consistens in Solis occasu, terminante lucem diei decimæ quartæ.

Secundò idem probatur ex diè & hora in qua filij Israel eo anno, quo egressi sunt de Ægypto, immolarunt agnum: quia in illa eadem posteri eorum immolare debebant ex Dei præcepto, iuxta illud Exodi 12. *Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum*, &c. Filios autem Israel, qui egressi sunt de Ægypto, agnum immolasse ad finem diei decimæ quartæ, constat ex Scriptura, quia ex vna parte Numer. 33. dicitur illos egressos fuisse diè decimæ quintæ, altera diè post Phasè, vbi per *Phasè* nõ intelliguntur alia sacrificia Paschalia, quæ etiã Phasè dicebantur, sed tantum immolari agni, vt cõstat ex intento Moylis in eo loco, quia in eo tantum intendit narrare tempus egressionis de Ægypto, & circumstantias illius; vna autè & antecedens fuit immolatio agni: & ex altera parte filij Israel exierunt de Ægypto manè illo, quod immediatè successit vesperi & nocti in qua agnus immolatus & esus fuit, quia illi exierunt tempore pertinente ad decimam quintam diem. Quòd verò exierint prædicto manè, apertè deducitur Exodi 12. quia postquam Moyles præcepit filijs Israel, vt immolarent Pascha diè decimæ quartæ ad vesperam, assignans illis modum comedendi Pascha, ait, *Et edent carnes nocte illa assus igni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus*. vbi absque dubio per noctem illam intelligit noctem diei decimæ quartæ, terminantem lucem ipsius diei decimæ quartæ. & subdit, *Transibo per terram Ægypti nocte illa*: & inferiùs subditur fecisse filios Israel, quod eis præceperat Dominus, nempe celebrasse Phasè ritu illis præscripto. Et infra: *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*. vbi absq; dubio sermo est de eadem nocte. Et tandem, vt in eodem capite dicitur, cum Ægyptij viderent totam primogenitorum necem, surrexerunt ex lectis, & urgebant & compellebant Iudæos, vt velociter de Ægypto exirent, ne etiam ipsi interficerentur. Credi autem non potest, Pharaonem & Ægyptios expectasse tota diè sequenti, vt Iudæi se ad iter præpararent, cum Pharao & reliqui Ægyptij media nocte surrexerint, vt illos exire compellerent: & id ex eo maximè conijcitur, quòd Iudæi ad eò festinanter compellebantur exire, vt non potuerint consperionem farinae fermentare, & aliquid pulmenti facere, vt se præpararent ad iter, & ideò coacti fuerunt panibus azymis & subcinericijs in itinere vesci: in cuius memoriam immediatè post Pascha agni instituti sunt dies septem azymorum, quod etiam apertè tradit Iosephus lib. 2. Antiquitatum cap. 5.

Tertiò probatur ex tempore quo Christus celebravit Pascha agni, & quo mortuus est: quia mortuus fuit prima diè azymorum, quæ erat festiua, & ad vesperam immediatè antecedentem celebravit Pascha. Ergo illud celebravit diè decimæ quartæ Lunæ ad posteriorem vesperam, quia diè prima azymorum contingebat in diè decimæ quintæ Lunæ. Quòd verò Christus mortuus fuerit prima diè azymorum, expresse tradunt Ambrosius.

Iosephus in cap. 23. Leuitici, Iosephus. Beda lib. de Ratione temporis, cap. 46. Innocentius III. lib. 4. de Sacro altaris mysterio, cap. 4. & plures alij Patres, & Scripturæ Interpretes, qui omnes absque dubio loquuntur, computando diem primam azymorum eodem modo quo Hebræi, & secundum phrasim Scripturæ, quia loquantur proprijs terminis Hebræorum & Scripturæ. Et id confirmatur ex eo quòd tradit Dionysius Areopagita in Epistola ad Polycarpum, Christus mortuus est in ipso plenilunio; quod non potuit contingere, nisi in diè decimæ quintæ Lunæ, vt expendit Pereira vbi supra; & testantur Astrologi periti.

Quartò probatur, quia ex sententia aduersariorum sequitur, Christum in fermentato consecrasse, & non in azymo: quia si Christus in priori vespera diè decimæ quartæ cœnauit agnum Paschalem, sequitur, Christum in ea cœna, & in quouis alio prandio, vsque ad posteriorem vesperam diè decimæ quartæ, vt potuisse pane fermentato, quia ante posteriorem vesperam diè decimæ quartæ non incipiebant dies azymorum, sed immediatè ab illa; aut saltem si pro cœna agni veritum fuit fermentatum, nihilominus in alia cœna vsuali, in qua Christus consecrauit, potuit fermentato vti, quia pro alijs prandijs non erat veritum vsque ad vesperam priorem diè decimæ quintæ, à qua vespera diè facti & quasi Ecclesiastici azymorum inclusiè incipiebant, nisi dicatur à priori vespera diè decimæ quartæ fermentatum veritum fuisse, quod est falsum, aliàs fuissent octo dies azymorum.

Ad primum ergo aduersariorum respondemus, celebritatem Phasè, quæ sancta & solemnitas dicebatur, quia erat Deo dicata, & cultu Deo exhibito celebranda, nempe immolatione & esu agni, non tamen fuisse festiuam, vt deducitur ex Exodi cap. 12. & Leuitici cap. 23. vbi institutæ sunt celebritates Paschatis agni, & septem dies azymorum, & ex his primus, nempe decimus quintus Lunæ, & septimus, nempe vigesimus primus Lunæ, instituti sunt festiui, & prohibitum fuit in eis operari, nisi necessaria ad præparandos cibos. De tempore verò Paschatis agni nulla ibi neque alibi fit mentio festiuitatis, neq; prohibitionis operum, ac proinde celebritas Paschatis agni non habebat à vespera in vesperam, quia solum festiuitates seu sabbata celebrabantur à vespera in vesperam, iuxta illud Leuitici 23. *A vespera in vesperam celebrabitis sabbata vestra*. vbi nomine *sabbati* non tantum intelligitur diè sabbati vltima in hebdomada, sed quæcumque festiua solemnitas, vt constat ex contextu, & non absque ratione: quia in quacumque festiuitate populus ab operibus seruilibus vacabat, ac proinde quæcumque diè festiua erat diè requietionis, quod nomine *sabbati* denotatur. Celebritas ergo agni Paschalis ad finem, & in fine tantum diè decimæ quartæ sedem habuit, & pro paruo illo tempore concludebatur, neque maius tempus ad ipsam requirebatur, quia in sola immolatione & comestione agni consistebat, & eis solis perficiebatur. Et quamuis gratis admittamus, celebritatem Paschatis agni fuisse ex illis quæ celebrabantur à vespera in vesperam; nihilominus modus ille loquendi *diè decimæ quartæ ad vesperam*, non denotat priorem vesperam, sed posteriorem. Quòd autem contra hoc adducebatur Genes. 1. *Factus est vespere & manè diès vnus*, vbi



vespera videtur poni pro initio diei, non obstat: quia quamuis dies festiui apud Hebræos quoad celebritatem inciperent à priori vespera, & concluderentur toto manè, seu tota luce sequenti vsque ad Solis occasum exclusiue, tamen dies vsuales seu naturales apud illos non computabantur, nisi à manè inclusiue in manè exclusiue, ita vt prior pars diei vsualis integræ esset lux, & nox sequens esset posterior pars, vt expressè tradit Beda lib. de Ratione temporis cap. 3. Et computatione hanc congruere Scripturæ, aduertit Vasquez num. 128. quia Genesis 1. nulla dies dicitur incepisse ante lucem: quia quamuis ibi ante lucem præmittantur tenebræ, non tamen ita vt ab illis incipiant dies, quia ante tenebras iam fuerat præmissa lux, dum dicitur, *appellauitque lucem diem, & tenebras noctem*: & ita statim ordine inuerso incipiens ab eo quod fuit posterius & proximè præmissum, compleuit diem, ex tenebris videlicet, non quæ præcesserunt diem, sed ex sequentibus lucem, quarum proximè facta fuerat mentio, & ex luce quæ tenebras præcesserat, cuius ante illas facta fuerat mentio, quia nullus dies dicitur incepisse ante lucem à tenebris lucem antecedentibus. Quod etiam satis denotatur eo modo loquendi vsitato in Scriptura, Tali die à manè vsque ad vesperam, & tali die vsque ad vesperam, verbi gratia, die decimaquarta à manè vsque ad vesperam, & die decimaquarta vsque ad vesperam, quia in modo loquendi vespera sumitur pro posteriori parte diei.

Ad secundum concedimus Maiorem, nempe eadem die & hora immolatum fuisse agnum Paschalem à Christo & à Iudæis, qua à parentibus ipsorum fuerat in Ægypto immolatus; negamus tamen Minorem, nempe à parentibus ipsorum fuisse immolatum in Ægypto ad priorem vesperam diei decimaquartæ, sed ad posteriorem. Et ad primam probationem ex Iosepho desumptam respondemus, quod fuit versum in particulam *illucescente*, potius vertendum esse in has, *postquam adfuit dies decimaquarta*, ita vt sit sensus, postquam adfuit dies decimaquarta, omnes ad exitum animati sacrificabant, sed non statim in initio diei, sed suo tempore, nempe ad occasum Solis. Et ad secundam probationem ex Scriptura desumptam concedimus, filios Israel egressos fuisse de Ramesse noctu, vt dicitur Exodi 12. sed non in initio noctis, sed ad finem, aurora diei decimaquintæ adueniente. Illâ autem particulâ *quando* Deuteronom. 16. *Immolabis Phasè vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto*, non denotatur eandem fuisse horam immolationis & egressus, sed denotatur spatium eiusdem noctis, ad cuius initium immolatus fuit agnus, & in cuius fine egressi sunt filij Israel de Ægypto. In hoc autem loco nomine Phasè nequeunt intelligi alia sacrificia quæ in diebus azymorum fieri solebant, sed intelligitur Phasè die decimaquarta immolandum: dicitur enim, *Immolabis Phasè vespere ad Solis occasum*. Alia verò sacrificia non necessariò immolanda erant illa hora; sed tantum Phasè Paschale diei decimaquartæ. Ex quo loco constat, in eadem nocte celebratum fuisse Pascha agni, & filios Israel egressos de Ægypto, quamuis non in eadem hora; quia celebratio Phasè agni facta fuit ad Solis occasum, egressus verò factus fuit in fine noctis, in initio lucis diei decimaquintæ, quæ erat altera dies vsualis post diem celebrationis Phasè, vt dicitur Nu-

merorum 33. Dicitur autem spatium inter initium noctis, & finem illius, sufficit ad res à Iudæis gestas, quia tota nocte manentes intra domos, petierunt ab Ægyptijs, post mediam noctem euntibus ad domos Iudæorum vt ipsos ad exitum compellerent, res commodatas, quas ipsi Ægyptij in domos Iudæorum deferebant, & ipsi Iudæi alia festinanter præpararunt, vt adueniente aurora proficiscerentur. Quod autem dicitur ab aduersarijs, Iudæos omnes congregatos fuisse in ciuitate Ramesse post immolationem & manducationem agni, nullatenus constat, neque constare potest cum his, quæ modò ex Numerorum 33. & ex alijs locis deduximus. Id verò quod Exodi 12. dicitur, *Profecti sunt de Ramesse*, intelligitur non de sola ciuitate Ramesse, sed de tota terra Gessen, in qua à principio inter Ægyptios habitauerunt, vt deducitur ex Genesi 47. in viciniam tamen prope ciuitatem Ramesse: terra autem seu Prouincia hæc etiam fuit dicta Ramesse, quia Ramesses erat præcipua ciuitas in illa. Profecti sunt autem omnes versus eundem locum Socoth, prout antea à Moysè moniti fuerant, vt constat ex Exodi 12.

Ad tertium constat ex dictis Difficultate VIIII. vbi diximus, Iudæos non dubitasse Christum in die festo accusare, vel quia id ipsis non erat prohibitum, vel quia, quamuis esset, tamen pro eo casu existimauerunt sibi licere, quia maius bonum existimabant Christum quasi seditionis & Reipublicæ perturbatorem perdere, quam obseruare legem de non operando in die festo: & etiam constat, quomodo iuxta nostram sententiam veritas responderit figuræ quoad substantiam, quamuis non quoad circumstantiam temporis.

#### DIFFICULTAS X.

*Qua die & qua hora Christus instituerit Sacramentum Eucharistiæ.*

Conueniunt Primò Theologi, Sacramentum Eucharistiæ institutum fuisse à Christo, pridie ante mortem in nocte, in qua agnum immolauit, & cœnauit cum Discipulis suis, & in qua traditus fuit Iudæis, vt constat ex Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. ad Corinth. 11. & supponitur in Tridentino sess. 13. cap. 1. & 2. & in Clementina de Reliquijs & veneratione Sanctorum, & id denotatur in Canone Missæ illis verbis, *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, &c.* Vnde iuxta ea, quæ diximus Difficultatibus præcedentibus, Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit die decimaquarta Lunæ Martij in nocte, quam immediate secuta est lux diei decimaquintæ vsualis, in qua Christus circa horam nonam mortuus est; eo autem anno dies decimaquarta Lunæ incidit in diem Iouis, & fuit decima octaua Aprilis solaris.

Conueniunt Secundò communiter Theologi, Sacramentum Eucharistiæ institutum fuisse finita cœna legali, seu cærimoniali agni, quod significat Tridentinum sess. 22. c. 1. dum ait: *Celebrato v-* Trident.  
*teri Paschate nouum instituit Pascha.* & etiam Clemens V. in Clementina de Reliquijs, & id canit Ecclesia in Festo Corporis Christi: *Post agnum* Augustin.  
*typicum expletis epulis.* quod etiam expressit Augustinus Epist. 118. & refertur in Can. *Liquidò,* de Consecratione, dist. 2. & id deducant ex Scriptura Vasquez dif. 172. c. 9. & Suarez dif. 41. sect. 4.



Est tamen difficultas, An statim finita cœna legali institutum fuerit Sacramentum Eucharistiæ, an non; sed etiam finita cœna communi & vsuali, quæ post cœnam legalem fieri solebat, quia hæc regulariter non sufficiebat ad reficiendam naturam, quam etiam factam fuisse à Christo, optimè conuincit Vasquez.

Suarez.

Circa hanc difficultatem Suarez docet, Christum finita cœna legali statim ante inceptam vsualem instituisse Sacramentum Eucharistiæ, & pro se adducit Damascenum lib. 4. de fide cap. 14. qui obscurè loquitur.

Damascen.

Modus tamen iste dicendi non placet; quia non quadrat verbis illis Matth. 14. *Cœnantibus illis accepit Iesus panem*, &c. quia his verbis propriè acceptis ad minus significatur, Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ inter cœnandum, seu post cœnam inceptam, & non cœnam legalem, quia hæc non dicitur absolutè cœna, quia non fiebat ad reficiendam naturam; sed cœnam vsualem & communem, quæ absolutè dicebatur cœna, utpote quæ fiebat ad reficiendam naturam.

Vasquez num. 119. docet, Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ post inceptam cœnam communem & vsualem, nondum tamen finitam à Discipulis, sed adhuc ipsis cœnantibus, finitam tamen à Christo, quia hoc posterius quadrat verbis illis Lucæ & Pauli: *Similiter & Calicem postquam cœnauit*. Et illud prius quadrat dictis verbis Matthæi & Marci, *Cœnantibus autem illis*, nempe Discipulis.

Claudius.  
Becanus.

Claudius verò Sanctes Repetitione 1. de Eucharistia, cap. 7. & Becanus cap. 15. quæst. 4. docent, & satis verisimiliter, Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ finita cœna communi & vsuali à Christo & à Discipulis. Quod indicare videtur Ecclesia illis verbis, *Post agnum typicum expletis epulis*; quia particula *epulis* absolutè prolata intelligitur de omnibus epulis, etiam communibus & vsualibus. Et id ratio suadet, quia credi non potest, Discipulos non fuisse factos attentos à Christo ad consecrationem panis, non solùm verbis consecrationis adedò extraordinarijs, sed etiam benedictione panis, quæ etiam extraordinaria fuit, quam ad ipsius panis consecrationem premisit; & ad id Christum finem cœnæ vsualis non expectasse, ut ex vna parte post sumptionem panis consecrati nihil aliud fumerent, quod congruens erat, & ut ex altera non manerent absque sufficiente refectioe, occasione sumptionis panis consecrati, cui optimè quadrant verba illa Matthæi & Marci, *Cœnantibus autem illis*, quia statim & contiguè ad cœnam vsualem fuit institutum: & ei non aduersantur verba illa Lucæ & Pauli, *Similiter & Calicem postquam cœnauit*, quia consecratio Calicis vel vini facta fuit, postquam iam cœna vsualis cessauerat consecratione panis, & distributione ipsius.

Cui maximè fauet, quòd de sola consecratione vini facta post consecrationem panis, dicitur à Luca & à Paulo facta postquam Christus cœnauit (intellige & qui cum eo cœnabant) & non de consecratione panis, quæ contiguè ad ipsam cœnam facta fuit.

Sed an institutio Eucharistiæ facta fuerit ante, vel an post lotionem pedum Discipulorum factam à Christo, incertum est: creditur tamen instituta post lotionem dictam pedum (ut aduertunt Suarez, Vasquez & Becanus) quia lotio creditur facta ante cœnam vsualem & communem, postquam instituta fuit Eucharistia, quia mos erat ante eam cœnam pedes conuiuiarum lauare, & Christus id voluit facere pro illo in cuius domo cœnauit. Quod Christus voluit ante institutionem Eucharistiæ facere, ut eo denotaret, ablutionem culparum leuium conuenientem esse ad sumptionem Eucharistiæ. Christus ergo ob vtramque dictam rationem Petro recusanti lauari ab ipso, dixit: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*; id est, non cœnabis mecum, quia scilicet ante cœnam vsualem conuiuiarum mos est eorum pedes lauare, quod recusas: neque accipies Corpus & Sanguinem meum (quamuis hoc pro tunc non intellexit Petrus) quia scilicet ablutio culparum leuium lotionem pedum significatam, quam recusas, expediens est ad sumptionem Eucharistiæ.

Concludimus ergo, Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ circiter duas horas post Solis occasum: quia à Solis occasu, ad quem ex lege celebritas agni inchoanda erat, facta fuit immolatio agni, & illius preparatio ut manducaretur, & manducatio ipsius, & lotio pedum, & cœna vsualis; & in fine huius institutio Eucharistiæ: ad hæc autem omnia commodè facienda videtur spatium duarum horarum plus minùsve fuisse necessarium & consumptum: vnde videtur Eucharistia circa horam octauam noctis diei decimæ quartæ mensis lunaris Martij, & diei decimæ octauæ mensis Aprilis solaris institutam fuisse.

Ex omnibus ergo hætenus dictis constat, Christum in pane azymo consecrassè, sicut Latini consecramus: quia quamuis non consecrauerit in cœna legali agni, in qua panis non nisi azymus comedi poterat, ut significatur Exodi 12. sed in cœna communi & vsuali in fine illius, quia tamen hæc facta fuit die decimæ quarta Lunæ Martij aliquantulum post Solis occasum, à quo inclusiue incipiebat prima dies sacra & quali Ecclesiastica azymorum, in qua & in sequentibus sex non poterant panes nisi azymi manducari, ut constat Exodi 12. imò, ut ex eodem constat, ab eo Solis occasu non poterat esse panis fermentatus in toto Israël, ideò firmiter creditur Christum non in fermentato, sed in azymo consecrassè.





## DISPUTATIO II.

## De materia Sacramenti Eucharistiæ.



DISPUTATIO hæc procedit de materia Sacramenti Eucharistiæ non ipsi Sacramento intrinseca, quia ea caret; sed de materia, ex qua ipsum conficitur, & quæ est ipsi extrinseca, & circa quam versatur consecratio: & procedit de materia vtriusque partis, quasi integrantes Sacramentum Eucharistiæ.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum panis & vinum sint materia Sacramenti Eucharistiæ.*

Conueniunt Catholici, materiam requisitam seu necessariam ad Sacramentum Corporis Christi, & ad valorem consecrationis ipsius Corporis, esse panem; & ad Sacramentum Sanguinis Christi, & ad valorem consecrationis ipsius Sanguinis, esse vinum: quod tradunt communiter Patres, quorum testimonia in sequentibus referemus.

*Innoc. III.*

Et id definiunt Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. 2. & refertur in cap. *Firmiter* 1. de Summa Trinitate & Fide Catholica, & Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & constat ex perpetua traditione & vsu Ecclesiæ, quæ numquam in alia materia consecrauit. Et deducitur ex Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & ad 1. Corinth. 11. vbi Christus Corpus suum consecrauit in pane, & Sanguinem suum in vino, & non constat in alijs materijs consecrasse.

*Eugen. IV.*

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum solus panis triticeus sit materia sufficiens consecrationis Corporis Christi.*

Etiam si panis à pascendo dicatur, & homines omni ciborum genere pascantur; illud tamen solum dicitur panis, quod cum alijs omnibus cibis comedi solet. Fit autem panis ex varijs rebus, nempe ex fructibus arborum, & ex herbis, & ex leguminibus, & ex frumento. Dicitur autem frumentum quodcumque granum quod aristas habet, vt triticum, hordeum, typha, auena.

Supponimus ergo, in quo nulla est difficultas, panem triticeum esse sufficientem materiam ad Sacramentum Corporis Christi, & ad validam consecrationem ipsius Corporis, vt patet, & constabit ex statim dicendis.

Est tamen difficultas, An etiam quicumque alius panis sit materia sufficiens consecrationi Corporis.

Conueniunt Doctores, panem, qui non est ex frumento, non esse materiam sufficientem ad consecrationem Corporis Christi; quia qui non est ex frumento, non est simpliciter panis, sed tantum secundum quid, & cum addito (vt panis ex castaneis, & ex ficibus) & non adhibetur communiter

cum alijs cibis, nisi in defectum veri panis. Et idem ob eandem rationem dicent de pane confecto ex mayzio (Hispanicè *maiz*) & de pane confecto ex milio (Hispanicè *mijo*) & de pane ex panico (Hispanicè *panizo*) & de pane ex oryza (Hispanicè *arroz*) & de pane ex fabis, quia scilicet ex nullo ex dictis fit panis qui sit simpliciter panis, & qui communiter adhibeatur cum alijs cibis, nisi in defectum veri panis.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An non solum panis ex tritico, sed etiam ex quocumque alio genere frumenti sit materia sufficiens ad consecrationem Corporis.

Gabriel lect. 35. in Canonem Missæ partem affirmatiuam tuetur, quia, vt deducitur ex Scriptura & ex Patribus, panis est materia sufficiens ad consecrationem Corporis: panis autem etiam ex quocumque alio frumento confectus est verè panis; ex eo verò quod Christus consecrauerit in pane triticeo, non est excludendus quilibet alius panis, sicut ex eo, quod in vino rubro consecrauerit, non est excludendum vinum album.

Doctores tamen communiter partem negatiuam meritò tradunt, & non pauci eam tradunt tamquam necessariò amplectendam, & eam tamquam Ecclesiæ traditionem approbant Theologi Catechismi Pij V. Et sanè Ecclesia numquam adhibuit pro materia, nisi panem quem existimat triticeum, & id absque dubio definit Eugenius IV. in suo Decreto, dum ait materiam huius Sacramenti esse panem triticeum, & vinum vitis, quia absque dubio intendit panem triticeum esse materiam necessariam ad consecrationem Corporis, qualem existimat esse vinum vitis ad consecrationem Sanguinis, & quales existimat esse alias materias, quas pro alijs Sacramentis assignat, vt expendit Vasquez disp. 170. num. 15. Et ita Concilia & Pontifices, qui dixerunt, materiam consecrationis Corporis esse panem ex frumento confectum, nomine frumenti triticum, quod inter frumenta est potissimum, intellexerunt, & pro tritico sumserunt, sicut etiam non rarò sumitur in Scriptura Genes. 44. Ieremiæ 41. Psalm. 4. 2. Paralip. 2. & Ioannis 12.

Ad rationem ergo Gabriellis respondemus, iam ab Eugenio IV. & continuo vsu Ecclesiæ declaratum esse, solum panem triticeum esse sufficientem ad consecrationem Corporis, quod non aduersatur Scripturæ, neque Patribus, supponentibus panem esse materiam sufficientem, quia solus panis triticeus dicitur absolutè, simpliciter & absque vlla limitatione, & absque vllò addito, panis, & meritò: quia eo solo, quando commodè haberi potest, vtuntur communiter homines cum alijs cibis; panis verò, qui conficitur ex alijs frumentis, non dicitur simpliciter panis, sed tantum secundum quid, & cum addito, nempe panis hordeaceus, panis auenaceus, quia eo non vtuntur communiter homines, nisi in defectum panis triticeo: vnde ex eo, quod Christus consecrauit in pane triticeo, excludendus est quicumque alius panis; quia excludi



cludi debet quod non est tale simpliciter, quale fuit id in quo Christus consecrauit, ex quo non leuiter confirmatur, panem triticeum esse materiam sufficientem, & necessariam ad consecrationem Corporis: ex eo verò quòd consecrauerit in vino rubro, non excluditur albū, quia istud etiam est & dicitur simpliciter vinum, siue sit eiusdem speciei cum rubro, siue diuersæ.

Sed quamuis Doctores communiter docent, solum panem triticeum esse materiam sufficientem ad consecrationem Corporis, & consequenter panem ex hordeo confectum non esse materiam sufficientem, neque panem confectum ex auena, quia hordeum & auena certissimè non sunt triticum, variant tamen circa panem ex nonnullis frumentis confectum, quia non conueniunt, an ea frumenta sint triticum, an non.

Circa siliginem ergo dicendum est, quòd si eius nomine significetur triticum selectum, vt nonnulli credunt significari (Hispanè *candual*) absque dubio panis ex eo confectus est materia sufficientis. Si verò nomine siliginis significetur typha, vt alij videtur (Hispanè *centeno*) panis ex siligine confectus non est sufficientis materia, vt contra Victoriam num. 55. & contra alios aduertunt Vasquez disp. 170. & communiter Doctores; quia typha non est verum triticum, sed deficiens à tritico; & panis ex typha confectus non est simpliciter panis, neque eo vtuntur communiter homines, nisi in defectu panis tritici.

Circa speltam dicendum est, quòd si eius nomine intelligitur species quædam hordei, vt quibusdam videtur (Hispanè *ladilla*) absque dubio panis ex ea confectus non est materia sufficientis, quia non est triticeum: si verò nomine speltæ intelligatur species quædam tritici, quæ in aliquibus Prouincijs, præsertim Galliæ, reperitur, panis ex ea confectus est materia sufficientis.

Circa far dicendum est, quòd si eius nomine intelligatur species quædam tritici, vt à nonnullis dicitur significari (quod apud Astures dicitur *scandia*) aut quædam alia species tritici (quod dicitur trimestre, seu trimessinum) ex eo fieri potest panis sufficientis ad consecrationem Corporis, quia est verè triticum: si verò nomine farris intelligatur species quædam frumenti, quod est granum nullam habens tunicam, vt alij existimant (quod apud Italos dicitur *farro*, distinctum à nostro Hispano) panis ex eo confectus non est materia sufficientis, quia non est triticum.

Obseruandum est, eum, qui cōsecrat materiam, de qua est dubium purum, absque probabilitate an sit sufficientis ad consecrationem, peccare mortaliter, quia temerariè exponit verba consecrationis periculo irritationis.

## DIFFICULTAS III.

*Utrum quicumque panis ex tritico confectus sit sufficientis ad consecrationem Corporis.*

**P**rimo est difficultas circa panem ex amylo (Hispanè *almidon*) confectum, an sit sufficientis ad consecrationem Corporis.

*Paludan.* Paludanus in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. affirmat, quia amylo fit ex substantia & medulla tritici.

S. Thomas verò q. 74. art. 3. Egidius ibidem *S. Thomas. Egidius. Vasquez.* num. 54. Vasquez disp. 170. num. 23. & communiter Doctores negant, & meritò: quia quamuis amylo fiat ex tritico, tamen panis ex amylo factus non est simpliciter panis (quod sufficit, vt non sit materia sufficientis) imò non est communis & vsualis, siue amylo sit eiusdem speciei, siue diuersæ cum farina tritici.

Secundò est difficultas circa massam crudam.

Maior in 4. dist. 11. q. 2. affirmat, quia massa cruda tantum differt accidentaliter à massa cocta. *Maior.*

Doctores tamen communiter negant, & meritò: quia massa cruda (siue essentialiter siue tantum accidentaliter differat à massa cocta) non est panis simpliciter, imò neque communis & vsualis, nihilominus mica panis malè cocti compressione digitorum facta quasi massa, est sufficientis materia, (sicut etiam panis inter dentes confractus, & vi saluæ quasi in massam conuersus, est sufficientis, & idè sub eius speciebus cōsecratis perseverat Corpus Christi) vt docent Vasquez & non pauci Doctores, quia compressione illa non reducitur ad statum quem habuit ante coctionem, sed retinet statum panis cocti. *Vasquez.*

Et non solum massa cruda non est sufficientis ad consecrationem, sed neque massa frixa, neque elixa, quia neque massa frixa neque elixa est simpliciter panis, imò neque communis & vsualis, sed requiritur vt sit tosta, & quasi assata, imò non calore Solis, sed tantum calore ignis, quia sola massa calore ignis tosta (siue in furno, siue sub cinere, siue supra ferrum calidum, siue aliter) est & dicitur simpliciter panis, imò ipsa sola est panis communis & vsualis.

Addunt S. Thomas ar. 7. Vasquez, & communiter Doctores, panem requisitum ad valorem consecrationis, conficiendum esse ex farina tritici subacta aqua naturali seu elementari, non verò lacte, neque oleo, neque melle, neque aqua rosacea, neque alio liquore, & meritò; quia solus panis confectus ex farina tritici subacta aqua naturali est panis simpliciter & vsualis. Quòd si alius liquor in tam parua quantitate admisceatur aqua naturali, qua subigitur farina tritici, vt ferè non retineat saporem talis liquoris, tum fiet panis sufficientis ad consecrationem, quia tunc manet simpliciter panis, & vsualis, & non fit placenta: erit tamen illicitum in ea materia consecrare, quia est contra debitam puritatem materiæ. Et quamuis farinæ tritici admisceatur aliquid fermenti & salis, nihilominus panis ex ea confectus sufficientis est ad consecrationem, etiam si Latinis non liceat nisi in azymo consecrare, qui fit absque fermento & sale.

Obseruandum est, quòd quando farinæ tritici admisceatur farina alterius frumenti, si quantitas farinæ admixtæ ipsi farinæ tritici sit adeò magna, vt panis ex ea confectus non sit simpliciter triticeus, non erit sufficientis, ob rationem sæpè repetitam: si verò sit parua, ita vt farina illa tritici cui adiungitur, sit & dicatur simpliciter triticea, & panis ex ea confectus sit & dicatur simpliciter triticeus, tunc panis erit sufficientis ad validam consecrationem, imò etiam ad licitam, si notabiliter non excedat mixtionem, quæ regulariter reperitur, quamuis massa alterius frumenti adiuncti non sit conuersa in triticeam, quia tunc in eo pane consecrare non est contra vsum Ecclesiæ, quamuis si non sit conuersa in triticeam, panis



ex eis duabus massis confectus non consecrabitur, quoad eam partem, quoad quam non est triticeus, sed tantum quoad partem quoad quam est triticeus.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum panis tam fermentatus quam azymus sit materia sufficiens ad consecrationem Corporis.*

Primus error fuit aliquorum Græcorum, consecrationem Corporis non posse validè fieri, nisi in pane fermentato. Qui ducuntur Primò illo Amos 4. *Sacrificate de fermento laudem.* Secundò, quia existimant, Christum in fermentato & non in azymo consecrassè. Tertio, quia solus panis fermentatus est simpliciter panis, tum quia eo solo communiter vitmur, tum etiam quia panis Græcè dicitur à verbo *rotto*, vel *attollo*, ex eo quòd farina fermento còsperfa attollitur fermentatione. Quarto, quia panis azymus videtur proprius Iudæorum, & Christianis non expedit tum illis conuenire, & eos imitari.

Secundus error fuit Armenorum, consecrationem Corporis non posse validè fieri nisi in azymo, quia Christus in azymo & non in fermento consecrauit.

Tertius error fuit Hugonis, aliàs Catholici (quem sequi videtur Glossa in cap. *Literas* de Celebratione Missarum) Latinos non validè consecrare nisi in pane azymo, & Græcos nisi in fermentato, quia Græci tenentur in fermentato consecrare, & Latini in azymo.

Veritas tamen Catholica in quam Scholastici omnes conspirant, est, panem tam azymum quam fermentatum esse materiam sufficientem ad validam consecrationem Corporis, quod tradunt Anselmus in Opusculo de Fermentato & azymo, & Innoc. III. Innocentius III. lib. 4. de Sacrificio Missæ cap. 4. Eugen. IV. & definiunt Eugenius IV. in suo Decreto, & Leo IX. Epist. 1. aduersus præsumptiones Michaëlis Patriarchæ Constantinopolitani.

Et in primis panem fermentatum esse sufficientem ad consecrationem Corporis, fatentur Græci simul & Latini: & panem azymum etiam esse sufficientem, tradunt omnes Latini, & meritò, tum quia Christus in eo consecrauit, vt diximus Disputatione 1. Difficultate x. tum etiam, quia quamuis Christus consecrasset in fermentato, etiam azymus esset sufficiens, sicut nos Latini dicimus de fermentato: quamuis credamus, non in eo, sed in azymo Christum consecrassè, quia vterque panis est & dicitur absolutè & simpliciter, & sine addito panis: quod de fermentato patet, & de azymo negari non potest, & constat ex Luca 24. vbi panis azymus dicitur absque addito panis, quia ibi dicitur discipulos euntes in Emaus, quibus Christus die resurrectionis apparuit, ipsum cognouisse in fractione panis, iste autem erat azymus, quia adhuc perfeterabant dies azymorum, in quibus nihil fermentatum poterat esse in toto Israel.

Addimus tamen, panem azymum, quo vitur Ecclesia Latina, esse magis congruentem consecrationi, quam fermentatum quo vitur Ecclesia Græca, tum quia Christus & Apostoli in eo consecrarunt, tum etiam, quia species panis azymi

aptiores sunt ad significandam puritatem & sanctitatem Corporis Christi, quod sub se continet, & etiam puritatem eorum, qui dignè accedunt ad Sacramentum Eucharistiæ.

Ad primum ergo pro errore Græcorum desumptum ex illo Amos 4. *Sacrificate de fermento laudem*, respondet Anselmus, id dixisse Prophetam exprobrando Iudæis huiusmodi sacrificiū, & quasi ironicè, vt in contextu ipso indicatur.

Ad secundam negamus, Christum in fermentato consecrassè, sed in azymo: & quamuis in fermentato, non obstaret, vt diximus.

Ad tertium negamus, panem azymum non esse & dici panem absolutè, & absque addito, vt constat ex dictis. Quòd autem panis Græcè dicatur à verbo *attollo*, quia conspersio farine fermento attollatur & eleuetur, non obstat; quia aliud solet esse id à quo dictio imponitur ad significandum, aliud verò id quod significat. Adde tamen, non deesse peritos linguæ Græcæ, qui dicant, panem Græcè ex eo solùm dici ab attollendo, quia attollit vires corporis, eas corroborando.

Ad quartum respondemus, nos non vti pane azymo eo fine vt legem veterem obseruemus, quo Iudæi pane azymo vtuntur, sed vt Christum, qui in pane azymo consecrauit, imitemur; quod non est Iudaizare, neque cum Iudæis conuenire, nisi materialiter & in re, non formaliter & in fine & modo.

Ad fundamentum pro errore Armenorum respondemus, Christum in azymo consecrassè; negamus tamen, fermentatum non esse sufficientem consecrationi, quia iste etiam est simpliciter panis, non minùs quam azymus.

Ad fundamentum pro errore Hugonis respondemus, ex eo quòd Græci teneantur in fermentato, & Latini in azymo consecrare, tantum deduci, consecrationem aliter fieri illicitè, non verò inualidè.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum Sacerdos Græcus teneatur in fermentato, & Latinus in azymo consecrare.*

Difficultas hæc procedit de Græco & Latino, dum vnusquisque existit in sua propria Ecclesia.

Paludanus ergo in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 4. *Paludanus.* concl. 6. docet, Græcum non teneri in fermentato consecrare, quia nequit obligari præcepto suæ Ecclesiæ, quia est schismatica: imò videtur Græcum non posse licitè in fermentato consecrare, quia teneri videtur præcepto Ecclesiæ Latinæ, quia est vniuersalis.

Reliqui tamen Theologi docent, tam Græcum quam Latinum licitè posse, imò & teneri morem suæ Ecclesiæ seruare, quòd Eugenius IV. in suo *Eugen. IV.* Decreto declarauit.

Et in primis tam Græco quam Latino licitum esse morem suæ Ecclesiæ seruare, etiam expressit Leo IX. Epist. illa 1. & ratione constat, quia ex vna parte vteruis panis est sufficiens materia consecrationis, & ex altera non est prohibitum Græco neque Latino à Romano Pontifice, morem Ecclesiæ propriæ seruare; ergo id vnicuique licet.

Quòd

Anselmus.

Innoc. III.

Eugen. IV.

Leo IX.



Quòd verò vterque teneatur morem suæ Ecclesiæ seruare, probatur, quia in vtraque Ecclesia est præceptum id efficiendi, ad minus consuetudine introductum, quia id in vtraque Ecclesia tamquam necessarium, seu ex obligatione obseruatur, scientibus seu consentientibus Prælatibus; in Ecclesia quidem Latina, scientibus & consentientibus non tantum inferioribus Pontificibus, sed etiam Summis seu Romanis; & in Ecclesia Græca, scientibus & consentientibus inferioribus Pontificibus, & Summis seu Romanis id permittentibus.

Ad fundamentum ergo Paludani respondemus, quòd quamuis Ecclesia Græca quoad alta sit schismatica, non tamen quoad morem consecrandi in fermentato, quia iste in ea viget absque contradictione Pontificum Romanorum, ob quod subditi tenentur quoad hunc morem Ecclesiæ Græcæ obedire.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum Græcus, dum existit in Ecclesia Latina, teneatur in fermentato, & Latinus, dum existit in Ecclesia Græca, teneatur in azymo consecrare.*

**L**edesma 1. part. 4. quæst. 15. art. 4. dub. 2. absolute, & absque vlla distinctione inter incolam & peregrinum, docet, non solum non teneri, sed neque licite posse, quia vnusquisque censetur esse illius Ecclesiæ in qua existit, & ad eam pertinere, ergo tenetur legibus & consuetudinibus Ecclesiæ in qua existit, quia vnusquisque tenetur legibus illius Ecclesiæ cuius est, & ad quam pertinet. Hanc sententiam nonnulli amplectuntur, id exprimendo non solum de incola, sed etiam de peregrino; quia non solum incolæ, sed etiam peregrini tenentur legibus terræ in qua existunt.

Egidius.

Egidius quæst. 74. art. 4. dub. 3. num. 117. docet, Sacerdotem Græcum peregrinum in locis Latinorum, non teneri in fermentato consecrare, & Latinum peregrinum in locis Græcorum, non teneri in azymo; quia generaliter quilibet possit se accommodare consuetudini loci per quem transit, etiam si ad id non teneatur.

Vasquez. Suarez.

Vasquez verò disp. 174. cap. 3. Suarez disp. 44. sect. 4. & communiter Doctores, sub distinctione docent, Primò, Sacerdotem peregrinum extra propriam Ecclesiam teneri ad consecrandum iuxta morem suæ Ecclesiæ, Latinum videlicet in azymo, & Græcum in fermentato; & meritò: quia quamuis admittamus peregrinos teneri alijs legibus & consuetudinibus loci in quo existunt, non tamen lege consecrandi in fermentato aut in azymo, quia lex hæc sic est peculiariter recepta à subditis, ut vnusquisque morem suæ Ecclesiæ, in qua habet domicilium, seruet, ut constat ex praxi; & sic approbata est à Sede Apostolica, ut constat ex Leone IX. Epist. illa 1. & ex Eugenio IV. in suo Decreto, ex quo constat ad rationem Egidij.

Secundò docent, Sacerdotem Latinum habitantem in Græcia non ut peregrinum, sed ut incolam Græciæ, habentem in ea domicilium, aut quasi domicilium, teneri ad consecrandum in fermentato, & Græcum eodem modo habitantem in locis Latinorum, teneri ad consecrandum in azymo; &

meritò: quia vnusquisque tenetur seruare morem Ecclesiæ ad quam pertinet, tamquam membrum illius: tunc autem Latinus pertinet ad Ecclesiam Græcam, ut membrum illius, & ad eam transiit, & Græcus ad Latinam. Ex quo constat ad rationem Ledesmæ, quatenus contra nos probare contendit, Sacerdotem peregrinum in terra aliena non teneri neque posse se accommodare consuetudini propriæ patriæ.

Excipimus (ut plures ex Doctores excipiunt) eos Græcos & Latinos, qui in terra aliena per modum Congregationis permittuntur proprium Templum habere, ut Romæ permittitur Græcis: quia prædicti, quamuis sint incolæ terræ in qua existunt, tenentur morem propriæ patriæ seruare quoad ritus Ecclesiasticos, & quoad consecrationem, quia quoad hanc & quoad illos censentur dicta permissione superioris, & acceptatione ipsorum, ad Ecclesiam antiquam pertinere, Græcus ad Græcam, & Latinus ad Latinam, & non transisse ad eam nouam in qua existunt, quamuis ut incolæ.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum solum vinum vitis sit materia sufficiens ad consecrationem Sanguinis.*

**C**onueniant Doctores, solum vinum vitis esse materiam sufficientem ad consecrationem Sanguinis Christi, quod definitum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, & in cap. *Sicut*, de Summa Trinitate, & definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei: & id constat ex perpetua Ecclesiæ traditione & vsu, quæ nunquam consecrauit nisi in vino vitis, & deducitur ex Mathæi cap. 26. Marci 14. & Lucæ 22. vbi non tantum constat Christum in vino consecrasse, sed etiam in vino vitis. Ex eo autem, quòd Christus primò consecrans & instituens Sacramentum Eucharistiæ consecrauerit in vino vitis, quod est simpliciter vinum, non in alio, optimè deducitur, solum vinum, quod sit simpliciter vinum, esse materiam sufficientem.

Addunt Doctores particulam *solum*, quando dicunt, solum vinum vitis esse materiam sufficientem, ut eâ particulâ exclusivâ excludant alia vina, quæ non sunt ex vite, sed ex alijs rebus, v. g. vinum ex frumento, ex fructibus arborum, & ex herbis factum: quia vinum, ex quocumque alio fiat, non est simpliciter & absolute vinum, sed cum addito diminvente, v. g. vinum ex pomis.

Obseruant tamen Doctores, omne vinum vitis, siue album siue rubrum (siue specie differat, siue non) esse sufficiens consecrationi Sanguinis, quia quodlibet vinum vitis, siue album siue rubrum, est simpliciter & absque addito vinum; sicut etiam panis ex quolibet tritico factus, est & dicitur simpliciter & absolute panis, & absque addito diminvente.



## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum agrestia, acetum, lora, & sapa sint materia sufficiens consecrationis Sanguinis.*

Circa agrestiam (Hispanè *agraz*) conueniunt Doctores, non esse materiam sufficientem ad validam consecrationem Sanguinis (siue specie differat à musto siue non) quia agrestia propter sui immaturitatem nondum adepta est statum vini simpliciter, quamuis quando non est expressa ex viuis, sit in via ad illud, & ob id comparatur ad vinum sicut massa cruda ad panem: & ita in Missali Romano inter defectus Missæ assignatur, si quis protulit verba consecrationis circa agrestiam.

Alexand.  
Glossa.

Circa acetum Alexander 4. parte, quæst. 10. membro 4. art. 1. & Glossa in can. 2. de Consecratione, dist. 2. docent, esse materiam sufficientem consecrationi, quia non differt essentialiter à vino, sed tantum accidentaliter.

S. Thomas.  
Ægidius.  
Vasquez.  
Suarez.  
Adamus.

S. Thomas verò q. 74. ar. 5. & ibidem Ægidius, Vasquez dist. 175. Suarez dist. 45. Adamus q. 2. du. 5. & communiter Doctores docent, non esse materiam sufficientem, & meritò, quia acetum, siue differat essentialiter à vino, siue tantum accidentaliter, non est neque dicitur vinum simpliciter.

Ex quo patet ad rationem Alexandri & Glossæ, qui benignè solent exponi, non de vero & perfectò aceto, sed de vino acido seu fugiente, quod absque dubio est materia sufficiens consecrationi, quamuis indecens sit in eo consecrare: imò quando est prudens dubium an sit iam perfectum acetum, in eo consecrare sit mortale peccatum sacrilegij, quia consecratio verbalis exponitur periculo nullitatis, si fortè sit perfectum acetum.

Circa loram, seu acinacium (Hispanè *aguapie*, vel *delgado*, quod sit ex aqua infusa racemis prius expressis, aut acinis relictis in fundo dolij post vinum iam defæcatum, seu decoctum) conueniunt Doctores, non esse materiam sufficientem consecrationi; quia licet appareat vinum, non est verè & simpliciter vinum. Addit Vasquez, quòd si parum aquæ illis racemis aut acinis magna copia vini perfusus infundatur, in eo vino validè & licitè fieri consecrationem, & meritò: quia parua quantitas aquæ facillè in vinum conuertitur, ac proinde multò meliùs fieri poterit in vino, cui in principio decoctionis iniecta fuit parua aliqua pars aquæ, vt faciliùs & meliùs decoqueretur.

Circa saram (Hispanè *arrope*) & circa aquam vitæ ex vino distillatam (Hispanè *aguardiente*) & circa mullum (Hispanè *clarea*) & circa alia vina cocta conueniunt Doctores, non esse materias sufficientes consecrationi, vel quia non sunt verè vina, quia substantia vini fuit per coctionem destructa; vel quia non sunt neque dicuntur simpliciter vina, quia non retinent statum vini.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum mustum & vinum congelatum sint materia sufficiens consecrationi Sanguinis.*

Circa mustum (quod est succus vuarum maturarum) conueniunt Doctores, si expressum sit ex viuis, esse sufficientem materiam, quamuis non sit perfectè coctum, quia mustum expressum verè est & dicitur simpliciter vinum, quamuis recens (sicut etiam panis recens verè est & dicitur simpliciter panis) & absolute dicitur vinum ab Aristotele 4. Meteor. cap. 10. & à Plinio lib. 23. cap. 1. & ab Isidoro lib. 20. Etym. cap. 3. & in Scriptura vinum nomine musti significari solet Isaia 49. & Act. 2. Et sanè mustum non solum est simpliciter vinum, quod sufficeret, sed etià ex se est commune & vsuale, seu potest in communem potum deseruire, quamuis regulariter non deseruiat, ob eius nimiam fortitudinem & asperitatem, & impuritatem, quia habet fæces aliquas admixtas, quæ perfecta decoctione corrumpuntur. vnde meritò in can. *Cum omne crimen*, de Consecratione, dist. 2. qui est Iulij Papæ in Epist. ad Episcopos Ægypti, permittitur, vt tempore necessitatis consecraretur in musto expresso ex botris seu racemis. Extra necessitatem verò erit contra consuetudinem Ecclesiæ, in musto consecrare. Sed an dicta consuetudo habeat vim prohibitionis (vt à nonnullis affirmatur) non satis constat; quia non constat satis, an hæc consuetudo obseruetur vt necessaria & obligans (quod requiritur, vt consuetudo habeat vim legis) an verò tantum vt maximè decens ob impuritatem musti, ob quam non est iure naturali illicitum in musto consecrare, quia non est impuritas orta ex admixtione alicuius extranei, sed fæcium connaturalium ipsi musto.

Aristotel.  
Plinius.  
Isidorus.

Quòd si mustum non sit expressum, sed intra uas inclusum, non est materia sufficiens, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quia mustum in eo statu non est neque dicitur simpliciter vinum, imò non potatur, sed comeditur, & ita in dicto can. *Cum omne crimen*, reprehèditur, quòd botrus expressus (id est degranatus, seu grana ipsa, vt constat ex contextu) in calice offeratur.

Circa vinum congelatum conueniunt Doctores, sub speciebus vini congelatis retineri Sanguinem Christi, semel sub illis ante consecrationem per consecrationem positum: quia sub illis etiam congelatis conseruaretur substantia vini, cuius loco Sanguis Christi successit, quod supponitur in Missali Romano Rubricà de Defectibus Missæ; vbi ordinatur, quòd si species vini post consecrationem congelentur, liquefiant calore, & sic consumantur.

Est tamen difficultas, An in vino congelato possit de nouo fieri consecratio. Procedit autem de vino non corrupto congelatione, sed manente substantia illius, vt semper vel ferè semper contingit.

Armilla v. *Eucharistia*, n. 19. Ledesma 1. p. 4. q. 15. art. 5. dub. 1. Alanus 1. de Eucharistia, c. 11. Henriquez lib. 8. cap. 12. & Antonius Moaure par. 3. cap. 4. §. 3. partem negatiuam tuentur: quia vinum congelatum non est in statu in quo proximè possit propinari & potari, quod videtur necessa-

Armilla.  
Ledesma.  
Alanus.  
Henriquez.  
Moaure.



necessarium ad valorem consecrationis, ut species vini possint significare Sanguinem per modum potus; aliàs mustum intra granum esset materia sufficiens consecrationi, quia quamuis non sit in statu proximo potationi, est tamen in remoto. Et confirmatur, quia aqua congelata, quamuis retineat naturam aquæ, nequit validè fieri Baptismus, quia aqua congelata non est in statu proximo lotioni: ergo in vino congelato, quamuis retineat naturam vini, nequit validè fieri consecratio, quia in eo statu non est proximè aptum potationi.

Sotus. Siluester. Angelus. Suarez. Vasquez. Egidius. Layman. Adamus.

Sotus verò in 4. dist. 9. q. 1. ar. 4. Siluester v. *Eucharistia* 2. q. 10. num. 15. Angelus v. *Missæ*, n. 23. Suarez disp. 45. sect. 1. Vasquez disp. 175. cap. 2. Egidius q. 74. art. 5. Laymannus c. 2. & Adamus q. 2. du. 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò quia vinum congelatum verè est & dicitur simpliciter vinum; ergo est sufficiens cōsecrationi. Consequentia patet, quia absque fundamento exigitur quòd sit in statu proximè potabilis.

Ad rationem ergo aduersariòrum negamus, ad valorem consecrationis requiri quòd vinum sit in statu proximo potationi. Et ad priorem probationem respondemus, species vini, quamuis congelati, verè significare Sanguinem Christi, & per modum potabilis; sicut etiam illum significant, quando post consecrationem congelantur, quia vinum, quamuis congelatum, verè est vinum; & potabile, quamuis non proximè potabile, sed remotè. Et ad posteriorem probationem, desumptam ab exemplo musti intra granum inclusi, respondemus, esse disparè rationem, quia istud idèd in eo statu non est sufficiens consecrationi, non quia non sit in statu proximè potabili, sed quia in eo statu non est simpliciter vinum. Et ad confirmationem concedimus, aquam congelatam non esse sufficientem Baptismo, quia in eo statu non est apta ut medià ipsa fiat lotio, quæ est materia proxima & pars essentialis Baptismi, & significatur verbis formæ Baptismi; verbis verò formæ consecrationis non significatur quòd medio vino fiat potio, sed quòd sub speciebus vini sit Sanguis Christi, ad quod vinum congelatum est aptum, quamuis non sit proximè potabile.

Vasquez. Addit Vasquez num. 18. non esse peccatum in vino congelato consecrare, quamuis hoc sit contra consuetudinem Ecclesiæ, quia non sit contra prohibitionem aliquam latam, neque dicta consuetudine introductam, quia non feruetur tamquam necessaria & obligans.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum expediens sit aquam vino consecrando miscere.*

**E**Rror est Armenorum, existimantium, vinum absque vlla aquæ mixtione consecrandū esse: & in eodem sunt Lutherani & Calvinistæ.

Veritas tamen Catholica est, conueniens esse & expediens, aquam naturalem seu elementarem, vino consecrando miscere. Id autem constat ex eo, quòd Concilia, Summi Pontifices, & Patres id proponunt & tradunt ut faciendum, & ut traditionem Apostolicam, & ut antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ad imitandum Christum, qui id fecit, introductam. Ex Concilijs id tradunt & proponunt Concilium Trullanum can. 32. Carthagi-

Trullan.

nienfe III. cui interfuit Augustinus, can. 24. Braccarense III. can. 1. Aurelianense IV. cap. 4. Wormatiense cap. 4. & Tridentinum sess. 22. cap. 7. & ex Summis Pontificibus Alexander I. Epist. 1. c. 4. Julius I. relatus can. *Cum omne crimen*, de Consecratione, dist. 2. Innocentius III. in cap. *Cum Martha* 6. de Celebratione Missarum, & Eugenius IV. in suo Decreto fidei: & ex Patribus innumeris, & ex omnibus mundi partibus, quos referunt Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 10. & Vasquez 176. cap. 1.

Carth III. Bracc. III. Aurel. IV. Vormat. Trident. Alexand I. Julius I. Innoc. III. Eugen. IV.

Bellarmino Vasquez.

Et non desunt congruentiæ, quibus id esse decens & conueniens ostenditur, ex quibus tantum adducemus tres, quas expresseferunt Eugenius IV. & Tridentinum. Prima ergo & potissima est, quia Christus, quando consecrauit, & consecrationem instituit, sic fecit, ut tradunt Iacobus frater Domini, & Marcus Euangelista in suis Liturgijs, Clemens Romanus lib. 3. Constitut. cap. 17. aliàs 12. imò Eugenius IV. & Tridentinum affirmant, credi Christum sic fecisse. Obseruat autem Vasquez disp. 177. n. 11. credulitatem hanc ab Eugenio IV. & à Tridentino expressam, non esse coniecturalem, sed fidei Catholicæ, quia depropta fuit ex doctrina & traditione Patrum exhibita in disputatione.

Vasquez.

Secunda congruentia, qua ostèditur conuenientia mixtionis aquæ vino consecrando, est, ut eadem denotetur & recolatur, ex latere Christi exijisse aquam & sanguinem: vnde si ex latere Christi non exijisset, non posset hac ratione probari, dicta mixtionem esse faciendā, ut ait Innocentius in cap. *In quadam nostra*. 8. de Celebrat. Missarum, quamuis possit alijs congruentijs, præsertim primā adductā.

Tertia congruentia, qua ostenditur dicta conuenientia, est, ut mixtione aquæ cum vino denotetur vnio populi Christiani cū Christo, quia per aquam denotatur populus, & Christus per vinum.

Sed obijciunt hæretici Primò: Mixtio aquæ cum vino pessimam habet significationem, quia Isaia 1. dicitur, *Vinum tuum mixtū est aqua*, quo significatur, ut ait Hieronymus in eum locum, sinceritatem Iudæorum amissam esse; ergo dicta mixtione non potest aliquid boni significari. Respondemus, eandem rem variè consideratā, aliquando bonum & aliquando malum significare. Leo enim ratione fortitudinis significat Christum, Apocal. 5. & ratione crudelitatis dæmonē, 1. Petri 5. Mixtio ergo aquæ cum vino, quæ considerata in vendentibus vinum, significat corruptionem puritatis & sinceritatis; considerata in Christo, & in bibentibus vinum, fieri potuit ad bonum significandum, quia ea mixtio in ordine ad potationem est bona.

Obijciunt Secundò: Ex latere Christi non exiuit aqua mixta cum sanguine, sed seorsim, ergo ad denotandum exitum illum, non est miscenda aqua vino consecrando. Respondeo, quòd, ut exitus aquæ & sanguinis ex latere Christi sit sufficiens occasio ad miscendam aquam vino consecrando, non sit necessaria omnimoda similitudo & paritas inter mixtionem hanc, & inter exitum illum, præsertim quòd infusione ipsa aquæ & vini in calice denotari possit dictus exitus aquæ & sanguinis; quia in infusione vinum & aqua sunt distincta, mixtione autem ipsa postea in calice secuta ex infusione, denotari potest mixtio sanguinis & aquæ facta in terra.

Obijciunt Tertio: In Eucharistia non facimus commemorationem vnionis Christi cum Ecclesia, sed

sed



sed tantum passionis Christi; ergo ad denotandam unionem illam non est facienda dicta mixtio. Respondemus, in Eucharistia fieri unionem fidelium inter se & cum Christo, ut indicat Paulus 1. ad Corint. 10. dum deducit, nos esse unum, quia de vno pane & de vno calice participamus; ac proinde congruè fieri mixtionem, seu unionem aquæ cum vino consecrando, ad eam unionem denotandam. Et quamvis hæc unio fidelium inter se & cum Christo, non fiat ante sed post consecrationem, mixtio tamen aquæ cum vino congruè fit ante consecrationem, quia ex vna parte sic imitatur Christum, & ex altera parte dicta mixtio, quamvis ante consecrationem facta, non denotamus illam unionem ut ante consecrationem, sed ut post suo tempore faciendam.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum aquam vino consecrando miscere, sit necessarium necessitate præcepti.*

Supponimus Primò, in quo Doctores conveniunt, aquam vino consecrando miscere, esse necessarium ex præcepto; quod expriment Alexander I. Iulius I. Eugenius IV. & Tridentinum, scilicet Difficult. præcedenti; quod etiam ostendit consuetudo omnium Ecclesiarum, quæ, excepta Armenorum, id efficiunt tamquam quid necessarium & ex obligatione.

Supponimus Secundò, in quo etiam Doctores conveniunt, dictam mixtionem esse necessariam ex præcepto humano (sive ab Apostolis lato, sive consuetudine, ex tunc incepta, introducto) quod exprimit Tridentinũ, & significant Alexander I. Eugenius IV. & Concilium Trullanum can. 32.

His ergo suppositis, difficultas est, An dicta mixtio etiam sit necessaria ex præcepto diuino.

Alexander 4. parte q. 10. memb. 4. art. 1. Hofius in Confessione catholica, cap. 14. Castro lib. 6. v. Eucharistia, Hæres. 7. Henriquez lib. 8. cap. 12. & Valentia q. 2. punct. 1. docent, miscere aquam vino consecrando, etiam esse necessarium ex præcepto diuino: quod expressisse videntur Cyprianus Epist. 63. & Concilium Aurelianense IV. c. 4. Et ratione probatur, quia Christus in vino aqua mixto consecrauit, ergo facto suo ad id nos obligauit. Consequentia patet, quia in consecratione, & in administratione Sacramentorum ipsum imitari tenemur.

Scotus verò in 4. dist. 11. q. 6. Sotus dist. 9. q. 1. art. 6. Guillelmus Durandus l. 4. Rationalis diuinorum Officiorum, cap. 30. n. 12. Suarez disp. 45. sect. 2. Vasquez disp. 177. cap. 2. & Ægidius q. 74. art. 7. docent, miscere aquam vino consecrando, non esse necessarium ex præcepto diuino, sed tantum ex humano Ecclesiastico; quod maximè indicant Alexander I. Epist. 1. cap. 4. dum affirmat, se huiusmodi præceptum à Patribus accepisse; dixisset autem, à Christo, si à Christo traditum fuisset: & Eugenius IV. in suo Decreto, dum Armenos non miscentes aquam vino, tantum reprehendit, quia in hoc ab vniuersali Ecclesiæ obseruantia discrepent; & non, quia in eo transgrediantur præceptum diuino, quod dixisset, si verè esset: & Tridentinum sess. 22. c. 7. dum ait: *Monet sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam in calice offerendo miscerent.* ac si etiam esset

præceptum diuino, hac etiam ratione, & potius id moneret: & Concilium Trullanum can. 32. *Conc. Trull.* dum ait: *Si quis Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, & aquam vino miscens sic immaculatum offert Sacrificium, deponatur.* Ex quo contra Guillelmum Durandum, constat, auctorem huius præcepti non fuisse Alexandrum I. (quod etiã Alexander ipse fatetur) sed Apostolos. *Alexand.* Et quidem, nõ satis ostenditur dictam mixtionem fuisse à Christo præceptam: quia quamvis aliquando dicatur mandatum diuino, aut institutio diuina, aut traditio diuina, non ita dicitur, quia fit formaliter diuina, sed originatiuè, quia scilicet originem ducit ex facto Christi. Et sic exponi potest Cyprianus vbi supra, dum supponit, Christum dictam caerimoniam docuisse, mandasse, & præcepisse; & Concilium Aurelianense IV. dum ait, id fuisse à Christo institutum.

Et ad rationem concedimus, Christum in vino aqua mixto consecrasse, negamus tamen eo suo facto ad id nos obligasse: quia non tenemur Christum imitari quoad omnia quæ pertinent ad consecrationem & administrationem Sacramentorum, sed tantum quoad substantialia, quale non est miscere aquam vino consecrando.

Ex dictis constat, Romanum Pontificem & Ecclesiam posse in hoc præcepto, utpote purè humano, dispensare.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum mixtio aquæ vino consecrando, sit necessaria necessitate Sacramenti.*

Armacanus lib. 9. de Quæstionibus Armenorum cap. 9. docet, dictam mixtionem esse necessariam necessitate Sacramenti, id est, ut consecratio validè fiat. quod indicare videtur Cyprianus Epist. 63. dum ait: *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo neque vinum solum potest.* & infra: *Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, quomodo Corpus Christi non potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit.* Sed ad consecrationem Corporis ita est necessaria mixtio farine cum aqua, ut absque hac mixtione consecratio verbalis Corporis nõ habeat effectum; ergo consecratio Sanguinis non habebit effectum in solo vino absque mixtione aquæ. Idem quoque indicat Concilium Wormatiense, dum ait: *Non enim potest calix Domini esse aqua solum, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.* *Armacan.*

Et ratione probatur Primò, quia Christus consecrauit in vino aqua mixto: ergo vinum aqua mixtum est materia necessaria ad valorem consecrationis. Consequentia patet, quia ex eo deducimus, vinum vitis & panem triticum esse materiam necessariam ad valorem consecrationis, quia Christus in eis consecrauit. Secundò, quia si mixtio aquæ cum vino non est necessaria ad valorem consecrationis, ergo permittendus est Armenis mos consecrandi in solo vino absque aqua, sicut Græcis permittitur mos consecrandi in fermentato.

S. Thomas verò q. 74. art. 7. & ibidem Ægidius, Vasquez disp. 177. Suarez. disp. 45. & reliqui Theologi, excepto Armacano, docent, mixtionem aquæ cum vino non esse necessariam necessitate Sacramenti, seu ad valorem consecrationis Sanguinis; & merito:

Alexand. I.  
Iulius I.  
Eugen. IV.  
Trident.

Hofius.

Castro.

Henriquez.

Cyprianus.

Scotus.

Sotus.

Guillelm.

Suarez.

Vasquez.

Ægidius.

Trident.

S. Thomas.  
Ægidius.  
Vasquez.  
Suarez.



meritò: quia id significat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum, postquã dixit, materiam huius Sacramenti esse panem triticeum, & vinũ de vite, addidit: *Cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet.* quo satis significat, eam mixtionem non pertinere ad essentiam materiæ, sed tantũ esse necessariam ex præcepto: & ideò non reprehendit Armenos, quia non validè consecrant, sed quia in hoc ab vniuersali Ecclesiæ obseruantia discrepent. Et id non minũs significat Tridentinum c. 7. dum ait, præceptũ esse ab Ecclesia, vt aquam vino in calice offerendo misceant; at si ea mixtio esset necessaria necessitate Sacramenti, eam cõmendaret Sacerdotibus, non solũ quia est necessaria necessitate præcepti, sed etiam, & potiori ratione, quia esset necessaria necessitate Sacramenti. Et id tandem deducitur ex illo, quod diximus Diffic. præcedenti, nempe eam mixtionem non esse ex Iure diuino, sed tantũ ex humano; quia quæ pertinent ad essentiam Sacramenti, sunt ex Iure diuino.

Cyprianus autẽ in prædictis verbis tantũ voluit, esse præceptum miscendi aquam cum vino ad consecrationẽ Sanguinis; & hoc tantũ voluit deducere ex comparatione mixtionis aquæ cum vino, cum mixtione aquæ cũ farina; aliàs non excusasset suos antecessores, quia ex ignotantia non infuderunt aquã calici, dicens veniã esse illis concedendam, sed dixisset, illos nihil fecisse. Concilium quoq; Wormat. nihil aliud voluit quã Cyprianus.

Et ad primam rationẽ respondemus, ex factò illo Christi non deduci, mixtionẽ aquæ cum vino pertinere ad essentiã materiæ consecrationis Sanguinis, quia institutio materiæ tantũ est deducenda ex factò substantiali Christi, quale fuit consecrare vinum simpliciter; non verò ex accidentali, quale fuit consecrare vinum aquatum: sicut ex eo quòd cõsecrauit in pane azymo, tantũ deducitur, panem simpliciter esse materiam necessariam ad valorem consecrationis Corporis, non verò panẽ azymum.

Ad secundam concedimus, quòd, etiam si permitti possit Armenis mos consecrandi vinum absque aqua, tamen non expedit, quia mixtio aquæ cum vino fuit omnibus à tempore Apostolorum præcepta, & obseruata à principalibus Ecclesijs, nempe à Græca & Latina, non verò vsus azymi.

## DIFFICULTAS XIII.

*Quæ sint obseruanda in mixtione aquæ cum vino.*

Primo conueniunt Doctores, aquam vino miscendam debere esse naturalem seu elementarem (quæ & naturalis, non alia est, & dicitur simpliciter aqua) vt constat ex factò Christi, & vsu Ecclesiæ; & satis congruenter, quia sola aqua naturalis est accommodata ad significationẽ ob quam miscetur, nempe ad significandam aquam quæ ex latere Christi manauit, quæ verè fuit naturalis, & ad significandos populos, ob copiam & multitudinem ipsius.

Secundò conueniunt Doctores, aquam in parua quantitate comparatione vini, miscendam esse vino, & satis congruenter, quia virtus & efficacia Sanguinis Christi, qui significatur per vinum, est incomparabiliter maior, quã fragilitas populi, qui significatur per aquã: vnde in modicissima quantitate miscenda est, vt tradit Eugen. IV. in suo Decreto, quia fragilitas populi, comparatione virtutis San-

guinis Christi, modicissima est, & creditur Christum sic fecisse; quia Christus ad consecrandum vinum non miscuit illud temperantiæ causã) quia parum vini erat singulis Apostolis propinaturus, quia omnes ex eodem calice biberunt) sed tantũ illud miscuit ob dictas significationes.

Tertiò aqua misceri debet in altari, & tempore Sacrificij, & in ipso calice, & ante consecrationem, vt docent communiter Doctores, & constat ex vsu Ecclesiæ: imò & ante calicis oblationem, vt constat ex Missali Romano Rubrica 7. de Ritu seruando, & ex praxi. Permitti tamen potest fieri in principio Missæ, vbi consuetudo vigerit. Ita tamen faciendã est ante consecrationem, vt postea non sit faciendã, quamuis obliuione, aut alia de causa fuerit omissa; benè tamen ante consecrationem post oblationem calicis, si ante hanc omissa fuit.

Tandem circa personam à qua fieri debet dicta mixtio, est difficultas.

Henriquez c. 12. existimat, non necessariò esse faciendam ab ipso celebrante, debere tamen fieri à Sacerdote aliquo. Ledesma 1. part. 4. q. 15. art. 7. dub. 3. existimat debere fieri ab ipso Celebrante. Vasquez verò disp. 177. n. 18. existimat, in Missis priuatis debere fieri ab ipso celebrante, in solemnibus verò infusionem vini faciendam esse à Diacono, & mixtionem aquæ cum vino à Subdiacono, qui ipsi Celebranti assistunt, ita tamen vt Subdiaconus prius offerat ampullam aquæ ipsi Celebranti, aut proprio Episcopo, si Missæ assistat, & meritò; quia præceptum mixtionis consuetudine est modo dicto præscriptum.

## DIFFICULTAS XIV.

*Virum aqua vino consecrando mixta conuertatur in Sanguinem Christi.*

Innocentius III. in cap. *Cum Martha* 6. de Celebratione Missarum, tres de hac re opiniones refert. Prima opinio fuit, aquã vino mixtam conuerti in aquam quæ ex latere Christi exiit: & absque dubio opinio hæc eadem est, vt Glossa sentit, cum illa quam in cap. *In quadam nostra* 8. de Celebratione Missarum idem Innocentius refert, affirmantium, aquam vino mixtam conuerti in humorem aquaticum, seu phlegmaticum, quem isti existimarunt de latere Christi exiisse, & non veram aquam.

Opinio tamen hæc partim est falsa, partim absurda, & partim erronea. Est falsa, quoad id quod supponit, aquam mixtam non conuerti in vinum, vt postea contra secundã opinionem dicemus. Est absurda, quoad id quòd affirmat, aquã vino mixtam conuerti in humorem aquaticum, quia verbis consecrationis Sanguinis nulla alia cõuersio significatur nisi in Sanguinẽ Christi, ac proinde medijs illis nequit fieri alia cõuersio, quia verba consecrationis non efficiunt nisi quod significant. Tandem est erronea, quoad id quòd asserit, ex latere Christi non exiisse verã aquam, sed humorem aquæ similem, quia id damnat Innocentius in dictò cap. *In quadam nostra*, ex illo Ioan. 19. *Et continuo exiit sanguis & aqua.* & meritò: quia aqua verè & propriè non significat humorem phlegmaticum, sed aquam naturalem: verba autem Scripturæ, quoties fieri potest, explicanda sunt secundũ proprietatem, & in dicta propria significatione communiter sumitur & exponitur ab Interpretibus huius loci.

Trident.

Eugen. IV.

Innoc. III.

Glossa.

Innocent.



Secunda opinio, quam tertio loco retulit Innocentius III. fuit, aquam vino mixtam, quantumvis in multas partes diuisam, semper manere in sua propria substantia aquæ vino circumfusam, & non conuerti in Sanguinem Christi. Opinio hæc etiam sustineri non potest: Primò, quia supponit, aquam non conuerti in vinum, quod est falsum, & displicuit Innocentio III. & merito: quia, ut ait Aristoteles. 1. de Generat. c. 1. quod paruum est & facile diuidi potest, & potest pati ab alio magno, facile potest in naturam magni conuerti, ut contingit in exemplo adducto ab Aristotele, quando scilicet gutta vini infunditur magnæ copię aquæ; sed aqua quæ vino consecrando miscetur, potest & debet esse modicissima comparatione vini, & facile diuidi potest in minutissimas partes, & pati potest à calore & ab alijs qualitibus vini, quod in magna copia comparatione aquæ iniicitur. Ergo non solum sine fundamento, sed etiam contra rationem dictam affirmatur, aquam non conuerti in vinum consecrandum cui miscetur. Secundò sustineri non potest, quia supponit, aquam vino consecrando mixtam non conuerti in Sanguinem Christi, quia quoad hoc aduerfatur pluribus Patribus, qui expressè affirmant, aquam & vinum calicis conuerti in Sanguinem Christi. Ita Damascenus 4. de Fide c. 14. Algerus lib. 1. de Sacramento Corporis Domini c. 16. Paschalis lib. 1. de Corpore Christi cap. 11. Rabanus libro de Corpore & Sanguine Christi cap. 4. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & alij plures.

Damasc.

Algerus.

Rabanus.

Ambrosius.

Tertia ergo opinio, quam secundo loco refert Innocentius, & tamquam probabilior approbavit, verissima est, aquam scilicet vino mixtam conuerti in Sanguinem Christi; quod Patres tradunt, & amplectuntur omnes qui post Innocentium III. scripserunt, & ex dicendis amplius confirmabitur.

Superest tamen difficultas, An, ut aqua vino consecrando mixta in Sanguinem Christi conuertatur, necessarium sit quòd prius conuertatur in vinum; an etiam possit immediatè in Sanguinem Christi conuerti.

Alanus.

Pefanrius.

Iansenius.

Toletus.

Ægidius.

Scortia.

Layman.

Alanus 1. de Eucharistia, c. 13. Pefanrius 3. parte, quæst. 74. art. 8. disp. 2. Iansenius in Concordia cap. 131. Tolerus lib. 2. c. 25. Ægidius q. 74 art. 8. dub. 1. Scortia de Sacrificio Missæ lib. 4. ca. 1. & Laymannus tract. 4. c. 2. docent, non esse necessarium aquam vino consecrando mixtam prius conuerti in vinum, ut conuertatur in Sanguinem Christi, sed posse conuerti immediatè in illum, & tunc immediatè conuerti, quando tempore prolationis verborum consecrationis nondum conuersa est in vinum. Quod indicare videntur prædicti Patres, dum dicunt, aquam & vinum in Sanguinem Christi conuerti: quia si, ut aqua conuertatur in Sanguinem Christi, necessarium sit, quòd aqua prius conuertatur in vinum, numquam aqua in Sanguinem Christi conuertetur, sed tantum vinum; quia quod post conuersionem aquæ in vinum, conuertitur in Sanguinem Christi, non est aqua, sed vinum.

Et ratione probatur, Quia si, ut aqua conuertatur in Sanguinem Christi, prius sit necessaria conuersio aquæ in vinum, vel non est possibilis conuersio aquæ in Sanguinem Christi, quam Patres admittunt, vel est valdè incerta: quia aqua vel non potest conuerti in vinum, ut videtur experientiâ constare, qua experiri videmur, aquam longo tem-

pore post mixtionem cum vino, arte separari à vino: vel si conuerti potest, vix potest credi, tertiam partem aquæ (ut in Concilio Triburiensi cap. 19. permittebatur) inò & modicissimam aquam (ut modò fit) posse à tempore Offertorij vsq; ad consecrationem in vinum conuerti, præsertim quando contingit necessarium esse statim post sumptum Corpus iterum vinum calici infundi ad consecrationem, & ei aquam miscere, ut fit quando deceptione, aut alia de causa non fuit in initio infusum vinum; quia tunc necessarium est statim post infusionem vini, & mixtionem aquæ, verba consecrationis proferre, ut integrum fiat Sacrificium.

Secundò, quia credi non potest, Christum modicissimam aquam miscuisse, sed bonam partem aquæ, ut temperatè biberetur; tanta autem aqua non potuit in tam breui tempore in vinum conuerti, & tamen Christus totum, quod fuit in calice contentum, conuertit in suum Sanguinem; ergo.

Tertio, quia si farinæ tritici misceatur aliquid farinæ hordei, vel alterius frumenti, tunc panis ex vtraque confectus, quoad omnes suas partes conuertitur in Corpus Christi, ergo idem est dicendum de toto mixto ex aqua & vino.

Quartò, quia aliàs forma consecrationis Sanguinis redderetur falsa, si proferretur, quando aqua non esset in vinum conuersa, quia Pronomen *hic* in forma consecrationis Sanguinis contentum, demonstrat totam materiam præsentem.

Quintò, quia quamuis aqua non sit in vinum conuersa, tamè totum mixtum ex aqua, quando modicissima est, & ex vino, dicitur simpliciter vinum; ergo totum illud in Sanguinem Christi conuertitur.

Reliqui verò Theologi Scriptores, quos sequuntur Vasquez disp. 178. Suarez disput. 45. & Adamus Tanner. q. 2. dub. 6. docent, & merito, aquam non conuerti in Sanguinem Christi, nisi prius in vinum conuersam: quod ferè exprimitur in Catechismo Pij V. vbi etiam dicitur esse Scriptorum Ecclesiasticorum.

Et in primis opinio hæc, ut probabilior, approbatur & traditur ab Innocentio III. in dicto cap. *Cum Martha*: quia postquam retulit tres opiniones, ex quibus secunda erat, aquam cum vino in Sanguinem transmutari, quia aqua mixta transit in vinum, postea subdit: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior indicatur, quæ asserit aquam cum vino in Sanguinem transmutari.*

Quòd si respondeas, Innocentium non dixisse, aquam prius transire in vinum quàm in Sanguinem Christi, sed tantum dixisse, simul cum vino in Sanguinem transmutari; contra hanc responsionem est, quòd Innocentius dictis verbis vnam tantum approbavit opinionem ex tribus ab ipso relatis, ait enim, *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior indicatur, &c.* approbavit autem eam, quæ asserit, aquam cum vino in Sanguinem transmutari: nulla autem ex opinionibus ab ipso relatis erat, aquam in sua substantia manentem, vino mixtam, in Sanguinem Christi conuerti; sed secunda opinio dicebat, aquam cum vino in Sanguinem transmutari, quia transit in vinum; ergo Innocentius hanc tantum approbavit ut probabilior, quando ait, *Illam probabilior indicatur, quæ asserit, aquam cum vino in Sanguinem transmutari, & non opinionem eorum, qui dicunt, aquam immediatè conuerti in Sanguinem Christi, quia hanc non præ dixerat, neque retulerat.*

Idem



Eugen. IV.

Idem quoque maximè indicat Eugenius IV. in suo Decreto, dum in eo assignans ex professio materia Sacramentorum, non solum necessarias, sed etiam sufficientes, nullatenus assignat aquam vt materiam consecrationis, imò potius indicat non esse materiam illius, quia tantum assignat vinum vt materiam consecrationis Sanguinis, sicut etiam panis tantum triticeus, quem solum assignat vt materiam consecrationis Corporis, est materia sufficiens huius consecrationis.

Idem etiam probatur ex eo, quòd nullum sit firmum fundamentum ad asserendum, aquam in sua substantia permanentem, quamuis admixtam vino, esse materiam sufficientem consecrationi Sanguinis; in re autem ad eò graui, & quæ tantum pendet ex libera voluntate Christi, nihil est absque firmissimo fundamento asserendum.

Ex dictis deducitur, quòd si aqua vino mixta, ob temporis breuitatem, aut ob aliam causam non fuerit conuersa in vinum ante consecrationem (imò ante consecrationem inceptam) tunc manebit in sua propria substantia circumfusa accidentibus vini.

Ad fundamentum ergo aduersariorum, desumptum ex Patribus, qui dicunt, aquam simul cum vino conuerti in Sanguinem Christi, respondemus, eos tantum velle, aquam vino in calice mixtam conuerti in Sanguinem Christi, postquam sit conuersa in vinum; quia supponunt, aquam regulariter esse in vinum conuersam ante consecrationem; sicut etiam Innocentius III. cum, approbans illam secundam opinionem, vt probabilior, dixit, aquam cum vino in Sanguinem Christi conuerti, tantum voluit, aquam prius in vinum conuersam, postea conuerti in Sanguinem Christi; quia quando retulit eam opinionem, dixit sic affirmari ab Auctoribus illius.

Ad primam verò rationem respondemus, quòd quamuis necessaria sit conuersio aquæ in vinum, vt aqua in Sanguinem Christi conuertatur; nihilominus conuersio aquæ in Sanguinem Christi est possibilis, & etiam est (si non metaphysicè certa) moraliter certa, seu admodum probabilis, si aqua modica misceatur & tempore Offerentij: quia possibile est, & admodum probabile, aquam in parua quantitate comparatione vini, ipsi vino mixtam, transacto aliquo tempore in vinum ipsum conuerti. Aquam autem simul conuersam in vinum, impossibile est ab ipso arte aliqua separari, quamuis à vino adhuc puro possint arte separari partes subtiliores ipsius, quæ habent speciem humoris aquei, & multò plures, quando vinum est aquatum, ex quarum magna multitudine conijci poterit vinum esse aquatum. Quòd si aqua in magna quantitate misceatur vino, vt permissum fuit in Concilio Triburiensi, dubium erit adhuc post longum tempus, an conuertatur in vinum; & consequenter tunc etiam erit dubium, an aqua conuertatur in Sanguinem: & id eò permissio illa non fuit recepta in Ecclesia. Et eodem modo non erit adhuc probabile, sed dubium, aquam in paruo tempore in vinum conuerti, quamuis modica misceatur, vt quando statim post sumptum Corpus aqua misceatur vino, & fit consecratio, vt fiat integrum Sacrificium. In his autem, & in alijs casibus, si contingat aquam in vinum conuersam non esse, quando fit consecratio, aqua manebit in sua propria substantia: nihilominus tunc sumptio illius

aquæ cum speciebus vini non impedit celebrationem alterius Missæ ei, qui potest alteram celebrare, vt aduertit Vasquez num 26. quia credi non potest, Ecclesiam, quæ eam mixtionem præcepit, prohibere ieiunio ab ipsa requisito ad celebrationem Missæ, sumptionem aquæ mixtæ: quando non potuit commodè in vinum conuerti. Et tunc in adoratione specierum vini, quibus circumfusa est substantia aquæ, nullum est periculum idololatriæ: quia affectus adorationis tantum fertur in species vini Sanguinem Christi continentem, aut in Sanguinem Christi contentum, aut in species & Sanguinem simul.

Ad secundam respondemus, Christum parum aquæ miscuisse vino consecrando, quia non temperantiæ causa miscuit, sed ad significandum id quod nos ipsum imitantes significamus. Addit Vasquez, quòd si Christus tantam aquam miscuisset, vt non potuisset in vinum conuerti, eam non conuertisset in suum Sanguinem, sed in propria substantia reliquisset, quia non voluit aquam adhuc vino mixtam, esse materiam sufficientem consecrationi Sanguinis.

Ad tertiam respondemus, quòd si parum farina non triticeæ misceatur farina triticeæ, tunc per tot transmutationes forsan in panem triticeum conuertetur, & sic in Corpus Christi transibit; tamen si in propria substantia maneat, quamuis mixta triticeæ, & in minutissimas partes diuisa, non transibit in Corpus Christi, quia oppositum nullo sufficienti fundamento affirmabitur.

Ad quartam respondemus, quòd quamuis modica aqua non sit in vinum conuersa, quando verba consecrationis Sanguinis proferuntur, verba ipsa non sient falsa, sed vera ratione contenti sub speciebus vini, quod in sanguinem Christi conuertitur: quia quando aqua modica est, Pronomine demonstratiuo tantum demonstratur vinum, aut quod ipsi succedit, quia tunc vinum, aut ipsi succedens, est quod præcipuè continetur in calice, & de quo curamus; quia tunc communiter dicimus, Quod est in calice, est vinum, aut ipsi succedens; quia de nullo alio in parua quantitate curamus. Sicut quando gutta olei est in vino, tunc Pronomine demonstratiuo tantum demonstratur vinum, non gutta illa olei; & sicut quando in magna copia aqua est pars vini, tunc Pronomine demonstratiuo tantum demonstratur aqua, non illud parum vini, ac proinde Sacerdos, quamuis velit, non consecrabit illud.

Ad quintam respondemus, quòd quando in calice continetur modica aqua mixta vino, & in ipsum non conuersa, id quod in calice continetur, dicitur absolutè & simpliciter vinum, non quia totum illud mixtum sit, & dicatur simpliciter vinum, sed quia præcipuum, quod tunc in calice continetur, & de quo curamus, est vinum: & id eò tunc Pronomine demonstratiuo tantum demonstramus vinum, aut ipsi succedens, non verò mixtum illud ex aqua & vino, neque aliquid quod ipsi mixto succedat, quia mixtum istud non conuertitur in Sanguinem Christi, sed tantum vinum.



## DIFFICULTAS XV.

*Vtrum materia consecrationis, tam Corporis quam Sanguinis, debeat esse praesens consecranti.*

Conueniunt Doctores, materiam consecrationis debere esse praesentem moraliter Sacerdoti consecrati, vt validè fiat consecratio. Quod constat ex vsu Ecclesiae, in qua numquam consecratur, nisi materia moraliter praesens, desumpto ex facto Christi, qui materiam tantum moraliter praesentem consecrauit, & id nobis faciendum reliquit. Quod etiam Pronomine demonstratiuo *hoc* & *hic*, quo ad consecrationem vtimur, denotatur: quia eo Pronomine in consecratione Sacerdos demonstrat rem; non rem de qua necessum sit antea cogitasse, & imaginatum fuisse, vt eam demonstrat, quae demonstrari potest imaginationi aut intellectui, sed rem de qua tunc, quando fit consecratio, incidit primò sermo consecratorius, & occasio consecratoriè loquendi, quae demonstrari nequit imaginationi, quia huic tantum potest demonstrari quod antea imaginatum est; neque intellectui, quia huic tantum potest demonstrari quod antea est intellectum, sed tantum potest sensui exteriori demonstrari.

Ad hanc tamen praesentiam, qua materia consecrationis debet esse moraliter praesens, duo requiruntur: Primò, quòd materia actu physice sentiatur sensui aliquo exteriore, aut saltem quòd ita exposita sit sensui, & ita facile possit sentiri, vt moraliter censeatur sentiri, quia Pronomine demonstratiuo, siue ad sensum siue ad intellectum ad minus denotatur, quòd qui aliquid demonstrat, illud sibi, seu suo sensui, aut suo intellectui signet & demonstrat (quamuis etiam possit alijs) & ideò necessarium est, quòd illud sentiat, aut physice, aut moraliter, id est, quòd illud censeatur sentire. Secundò requiritur, quòd materia sit localiter propinqua ipsi consecranti: quia si sit nimis distans, vt, si distet centum passibus, imò si distet quadraginta, non fiet consecratio; quia tunc nec ipsa materia, nec quod materiae ipsi succedit, poterit sensui exteriori Pronomine *hic* & *hoc* demonstrari, quamuis possit Pronomine *illud*, si sit in nimia distantia, aut Pronomine *istud*, si sit in minori. Quòd si, quando à longè videmus ciuitatem ad quam tendimus, & eam Pronomine *hoc* demonstramus, vt quando dicimus, *Hac ciuitas ad quam tendimus*, tunc non fit demonstratio sensui, sed tantum intellectui, quia antea de illa cogitauerat; fiet autem sensui Pronomine *illa* aut *ista*. Sed quanta propinquitas localis necessaria sit & sufficiat ad validam consecrationem, nequit certò definiti; quia nequit certò definiti, quanta sit necessaria, & sufficiens, vt materia consecrationis, vel quod ipsi succedit, possit Pronomine *hoc* sensui exteriori demonstrari; quia materia, quae nequit Pronomine *hoc* ad sensum demonstrari, nequit validè consecrari, & quae eo Pronomine demonstrari potest ad sensum, potest validè consecrari, quia eo Pronomine fit consecratio. Id tamen certum existimamus, in quo contra Viguerium cap. 16. conueniunt communiter Theologi, ad validam consecrationem materiae non esse neces-

farium, quòd sonus Pronominis *hoc*, neque reliquorum verborum formae perueniat physice per se ipsum, neque intentionaliter per speciem sui, ad materiam ipsam, quia accessus iste non est necessarius, vt materia possit Pronomine *hoc* demonstrari: neque de eo accessu loquitur Augustinus Tract. 80. in Ioannem, dum de Baptismo loquens ait, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; quia his verbis tantum vult ad Baptismum non sufficere aquam, sed etiam requiri verba formae Baptismi.

Ita tamen ad praesentiam ad valorem consecrationis requisitam, ad minus est necessarium, quòd materia sit sensui exteriori exposita, vt etiam sufficiat, si sit exposita visui, quamuis ab ipso non percipiatur, vt contra Vasquez disp. 171. aduertunt Ægidius q. 74. art. 2. dub. 1. Ochagavia q. 6. Laymannus ca. 2. & Bonacina q. 2. par. 6. quia quando est exposita visui, si aliàs sit ipsi sufficienter propinqua, quamuis actu non videatur, potest Pronomine *hoc* demonstrari à Sacerdote (nisi iste sit caecus, quia iste nequit materiam videre) quia sic exposita & propinqua censeatur moraliter videri à Sacerdote non caeco. Et ideò Sacerdos validè consecrat formas quas habet in pyxide, vel supra corporale positas, quamuis illas non videat, quia habet illas visui expositas. Non tamen sufficit, quòd materia sit exposita alicui alij sensui exteriori, sed necessarium est quòd actu percipiatur aliquo alio, nempe aut tactu, aut olfactu, aut gustu, aut auditu, quia aliter nequit alicui sensui ex istis Pronomine *hoc* demonstrari, quia nulla res exposita alijs sensibus, censeatur moraliter sentiri; benè tamen exposita visui, ob huius facilitatem maximam supra alios ad sentiendum. Ad hoc autem, quòd res Pronomine *hoc* ad sensum exteriorem demonstratur, necessarium est quòd ab illo sentiatur, aut censeatur ab illo sentiri.

Sed quamuis ad praesentiam, ad valorem consecrationis requisitam, necessarium sit, quòd materia sit aut exposita visui, aut actu percepta ab alio sensui exteriori, non tamen est necessarium, quòd per se, seu ratione sui sit exposita, aut actu percepta; quia sufficit, quòd id materiae conueniat ratione continentis ipsam, quia per metonymiam continens sumitur pro contento: ac proinde continente demonstrato & assignato, per Pronomen *hoc* eo ipso demonstratur contentum, vnde materia cooperta, aut inclusa in vase, consecrari potest; secus est, quando materia existit post parietem, aut post linteum, non habentia figuras continentis.

Tandem materia siue continua, vt magna copia vini, siue discreta, vt cumulus formarum, ita debet esse exposita visui, aut actu percepta ab alio sensui exteriori, vt necessarium non sit, quòd secundum se totam sit exposita visui, vt possit secundum se totam videri, neque quòd secundum se totam sit percepta ab aliquo alio sensui, dum sit exposita, aut actu percepta secundum aliquam partem, si alias secundum se totam sit in propinquitate locali debita: quia tunc materia illa potest absolute & secundum se totam Pronomine *hoc* ad sensum demonstrari. Imò quamuis secundum se totam non sit in propinquitate aliàs sufficiente, sed tantum secundum aliquam partem, vt contra Adamum quaest. 2. dub. 2. & contra alios aduertit Vasquez num. 25. quia vt materia aliqua possit Pronomine *hoc* ad sensum demonstrari, non minus requiritur quòd

Vasquez.  
Ægidius.  
Ochagau.  
Layman.  
Bonacina.

Vasquez.



quòd sit exposita visui, aut percepta ab alio sensu, quàm quòd sit in propinquitate commoda & morali; sed vt secundùm se totam possit Pronomine hoc demonstrari, sufficit quòd secundùm aliquam partem sit visui exposita, aut acta percepta ab alio sensu, ergo etiam sufficiet, quòd secundùm aliquam partem sit in propinquitate commoda & morali.

## DIFFICULTAS XVI.

*Vtrum materia consecrationis debeat esse determinata & definita in particulari per intentionem consecrantis.*

**C**onueniunt Doctores, materiam consecrationis ita debere ad valorem consecrationis intentione consecrantis determinari & definiti in indiuiduo, vt non sufficiat intètionem consecrantis ferri in hanc vel in illam materiam vagè & indeterminatè, sed necessarium esse, ferri in hanc determinatam materiam; quia intentio consecrantis correspondere debet & quadrare ipsis verbis, quibus efficit consecrationem; his autem nequit demonstrari, nisi materia determinata & designata in indiuiduo; ergo intentio consecrantis, vt efficax sit, & vt medià eà fiat consecratio, debet in materiam determinatam in indiuiduo ferri.

Quòd si obijcias: Sacerdos potest confitentem tantùm venialia absoluere à duobus venialibus tantùm, & non ab alijs, non determinando sua intentione duo illa; ergo etiam poterit consecrare partem aliquam materiae, non determinando illam sua intentione; Respondemus, in casu dicto absolutionem fore nullam, & à nullo peccato fieri, quia non est maior ratio, quare fiat ab his duobus quàm ab alijs duobus, quia supra nulla duo determinata cadit absolutio. Et quamuis admittamus, in eo casu fieri absolutione à duobus, quamuis non designatis intentione Sacerdotis, non tamen fiet consecratio partis materiae non designatae intentione ministri, ob discrimen inter verba quibus vtitur absolvens, & inter verba quibus vtitur consecrans, quia hic vtitur Pronomine demonstratiuo & designatiuo, non verò ille.

Vnde Sacerdos, qui ex vndecim formulis, quas habet in prospectu, tantùm intendit consecrare decem, has decem sua intentione non determinando, nullam consecrat, ob rationem dictam: quæ amplius declaratur & confirmatur, quia tunc non consecrat vndecim, quia id non intendit adhuc confusè; neque consecrat decem, quia ex vndecim excludenda est vna, & non consecranda; & non est maior ratio quare excludatur hæc aut illa, quàm quæcumque alia, quia nullam ex vndecim determinatè excludit. Nihilominus habens in prospectu vndecim, quamuis falso existimet esse tantùm decem, consecrat omnes vndecim, si non limitet intentionem ad decem, quia verè intendit, quamuis confusè, consecrare omnes quas habet in prospectu, quia expressè non restringit suam intentionem ad decem, quia ex vna parte error ille optimè compatitur cum intentione consecrandi omnes quas habet in prospectu (quod vt sic est quid determinatum in indiuiduo) & ex altera parte verè vult consecrare omne quod habet in prospectu, quia nihil excludit: & ob eandem ratio-

nem habens in prospectu duas hostias, existimans esse tantùm vnã, consecrat illas duas, si non restringat intentionem ad vnã tantùm.

Addimus Primò, vt contra Ægidium dub. 3. aduertunt Vasquez disp. 171. Suarez disp. 43. Bonacina disp. 4. quæst. 2. punct. 5. & Adamus du. 2. Sacerdotem, qui ex vndecim formulis intendat consecrare decem quas Deus velit, nullam consecrare, etiam si Deus illas decem eligat; quia tunc nequit illas decem Pronomine demonstratiuo sensui exteriori (imò neque intellectui) demonstrare & designare, quia ignorat quas decem ex illis Deus velit.

Quòd si obijcias: Sacerdos potest offerre sacrificium Missæ pro anima quam Deus designet & eligat, & tunc Sacrificiū proficiet animæ quam Deus elegerit, si aliquam elegerit; ergo etiam poterit consecrare materiam quam Deus designauerit, si aliquam designauerit. Respondeo, esse disparem rationem inter consecrationem materiae, & inter applicationem Sacrificij pro aliquo: quia consecratio fit à Sacerdote verbis formæ demonstrantibus sensui exteriori, aut materiam consecrandam, aut potius quod ipsi materiae succedit; quod fieri nequit, quando materia non est designata, & nota in indiuiduo isti consecranti: applicatio verò Sacrificij non fit demonstrando animam cui applicatur, ac proinde potest applicari animæ ignotæ, & non designatæ ab applicante.

Addimus secundò, in quo Doctores communiter conueniunt, eum, qui plures formas portauit ad altare, intentione consecrandi illas, aut ipsi iam existenti in altari appositæ sunt ad id, & tunc decreuit illas suo tempore consecrare, quamuis postea tempore consecrationis tantùm recorderetur hostiæ quam tantùm habet in manibus, etiam consecrare formulas illas, si aliàs sint sufficienter propinquæ, & visui expositæ, quia tunc in eas fertur intentione antiqua, quæ ad valorem consecrationis sufficit, quia virtualiter perseverat.

Qui verò vinum in calice consecrat, non consecrat guttas vini adhærentes superficiæ exteriori calicis (& multò minùs existentis in pede calicis) quamuis eas habeat in prospectu, nisi id expressè intendat (quod illicitè intender) in quo Doctores conueniunt; quia nemo censetur intendere eas adeò discontinuatas à vino continuo, intra calicem existente in profundo, consecrare: imò neque guttas intra calicem existentes discontinuatas à vino continuo existente in profundo, vt contra Bonacinam aduertunt Reginaldus c. 2. Ochagauia q. 6. & Laymannus c. 2. Et non solùm non consecrat guttas remotiores circa labrum calicis existentes, in quo etiam Ægidius n. 45. cum prædictis conuenit contra Bonacinam, sed neque propinquas ipsi vino existenti in profundo, vt contra ipsum Ægidium, & contra Adamum quæst. 2. nu. 79. aduertunt prædicti, quia consecrans, quando aliud non expressè intendit, tantùm censetur velle consecrare vinum, quod per modum potabilis existit intra calicem, quod tantùm est illud continuum quod est in profundo calicis. Addimus etiam, consecrare, & censeri velle consecrare eas guttas, quæ incepta prolotione verborum erant continuæ cum vino existente in profundo, quamuis ante perfectionem prolotionis discontinuentur, & quæ post inceptam prolotionem ante perfectam continuantur. Qui tamen consecrat formulas existentes in



patena, aut intra pyxidem, etiam consecrat & consecratur velle consecrare particulas existentes intra pyxidem, aut in patena mixtas cum formulis, ut patet; imò existentes extra ambitum aut spatium formularum existentium intra pyxidem, aut in patena, etiam si non fuerint contiguæ in principio prolationis verborum, nec fiant contiguæ ante perfectionem prolationis verborum, quia ista, quamvis non contiguæ cum formulis, existunt per modum comestibilis intra pyxidem, aut in patena.

## DIFFICULTAS XVII.

*Utrum materia consecrationis possit in quavis parua quantitate valide consecrari.*

**D**ifficultas hæc non procedit de materia partiali existente in totali materia, quia hæc partialis materia, quantumvis minor & minor, valide potest consecrari in toto ipso, quia omnes particule panis & vini consecrati, quantumvis parue sint, consecratae sunt, ut constat ex Trident. sess. 23. c. 4. & can. 3. & 4. & constabit ex dicendis; sed procedit de materia totali, an hæc possit in quavis parua quantitate consecrari.

Circa quam conueniunt Doctores, materiam, quantumvis paruam, si sensu aliquo humano exteriori sentiri possit, consecrari posse, quia ex vna parte in ea manet substantia panis aut vini, ut supponimus, & ex altera est sensibilis, ac proinde demonstrabilis ad sensum Pronomine *hoc*.

Est ergo difficultas, An materia, quæ ob sui paritatem nullo sensu exteriori percipi potest, consecrari possit.

*Sotus.  
Valentia.  
Henriq.*

Sotus in 4. dist. 9. quæst. vnica, art. 1. Valentia disp. 6. quæst. 2. punct. 2. Henriquez lib. 8. cap. 14. & Adamus q. 2. dub. 2. partem affirmatiuam tuentur, quia ex vi consecrationis tantum fit, ut loco substantiæ panis & vini succedat sub accidentibus eorum Corpus aut Sanguis Christi; ergo sub quavis quantitate, quantumvis imperceptibili per sensum, sub qua sit substantia panis aut vini, valide fiet consecratio.

*Maior.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.*

Maior verò in 4. dist. 11. q. 2. Vasquez disp. 171. cap. 2. Suarez disp. 43. sect. 7. & Ægidius dub. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia tunc materia illa non potest Pronomine *hoc* ad sensum exteriori demonstrari; ergo nequit valide consecrari, quia consecratio fit ex vi demonstrationis & significationis verborum formæ.

Addimus Primo, id etiam esse verum, quamvis materia, quæ sensu exteriori percipi nequit, sit inclusa in vase: quia quamvis tunc possit designari seu demonstrari vas, non tamen ipsa in vase inclusa; quia materia, quæ aliàs præsens exposita sensui nequit ratione sui demonstrari, & est incapax ut demonstretur, non dicitur in continente demonstrari, demonstrato continente.

Addimus Secundo contra Maiorem, facta semel consecratione, v.g. panis, Corpus Christi retineri sub quacumque minima parte sub qua posset conseruari substantia panis, quamvis panis nullo sensu humano percipi possit (sub qua, quamvis sic imperceptibili, potest absque dubio conseruari, ut potest substantia non viuens) quia Corpus Christi succedit loco substantiæ panis sub eius accidentibus, seu speciebus: ergo quamdiu substan-

tia panis sub illis conseruatur, retinetur Corpus Christi. In hoc autem casu species illa, quamvis sensu humano imperceptibiles seu insensibiles, habebunt rationem Sacramenti, quia erunt signum sensibile in alio, nempe in toto à quo separata fuerunt; & erunt signum sensibile in toto, si ei iterum vniantur, quod sufficit ad rationem Sacramenti.

Obseruandum est, ut optimè Vasquez contra nonnullos, quòd quamvis materia, sensu aliquo humano perceptibilis, consecrabilis sit, non tamen possit consecrari nisi ab eo à quo sentiri potest; quia qui non potest sensu aliquo rem aliquam percipere, nequit illam, neque aliquid sub illa, Pronomine *hoc* ad sensum sibi signare & demonstrare, quia Pronomine demonstratiuo id ad minus denotatur, ut diximus Diffic. xv. Ab eo tamen à quo materia sentitur, potest consecrari, quamvis eam non sentiat naturaliter, sed tantum supernaturaliter; quia iste potest Pronomine demonstratiuo *hoc* uti circa eam materiam, quæ eam potest sibi signare & demonstrare.

## DIFFICULTAS XVIII.

*Utrum materia consecrationis possit in quavis magna quantitate valide consecrari.*

**A**lexander 4. parte, quæst. 10. memb. 4. art. 2. Bonauentura in 4. dist. 10. parte 2. ar. 1. q. 4. Paludanus dist. 11. quæst. 1. artic. 3. Angelus v. Eucharistia 1. num. 25. & alij docent, materiam non posse in quavis magna quantitate valide consecrari. Doctores tamen isti non conueniunt in assignanda magnitudine in qua possit materia valide consecrari, quia Paludanus ait eam magnitudinem esse soli Deo notam; Alexander, Bonauentura & Angelus dicunt, in ea tantum posse consecrari, in qua vsui fidelium sit accommodata, & non in maiori; alij verò, in ea tantum magnitudine, in qua secundum ritum Ecclesiæ consecrari debet.

Id ergo in quo Doctores isti conueniunt, probatur Primò, quia virtus Sacerdotis ad consecrandum, nempe character, & etiam virtus verborum quibus consecrat, est finita, ergo Sacerdos tantum potest operari circa materiam finitam & determinatam, ita ut circa maiorem non possit. Secundo, quia Christus sapientissimè se gessit circa institutionem Sacramentorum; ergo credendum est non reliquisse Sacerdotibus potestatem consecrandi materiam in quavis magna quantitate, sed tantum in ea quam exigit vsus fidelium, in quem eam potestatem reliquit.

S. Thomas verò quæst. 74. ar. 2. Durandus in 4. dist. 11. quæst. 7. Sotus dist. 9. quæst. vnica, art. 2. Vasquez disp. 171. cap. 3. Suarez disp. 43. sect. 8. Adamus dubio 2. & communiter Doctores docent, materiam posse valide consecrari in quavis magna quantitate, absque termino aliquo, quantum est ex parte magnitudinis, & meritò: quia ex vna parte materia consecrationis, quantumvis maior & maior, non desinit esse materia, quia panis v. g. quantumvis maior & maior, non desinit esse panis, & verba consecrationis possunt accommodatè proferri circa quamcumque maximam quantitatem materiæ absque limite, quia quacumque maxima quantitas, quantum est ex se, potest verbis consecratio-



secrationis demonstrari siue vna siue pluribus consecrationibus: & ex altera parte ad id non obstat, quod virtus propria & physica Sacerdotis sit finita & limitata, quia Sacerdos non operatur propria virtute, sed Dei, vt minister & instrumentum eius; imò siiple non operatur physicè ad consecrationem, sed solus Deus. (ex quo constat ad primam rationem aduersariorum.) Neque quod potestas consecrandi collata sit in vsum fidelium, obstat ad hoc, quod Sacerdos possit consecrare maiorem materiam quam vsum fidelium exigit, quia si non possit, limitatio hæc exposita esset multis & grauibus incommodis, quia semper aut ferè semper dubium esset, an posset fieri de nouo consecratio, quia semper aut ferè semper est dubium, an formula quæ consecrata existunt, sufficiant pro fidelibus, & semper esset dubium, an possent consecrari tot vel tot formula, v. g. an possent consecrari octo, an decem, quia nequit pro certo definiti numerus formarum sufficiens ad vsum fidelium. Fuit ergo maximè conueniens, & maximæ prudentiæ in Christo instituyente, vt potestas validè consecrandi accommodata fuerit significationi verborum, vt valor consecra-

tionis non esset tantæ anxietati expositus. Ex quo constat ad secundam rationem aduersariorum.

Sacerdos ergo potest validè consecrare quamcumque magnam molem materia (lacum videlicet vini) etiam si magna pars illius ratione sui non sit moraliter præsens, dummodò secundum aliquam magnitudinem illius sit præsens moraliter, quia tunc non obstat magnitudo, vt nuper dicebamus, neque defectus præsentia aliquarum partium ratione ipsarum, vt diximus Diffic. xv. quia magna moles, siue panis siue vini, cuius aliqua pars est præsens, quamuis reliquæ ratione sui sint absentes, potest verè & absolutè demonstrari ad sensum Pronomine demonstratiuo *hoc*; quia optimè dicimus, *hic lacus, hoc flumen, hoc mare*. Vnde quando dictum Pronomen dirigitur ad totam molem, falsò dicitur, *hoc est vinum*, quamuis proxima pars sit vinum, si ferè tota residua moles sit aqua, & verè dicitur, quamuis proxima pars sit aqua, si ferè tota residua moles sit vinum: secus est, si tantum dirigatur ad partem proximam, quia si proxima sit vinum, verè dicitur, *hoc est vinum*, & falsò, si proxima pars sit aqua.

## DISPUTATIO III.

## De forma Sacramenti Eucharistia.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum Christus eisdem verbis gratias egerit Patri, benedixerit panem & vinum, & ea consecrauerit.*

**P**LVRA apud Euangelistas legimus Christum fecisse, quando Eucharistiam instituit, nempe gratias egisse Deo, benedixisse & fregisse panem, & protulisse verba consecrationis.

Est tamen difficultas circa distinctionem & ordinem harum quatuor actionum.

Conueniunt Theologi, fractionem panis fuisse actionem distinctam ab alijs tribus, vt ex se patet, & ex modo quo vt distincta ab illis refertur ab Euangelistis, desinent tamen circa alias tres.

Alexander 4 par. quæst 10. memb. 4. art. 2. Durandus in 4. dist. 8. q. 2. Marsilius in 4. q. 6. ar. 1. Becanus cap. 21. q. 3. & Theologi Catechismi Pij V. tit. de Eucharistia, docent, Christum eisdem verbis, quibus consecrauit panem & vinum, eis benedixisse, ita vt benedictio non fuerit distincta à consecratione, quia verba consecrationis panis & vini sunt benedictio eorum; ergo absque fundamento distinguitur benedictio à consecratione. Quod autem prolato verborum consecrationis sit benedictio, indicare videtur Paulus 1. ad Corinth. 10. illis verbis: *Calix benedictionis, cui benedicimus.* & significare videntur Iustinus in Apologia 2. & Cyprian. de Cæna Domini.

Armacan. Armacan. lib. 9. Quæstionum contra Armenos, c. 5. docet, benedictionem fuisse distinctam à consecratione, non tamen à gratiarum actione; quia Christus gratias egit Deo, (acproinde eam

benedictionem non fuisse panis & vini, sed Dei, quia Deum benedixit, ipsi gratias agendo) quia Lucas cap. 22. & Paulus 1. ad Corinth. 11. pro benedictione, cuius Matthæus & Marcus mentionem faciunt, vtuntur gratiarum actione.

Sotus verò in 4. dist. 11. q. 1. art. 2. Iansenius in Sotus. sua Concordia 131. Suarez disp. 58. & Vasquez *Iansenius.* disp. 196. docent, & meritò, gratiarum actionem, *Suarez.* benedictionem & consecrationem fuisse tres *Vasquez.* actiones inter se distinctas.

Et in primis, benedictionem panis & vini fuisse actionem distinctam à consecratione, satis indicatur in Tridentino sess. 13. cap. 1. dum dicitur: *Post Trident.* panis vniquæ benedictionem se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est. quibus Tridentinum significat, Christum post benedictionem panis & vini consecrauit, quia verbis ipsius consecrationis testatus est, se illis suum Corpus & Sanguinem præbere. Id quoque indicatur in Euangelio, quia in eo benedictio & consecratio narrantur vt distinctæ; quia Matth. 26. dicitur, *Accipit Iesus panem, & benedixit, fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedate, hoc est Corpus meum.* quod etiam vsum Ecclesiæ confirmat, quia Sacerdos imitatione Christi consecraturus, præmittit benedictionem panis & vini antequam consecret. Quamuis ergo consecratio panis & vini etiam sit benedictio eorum, quia consecratione in melius conuertuntur, nihilominus Christus alia etiam benedictione, distincta à consecratione, panem & vinum benedixit alijs verbis, inuocando videlicet Deum super panem, & eis aliquid boni apprecando.

Deinde gratiarum actionem fuisse distinctam à consecratione, indicatur in Euangelio, dum ista narrantur vt distinctæ. Et ratione constat, quia gratia-



gratiarum actio refertur in Deum, consecratio vero in panem & vinum.

Tandem gratiarum actionem fuisse distinctam à benedictione, satis indicatur in Euangelio, quia Matthæi 26. & Marci 14. narratur ut distincta, & in Canone Missæ, dum in eo exprimentur ut distincta.

Paulus verò & Lucas non meminerunt benedictionis, sed gratiarum actionis, non quia essent eadem actio, sed quia eo ipso quòd exprimebant gratiarum actionem, etiam denotabant benedictionem; quia tunc ex more ad gratiarum actionem supra rem aliquam sequebatur benedictio illius, ut indicat Paulus 1. ad Corinth. 4. Quo etiam confirmatur, gratiarum actionem & benedictionem fuisse actiones distinctas.

Circa ordinem ergo actionum, quæ factæ fuerunt tempore consecrationis, credimus Christum primò accepisse panem, secundo gratias egisse Deo, (forsan pro eo, quòd virtus diuina ipsi semper assisteret ad patranda mirabilia, qua ratione Ioannis 11. excitaturus Lazarum gratias egit Deo) tertio benedixisse panem; quarto illum fregisse, quinto consecrasse (quia ordine prædicto referuntur in Euangelio factæ, & absque urgente necessitate non est negandus, neque est recurrendum ad figuram anticipationis, qua aliquando Euangelista vtuntur;) & sexto post consecrationem panis illum distribuissè Discipulis suis, qui ante distributionem debuit consecrari. Et ideò quamuis in Euangelio prius referatur distributio quam prolatio verborum consecrationis, recurrimus ad vsum anticipationis.

## DIFFICULTAS II.

### Quo pacto Christus consecrauerit.

Catherin.

Catherinus Tract. de hac re, pro viribus defendit, Christum sola diuina virtute, absque vllis verbis consecrasse: quod probabile indicant Innocentius III. lib. 4. de Mysterijs Missæ, cap. 6. Archidiaconus in can. *Timorem*, de Consecratione Diffic. 11. Guillelmus Durandus lib. 4. Diuinorum officiorum cap. 41. & Alliaccensis in 4. q. 5. art. 1. lit. H. Et probari potest Primò, quia quamuis ex Scriptura constet, Christum verba consecrationis protulisse; & Ecclesia definierit, Christum verba illa nobis pro forma reliquisse; tamen neque ex Scriptura, neque ex definitione Ecclesiæ, neque aliunde constat, Christum verbis illis consecrasse: ergo. Secundò, quia nisi prius Christus consecrasset, quam proferret verba consecrationis quibus nos consecramus, non pronuntiaffet illa verè, quia verba consecrationis non significant aliquid fieri, sed iam esse. Tertio, quia Marci 14. cap. prius narrat Christum dedisse calicem discipulis, & eos omnes ex illo bibisse, quam verba consecrationis calicis protulerit.

S. Thomas.

Ægidius.

Vasquez.

Adamus.

Becanus.

Trident.

S. Thomas verò quæst. 78. art. 1. Ægidius du. 1. Vasquez disp. 197. Adamus quæst. 3. dub. 1. Becanus cap. 21. quæst. 3. & communiter Theologi docent, & merito, Christum verbis consecrationis, quibus nos vtimur, consecrasse. quòd indicat Tridentinum sess. 13. cap. 1. dum ait: *Maiores nostri apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in vltima cæna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis viniq; benedictionem, se suum*

*ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem, dispersis ac perspicuis verbis testatus est. Si ergo Christus prolatione verborum consecrationis Sacramentum Eucharistiæ instituit, eis verè consecrauit, quia non potuit prolatione eorum illud instituire, nisi factò suo, nempe medijs illis, consecrationem efficiendo. Idem quoque significat cap. 4. dum ait: Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum, id quod sub speciebus panis offerebat, verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius substantiæ, &c. Vbi Tridentinum ex veritate verborum consecrationis collegit, fieri conuersionem panis in Corpus Christi: & non tantum colligit nunc fieri à Sacerdotibus, sed etiam factam fuisse à Christo, quando verba consecrationis protulit, ait enim, Et id quod sub specie panis offerebat, verè esse suum Corpus dixit. Tridentinum ergo manifestè sentit, conuersionem seu consecrationem panis factam fuisse à Christo verbis illis, Hoc est Corpus meum.*

Et id ratione probatur, quia verba consecrationis, quibus nos vtimur ad consecrandum, sunt apertissima ad id, & ad id illa nobis Christus reliquit, & à Christo, tempore quo ipse consecrauit, fuerunt prolata: ergo absque fundamento, imò & contra rationem negatur Christum illis consecrasse.

Ad primam ergo rationem Catherini respondeamus, quòd quamuis ex Scriptura non constet, Christum verbis, quibus nos vtimur, consecrasse, id tamen deducitur ex Tridentino, & dicta ratione confirmatur. Et ad secundam negamus, verba consecrationis non significare aliquid fieri, ut Diff. 11. Ad tertiam concedimus, Marcum prius narraffe Christum dedisse calicem discipulis, & eos ex calice bibisse; & postea narraffe, Christum verba consecrationis protulisse: id tamen fecit Marcus per figuram anticipationis, qui non eodem ordine narrauit, ac alij.

## DIFFICULTAS III.

Vtrum præter verba, quibus Christus consecrauit, sint necessaria alia, vt nunc fiat à Sacerdotibus consecratio.

Error est Græcorum recentiorum, verba, quibus Christus consecrauit, & quibus nunc vtitur Ecclesia Latina, non sufficere Sacerdotibus ad consecrandum, sed necessarium esse addere quasdam alias orationes & preces, quibus à Deo petatur, vt panis conuertatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi.

Id autem probant auctoritate, Primò, quia multi Patres dicunt consecrationem fieri orationibus & precibus, & tamen hæc verba, *Hoc est Corpus meum, & Hic est calix Sanguinis mei*, non sunt orationes neque preces, quia eis nihil petitur; ergo solis illis non fit consecratio.

Secundò probatur ex Liturgijs SS. Iacobi & Basilij, quæ habentur in Bibliotheca antiquorum Patrum; & S. Clementis, quæ habetur in lib. 8. Constitutionum c. 12. aliàs 27. in quibus post verba consecrationis, quibus vsum est Christus, & nunc vtitur Ecclesia Latina, additur oratio, in qua petitur, vt adueniat Spiritus sanctus supra dona illa. *Vt superueniens sancta, & bona, & gloriosa*



*sua presentia (vt ibi dicitur) sanctificet & efficiat hunc panem Corpus sanctum Christi tui, & hunc Calicem preciosum Sanguinem Christi tui.*

Dionysius.

Tertio id probant ex Dionysio c. 3. de Ecclesiastica Hierarchia, in Contemplatione, aliquantum ante finem, dum non leuiter indicat, ante verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, non fuisse factam consecrationem, & tamen ante illam iam prolata erant verba illa consecrationis, *Hoc est Corpus meum.*

Damasce.

Quarto ex Damasceno lib. 4. de Fide c. 14. dum ait, panem & vinum post verba illa, *Hoc est corpus meum, & Hic est calix Sanguinis mei*, vocari antitypa, id est figuram Corporis & Sanguinis Domini: ergo sentit, solis prædictis verbis non constitui Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini.

Quinto id probant ex Missa Romana, quia in ea post verba illa, *Hoc est Corpus meum, & Hic est calix Sanguinis mei*, orat Sacerdos his verbis, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*; quibus peti videtur, quod fiat consecratio.

Catholici tamen conueniunt, verbis illis, *Hoc est Corpus meum, & Hic est calix, &c.* quibus vtitur Ecclesia Latina, absque vlla alia oratione perfici consecrationem panis & vini, quod plures ex Patribus aut exprimunt, aut maximè indicant. Et id supponit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum pro forma consecrationis non assignat alia verbanilla prædicta, quo satis denotatur illa esse sufficentia. Et id constat ex Ecclesiæ etiam Græcæ traditione & usu, quæ statim post prolata verba dictæ consecrationis, agnoscit verum Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, & vt talia populo adoranda proponit.

Eugen. IV.

Et ratione probatur Primò, quia Christus solis prædictis verbis consecrauit, vt ipsi Græci fatentur: ergo absque fundamento, imò contra rationem exigitur aliqua alia oratio vt nos consecremus, præsertim cum Christus statim atque dicta verba consecrationis Luc. 22. protulit, dixerit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Secundò, quia si statim atque dicta verba consecrationis prolata sunt, non fieret consecratio, sed postea post aliam superadditam orationem, dicta verba non essent vera in ore Sacerdotis, quia Sacerdos non posset verè in nomine Christi dicere, *Hoc est Corpus meum*, si adhuc post horum verborum prolationem finitam, manet substantia panis, sed ex sola veritate verborum Ecclesia semper collegit seu deduxit consecrationem & conuersionem Eucharistiæ, vt docet Tridentinum sess. 13. cap. 4. ergo illis solis fit consecratio & conuersio.

Ex dictis etiam rejicitur error hæreticorum nostri temporis, asserentium, verba consecrationis nihil efficere, sed tantum esse verba concionatoria & exhortatoria; quia ex dictis constat esse consecratoria & efficacia, vt conuertant panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi.

Ad primum ergo fundamentum Græcorum respondemus, plures ex Patribus vocare formas consecrationis preces & orationes, quia quamuis formaliter non sint tales, sunt tamen virtualiter, quia habent virtutem & vim orationis & precationis, quia à Deo impetrant consecrationem & conuersionem ipsam.

Ad secundum respondemus in oratione addita

post verba consecrationis in relatis Liturgijs non peti, vt panis fiat Corpus Christi simpliciter, sed vt fiat nobis viuificum, & nos sanctificans, vt ex ipsis Liturgijs deducitur.

Ad tertium concedimus, Dionysium in eo loco satis indicare, ante verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, non esse factam consecrationem, nihilominus etiam indicat ante illa non fuisse prolata verba consecrationis, sed potius post illa. Et sanè quamuis in Ecclesia Latina similia verba habeantur post verba consecrationis, tamen in Ecclesia Græca consueuerunt ante verba consecrationis dici, vt sic Sacerdos, antequam aggredietur tantum opus, se excuset quod illud aggredietur, quia Christus præcepit id fieri in sui commemorationem.

Ad quartum respondemus, panem & vinum appellari à Damasceno antitypa Sanguinis & Corporis Christi, quia loquebatur de pane & vino ante consecrationem; vel si etiam loquebatur de illis post consecrationem, id dixit, quia Christus, prout in hoc Sacramento, est figura sui; prout in propria persona se obtulit pro nobis in cruce.

Ad quintum respondemus, quod quando in Missa Romana addimus, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*, non petimus quod consecratio fiat, sed quod Deus ita sacrificium nostrum acceptet, vt sit nobis in remissionem peccatorum, & impletionem omnis gratiæ benedictionis.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum forma consecrationis ita incipiat ab illis verbis, Hoc est Corpus meum, & Hic est calix, &c. vt absque præcedentibus ad ipsa possit fieri consecratio.*

Conueniunt Theologi, verba illa, *qui pridie quam pateretur, & reliqua quæ in Canone Missæ præmittuntur ante verba illa, Hoc est corpus meum, & Hic est calix Sanguinis mei*, non esse essentialia formæ consecrationis, quia illis nullo modo adhuc partialiter significatur consecratio seu conuersio, ac proinde illis nullo modo, neque partialiter fit. Est tamen difficultas, An ita necessaria sint, vt absque illis non fiat consecratio.

Scotus in 4. dist. 8. q. 2. & Angelus v. Eucharistia 1. num. 24. partem affirmatiuam tuentur; quia absque illis verba consecrationis non significant Corpus & Sanguinem Christi, sed ipsius Sacerdotis, quia absque illis Pronomen *meum* in forma consecrationis Corporis, & Pronomen *mei* in forma consecrationis Sanguinis, non refertur ad Christum, sed ad Sacerdotem, ita vt sensus sit, illud esse Corpus & Sanguinem Sacerdotis, non Christi.

S. Thomas verò quæst. 78. art. 1. Egidius dub. 2. Durandus in 4. dist. 8. quæst. 2. Vasquez disp. 198. c. 1. & communiter Theologi partem negatiuam meritò tradunt, quam significat Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. dum ait, verbis Christi fieri consecrationem, & mutari creaturam, reliqua verò verba in laudem Domini referri per modum orationis. Retulit autem Ambrosius & coniunxit verba

S. Thomas.  
Egidius.  
Durandus.  
Vasquez.  
Ambrosius.



verba illa, *Accipite, & comedite ex hoc omnes*, cum illis, *Hoc est enim Corpus meum*, non tamquam necessaria ad consecrationem, sed vt refert integrum sensum periodi.

Et ratione probatur, quia verba consecrationis, & Pronomen *meum & mei* in eis contentum, absque verbis illis *qui pridie*, & reliquis quæ ad verba ipsa consecrationis præmittuntur, referri possunt ad Corpus & Sanguinem Christi, si id intendat Sacerdos, sua intentione proferendi illa in nomine Christi, seu gerens personam Christi, sicut Angelus sua intentione gerens personam Dei, nullis alijs præmissis verbis, absolutè dicebat, *Ego sum Deus Abraham*, &c. Ergo verbis consecrationis, absque vllis alijs præmissis, potest fieri consecratio, quia verbis consecrationis, absque alijs præmissis, significari potest Corpus & Sanguis Christi esse sub speciebus.

#### DIFFICULTAS V.

*Quæ verba sint essentialia formæ consecrationis Corporis.*

Conueniunt primò Theologi, quatuor hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, esse essentialia formæ consecrationis Corporis, & consequenter adeò necessaria ad consecrationem, vt quolibet deficiente non fiat: quod Ecclesiæ omnes amplectuntur, & meritò; quia omnia dicta quatuor verba sunt necessaria ad significandum, Corpus Christi esse sub speciebus, quo substantia panis conuertitur in Corpus Christi, quia ad veritatem huius necessarium est, substantiam panis conuerti in Corpus Christi.

Conueniunt Secundò, particulam *enim* non esse essentialiam formæ consecrationis Corporis, & consequenter absque ea posse fieri consecrationem Corporis, quia non est necessaria ad significandum Corpus Christi esse sub speciebus, quo solo fit dicta conuersio. Et sanè, si essentialis esset, non esset omnino prætermissa in Scriptura. Imò conueniunt, eam particulam non esse substantialem, vel quod idem est, non concurrere ad consecrationem seu conuersionem, quia non iuuat, neque aliquo modo deseruit ad significandum, Corpus Christi esse sub speciebus.

Est ergo difficultas de alijs verbis, quæ superaddita fuerunt à Christo, nempe *quod pro vobis tradetur*, vt refertur 1. ad Corinth. 11. vel *quod pro vobis datur*, vt refertur Lucæ 22.

Circa difficultatem hanc error refertur, & tribuitur Græcis, quæsi senserint, dicta verba esse essentialia formæ consecrationis Corporis, quia ex vna parte Paulus & Lucas illa referunt, vt à Christo prolata simul cum alijs verbis essentialibus; & ex altera parte verba illa superaddita determinant & explicant verba essentialia.

De fide tamen est, dicta verba non esse essentialia, neque necessaria ad consecrationem, vt constat ex perpetuo vsu Ecclesiæ Romanæ, quæ à Petro edocta, absq; verbis illis consecrat Corpus Christi, quod deducitur ex eo quòd Mattheus & Marcus alia verba tradentes, omittunt prædicta; quæ non omitterent, si essent essentialia, aut necessaria ad consecrationem. Et ratione probatur, quia hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, absque illis prædictis sufficienter significant, Corpus Christi esse

sub speciebus panis, ad cuius veritatem necessarium est substantiam panis conuerti in Corpus Christi, ergo verba ista absque illis superadditis sufficienter ad consecrationem seu conuersionem.

Quòd autem fuerint à Christo prolata, & quòd determinent & explicent essentialia, non conuincit, ipsa etiam esse essentialia, neque esse necessaria, quia solùm fuerunt prolata, vt determinantia & explicantia ea quæ sunt essentialia.

Addimus, non tantùm non esse essentialia, neque necessaria, sed neque substantialia, seu integralia, seu ad consecrationem concurrere, quando proferuntur, vt semper proferuntur à Græcis, quia absque fundamento dicitur ea verba ad effectum concurrere, imò & contra rationem, quia non concurrunt, neque iuuant ad significandum Corpus Christi esse sub speciebus.

#### DIFFICULTAS VI.

*Vtrum omnia verba, quæ in Ecclesia Latina dicuntur pro consecratione Sanguinis, sint essentialia formæ ipsius.*

IN Ecclesia Latina pro consecratione Sanguinis non tantùm proferuntur illa verba, *Hic est enim calix Sanguinis mei*, sed etiam illa, *noûi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

Conueniunt Primò omnes, particulam illam *enim* non pertinere ad essentialiam formæ Sanguinis, neque ad consecrationem Sanguinis concurrere, quia non deseruit ad significandum, Sanguinem Christi esse sub speciebus, quo solo fit consecratio & conuersio substantiæ vini in Sanguinem Christi.

Conueniunt Secundò, verba illa, *Hic est calix Sanguinis mei*, esse essentialia formæ, & consequenter necessaria ad consecrationem Sanguinis, quia absque ipsis non significatur Sanguinem Christi esse sub speciebus, quod est necessarium ad conuersionem vini in Sanguinem Christi faciendam.

Est ergo difficultas, An etiam illa alia posteriora verba, nempe *noûi & æterni*, & reliqua sint essentialia formæ.

Richardus in 4. dist. 8. art. 3. quæst. 2. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 5. Petrus Sotus de Institut. Sacerdotis, lect. 2. de Eucharistia, Siluester v. *Eucharistia* 1. quæst. 6. & Armilla num. 14. partem affirmatiuam tuentur, quæ indicatur in Concilio Colonienfi parte 7. cap. 14. & ab Innocentio III. in cap. *Cum Martha*, de Celebratione Missarum, dum etiam dicta verba posteriora ponuntur ab illis pro forma simul cum prioribus. Et etiam indicauit Pius V. dum partem commentarij Caietani in art. 3. q. 78. vbi oppositam sententiam sequebatur, expungi fecit in impressione Romana, & in suo Catechismo hanc partem affirmatiuam excudi iussit.

Et ratione probatur Primò, quia etiam dicta posteriora verba eodem tenore, quo priora, proferuntur à Sacerdote supra calicem, & etiam maiusculis literis designantur in Missali. Secundò, quia prædicta posteriora verba etiam fuerunt prolata à Christo, à quo verba essentialia desumuntur. Tertio, quia dicta posteriora verba determinant priora, ergo priora & posteriora pertinent

Richardus.  
Antonin.  
Pet. Sotus.  
Siluester.  
Armilla.  
Concilium  
Colonienfe.  
Innoc. III.  
Pius V.



ad eandem significationem, ac proinde ad eandem formam.

*Magister.* Magister verò in 4. dist. 8. Bonaventura 2. parte dist. 8. art. 1. q. 2. Scotus & Durandus q. 2. Vasquez disp. 198. Ægidius q. 18. art. 3. dub. 2. Becanus cap. 20. q. 2 & communiter Theologi, partem negatiuam meritò tradunt, quam indicant Damascenus 4. de Fide c. 14. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 3. Eusebius Emisenus relatus can. *Quia Corpus*, de Consecratione, dist. 2. Iustinus Apologia 2. in fine, & Pseudo-Cyprianus Ser. de Cæna Domini, dū pro formâ consecrationis Sanguinis tantum assignant verba illa, *Hic est Sanguis meus*, vel æquiualentia. Et eandem partem maxime suadet, quòd neque Marcus neque Iacobus, neque Græci, neque Æthiopes, neque Mozarabes in Hispania consecrabant vinum dictis posterioribus verbis (quamuis iam Mozarabes etiam illis consecrent) vt patet ex eorum Liturgijs, quæ habentur in Bibliotheca Antiquorum Patrum: & eandem suadet, quòd neque Paulus, neque Euangelista aliquis meminissent illius particulae, *mysterium fidei*.

Et ratione probatur, quia hæc verba, *Hic est Sanguis meus*, vel, *Hic est calix Sanguinis mei*, absque alijs superadditis sufficienter significant Sanguinem Christi esse sub speciebus vini, ad cuius veritatem necessarium est substantiam vini conuerti in Sanguinem Christi, & nulla alia id significant, neque ad id significandum iuuant; ergo sola illa absque alijs sunt essentialia formæ, & sufficiunt ad consecrationem Sanguinis, & nulla alia sunt essentialia, quia verba mediante sua significatione pertinent ad essentiam formæ consecrationis.

Ad fundamentum ergo aduersariorum ex auctoritate desumptum, concedimus, etiam posteriora illa verba recitari in forma calicis in Concilio Colonienſi, & ab Innocentio III. Id tamen non conuincit, illa esse essentialia formæ, vt patet. Dicuntur tamen priora & posteriora ab Innocentio III. esse formam, quia priora sunt essentialia formæ, & posteriora pertinent ad explicationem verborum essentialium formæ, & cum his simul proferuntur. Concedimus quoque, Pium V. expunxisse partem illam commentarij Caietani, non quia falsam contineret doctrinam, sed quia, postquam suam sententiam explicuit, non curauit de sententia S. Thomæ, quam explicare debuit, vt ab ipso Caietano instructi eam sequi possemus. Et quamuis in Catechismo Pij V. etiam posteriora assignentur pro forma (sicut etiam in Missali Romano) in eo tamen non dicitur illa esse essentialia, præsertim quòd in eo Catechismo non continetur auctoritas aliqua Pontificia, sed tantum eorum Theologorum, qui illum scripserunt.

Et ad primam rationem concedimus, omnia dicta verba, priora & posteriora, eodem tenore proferri à Sacerdote super calicem, & litteris maiusculis notari; neutrum tamen conuincit, etiam posteriora verba esse essentialia, quia vtrumque contingit in particula *enim*, quæ ex omnium sententia non est essentialis: idè autem Ecclesia voluit etiam posteriora illa sic proferri & notari, quia pertinent ad maiorem explicationem essentialium.

Ad secundam concedimus, etiam posteriora verba, adhuc illa, *mysterium fidei*, fuisse à Christo prolata, negamus tamen esse essentialia, quia etiam

verba illa, *quod pro vobis tradetur*, fuerunt à Christo prolata in forma Corporis, & tamen non sunt ei essentialia; quia tam hæc, quam posteriora illa, in forma Sanguinis fuerunt à Christo prolata pro explicatione essentialium.

Ad tertium concedimus, posteriora illa verba determinare & explicare priora, quæ sunt essentialia; id tamen non conuincit, etiã illa esse essentialia, vt patet in illis verbis, *quod pro vobis tradetur*, quæ non sunt essentialia formæ Corporis, quamuis eam determinent & explicent. Fuit autem conueniens dicta posteriora verba addi in forma calicis (quamuis in forma Corporis non addantur illa, *quod pro vobis tradetur*) quia illis denotatur excellentia & præstantia noui Testamenti supra vetus, quia hoc confirmatum fuit sanguine hircorum, nouum verò Sanguine Christi pro nobis effuso.

Id verò quod nonnulli Thomistæ addunt, nempe dicta posteriora verba etiam posse esse essentialia, & ad consecrationem concurrere, quando Sacerdos ea profert intentione etiam medijs illis consecrandi, dicitur sine fundamento: quia id non potest dictis verbis conuenire, nisi ex institutione Christi; de hac autem nullatenus constat: sicut absque fundamento diceretur, quòd quando minister baptizat his verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij unigeniti, & Spiritus sancti ab utroque procedentis*, animo omnibus his baptizandi, hæc verba addita communi formæ, nempe *omnipotentis, unigeniti, ab utroque procedentis*, quòd sint essentialia formæ Baptismi, & quòd ad effectum Baptismi concurrant, quia id non instituit Christus: absque institutione autem Christi id nequit dictis verbis conuenire. Imò illud additur, & dicitur à dictis Thomistis contra rationem, quia posteriora illa verba non concurrunt adhuc partialiter ad significandū, Sanguinem Christi esse sub speciebus vini.

Id quoque quod addunt Sotus in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. & Ledesma 3. parte 4. quæst. 19. art. 3. nempe dicta verba posteriora esse substantialia seu integralia, & ad consecrandum concurrere quando proferuntur, non solum dicitur absque fundamento, quia id dictis verbi nequit conuenire, nisi ex Christi institutione, de qua non constat; sed etiam contra rationem, quia dicta verba non concurrunt adhuc partialiter integraliter ad significandum, Sanguinem Christi esse sub speciebus vini, dicuntur tamen à S. Thoma q. 78. art. 3. esse *S. Thomæ* de substantia formæ consecrationis Sanguinis, quia determinant & explicant, & quasi perficiunt sensum priorum verborum, in quibus solis essentia & substantia formæ consistit.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum verba consecrationis mutari possint.*

Conueniunt Primò Theologi, nullum verbum formæ consecrationis, siue Corporis siue Sanguinis, quamuis non essentialia, posse omitti absque peccato, quia ad minus id erit contra præceptum Ecclesiasticum consuetudine introductum: vnde conueniunt, omittere particulam *enim*, esse peccatum; disconueniunt tamen an sit mortale, an tantum veniale.



Vasquez.  
Ochagau.

Vasquez disp. 199. nu. 29. & Ochagauia q. 32. existimant esse mortale, quia in re tam graui, graue quid est omittere particulam aliquam, quamuis tantum deseruientem ad connexionem sensus verborum.

Sotus.  
Suarez.

Sotus verò dist. 10. q. 1. art. 8. & Suarez disp. 59. sect. 1. existimant esse tantum veniale, & meritò: quia non probatur sufficienter, neque apparet esse quid graue, omittere particulam vnam non necessariam ad valorem consecrationis, quamuis consecratio sit res grauis. Et idem ob eandem rationem dicendum est de omissione cuiuslibet alius particulæ non essentialis. Addimus *essentialis*, quia ommissio cuiuslibet particulæ essentialis, est absque dubio mortalis, quia non solum est grauis contra præceptum Ecclesiæ in materia religionis, sed etiam quia est grauis contra præceptum naturale in eadem materia religionis, quia facit irritam formam consecrationis. Imò credimus tunc esse duplex peccatum mortale contra virtutem religionis: alterum commissionis contra præceptum naturale, quod æquiualeuter est negatiuum, quia omissione particulæ essentialis fit positua irreuerentia Sacramento Eucharistiæ, quia ea omissione irritatur; alterum omissionis contra præceptum Ecclesiæ, quod formaliter & æquiualeuter est affirmatiuum, quia contra ipsum omittitur res præcepta, non attenda positua aliqua irreuerentia in Sacramentum.

Conueniunt Secundò Theologi, omissionem cuiuslibet particulæ non essentialis, non impedire valorem consecrationis: impedire verò illud, omissionem cuiuslibet particulæ essentialis, vt patet.

Est tamen difficultas, An quæuis mutatio in verbis essentialibus, quæ non sit ommissio, impediatur valorem & effectum consecrationis, & sit illicita.

Circa difficultatem hanc, iuxta ea quæ communiter recepta sunt in Tract. de Sacramentis in genere, & sunt dicta à nobis Disp. 1. Diffic. xiv. & xv. dicendum est, quamcumque mutationem in verbis essentialibus non retinentem eandem significationem sensus substantialis ad consecrationem & ad conuersionem necessarij, id est, non retinentem significationem eiusdem sensus à Christo intenti, esse non solum illicitam, & mortaliter, vt patet, sed etiam impedire ne fiat conuersio: significatio autem sensus à Christo intenti, & ad valorem consecrationis necessarij, est, vt in nomine Christi ita significetur Corpus & Sanguinem Christi esse sub speciebus, vt ex vi significationis fiat conuersio, vt significatur his verbis, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est Sanguis meus*. Ex eo autem, quòd forma proferenda sit in nomine Christi, consecrans vt debet Pronomine demonstratiuo *meum* aut *mei*. Mutationem verò verborum essentialium, non destruentem, sed retinentem significationem eiusdem sensus à Christo intenti, non impedire valorem neque effectum consecrationis, vt patet, esse tamen illicitam, vel mortaliter, vel venialiter, pro grauitate vel leuitate mutationis.

Ex quo Theologi conueniunt, mutationem, qua in forma calicis verba illa, *Calix Sanguinis mei*, mutantur in hæc, *Sanguis meus*, quæ sunt apud Matthæum & Marcum, & quibus Græci vtuntur in Liturgijs S. Iacobi & S. Marci, non impedire valorem consecrationis, neque conuersionem, quia retinetur idem sensus Sacramentalis, vt patet, quia idem substantialiter significant verba illa,

*Hic est Sanguis meus*, & illa quibus Ecclesia Latina vtitur, nempe, *Hic est calix Sanguinis mei*.

Est tamen difficultas, An quando ista verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, mutantur in verba tradita à Paulo 1. Corinth. 11. & à Luca 22. nempe, *Hic calix nouum testamentum est in meo Sanguine*, vt dixit Paulus, vel *in sanguine meo*, vt dixit Lucas, mutatio hæc impediatur valorem consecrationis.

Non desunt, qui existiment impedire, quia eis verbis non significatur sub speciebus vini esse Sanguinem Christi, sed sub illis esse nouum testamentum.

Suarez verò sect. 2. Vasquez n. 44. Henriquez <sup>Suarez.</sup> c. 13. & Bonacina disp. 4. q. 3. punct. 2. existimant, <sup>Vasquez.</sup> non impedire, quia dicta verba verè significant, <sup>Bonacina.</sup> sub speciebus vini esse Sanguinem Christi, quia illis significatur hunc calicem esse Sanguinis Christi, quia sensus eorum est, *Calix hic in meo Sanguine* (id est, ratione mei Sanguinis, cuius est calix, vel quem continet) *est nouum testamentum*, quia testamentum, seu fœdus, & pactum etiam dicitur; & propriè non tantum de voluntate qua quis legat aut promittit rem, & de re quæ cadit sub eam voluntatem; sed etiam de conditione sub qua res illa legatur aut promittitur, & ob quam iam impletam executioni mandatur legatum & promissio: dicitur enim, *Promitto tibi hanc rem sub hoc pacto & fœdere*, id est sub hac conditione. Quia ergo Sanguis Christi, seu effusio Sanguinis Christi, fuit cõditio sub qua Deus nobis promissit gratiam & vitam æternam, quæ sunt res & hereditas noui Testamenti, & ob quam iam impletam, vel vt sic præuisam, Deus executioni mandat collationem gratiæ, aut vitæ æternæ, aut vtriusque; idèd nõ tantum voluntas Dei dandi gratiæ & vitam æternam, & gratia ipsa & vita æterna dicuntur nouum Testamentum, sed etiam Sanguinis Christi, non prout in Eucharistia existens, sed prout effusus in cruce: quia sub conditione, & quasi pacto illius effusionis fuit nobis promissa gratia & vita æterna, & ob eam effusionem iam completam Deus hominibus noui Testamenti illam confert, & ob eam sic præuisam contulit gratiam hominibus veteris Testamenti.

Ecclesia ergo Latina ad consecrationem Sanguinis vtitur his sequentibus verbis: *Hic est enim calix Sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Additur autem particulæ enim verbis essentialibus consecrationis, ad ea continuanda, seu connectenda cum præcedentibus verbis; & adduntur illa alia posteriora, nempe *noui & æterni*, &c. tum quia fuerunt à Christo prolata, tum etiam quia deseruiunt ad explicanda essentialia. Quòd verò hæc posteriora verba fuerint à Christo prolata, constat, quia inueniuntur in Euangelistis à Christo dicta, exceptis his, *mysterium fidei*: hæc tamen antiqua traditione creduntur accepta esse à Christo, vt ait Innocentius III. in dicto cap. *Cum Martha*; & dicitur in forma Ecclesiæ Latinæ, *Hic est calix Sanguinis mei*, congruentius quàm *Hic est Sanguis meus*, quia his non significatur Sanguis Christi, vt potabilis, benè tamen illis prioribus. Vtitur autem Ecclesia Latina nomine calicis (quo Paulus & Lucas vtuntur) non figuratè pro Sanguine contento, sed propriè pro vase ipso & poculo. Verum est, Relatiuum *qui*, referens calicem



(vt constat ex textu Græco Lucæ) sumi figuratè pro sanguine contento, quia Sanguis effundendus erat, & non vas ipsum: & dicitur, *nomi & æterni testamenti*, quia effusione Sanguinis Christi confirmatum est nouum Testamentum, quod est æternum, & numquam cessaturum: & dicitur *mysterium fidei*, quia Sanguis Christi, & eius effusio, & huius effusionis valor, est vnum ex maximis mysterijs fidei: & dicitur, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quia effundendus erat pro Discipulis, qui significantur particulâ *vobis*; & etiam erat effundendus pro omnibus alijs, qui significantur particulâ *multis*.

## DIFFICULTAS VIII.

*Quid significetur verbis illis effundetur & tradetur additis in formis consecrationis.*

**I**Ansenius in Concordia Euangelica cap. 17. & nonnulli recentiores docent, Verbum *effundetur* additum formæ consecrationis Sanguinis, & Verbum *tradetur* additum formæ consecrationis Corporis, referri non ad passionem, sed ad id quod factum est in vltima cœna, quando Apostolis data est Eucharistia; quia tunc Corpus Christi fuit illis traditum, & calix fuit effusus.

Et in primis, quod Verbum *tradetur* non refertur ad passionem, sed ad traditionem seu collationem Corporis Discipulis factam, indicare videtur Paulus 1. ad Cor. 11. quia apud ipsum ibi Græcè habetur, *quod pro nobis frangitur*: fractio autem seu diuisio non rectè quadrat in Corpus Christi prout in passione, tum quia fractio præsens non rectè refertur ad passionem, quæ tunc non erat præsens, sed futura; tum etiam, quia Corpus Christi non fuit fractum in passione, vt notauit Ioannes cap. 19. adducens illud Exodi 11. *Os non comminetis ex eo*; in Eucharistia verò fuit fractum & diuisum ratione specierum illud continentium, vt tradit Paulus 1. ad Corinth. 10. his verbis: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* Et in id inclinât Chrysostomus Homil. 24. in hunc locum Pauli, dum ait: *Sed quare addidit, Quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minime.*

Deinde, quod Verbum *effundetur* non refertur ad passionem, sed ad id quod factum est in vltima cœna, in distributione Eucharistiæ, indicare videntur Primò Matthæus cap. 26. Marcus c. 14. & Lucas cap. 22. dum apud eos ibi Græcè habetur *effundetur*. Secundò etiam Lucas ibidem, dum apud ipsum ibi in Græco Verbum illud refertur non ad Sanguinem, sed ad calicem; calix autem non fuit effusus in passione, sed in vltima cœna, quando porrigebatur Discipulis.

**Caietanus.** Caietanus verò in illud 1. ad Corinth. 11. **Mirandul.** Mirandulanus in Apologia quæst. 6. **Hosius.** Hosius in Confessione cap. 42. **Vasquez.** Vasquez diff. 199. & communiter Theologi docent, & meritò, vtrumque Verbum, *tradetur* scilicet & *effundetur*, additum formis consecrationis, referri non ad id quod factum est in vltima cœna circa Eucharistiâ, sed ad passionem, quod etiam tradiderunt Theophylactus in illud 1. ad Cor. 11. *Quoniam Dominus Iesus;* & Euthymius in illud Matth. 26. *Qui pro multis effundetur.*

Et id ratione Theologica probatur: quia quamuis Matthæus, Marcus, & Lucas, quando loquuntur de effusione Sanguinis, Græcè vtantur Participio præteriti, habente vim Verbi præsentis, quasi dicant, *effunditur*; & Lucas quando de Corpore Græcè loquitur, etiam vtatur Participio præteriti, habente vim Verbi præsentis, quasi dicat, *datur*, in quod vulgatus Latinus illud vertit, omnes tamen Euangelistæ Græcè vti sunt Præsentem pro Futuro: Verbum autem de futuro non rectè quadraret in præsentem traditionem & effusionem, quæ fiebant in distributione Eucharistiæ: ergo vtrumque Verbum, *tradetur* scilicet & *effundetur*, ad passionem refertur, non ad Eucharistiâ. Quod verò dicti tres Euangelistæ vtantur Græcè verbo habente vim Præsentis pro Futuro, constat Primò, quia vulgatus Interpres Latinus semper, cum loquitur de effusione Sanguinis, vtitur Verbo Futuri. Et quamuis in Luca, quando loquitur de traditione Corporis, vtatur Verbo Præsentis, dicens, *quod pro vobis datur*, tamen in Paulo vtitur Verbo Futuri, dicens, *quod pro vobis tradetur*, existimans Præsens in eo loco accipi pro Futuro: ac proinde relinquens in Luca tempus Præsens, non abstulit potestatem interpretandi illud pro Futuro. Et idem, nempe quod dicti Euangelistæ Græcè vtantur Præsentem pro Futuro, constat secundò ex praxi & vsu Ecclesiæ Latinæ, quæ semper in forma calicis vsa est Verbo *effundetur* de futuro.

Ex quo constat ad fundamentum aduersationum, quatenus in eo obijcitur vis Verbi præsentis. Et quatenus in eo obijcitur vis Verbi *frango*, etiam est parui momenti: quia corpus molestijs & laboribus afflictum, etiam dicitur fractum, Hispanè *molido y quebrantado*. Et tandem quatenus in eo obijcitur, Verbum *effundi* referri ad calicem, non est magni momenti; quia etiam calix dicitur in passione effusus, non ratione sui, sed ratione Sanguinis contenti per figuram metonymiam.

Chrysostomus verò explicans verba illa Pauli 1. ad Cor. 10. intelligit de fractione in Eucharistia, sed non explicans Verbum quod à nobis exponitur, sed Verbum illud *frangimus*, adductum à Paulo 1. ad Corinth. 10.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum verba consecrationis proferantur à Sacerdote recitatiuè, an significatiuè.*

**Q**uod in hac Difficultate quærimus, est, An verba consecrationis proferantur à Sacerdote vt prolata à Christo, referendo Christum illa dixisse, quod est proferri recitatiuè, historicè, & materialiter; an verò proferantur à Sacerdote ex se ipso, vtendo significatione eorum intentione significandi medijs illis id, ad quod significandum sunt imposta, sicut illa protulit Christus, quod est proferri significatiuè, enuntiatiuè, & formaliter.

Innocentius ergo III. lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 17. Durandus in dist. 8. q. 2. Maior q. vnica, & Catherinus in Opusc. *Quibus verbis Christus consecrauerit*, docent, verba consecrationis proferri à Sacerdote non significatiuè & formaliter, sed tantum recitatiuè & materialiter: quia si à Sacerdote proferrentur significatiuè, essent falsa, quia Sacerdos verbis illis significatiuè prolatis

Y non

Innoc. III.  
Durandus.  
Maior.  
Catherin.



non demonstraret Corpus & Sanguinem Christi, sed corpus & sanguinem suum, quod est falsum. Et quamvis admittamus, quod illis demonstrarentur Corpus & Sanguis Christi, etiã essent falsa verba quæ statim subduntur in forma calicis: *Qui pro vobis & pro multis effundetur, & in forma Corporis qua vtuntur Græci, Quod pro vobis tradetur;* quia Sanguis Christi iam non effundetur, & Corpus Christi non tradetur in mortem. Secundò, quia si verba consecrationis significatiuè proferrentur, non possent in ore Sacerdotis esse vera, nisi Corpus & Sanguis Christi præsupponerentur sub speciebus ante illorum prolationem: quia verba illa significatiuè sumpta, demonstrant id quod iam est, non verò id quod fit, neque id quod erit: & ob hanc rationem Catherinus, vt vidimus Difficultate 11. sentit, Christum non consecrassè prædictis verbis, quia scilicet etiam in ore Christi essent falsa.

Alexander 4. p. q. 10. mem. 4. art. 2. Bonauentura in 4. d. 8. par. 2. art. 1. Marsilius in 4. q. 6. art. 1. Gabriel lect. 48. lit. F. Valquez disp. 200. docent, verba consecrationis proferri à Sacerdote non recitatiuè & materialiter, sed tantum significatiuè & formaliter. Quod autè significatiuè proferantur, statim probatur. Quod verò ita significatiuè proferantur, vt non proferantur simul recitatiuè, probatur Primò, quia impossibile videtur, eadem verba simul ab eodem proferri recitatiuè simul & significatiuè; quia proferre illa recitatiuè est, quod proferens ita illa proferat, vt ex se ipso non vtatur significatione illorum, sed illa proferat vt dicta ab alio referendo illa dixisse, & medijs illis aliquid significassè. Proferre verò illa significatiuè est, quod proferens ita illa proferat, vt ex se ipso vtatur eorum significatione, ex se aliquid medijs illis significando. Ex se autem vti, & simul ex se nò vti, significatione inuoluit contradictionem. Secundò, quia si Sacerdos proferret verba consecrationis recitatiuè tamquã dicta à Christo, deberet illa proferre ea applicando ad materiam, quam Christus Pronomine demonstratiuè demonstrauit, quia referret illa vt dicta à Christo tamquã signifiantia & demonstratiua: Sacerdos autem non profert illa, ea applicando ad materiã quam Christus demonstrauit, sed ad materiam quam Sacerdos ipse habet præsentem; ergo non profert illa recitatiuè.

Sotus verò in 4. dist. 11. q. 1. Suarez disp. 58. sect. 4. Egidius quæst. 78. art. 3. dub. 1. Ochagauia quæst. 33. Bonacina disp. 4. q. 3. pun. 3. & Adamus q. 3. dub. 2. docent, & meritò, verba consecrationis proferri à Sacerdote recitatiuè simul & significatiuè.

Et in primis significatiuè proferri, probatur Primò, quia Sacerdos media significatione verborum consecrat, & conuertit panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi: ergo profert illa significatiuè. Consequentia patet. Antecedens autem probatur ex Tridentino sess. 13. c. 4. dum ait, Ecclesiam ex eo collegissè conuersionem Eucharisticã fieri, quia Christus verè dixit, Corpus suum esse quod offerebat sub speciebus panis, & Sanguinem suum quem offerebat sub speciebus vini: & non solum collegit, tunc, quando Christus consecrauit, factam fuisse conuersionem à Christo, sed etiam nunc fieri à Sacerdote; quia nomine Christi verè dicit idem quod Christus verè dixit: ergo Ecclesia sentit, Sacerdotem verè loqui & di-

cere proferendo verba consecrationis, sicut Christus verè dixit, quando illa protulit; ergo Sacerdos medijs illis ex se ipso significat, sicut Christus ex se ipso significauit, aliàs non posset medijs illis verè loqui & dicere, sicut neque potuisset Christus, quia veritas ex significatione oritur. Accedit quòd Tridentinum sess. 13. cap. 3. doceat, sub speciebus panis tantum esse Corpus Christi ex vi verborum, vbi per vim absque dubio significationem intelligit, quasi dicat, verba consecrationis Corporis sua vi tantum constituere Corpus sub speciebus panis, quia tantum illud significant.

Secundò probatur, quia si verba consecrationis non proferrentur significatiuè à Sacerdote, etsi vt sic prolata non essent à Christo instituta, sed tantum vt recitatiuè prolata, quamvis medijs illis Corpus & Sanguis Christi constituerentur sub speciebus, tamen medijs illis, vt recitatiuè prolatis, non fieret conuersio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi; quia, vt dicemus Disp. 14. Difficult. ix. vna substantia nequit in aliam conuerti, nisi vna aliquo modo pugnet cum alia, ita vt illa, in quam fit conuersio, causa sit destructionis illius quæ conuertitur. Vna autem substantia integra nequit pugnare cum alia, & nequit esse causa destructionis illius, nisi ratione significationis verborum; significatio autem nequit esse in verbis, nisi vt significatiuè prolatis.

Tertiò, quia si Sacerdos non proferret verba consecrationis significatiuè, sed tantum recitatiuè, non possent Theologi colligere, materiam consecrationis debere esse ita in prospectu Sacerdotis, vt possit Pronomine *hoc* aut *hic* demonstrari ad sensum: quia Theologi id tantum colligunt ex significatione dicti Pronominis, etsi verba consecrationis, vt ex ore Sacerdotis procedunt, nihil significarent, sed tantum recitarentur tamquam ab altero ad significandum dicta, nihil ipse per illa demonstraret, neque sibi, neque alteri: quia ipse nihil illis significaret, ac proinde prout à Sacerdote recitatiuè prolata, possent etiam ad materiam distantem applicari.

Quòd verò verba consecrationis etiam proferantur recitatiuè, probatur, quia ex vna parte non repugnat, eadem verba significatiuè simul & recitatiuè proferri, & ex altera Sacerdos ipse manifestè refert Christum illa protulisse; ergo non est negandum, etiam recitatiuè proferri. Consequentia patet. Antecedens autem quoad primam partem, nempe quòd id non repugnet, imò quòd sapè fiat, constat in eo qui assentiens huic propositioni, *Mundus est ab æterno*, ait, sicut Aristoteles dixit, *Mundus est ab æterno*, vel, vt Aristoteles dixit, & ego dico, *Mundus est ab æterno*, quia iste simul profert illam propositionem vt dictam ab Aristotele, & vt propriam, qua etiam ipse ex se ipso significat, mundum esse ab æterno. Et idem Antecedens quoad secundam partem, nempe Sacerdotem referre, Christum verba consecrationis protulisse, constat ex verbis quæ ad verba consecrationis præmittit, nempe, *qui pridie quam pateretur, vsque ad illa, deditque Discipulis suis, dicens, Accipite, hoc est enim Corpus meum*; ex illo enim Participio *dicens* id manifestè constat.

Obseruandù tamen est, ita de facto recitatiuè simul & significatiuè proferri à Sacerdote, vt ad valorem consecrationis non sufficiat recitatiuè tantum proferri, quia verba non operantur nisi media signifi-

Sotus.

Suarez.

Egidius.

Ochagau.

Bonacina.

Adamus.

Trident.



significatione: sufficere tamen si significatiuè tantum proferantur, quia sola media significatione operantur, ac proinde solis verbis consecrationis separatis ab antecedentibus, si supra debitam materiam, & cum debita intentione ministri proferantur, fiet consecratio.

Ad primum ergo eorum, qui nostræ primæ parti aduersantur, respondemus, quod quamuis verba consecrationis significatiuè proferantur à Sacerdote, in ore ipsius non sunt falsa, quia illa profert significatiuè in nomine & in persona Christi, ipsum representans, & ipsius personam gerens; & ideo Pronomine illo *meum* & *mei* potest verè demonstrare Corpus & Sanguinem Christi, sicut Angelus in veteri Testamento in persona Dei, ipsum representans, verè dicebat, *Ego sum Deus Abraham*. Reliqua verò verba, quæ verba essentialia consecrationis antecedunt & subsequuntur, & etiam particula *enim*, vel non proferuntur significatiuè, quia necessarium non est ad valorem consecrationis; sed tantum recitatiuè, & in eis ut sic prolatis nulla reperitur veritas neque falsitas: vel si etiam significatiuè proferantur, ut possunt, tunc verificari possunt ratione representationis, qua Sacerdos in actione consecrandi representat Christum in illa cæna, antequam traderetur, coram Discipulis suis celebrantem, quia in eis ut sic prolatis est veritas, sicut fuit in eisdem à Christo prolatis; quia respectu Sacerdotis representantis Christum in illa cæna celebrantem, effusio Sanguinis est futura, & particula *enim* idem significat, quod significauit prolata à Christo, nempe connexionem verborum essentialium cum præcedentibus à Christo dictis.

Ad secundum ex dicendis Diffic. x. constabit, verbis consecrationis significatiuè sumptis, posse etiam demonstrari id quod non præsupponitur esse ad ipsa, sed quod fit, aut quod erit, ac proinde posse à Sacerdote significatiuè proferri.

Et ad primum eorum, qui nostræ secundæ parti aduersantur, negamus repugnare, eadem verba simul ab eodem recitatiuè & significatiuè proferri, quia non repugnat, verba simul ab aliquo proferri non vtendo significatione eorum, quatenus illa profert referendo vt ab altero dicta, & simul vtendo eorum significatione, quatenus etiam ex se ipso profert illa, intendendo ex se ipso medijs illis significare id ad quod sunt imposita, quod non inuoluit contradictionem: quia vt significatione verborum vno modo seu vna intentione prolatorum, & non vt significatione eorum alio modo seu alia intentione prolatorum, non sunt termini contradictorij, quia non sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem formaliter, sed tantum materialiter.

Ad secundum negamus, Sacerdotem non applicare verba consecrationis ad materiam absentem, quam Christus consecrauit & demonstrauit: quia quatenus recitatiuè proferuntur vt à Christo dicta, applicantur ad illam recitatiuè & historicè, quia tunc denotatur, Christum verba illa protulisse circa aliam materiam absentem; quatenus verò significatiuè proferuntur, ad materiam præsentem applicantur.

## DIFFICULTAS X.

Quid demonstratur Pronomine hoc & hic, in formis consecrationis.

Circa hanc rem varij sunt modi dicendi, quia in primis hæretici docent, Pronomine *hoc* demonstrari substantiam panis, & Pronomine *hic* substantiam vini: quia existimant, in Sacramento Eucharistiæ ea manere sub suis accidentibus, Corpus autem & Sanguinem Christi non esse sub illis nisi tamquam sub signo & figura. Error tamè iste, cui modus iste dicendi hæreticorū innititur, aperte est contra Fidè, & eum Disp. i v. impugnabimus.

Secundò, nonnulli (vt refert S. Thomas q. 78. *S. Thomasi* ar. 5.) qui, vt pote Catholici, admittunt, sub speciebus panis & vini realiter constitui Corpus & Sanguinem Christi, destructis substantijs panis & vini, docent, Pronomine *hoc* & *hic* statim ac profertur, demonstrari substantias panis & vini, tamquam signum Corporis & Sanguinis Christi, non absolute, sed vt conuertendas in Corpus & Sanguinem Christi, ita vt sensus sit: *Significatum per hoc signum* (quod v. g. est panis conuertendus in Corpus meum) *est Corpus meum*.

Modus hic dicendi cõmuniter rejicitur, & merito: quia si Pronomen v. g. *hoc* tantum demonstraret & significaret panem, vt signum Corporis Christi, sequeretur, quod ex vi significationis verborum consecrationis non fieret cõuersio panis in Corpus Christi, quia panis absq; sui definitione, & absq; præsentia Corporis Christi, quæ sunt necessariæ ad dictam conuersionem, potest significare Corpus Christi, & esse figura illius: & cõsequenter ex veritate verborum consecrationis non colligetur cõuersio panis in Corpus Christi, quod est cõtra Trid. sess. 13. c. 4.

Tertiò, Bonauentura in 4. dist. 8. part. 1. ar. 1. q. 1. *Bonauent.* docet, Pronomen v. g. *hoc* demonstrare panem, tamen Verbum *est* non sumi in communi acceptione, prout significat simplicem conuenientiam, secundum quam subiectum dicitur esse id quod est prædicatum, sed sumi pro Verbo *transit*, ita vt sensus sit, *Panis transit in Corpus Christi*.

Modus etiam iste dicendi communiter rejicitur, quia præterquam quod cõtra communem & propriam acceptionem vsurpat Verbum *est* pro Verbo *transit*, in quo aduersatur Tridentino sess. 23. cap. 4. vbi Verbum *est* sumit prout significat simplicem conuenientiam, ratione cuius subiectum est prædicatum, vt patet ex contextu, etiam est contra rationem, quia verbis consecrationis in eo sensu non fieret conuersio, quia hac enuntiatione, *Panis transit in Corpus Christi*, nequit fieri conuersio, vt dicemus Disput. i v. Difficultate 1x.

Quartò, Paludanus in 4. dist. 8. q. 3. art. 1. *Paludan.* Capreolus q. vnica ar. 3. Sotus disp. 11. q. 1. art. 5. *Capreolus.* Valentia punct. 2. & Suarez disp. 8. sect. vltima, docent, Pronomine v. g. *hoc*, statim ac profertur, demonstrari aliquid cõmune panis & Corpori Christi, significatum nomine contentum sub speciebus, quod habet vim singularis vagi, & est præsens quando Pronomen profertur, ita vt sensus sit, Contentum sub his speciebus est Corpus meum.

Modus etiam iste dicendi nobis non probatur, quia Pronomen *hoc* vel sumitur substantiuè, vel adiectiuè. Si adiectiuè, nequit aliud demonstrare quam Corpus Christi, quia cum solo nomine Corpus, tamquam cum substantiuo coniun-



gitur, & conuenit in genere, in numero, & in casu; & tunc statim ac profertur, nequit ipsum Corpus demonstrare, sed postea finitis verbis essentialibus consecrationis; quia quoulsque finita sunt, Corpus Christi non est præsens, vt statim possit Pronomine *hoc* demonstrari. Etsi Pronomen *hoc* sumitur substantiuè (vt ipsi contendunt) tunc tantum potest directè demonstrare id quod directè significat: directè autem non significat species, sed tantum contentum sub ipsis, ac proinde nequit species demonstrare, sed tantum ipsum contentum, & consequenter sensus non erit, *Contentum sub his speciebus est Corpus meum*, sed, *Hoc contentum sub speciebus est Corpus meum*. Sed si Pronomen *hoc* demonstrat hoc contentum sub speciebus, statim ac profertur Pronomen *hoc* ante prolationem aliorum verborum, prolatio illa erit falsa, quia ante prolationem aliorum non est aliud hoc contentum quam panis, ac proinde solum panem demonstrabit, quamuis sub ratione cõmuni contenti. Sicut quando Petrum præsentem demonstramus, dicendo *Hoc animal*, aut *Hic homo*, tunc demonstramus indiuiduum determinatum Petri, quamuis sub ratione cõmuni animalis aut hominis. Vnde hæc propositio, *Hoc contentum sub speciebus est Corpus meum*, non est similis illi, *Hæc herba nascitur in horto meo*, ostensa herbâ quæ nascitur in alio, quia habet dissimiles sensus: quia in hac propositione *herba* supponit suppositione accommodata pro natura generica aut specifica, quia sensus est, *Hoc genus, aut hæc species herba nascitur in horto meo*; terminus verò, *hoc contentum*, non supponit sic in illa alia propositione, vt patet.

Id verò quod ad hoc nonnulli primò respondent, nempe Pronomen *hoc* in dicta propositione non demonstrare hoc contentum, quod est singulare ex demonstratione, sed contentum, quod est singulare vagum, & quid cõfusum, est manifestè fallum, tum quia Pronomen *hoc*, quo in consecratione vtimur, non tantum demonstrat ad intellectum, sed etiam ad sensum; ac proinde eo nequit demonstrari indiuiduum vagum & cõfusum, quia istud tantum potest intellectui demonstrari: tum etiã, quia contra communem doctrinam à Dialecticis etiam incipientibus receptã, non distingueretur singulare vagum à singulari ex demonstratione, quia si aliquando Pronomine *hoc* est & efficit singulare ex demonstratione, maximè in forma consecrationis: quia etiam in ea demonstrat ad sensum, cui nequit demonstrari nisi singulare determinatum ex demonstratione.

Id etiam quod alij secundò respondent, nempe Pronomine *hoc* in forma consecrationis demonstrari singulare ex demonstratione, non singularitate se tenente ex parte contenti, sed ex parte specierum, & idèd Pronomen *hoc* afficere species, non contentum, ita vt sensus sit, *Contentum sub his speciebus est Corpus meum*, etiam est falsum, Primò, quia vt nuper dicebamus, Pronomine *hoc* id tantum demonstrat, quod directè significat, & pro quo substituitur & supponit; sed in forma consecrationis non significat directè species, sed tantum contentum, & pro eo solum substituitur, & non pro speciebus; ergo id quod directè demonstrat, est singulare, singularitate se tenente ex parte contenti, & non ex parte specierum; & illud afficit directè & immediatè, & non species. Secundò, quia Pronomine *hoc* in forma consecrationis id demonstrat quod per ipsum significare intendimus, & id quod

Christus dixit esse Corpus suum: Christus autem non dixit species esse suum Corpus, neque nos illas per Pronomen *hoc* significare intendimus; ergo per illud nequit non demonstrari aliud distinctum à speciebus, ex cuius parte etiam se teneat singularitas; istud autem ante finitam prolationem verborum essentialium consecrationis nequit esse aliud nisi panis, ergo.

Quintò, Henriquez Quodlib. 9. docet, Pronomine v. g. *hoc*, toto tempore enuntiationis consecrationis ante finem, demonstrari panem secundum se; in fine verò, seu finita enuntiatione, demonstrari Corpus Christi, vel panem prout conuersum in Corpus Christi. Modus etiam hic dicendi nobis non placet; quia commetium est, voci semel prolatae absq; repetitione illius in vno & eodem contextu orationis, pro diuersis partibus durationis varias assignare significationes: quia voce semel prolata secundum vnã significationem, & ea prolata non retractata, & altera non repetita, non potest non durare eadem significatio, & idem sensus illius vsque in finem. Et eadem ratione reijciuntur similes responsiones aliorum, qui dicunt, Pronomine *hoc*, dum durat enuntiatione, demonstrari vnum; & illã finitã, demonstrari illud.

Sextò, Gabriel lect. 48. lit. m. & Marsil. in 4. q. 6. ar. 1. ita explicant Pronomen *hoc*, vt sensus huius enuntiationis, *Hoc est Corpus meum*, sit iste, *Id in quod conuertendus est panis, hoc est corpus meum*; quia sentiant, Pronomen *hoc* ita demonstrare Corpus Christi, vt etiam connotet panem conuertendum, quem non connotat Corpus, vt ita in dicta enuntiatione idem non prædicetur de se ipso. Hic etiam modus explicandi Pronomen *hoc* nobis non probatur, tum quia alienum est à cõmuni modo loquendi, quo dicimus, *hoc est Corpus meum*; tum etiam, quia quamuis ex vi verborum panis conuertendus sit in Corpus Christi, tamen Pronomen *hoc* non connotat expressè panem conuertendum, neque Corpus, in quod conuertendus est, demonstrat sub hac ratione, sed tantum simpliciter & absque connotatione aliqua.

Septimò, Scotus in 4. dist. q. 2. §. *Aliter ergo*, docet, Pronomen v. g. *hoc* demonstrare indiuiduum entis in fine prolationis verborum, ita vt sensus sit, *Hoc ens est Corpus meum*. Modus tamen iste explicandi displicet Caietano q. 78. ar. 5. quia secundum hanc explicationem non minus possent demonstrari accidentia panis præsentia, quam substantia Corporis Christi; quia indiuiduum entis commune est substantiæ & accidenti, & cõsequenter propositio illa posset reddi falsa. Ob quod Caietanus, vt effugiat hoc inconueniens, quod existimat ex explicatione Scoti sequi, docet, Pronomen *hoc* in fine prolationis verborum formæ demonstrare indiuiduum substantiæ, seu substantiam indiuiduam sub gradu & ratione substantiæ, ita vt sensus sit, *Hæc substantia est Corpus meum*.

Vterque tamen iste modus Scoti & Caietani, quamuis possit defendi & sustineri, nobis tamen non maximè arridet, ea solum generali ratione, quia scilicet secundum vtrumque istum modum Pronomen *hoc* sumitur substantiuè, & multò facilius & clariùs ponitur adiectiuè, vt statim dicemus. At si substantiuè sumatur, vt sumi & defendi potest, intelligendo sub eo Pronomine aliquid ex parte subiecti, non solum modus explicandi Caietani defendi potest, quia continet verum sensum, & aptum



aptum modum loquendi, ut patet, & etiam formalem; quia quamuis subiectum & prædicatum, quæ assignat Caietanus, idem significet, diuerso tamen modo: sed etiam defendi potest modus explicandi Scoti, ob eandem omnino rationes. Neque ex eo sequitur inconueniens, quod existimat Caietanus, quia nos contra Scotum existimamus, ens non esse vniocè commune substantiæ & accidenti, sed tantum analogicè; ac proinde nomine subiecti ab Scoto assignati, nempe *hoc ens*, debet intelligi indiuiduum entis simpliciter, quod est substantia, & non accidens, quod est ens secundum quid; neque aliquid verè commune substantiæ & accidenti, quia verè non est.

Guitmund.  
Maior.  
Sainctes.  
Maldon.  
Vasquez.  
Becanus.

Octauo, Guitmundus lib. 2. de Veritate Corporis & Sanguinis Christi, Maior in 4. dist. 8. Sainctes repetit. 7. de Eucharistia c. 7. Maldonatus in cap. 26. Matth. vers. 26. Vasquez disp. 201. cap. 4. & Becanus cap. 21. q. 5. docent, Pronomen *hoc* in forma Corporis, & Pronomen *hic* in forma calicis, non sumi substantiue, ita ut sub ipso aliquid intelligatur quod se teneat ex parte subiecti in enuntiatione consecrationis, sed tantum sumi adiectiue, ita ut in fine prolationis verborum consecrationis demonstret ipsum prædicatum, Pronomen *hoc* Corpus, & Pronomen *hic* calicem, & ad ipsum prædicatum immediatè & proximè referatur, & nomini ipsius prædicati proximè coniungatur tamquam adiectiuum substantiuo, & cum eo conueniat in genere & numero & in casu; & significatum per ipsum Pronomen ponatur pro subiecto, quamuis diuerso modo significatum & apprehensum, quam per nomen *Corpus*, & per nomen *calix*. Hic ergo modus explicandi demonstrationem Pronominis *hoc* & *hic* nobis maxime probatur, quia eo sic sumpto, clarissimè & facillimè explicatur sensus formarum consecrationis.

Et in primis Pronomen *hic* in forma consecrationis calicis sumi adiectiue, & non substantiue, constat: quia non ponitur in genere neutro, sed in masculino, ut conueniat cum nomine *calix*, aut cum nomine *Sanguis*, non solum in numero & in casu, sed etiam in genere. Quod si Pronomen *hic* sumitur adiectiue, & eo sic sumpto optimè explicatur sensus & veritas verborum consecrationis calicis, etiam Pronomen *hoc* in forma Corporis sumitur adiectiue, cum possit sic sumi secundum regulas Grammaticæ, quia concordat cum nomine *Corpus* in genere, & numero, & in casu. Quod si in Græco dictum Pronomen ponitur in vtraque forma in genere neutro, idè est, quia *Corpus*, *calix*, & *Sanguis* significantur nominibus Græcis neutrius generis.

Iansenius.

Respondet Iansenius in Concordia cap. 131. Pronomen *hic* in forma calicis æquivalere Pronomini *hoc* (subintelligit, substantiue sumpto) & pro eo poni; quia ipsi videtur Pronomen *hoc* magis conuenire cum verbis antecedentibus *bibite ex hoc omnes* apud Matth. 26. quia credit, *istud ex hoc* substantiue sumi. Quod confirmat, quia Cyprianus in Epistola ad Cæciliam legit, *hoc est Sanguis meus*; nihilominus vulgatum Latinum potuisse vertere in Pronomen *hic*, quia non rarè ponatur *hic* pro *hoc*, ut Exod. 16. vbi filijs Israel interrogantibus de manna, *Quid est hoc?* respondetur, *Iste est panis, quem dedit vobis*, &c. quamuis in rigore erat respondendum *hoc*, seu *istud est panis*, &c.

Cyprian.

Contra responsionem Iansenij est, quod falsum

sit, Pronomen *hic* poni aliquando pro Pronomine *hoc* substantiue sumpto, quando poni debet Pronomen *hoc* substantiue: quia Pronomen *hoc* substantiue sumptum, & Pronomen *hic* ad diuersa referuntur, quia Pronomen *hic*, utpote semper adiectiue sumptum, semper refertur ad prædicatum, Pronomen verò *hoc* substantiue sumptum ad subiectum. Exodi autem 16. non debuit dici, *istud est panis*, etiam si potuerit dici, præsertim præsupposita interrogatione illa, *quid est hoc?* quia potuit, quasi illud *hoc* resumendo, responderi, *hoc seu istud est panis*: melius tamen dictum fuit, *iste est panis*, quam, *istud est panis*, quia clarior & facilius redditur sensus Pronomine adiectiue sumpto, quia melius dicitur, *hic est Petrus*, quam, *hoc est Petrus*. Quod verò ait Iansenius, Pronomen *hoc* in forma calicis magis conuenire cum verbis antecedentibus apud Matthæum, etiam est falsum, quia illud *ex hoc*, quod antecessit apud Matthæum, non sumitur substantiue & in neutro genere, sed in masculino & adiectiue, quia refertur ad calicem. sensus enim est, *bibite ex hoc calice*. Neque Cyprianus illi fauet, quia, ut notarunt Pamelius Scholasticus Cypriani, & Sainctes, in emendationibus codicibus non legitur *hoc*, sed, *hic est Sanguis meus*.

Deinde dicta explicatio Pronominis *hoc*, & etiam *hic*, confirmatur comunimodo demonstrandi, quo omnes utimur: quia qui vult aliquid masculini generis demonstrare, v.g. patrem, non utitur Pronomine substantiue, sed adiectiue; non enim dicit, *hoc est pater meus*, sed, *hic est pater meus*: ergo etiam quando utimur Pronomine *hoc* ad demonstrandum aliquid neutrius generis, eo utimur adiectiue ad demonstrandum prædicatum: ergo Pronomen *hoc* in forma Corporis, & etiam Pronomen *hic* in forma Sanguinis sumitur adiectiue ad demonstrandum immediatè prædicatum, Pronomen *hoc* ad demonstrandum Corpus, & Pronomen *hic* ad demonstrandum calicem.

Quod si obijcias Primò illud Tridentini sess. 13. c. 4. *Quoniam autem Christus Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*. vbi Tridentinum videtur Pronomen *hoc* explicasse substantiue, sub eo aliquid ex parte subiecti intelligendo, nempe id quod sub specie panis offerebat, id est oblatum & contentum sub specie panis. Respondemus, Tridentinū verè retulisse quod Christus dixit verbis consecrationis, nempe esse suum Corpus id quod offerebat; ex eo tamen non inferitur sensisse, Christū Pronomine *hoc* demonstrasse oblatum aut contentum sub specie panis: quia si Petrus diceret, *hic est homo*, eo Pronomine *hic* immediatè demonstraret hominem; & tamen qui referre vellet quod ille dixit, posset id efficere non referendo verba illius, sed sententiam, & dicere, Petrum dixisse, animal illud, quod ei occurrit, esse hominem. Et eodem modo Tridentinum posset exponere formam consecrationis vini, dicendo, Christum dixisse Sanguinē suum esse id quod sub specie vini offerebat, & tamen sub Pronomine *hic* in ea forma non intelligitur oblatum sub specie vini, sed eo immediatè demonstratur calix aut Sanguis. Quod autem ex verbis Tridentini inferatur, nobis fauet, nempe, eo Pronomine *hoc* & *hic* in formis consecrationis non demonstrari aliquid, quod sit ante prolationem verborum consecrationis, quia ante eam finitam non est id quod offertur, sed statim ac illa finitur.



Quòd si obijcias Secundò: Pronomine *hoc* proximè & immediatè significatur & demonstratur Corpus, ergo propositio formæ consecrationis Corporis, nempe, *Hoc est Corpus meum*, est identica, quia in ea idem prædicatur de se ipso. Respondemus, non esse identicam, quia ut propositio sit talis, non sufficit quòd subiectum & prædicatum sint idem realiter, ut patet in hac propositione, *Homo est animal rationale*; quia etiam requiritur, quòd nullatenus ratione distinguantur, ut contingit in hac, *Ensis est gladius*. Quia ergo significatum & demonstratum Pronomine *hoc*, quod est subiectum, est corpus non expressè apprehensum; prædicatum verò est idem corpus expressè apprehensum; idèò dicta propositio consecrationis non est identica, sed formalis, quia scilicet subiectum & prædicatum illius apprehensione nostra distinguuntur.

Quòd si Tertiò obijcias, Pronomen v. g. *hoc* sumitur adiectiuè, ergo eo non necessariò demonstratur substantia, quia eo etiam potest demonstrari accidens, ut contingit in hac, *Hoc est albedo*. Respondemus, quòd quamuis Pronomine demonstratio possit demonstrari accidens, ut contingit in hac dicta propositione, quia in ea Pronomen coniungitur cum accidenti; in illa verò propositione, *Hoc est Corpus meum*, nequit non demonstrari substantia quæ est corpus, quia coniungitur cum corpore.

Observandum est, ut optimè Vasquez nu. 49. quòd si Sacerdos uti vellet Pronomine substantiuè sumpto, etiam in forma Sanguinis, dicendo, *Hoc est Sanguis meus*, aut *calix Sanguinis mei*, verè consecrabit, quia manebit idem sensus substantialiter: tunc autem sub eo Pronomine substantiuè sumpto, intelligetur, quod erit in fine prolationis, cui conueniet esse Corpus aut Sanguinem, illud autem erit, *hoc ens*, aut *hæc substantia*.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum aqua post inchoatam formam consecrationis Sanguinis, & ante eam finitam conuersa in Vinum, conuertatur in Sanguinem Christi.*

Vasquez.  
Nugnus.  
Ochagau.

Vasquez disp. 201. num. 42. Nugnus q. 74. art. 8. & Ochagauia quæst. 34. §. 6. partem affirmatiuam tuentur, quia dictæ conuersioni in Sanguinem Christi non obstat significatio formæ consecrationis, quia tota ipsa refertur ad finem prolationis formæ, quia Pronomen *hic* in forma Sanguinis non demonstrat nisi id quod est in fine prolationis, siue hanc substantiam, siue Sanguinem Christi sub accidentibus illius vini, in quod fuit aqua conuersa.

Suarez verò disp. 45. in fine, & Bonacina disp. 4. q. 2. punct. 4. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia quamuis tota significatio formæ consecrationis referatur ad finem prolationis, & idèò quamuis vinum illud, in quod aqua conuersa fuit, conuerteretur in Sanguinem Christi, forma consecrationis esset vera; nihilominus ad valorem consecrationis, ut fiat conuersio, requiritur quòd tota forma cadat & proferatur supra materiam capacem, & ad eam dirigatur: quia forma ex institutione Christi exigit pro materia circa quam, ma-

teriam ipsam conuertendam, & non tantum id exigit hæc aut illa pars formæ, sed tota forma, alias qui antequam panis esset præiens, imò & in rerum natura, inchoaret formam Corporis, verè consecraret, si ante formam finitam panis fieret præiens, aut in rerum natura, quod verè est falsum.

Vnde quamuis dictæ conuersioni non obster significatio formæ consecrationis & Pronominis *hic*, obstat tamen defectus præsentia, sicut & existentia materiae in tempore in quo proferitur forma, quia tota forma debet proferri circa illam, & ad eam dirigi.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum verba consecrationis sint vera ex primaria vocum institutione, & secundum proprietatem, an tantum ex intentione proferentis.*

Scotus in 4. dist. 8. q. 2. & Gabriel lect. 48. in Scotus. Gabriel. can. lit. Q. & R. docent, formas consecrationis non esse veras ex primaria ipsarum vocum institutione & significatione, quia Verbum *est* in ipsis reperitur, ex dicta institutione denotat rem actu esse in aliquo momèto illius temporis, in quo propositio, in qua reperitur proferitur; Corpus autem & Sanguis Christi non sunt, nisi quando finiuntur formæ in ipso instati vltimo terminatiuo prolationis formarum, in quo earum prolatio intrinsecè terminatur & perficitur: esse tamen veras ex institutione Christi, & ex intentione Sacerdotis illas nomine Christi proferentis, quia Christus ea intentione instituit formas consecrationis, & Sacerdos ea intentione illas nomine Christi profert, ut quando finiuntur, fiat conuersio, & non antea.

Caietanus verò q. 78. art. 5. Scotus in 4. dist. 11. Caietanus. Scotus. Vasquez. quæst. 2. art. 5. & Vasquez disp. 202. docent, formas consecrationis esse veras secundum proprietatem, & primariam ipsarum vocum institutionem & significationem: & meritò, quia ut propositio de presenti sit vera secundum proprietatem & primariam institutionem & significationem, non est necessarium, ut id quod dicitur & enuntiatur, sit quando id actu dicitur & enuntiatur; sed sufficit quòd sit immediatè, vel paulò antè, aut statim vel paulò post prolationem propositionis, ut videre est in hac propositione, *Ecce ego taceo*, quæ vera est, si tacebam immediatè, vel paulò ante prolationem ipsius, aut si tacere incipio statim vel post prolationem illius: & in hac, *Ecce ego iam manduco*, quæ est vera, si statim vel paulò post manducare incipio: & in hac, *Ecce hæc est pretiosissima gemma*, quæ etiam est vera, si statim vel paulò post enuntiationem gemma in lucem proferatur (& id est verum non tantum in propositionibus practicis, seu factiuis rerum quas significant, sed etiam in purè speculatiuis, ut patet in exemplis allatis.) Ratio autem huius Antecedentis desumitur ex eo, quòd communi estimatione & opinione hominum, quibus voces significant, & qui illis vtuntur & significant, non tantum in instans physicè præfens censetur, & iudicatur præfens, sed etiam tempus immediatè vel paulò antè præteritum, & etiam tempus statim vel paulò post futurum. Ergo ut formæ consecrationis sint veræ secundum proprietatem, & primariam & communem significationem,



ationem, quamuis sint de præfenti, sufficit vt id, quod per ipsas esse significatur, sit, vt reuera est, statim finita ipsarum prolatione, seu instanti ultimo intrinseco prolationis, in quo earum prolatio intrinsecè terminatur & perficitur.

## DIFFICULTAS XIII.

*Utrum formæ consecrationis sint causæ conuersionis, non solum ratione significationis, sed etiam ratione veritatis.*

**S**upponimus, quod negari nequit, formas consecrationis (& idem est de formis aliorum Sacramentorum respectu suorum effectuum) esse causas, vel quasi causas conuersionis Eucharisticæ ratione significationis: quod satis indicat Tridentinum sess. 13. cap. 3. dum docet, quædam esse in Eucharistia ex vi verborum, & quædam alia ex naturali connexionem. per vim autem verborum ad minus intelligitur eorum significatio. Et quidem Christus verba consecrationis, & aliorum Sacramentorum instituit saltem vt significantia, vt suos effectus efficiant. Quod verò significatio, (& idem est de veritate) sit eius rationis, tantum obstat, vt sit ratio physica agendi, vel conditio physica ad agendum, non verò vt sit conditio quali moralis instrumento morali, vel instrumento physico voluntariè assumpto ad eandem.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An formæ consecrationis sint causæ, vel quasi causæ conuersionis, etiam ratione veritatis earum.

*Sotus.*  
*Ægidius.*  
*Caletan.*  
Sotus in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 5. & Ægidius quæst. 78. ar. 5. partem affirmatiuam tucunt, quia idèd causant conuersionem, quia sunt verba primæ veritatis, ergo quia sunt vera. Quod etiam ex parte tradit Caietanus art. 5. dum ait, veritatem speculatiuam verborum consecrationis non esse causam conuersionis; benè tamen veritatem practicam eorum. Appellat autem veritatem speculatiuam, eam quæ consistit in conformitate enuntiationis cum re enuntiatæ: practicam verò, eam quæ consistit in efficacia verborum ad efficiendam rem quam significant, ita vt verba sint practicè vera, quia sunt factiua eius quod significant.

*Scotus.*  
*Vasquez.*  
*Suarez.*  
*Adamus.*  
Scotus verò in 4. dist. 8. q. 2. Vasquez disp. 202. Suarez disp. 38. sect. 6. & Adamus disp. 5. quæst. 3. dub. 2. partem negatiuam tradunt, & merito: quia veritas verborum consecrationis est posterior conuersione Eucharistica, quia ad veritatem eorum præsupponi debet conuersio ipsa, panis videlicet in Corpus Christi, & vini in Sanguinem Christi, & aliter nequeunt esse vera. Vnde quando Tridentinum sess. 13. cap. 4. ex veritate verborum consecrationis colligit conuersionem, eam colligit non à priori, sed à posteriori; quia veritas est posterior conuersione, & quasi effectus conuersionis, quamuis econtrà veritas sit causa finalis conuersionis, quia Christus idèd contulit verbis

vim moralem conuertendi vt fiant vera, seu vt fiat quod per ipsas significatur.

Neque Caietanus à nobis re ipsa dissentit, sed tantum in modo loquendi, dum veritatem practicam constituit in veritate seu efficacia verborum, ad faciendam conuersionem, in quo absque fundamento procedit: imò & contra rationem, quia propositio speculatiua & practica in eo conueniunt, quòd vtraque significat & enuntiat rem esse; & in eo tantum differunt, quòd speculatiua non efficit quod significat & enuntiat, benè tamen practica: ergo veritas speculatiua, seu propositionis vt speculatiua, & veritas practica, seu propositionis vt practica, in eo conueniunt, quòd vtraque consistat in conuenientia propositionis cum re quam enuntiat; & in eo tantum differunt, quòd speculatiua consistat in conuenientia propositionis cum re quam enuntiat & non efficit, & practica in conuenientia propositionis cum re quam enuntiat & efficit.

Ex dictis constat, quòd quamuis verba consecrationis prius prioritate natura significant, quam sit conuersio, in eo tamen priori non sunt vera neque falsa, quia prioritas natura est prioritas causalitatis; conuersio autem causalatur & dependet à significatione, & non à veritate, neque à falsitate, imò econtrà veritas dependet à conuersione, & est posterior, quam illa, posterioritate natura; ac proinde verba consecrationis sunt vera in posteriori natura post significationem, & non in posteriori immediato & proximo, quia in hoc est conuersio, sed in posteriori mediato & remoto, nempe post conuersionem; quia verba vt significantia sunt priora, & immediatè postea conuersio. Et tandem post conuersionem verba sunt vera, quia generaliter omnis propositio, vt significans est prior prioritate natura, seu à quo, quam ipsa vt vera, quia veritas & falsitas sunt quali passiones, quæ consequuntur ad significationem. Imò non repugnat, propositionem prius tempore esse significantiam, quam sit vera: quia, vt diximus Difficultate precedenti, vt propositio de præfenti sit vera, sufficit vt id quod significat, sit paulò post, & tamen quousque illud sit, non est vera neque falsa, sed quasi suspensa, expectans veritatem aut falsitatem: nihilominus verba consecrationis in eodem instanti ultimo, in quo ipsorum prolatio intrinsecè terminatur & perficitur, indiuisibili quodam prolationis sunt vera, quia in eo efficiunt conuersionem.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, verba consecrationis causare conuersionem, quia sunt verba primæ veritatis, id est, quia sunt dicta aut instituta à Deo prima veritate ad efficiendam conuersionem, ita vt dictio aut institutio sit quodammodò causa conuersionis, vt verba à Deo dicta aut instituta fiant vera & digna, & sint dicta & instituta à Deo, non verò quòd veritas ipsorum sit causa conuersionis.



## DISPUTATIO IV.

De conuersione seu transubstantiatione panis & vini  
in Corpus & Sanguinem Christi.

## DIFFICULTAS I.

*Utrum Corpus & Sanguis Christi uerè & realiter sint sub speciebus panis & vini.*



IRCA difficultatem hanc error est hæreticorum, apertè negantium veram & realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia. Ita quidam Ioannes Scotus, antiquior Subtilissimo Iohanne

Scotus.

Berengar.  
Alligenf.  
Wiclef.  
Caroloft.  
Lutherus.  
Caluinus.

Duns Scoto Ordinis Minorum, & Berengarius, Albigenfes, Wiclef, Caroloftadius, Lutherus, Caluinus, & plures alij.

Concilium  
Alexand.  
Ephesinum.  
Synod. VII.  
Concilium  
Romanum.  
Vercellenfe.  
Turonenfe.  
Lateranen.  
Viennense.  
Eugen. IV.  
Trident.

Veritas tamen Catholica est, Christum verè & realiter esse in Eucharistia. Est autem veritas hæc definita, & oppositè error damnatus in Concilio Alexandrino in Epist. ad Nestorium, a pprobata in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14. & in VII Synodo act. 6. & in Concilio Romano sub Leone IX. & in Vercellenfi sub eodem præfente, & in Turonenfi sub Victore II. & in Lateranenfi sub Innocentio III. & in Concilio Viennensi sub Clemente V. & in Florentin. in decreto Eugenj IV. & in Tridentino sess. 13. ferè per totam, præsertim c. 1. & can. 1.

Bellarmin.  
Vasquez.  
Valentia.

Eandem veritatem tradiderunt innumeri Patres à Discipulis sancti Andree vsque ad Patres recentiores, quos referunt Bellarminus lib. 1. de Eucharistia, Vasquez disp. 11.9. Valentia in Controuerfijs lib. de Reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi, c. 2. Maldonatus in cap. 6. Ioannis, Suarez disput. 46. Egidius q. 75. art. 1. & Adamus quæst. 4. dub. 1.

Maldon.  
Suarez.  
Egidius.  
Adamus.

Veritas hæc desumitur Primò ex Ioann. 6. ex illis verbis: *Panis, quem ego dabo* (subintelligit, ad manducandum) *caro mea est.* & ex illis: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* ubi Christus manifestè pronuntiat, carnè suam manducandam, & Sanguinem suum esse bibendum. Ergo negari nequit, Christum prædictis & sequentibus verbis eiusdem capituli expressè promittere & depingere futurum Sacramentum Corporis & Sanguinis sui sub speciebus panis & vini (quod postea Matth. 26. Marc. 14. & Lucæ 22. instituit) ex quo deducitur præsentia Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Ad dimus, prædictis & sequentibus verbis, quia in antecedentibus non egit Christus de Eucharistia, neque de eius corporali manducatione, sed tantum de spiritali, media fide; & se ipsum, vt credendū, appellauit panem & cibum, vt ex contextu ipso optimè deducit Vasquez à num. 47.

Et quamuis Lutherus & Caluinus, & ex Catholicis Gabriel & Iansenius, existiment, in eo cap. 6. Ioannis non esse sermonem de reali manducatione & potu Corporis & Sanguinis Christi,

sed de manducatione & potu spiritali, media fide, qua debemus credere Christi humanitatem, significatam per carnè, & eius passionem, significatam per sanguinem: nihilominus ferè omnes Patres, quos referunt Bellarminus, Vasquez & Egidius, prædicta verba Ioannis de reali manducatione & potu Corporis & Sanguinis Christi intelligunt, & id deducunt ex illis, etiam si nonnulli ex illis aliquando verba illa etiam ad manducationem & potum media fide accommodent. Et quod magis est, Tridentinum sess. 13. cap. 2. & sess. 21. c. 1. *Trident.* deducit realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ex prædictis & sequentibus verbis Ioannis.

Quòd verò Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Ephesios ait, dicta verba Ioannis intelligi de Sanguine & carne Christi spiritali & diuina, non de carne quæ crucifixæ est, & de sanguine qui effusus est, per carnem & sanguinem spirituales & diuini intelligit ea prout vnita Diuinitati, quia vt sic sunt cibus & potus spirituales; per carnem verò crucifixam, & per sanguinem effusum, intelligit ea secundum se, non considerata vnione ad Diuinitatem.

Hæretici verò, qui admittunt, Christum in eo cap. 6. Ioannis loqui de reali sumptione Eucharistia, dicunt, verba illa non esse propriè intelligenda, sed figuratè & metaphoricè, ita vt in Eucharistia non sint verè & realiter Corpus & Sanguis Christi in se ipsis, sed solum in pane & vino tamquam in signo & figura. Hæc tamen interpretatio, præterquam quòd est contra sensum, quem præferunt dicta verba, & quòd nequit constare cum veritate verborum consecrationis, vt statim dicemus, etiam potest rejici, Primò, ex eo quòd Christus in eo tēpore meliorem panem promisit quàm manna, nempe se ipsum, tum per fidem credendum, tum sub speciebus panis realiter manducandum: at si Christus tantum promississet panem, qui solum esset signum & figura Christi, non promississet meliorem cibum quàm manna, figuram Corporis Christi. Secundò rejicitur ex dubitatione & murmuratione Capharnaitarum; quia ex ea constat, illos intellexisse Christum loqui de sua carne secundum proprietatem, aliàs non dubitassent, neque dixissent, *Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Eos autem sic intelligentes, rectè intellexisse, ex eo constat, quòd si non rectè intellexissent, eos absque dubio Christus vnico verbo instrueret, & prauam eorum intelligentiam corrigeret, quod non fecit; imò potiùs illud repetiuit, vt eos magis in opinione ab ipsis concepta firmaret.

Secundò, prædicta veritas Catholica præsentia realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia desumitur ex verbis, quibus Christus Matthæi 26. Marc. 14. & Luc. 22. vsus est in vltima cœna, ad instituendum Sacramentū Eucharistia, ab ipso promissum Ioann. 6. nempe ex illis, *Hoc est*  
Corpus



*Corpus meum, Hic est Sanguis meus, vel hic est calix Sanguinis mei*: quæ verba ad eò clarè & manifestè conuincunt præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, vt absque impudentia ea quis nequeat aliter interpretari.

Nihilominus hæretici, qui dictam præsentiam realem ferre non possunt, ad eò variè dicta verba interpretantur, vt in libello, qui anno Domini 1577. editus fuit, ducentæ expolitiones habeantur, ex quibus plures refert & reiecit Vasquez cap. 6. eorum tamen præcipua in id recidunt, vt dicta verba figuratè tantùm & metaphoricè & tropicè intelligantur, siue figura ponatur in Verbo *est*, sumendo illud pro Verbo *significat*; siue ponatur in Corpore & Sanguine, sumendo Corpus & Sanguinem pro figura Corporis & Sanguinis, ita vt Corpus & vinum dicantur Corpus & Sanguis Christi, quia sint figura Corporis & Sanguinis, & Corpus & Sanguis sint in pane, & in vino tamquam in signo & in figura, & non realiter & propriè sub eorum speciebus. Hanc tamen interpretationem damnat Tridentinum sess. 13. cap. 1. & meritò: quia contra regulam Augustini lib. 3. de Doctrina Christiana c. 10. absque sufficienti fundamento deseritur propria significatio dictorum verborum, & confugitur ad Metaphoram & figuram Metonymiam, per quam res significata sumitur pro signo; quia nullum fundamentum assignari potest ad deserendam propriam significationem eorum verborum. Imò sunt multa, quæ maximè suadent, accipienda esse in propria significatione, tum, quia illis Christus instituit Eucharistiam, quæ est Sacramentum, in cuius vsu esset maxima occasio errandi, si non fuisset claris verbis instituta; & quæ etiam est nouum Testamentum, quia in eius institutione Christus expressit nobis suam vltimam voluntatem dandi nobis gratiam & vitam æternam; testamentum autem apertissimis verbis tradendum est, non tropicè: tum etiam, quia verbis illis loquebatur solis Discipulis, hominibus tunc rudibus, & quibus tunc, vt prope mortem ipsius, conueniens erat clarè suam doctrinam explicare: & his accedit, quòd sanguis, de quo Christus in dictis verbis loquebatur, effundendus erat pro nobis, vt dicitur Luc. 22. in remissionem peccatorum, vt dicitur Matth. 26. & tamen solus verus Sanguis Christi erat pro nobis in remissionem peccatorum effundendus, non vinum.

*Dionysius.* Quod si primò obijcias, Dionysium Areopagitam Epist. 9. ad Titum, dicentem, Iesum in parabolis diuina per typicæ mensæ apparatus deifica mysteria tradere; Respondemus, Dionysium tantùm tribuere Christo parabolas in prædicatione, vt ex contextu constat. Dum verò addit, mysterium Corporis & Sanguinis traditum esse per typicæ mensæ apparatus, non excludit realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, quia species Sacramentales, quæ sunt apparatus mensæ, typum gerunt eius quod in se continent.

*Tertullianus.* Quòd si secundò obijcias Tertullianum lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. vbi ait, *Acceptum panem, & distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo, id est, figura Corporis mei*; fatemur verba hæc Tertulliani difficulta esse: quia tamen Tertullianus multis in locis, quæ Pamelius in eum librum num. 662. expendit, verè admittit præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, ideò exponenda sunt in aliquem bonum

sensum. In eum autem exponuntur à P. Vasquez, Vasquez. vt Tertullianus referat figuram ad species panis & vini, quæ verè significant & figurant Corpus & Sanguinem Christi quæ continent, ita vt illud, *id est, figura corporis mei*, non sit interpretatio verborum quæ Christus protulit, quasi his æquiualeat, sed sit explicatio, quam Tertullianus addit pro Christo, ac si Christus dixisset, Corpus meum sub speciebus panis, quem habui in manibus, & meis Discipulis distribui, est figura Corporis mei existentis modo visibili.

Quòd si tertio obijcias Hieronymum, vel potius Pseudo Hieronymum in illud Marci 14. *Et manducantibus, &c.* vbi testimonium hoc mysticè explicat; Respondemus, quòd licet ibi non explicet sensum litteralem, sed eruat quemdam mysticum & spiritualem; non tamen negat litteralem & proprium, neque præsentiam realem Corporis Christi: quando verò Hieronymus in cap. 26. Matth. ait, Christum panem accepisse, vt veritatem sui Corporis repræsenteret, ibi *repræsenteret* non est idem quod *figurare*, sed idem quod *presens facere*, & *ante oculos ponere*. Et eodem modo explicandi sunt nonnulli alij Patres, quando simile quid dicunt.

Plura alia obijciunt hæretici contra dictam veritatem Catholicam, quæ videri possunt apud Bellarminum, Vasquez, Suarez, Ægidium & Adamum.

*Bellarmin.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.*

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum post consecrationem in Eucharistia maneat substantia panis & vini.*

**C**irca rem hanc varij fuerunt errores. Primus fuit Berengarij, qui (vt scribit Guitmundus Berengar. lib. 1. de Veritate Corporis & Sanguinis Christi) post secundam retractationem, quam fecit in Concilio Romano sub Nicolao II. admitens in Eucharistia verè esse Corpus & Sanguinem Christi, asseruit, cum his manere substantiam panis & vini, & ita dicebat Christum in Eucharistia impanari.

Secundus error fuit (vt testatur idem Guitmundus) eorum, qui dixerunt, panem & vinum tantùm secundum partem definere esse, & conuerti in Corpus & Sanguinem Christi, secundum eam videlicet quæ non est sumenda ab indignis; & secundum aliam partem manere in Eucharistia, secundum eam videlicet quæ sumenda est ab indignis, quia hæc non conuertitur in Corpus neque in Sanguinem Christi.

Tertius error fuit (teste eodem Guitmundo) eorum, qui dixerunt, totum panem & vinum in consecratione conuerti in Corpus & Sanguinem Christi, nihilominus quando indigni Eucharistiam sumunt, Corpus & Sanguinem Christi iterùm in panem & vinum redire.

Quartus error fuit Lutheri lib. de Captiuitate Babylonica, cap. de Eucharistia, qui admittens errorem Berengarij de impanatione Christi, addebat, neutram partem huius contouersie ad fidem pertinere, affirmatiuam tamen, nempe in Eucharistia manere substantiam panis & vini, esse Scripturæ & rationi conformiorem.

*Lutherus.*

Quintus error tribuitur Ruperto Abbati, quæsi dixerit in Eucharistia manere panem, & hypostaticè



ticè vnitum immediatè verbo diuino, cui Corpus Christi est vnitum, & ratione vnionis panis & Corporis Christi eidem Verbo diuino posse Corpus Christi de pane verificari, & id significari in verbis consecrationis Corporis. Ita insinuat in c. 6. Ioannis, explicans illud, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*: & id planè affirmat lib. 2. de Diuinis officijs cap. 2. & 9. si liber hic est Ruperti.

Sextus error fuit (vt refert Waldensis Tomo de Sacramentis cap. 65.) cuiusdam Ioannis Parisiensis, qui assererat, in Eucharistia panem vniri hypostaticè Verbo Dei non immediatè, sed medio corpore humanitatis, quia existimabat panem huic corpori vniri.

Veritas tamen Catholica est, post consecrationem in Eucharistia non remanere substantiam panis & vini. Est autem veritas hæc definita, & oppositus error damnatus in Concilio Romano sub Nicolao II. & in alio Concilio Romano sub Gregorio VIII. antiquioribus Innocentio III. & postea in Concilio Lateranensi sub ipso Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate & fide Catholica, dum definitur, panem transsubstantiari in Corpus, & vinum in Sanguinè Christi: & in Concilio Romano generali, in quo damnati sunt articuli Ioannis Wiclef, quorum primus erat: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, manent in Sacramento.* & in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi dicta definitio Concilij Romani contra Wiclef confirmatur, & in fine Concilij iterum approbatur à Martino V. & in Decreto Eugenij IV. dum definitur, substantiam panis in Corpus Christi, & substantiam vini in Sanguinem Christi conuerti: & tandem in Tridentino sess. 13. c. 4. dum definitur, per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi; & can. 2. dum anathematizatur, qui negauerit per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini. Vnde contra Scotum vbi infra constat, veritatem hanc fuisse in Ecclesia definitam ante Innocentium III.

Eandem veritatem tradiderunt innumeri Patres Innocentio III. antiquiores, Iustinus videlicet Martyr in Apolog. 2. Irenæus lib. 4. Aduersus hæreses, cap. 34. Tertullianus lib. 4. in Marcionem ca. 40. Cyprianus vel Pseudo-Cyprianus Sermone de Cæna Domini, Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 4. Ambrosius lib. de Ijs qui initiantur, cap. 9. Gaudentius Tract. 2. de Exodo, Chrysostomus Homil. 83. in Matth. Augustinus Serm. 28. de Verbis Domini, Damascenus 4. de Fide, c. 14. & plures alij Patres (quos referunt Bellarminus lib. 3. de Eucharistia, cap. 20. Valentia quæst. 3. puncto 2. & Vasquez disp. 80. cap. 3.) dum omnes vel apertè dicunt, vel supponunt, substantiam panis & vini mutari & conuerti in Corpus & Sanguinem Christi: vt pudeat Lutherum asseruisse, hanc conuersionem excogitatam fuisse ab Innocentio III. & ab Scholasticis; & vt pudeat Caluinum, quod asseruerit, veritatem hanc omni antiquitatis patrocinio destitutam esse.

Tandem eadem veritas Catholica absentia panis & vini in Eucharistia, efficaciter deducitur ex veritate verborum, quibus ad cōsecrationem vsus est Christus Matth. 26. & Marc. 14. & quibus ad

id vtimur Sacerdotes, nēpe, *Hoc est Corpus meum, & Hic est Sanguis meus*: quorum veritate ad id conuincuntur communiter Theologi (exceptis Scoto in 4. dist. 11. q. 8. & Durando) & plures ex Patribus, quos refert Vasquez cap. 4.

Vasquez.

Ex veritate ergo verborum consecrationis probatur absentia panis & vini in Eucharistia, quia Pronomen *hoc* & *hic*, quod in verbis consecrationis demonstrat ad sensum, & non demonstrat accidentia panis & vini (quia ipsum Pronomen nequit ipsis accidentibus in verbis consecrationis accommodari, vt patet) demonstrat substantiam sub ipsis contentam, quæ medijs ipsis accidentibus fit sensibilis, & sensui demonstrabilis; sed nequit sub eis demonstrare substantiam Corporis & Sanguinis Christi, si sub eis adsit substantia panis & vini, vt adesse potest, vt postea dicemus. Ergo vt substantia Corporis & Sanguinis Christi verè sub illis demonstratur, vt verè demonstratur, necessarium est, quòd sub illis non maneat substantia panis & vini. Quòd autem, si sub illis accidentibus adesset propria substantia panis & vini, non posset sub eis demonstrari substantia Corporis & Sanguinis Christi, quamuis esset etiam sub illis. Probatur: quia accidentia illa primariò & principaliter, & suã naturã efficiunt sensibilem & demonstrabilem propriam substantiam, si sub eis existat, quia sunt ipsi propria & connaturalia; alienam verò substantiam, quando adest propria, non nisi secundariò & secundum quid, quia huic sunt præter naturalia, & propria substantiæ connaturalia. Ergo quando absolutè & simpliciter, & absque addito fit demonstratio substantiæ, demonstrabitur propria, si existat, quamuis tunc etiam existat aliena, dicendo, *hoc est vinum*; aliena verò, quando existit propria, non nisi cum addito, & secundum quid, nempe particulam & addendo, dicendo, *hoc est vinum & sanguis*, non verò absolutè absque addito dicendo, *hic est sanguis*. At quando non adest propria substantia, tunc aliena quæ sub illis accidentibus existit, demonstratur absolutè, & absque addito, quia non est alia, quæ primariò & principaliter fiat sensibilis per illa accidentia.

Quòd si obiecias Primò, Quando vinum continetur in vase, non tantum vas potest absolutè demonstrari, dicendo, *hoc est vas*, sed etiam vinum in vase contentum, dicendo, *hoc est vinum*; ergo quãuis substantia propria panis & vini esset sub speciebus Sacramentalibus, posset etiam sub illis absolutè demonstrari substantia Corporis & Sanguinis Christi. Respondemus, cōcedendo Antecedens, & negando Consequentiam: quia est dispar ratio inter accidentia vasis ex vna parte, & inter accidentia panis & vini ex altera; quia accidentia vasis ratione figuræ sunt adaptata ad continendam etiam alienam substantiam, accidentia verò panis & vini neque ex sua natura, neq; ratione figuræ sunt adaptata ad continendam substantiam Corporis & Sanguinis Christi, & ideo sub accidentibus vasis potest etiam aliena substantia simpliciter & absolutè demonstrari, non verò substantia Corporis & Sanguinis Christi sub accidentibus panis & vini, quando sub eis est ipsa substantia propria.

Quòd si obiecias Secundò, Quando corpus à demone obsidetur, verè dicimus, *hic est demon*, Pronomine *hic* nominaliter sumpto, etiam si ibi sit substantia corporis obsessi; ergo quamquam in Eucharistia perseveraret substantia panis simul cum



pus obsidetur à dæmone, posse dæmonem sensui demonstrari, dirigendo Pronomen ad corpus obfessum, vel ad accidentia ipsius, nisi quando in eo corpore videmus, aut aliter sentimus effectum aliquem proprium dæmonis, seu à dæmone prouenientem, ratione cuius dæmon fiat sensibilis seu demonstrabilis sensui, non verò quando tantum apparent accidentia corporis obfessi. Et quia in Eucharistia non apparent accidentia aliqua, neque effectus aliquis Corporis & Sanguinis Christi, idè non possent sensui demonstrari Pronomine directo ad accidentia panis & vini, quando esset propria substantia ipsorum.

Trident.

Meritò ergo Tridentinum sess. 13. c. 4. non tantum definit absentiam panis & vini in Eucharistia, sed etiam ex veritate verborum consecrationis eam deducit, & ex ipsa semper fuisse ab Ecclesia deductam affirmat. Sed quamuis absentia panis & vini ex veritate verborum consecrationis deducatur, non tamè ex quacumque, quia non deducitur ex veritate verborum in figurato & metaphorico sensu, quem verba consecrationis efficere possent, quia veritas verborum in isto sensu stare poterat cum præsentia panis & vini, sed ex veritate verborum in proprio sensu quem verba ipsa præ se ferunt, & in quo Christus ea protulit, ut ex antiqua tradiuione constat, ex qua Tridentinum sess. 13. cap. 1. talè sensum desumpsit, & elegit: quia cum veritate verborum in sensu proprio, & in propria significatione, secundum quam significatur vera & realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, stare nequit præsentia panis & vini in illa, ob rationem dictam, & ex veritate verborum in hoc sensu, quem Tridentinum cap. 1. supponebat electum, postea c. 4. deduxit absentiam panis & vini in Eucharistia.

Trident.

Quòd si obijcias: Ex veritate verborum consecrationis in proprio sensu potuit deduci conuersio panis & vini, seu desitio & absentia eorum; & non ex veritate illorum in sensu figurato, ergo Tridentinum non potuit absolutè, & absq; addito, ex veritate illorum deducere desitionem panis & vini, dicendo, *Quoniam Christus Corpus suum, quod sub speciebus panis offerbat, verè esse dixit, idè in Ecclesia semper persuasum fuit, in Eucharistia fieri conuersione totius substantia panis in Corpus Christi,* quia verba consecrationis potuissent esse vera in sensu figurato ab hæreticis electo, & cum veritate eorù in hoc sensu potuissent stare substantia panis, sed debuit addere; quoniam verè esse dixit, prout ab Ecclesia intelligi consuevit, sicut etiam c. 1. ex eisdem verbis non absolutè, sed cum addito, nempe prout ab Ecclesia & Patribus in proprio sensu semper intellectis, deducit realem præsentia Corporis & Sanguinis Christi. Respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam; quia veritas absolutè & simpliciter prolata, supponit pro veritate verborum in proprio sensu. Quòd si c. 1. ex illis non absolutè, sed cum dicto addito deducit præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, non id fecit, quia esset necessarium, sed quia hæretici verba illa in sensu tantum figurato admittebant, præsertim quòd Tridentinum cap. 4. non deducit desitionem seu conuersionem panis & vini ex veritate verborum consecrationis, absq; addito illo: quia iam c. 1. ex antiqua Ecclesiæ tradiuione veritatem verborum in proprio sensu sumptorum elegerat; & c. 4. id supponens, deducit dictam

conuersionem ex veritate verborum cum eo addito, non repetito & expresso, sed supposito & subintellecto.

Prædicti ergo errores, quatenus conueniunt, in Eucharistia manere substantiam panis & vini, manent ex dictis relegati, etià quintus & sextus: quia si substantia panis in Eucharistia perseueraret, quamuis vnita verbo, siue mediatè siue immediatè, nõ possent verba illa consecrationis, *hoc est Corpus meum,* esse vera, tum quia vnio hypostatica non sufficit ad mutuam prædicationem inter quæcumq; vnita eidem personæ, nisi inter naturas completas, & in concreto sumptas; Corpus autem in illis verbis ratione Pronominis *meum,* ut abstractum significatur; tum etià, quia Pronomen demonstratiuum in consecratione Corporis non refert panem, quia non dicitur *hic,* sed *hoc,* & in consecratione Sanguinis non refert vinum, quia non dicitur *hoc,* sed *hic,* præterquam quòd absque fundamento admittitur vnio aliqua panis & vini cum verbo.

Tertius etià error asserentium, Corpus & Sanguinè Christi, quæ à peccatoribus sumenda erant, iterum in panem & vinum redire, est contra Paulum 1. ad Cor. 11. dicentem, *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diuiscans Corpus Domini.* vbi supponit, peccatorè sumere Corpus Christi. Quo etiam specialiter reijcitur secundus error asserentium, panem & vinum non conuerti in Corpus & Sanguinè Christi secundum partem ab indignis sumendâ, quia scilicet Paulus supponit, indignos verè sumere Corpus Christi.

Sed contra dictam veritatem Catholicam obijciunt Primò hæretici, quòd Eucharistia sæpè appelletur panis, ergo in ea manet substantia panis. Respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam; quia Eucharistia appellatur panis, vel quia fit ex pane, vel quia ratione specierum apparet panis, vel quia est panis, seu cibus spiritualis animæ.

Obijciunt Secundò, Christus Ioan. 6. dixit, *Ego sum panis,* & tamen non fuit destructus, & conuersus in panem, ergo quamuis Matth. 26. dixerit de pane, *hoc est Corpus meum,* panis non destruetur, & conuertetur in Corpus Christi. Respondemus, ex vi illorum verborum Christum non potuisse desinere esse & conuerti in panem, quia essent falsa; quia si Christus non maneret, non posset esse verum, Christum esse panem: fuit autem verum Christo permanente, quia ibi non est sermo de pane materiali, ut patet ex contextu, quia additur, *panis viuus, & vita,* sed de spiritali, & Christus verè est panis spiritualis animæ per fidem edendus, & animam viuificans. At quando dixit, *hoc est Corpus meum* (vbi Corpus propriè sumitur, ut constat ex perpetua Ecclesiæ tradiuione) non loquitur de pane, sed circa panem, quia pronomen *hoc* non demonstrat panem (aliàs non posset esse vera adhuc intercedente vnione hypostatica panis cum Corpore Christi, quia Corpus ibi sumitur abstractè) sed tantum demonstrat Corpus Christi, & idè ex vi illorum verborum, quæ profertur circa panem, panis ipse destruitur, & conuertitur in Corpus Christi, ut vera fiant:

Obijciunt Tertio abiurationem Berengarij, approbatam in Concilio Romano sub Nicolao II. & relata à Gratiano de Consecratione dist. 2. can. *Ego Berengarius.* quia in ea dicitur, panem & vinum post consecrationem esse non solum Sacra-



Sacramentum, sed etiam Corpus & Sanguinem Christi, & sensualiter non solum in Sacramento, sed in veritate manibus tractari & frangi, & dentibus atteri; supponitur ergo, post consecrationem manere panem & vinum. Cui accedit, quod dicitur manibus tractari, & frangi, & dentibus atteri, quia hæc non conueniunt Corpori Christi in Eucharistia: ergo dicuntur de pane, ac proinde perseverat post consecrationem. Respondemus, in abiuratione hac contendit contra Berengarium, in Eucharistia non solum esse Sacramentum, sed etiam esse Corpus & Sanguinem Christi. Dicitur autem in ea abiuratione panis post consecrationem esse Corpus Christi, non quia post consecrationem maneat & manens sit Corpus Christi (quia si maneret, non posset dici esse Corpus Christi) sed quia per consecrationem (& consequenter post illam posterioritate naturæ) transit in Corpus Christi, sumpto esse, vt relato ad Corpus Christi, pro *transire*; ac proinde post consecrationem panis non manet in sua natura, sed in Corpus Christi conuersus. Ideo autem Corpus Christi, seu panis in Corpus Christi iam conuersus dicitur sensualiter & in veritate manibus tractari, frangi, & dentibus atteri, vt denotetur, verè & realiter esse ibi Corpus Christi, cui prædicta conueniant non proximè & ratione sui, sed remotè ratione specierum panis illud continentium. Quando autem in hac abiuratione dicitur, panem & vinum non solum esse Sacramentum, sed etiam Corpus & Sanguinem Christi, nomine *Sacramenti* intelligitur vel signum factiuum gratiæ sanctificantis, vel signum speculatiuum Corporis & Sanguinis Christi, ita vt sensus sit, panem & vinum non tantum esse Sacramentum, id est signum practicum gratiæ, vel signum speculatiuum Corporis & Sanguinis Christi, quia id conuenit pani & vino ratione suorum accidentium, quibus conuenit esse Sacramentum, sed etiam realiter & verè transire in Corpus & Sanguinem Christi.

Obijciunt Quarto Gelasium lib. 2. contra Eutychetem, in fine, vbi de Eucharistia loquens, ait, *Et tamè non desinit natura panis & vini*: & Chrysostomum Epist. ad Cæsarium, vbi ait, naturam panis in Eucharistia manere. Respondemus, si liber ille est Gelasij, & Epistola illa est Chrysostomi (quod viri eruditi negant) eos tantum velle, in Eucharistia non desinere, sed manere naturam panis, non in se, sed in suis virtutibus, quia accidentia panis verè alunt & nutriunt, & accidentia vini verè refrigerant.

Omittimus alia quæ obijci solent, aliqua, quia leuiora sunt, & alia, quia in eis tanguntur aliqua difficultates à nobis postea examinanda.

### DIFFICULTAS III.

*Vtrum post consecrationem in Eucharistia maneat aliquid substantiæ panis & vini*

*Durandus.* Durandus in 4. dist. 11. quæst. 3. existimat, in Eucharistia post consecrationem manere materiam primam panis & vini sub ipsorum accidentibus forma substantiali corrupta; quia nisi maneat materia prima panis & vini, in qua formæ substantiali ipsorum succedat forma Corporis & Sanguinis Christi eo modo, quo formæ alimenti in materia prima ipsius succedit forma viuientis,

nequit esse conuersio & transubstantiatio, quia hæc necessariò versatur circa aliquod subiectum vtrique extremo commune.

Alij (vt refert S. Thomas quæst. 75. art. 5.) existimant, in Eucharistia post consecrationem manere formas substantiales panis & vini, non verò materias primas, sed has fuisse conuersas in Corpus & Sanguinem Christi.

Gotfredus Quodlib. 8. quæst. 17. (vt refert Paludan. in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1.) existimat in Eucharistia existentiam panis & vini (quam forsitan non distinguit à substantiâ) non conuerti in existentiam Corporis & Sanguinis Christi (quamuis natura & substantia panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi conuertatur) sed manere, vt sit subiectum accidentium quæ remanent, præsertim cum existentia panis & vini nequeat in existentiam Corporis & Sanguinis Christi conuerti, quia existentia Christi est increata & diuina, & creatum nequit in increatum conuerti. Eandem sententiam secutus est Bañez quæst. 4. art. 2. ad 2. alio tamen nixus fundamento, quia scilicet existimat, substantiam & accidentia eadem existentia existere, & accidentia, quæ in Eucharistia remanent, existere eadem qua ante consecrationem existebant.

Reliqui tamen Theologi docent, & meritò, in Eucharistia post consecrationem nihil panis & vini manere præter ipsorum accidentia.

Et in primis non manere materiam primam, neque formam substantialem panis & vini, satis significat Tridentinum sess. 13. cap. 4. dum ait, post consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem Christi; quia hac particula *totius* significatur omne quod substantiam intrat: & id clariùs significat can. 2. dum ait, fieri conuersionem totius substantiæ panis, & totius substantiæ vini, manentibus dumtaxat speciebus, id est accidentibus: vbi Tridentinum, addendo particulam illam *dumtaxat*, quæ exclusiua est, satis exprimit, nihil panis & vini præter ipsorum accidentia manere; ob quod modus dicendi Durandi, & modus dicendi illorum quos refert S. Thomas, iam non benè audiunt. Idem quoque deducitur ex veritate verborum consecrationis in proprio sensu sumptorum, ex qua Tridentinum deduxit fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini, vt dicemus Difficultate sequenti, vbi etiam specialiter rejicietur modus dicendi Durandi. Modus tamen dicendi aliorum, quem S. Thomas refert, ex eo specialiter rejicitur, quod absque necessitate, imò absque vtilitate admittit, formam substantialem panis & vini manere absque materia prima, absque qua nequit naturaliter conseruari. Quod verò conuersio, saltem totalis, non egeat subiecto vtrique extremo communi, dicemus Difficultate XIIII.

Deinde in Eucharistia non manere existentiam, neque substantiam panis & vini, satis significat Tridentinum can. illo 2. dum ait, fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini, manentibus dumtaxat speciebus, seu accidentibus, quia existentia & substantia non sunt accidentia, sed potius aliquid substantiæ; ob quod modus dicendi Gotfredi non benè audit. Et idem ratione probatur, & in primis quoad existentiam, quia hæc non distinguitur re ipsa ab essentia & natura,



vt diximus Tractatu de Incarnatione Disput. xi. Diffic. 11. ergo in Eucharistia, in qua non manet essentia & natura panis & vini, nequit eorum existentia manere: & quamuis existentia re ipsa distingueretur ab essentia, imò & tamquam res à re, vt sic posset manere absque essentia, nihilominus absque necessitate existentia panis & vini diceretur in Eucharistia manere, in qua non manet essentia & substantia eorum; quia non esset necessaria, vt per eam accidentia existerent, quia per eam existere nequeunt, quia accidentia non existunt per se, sed in alio; existentia autem substantia panis & vini est existentia per se, non in alio; neque esset necessaria, vt esset subiectum proximum accidentium panis & vini, quia esse non posset, quia sola substantia substat accidentibus: ergo existentia, quæ esset distincta à substantia, & actus substantia non posset substat accidentibus, & esse subiectum eorum: & non solum existentia panis & vini maneret in Eucharistia absque necessitate, sed etiam id affirmare est contra rationem, quia existentia absque substantia, quæ in Eucharistia non manet, nequit naturaliter perseuerare.

Idem quoque probatur quoad subsistentiam, quia in primis nequit absque sua substantia seu natura manere, quia subsistentia nihil aliud est, quam modus perfectiatis ipsius substantia, vt diximus Tractatu de Incarnatione, Disp. 1v. Diffic. v. modus autem nequit manere, non manente re cuius est modus, quia eam essentialiter supponit, & ab ea essentialiter dependet: & quamuis subsistentia panis & vini manere posset absque ipsorum substantia, tamen absque fundamento diceretur in Eucharistia manere, & absque necessitate aliqua, quia ipsa non posset esse subiectum accidentium panis & vini, sicut neque existentia, si hæc esset à substantia distincta, quia sola substantia substat accidentibus.

Ex quo constat ad priorem partem fundamenti Gotfredi, & ad fundamentum Bañez. Ad alteram verò partem fundamenti Gotfredi respondemus, quòd quamuis, quòd creatum est, non possit conuerti in increatum, possit tamen existentia panis & vini conuerti in existentiam Corporis & Sanguinis Christi, quia horum existentia est creata, non diuina.

## DIFFICULTAS IV.

*Utrum conuersio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi consistat formaliter in eo, quòd materia prima panis & vini continuetur cum materia prima Corporis & Sanguinis Christi, & incipiat esse sub forma eorum.*

Supponimus, in quo Catholici contra hæreticos conueniunt, in Eucharistia per consecrationem fieri conuersionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi. Ita sæpè definitum est, præsertim in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & in Tridentino sess. 13. cap. 4. & can. 2. eamque conuenienter appellari *transubstantiationem*, affirmat in eo cap. 4. & meritò: quia quamuis vox hæc barbara sit, optimè tamen significat id quòd in

Eucharistia fit. Quòd verò vox hæc sit noua, non obstat, quia licitum est rebus nouis inuentis (qualis est conuersio Eucharistica) voces nouas, ad res illas nouas significandas, adinuenire.

Hoc supposito, magna inter Theologos controuersia est circa naturam & quidditatem huius conuersionis seu transubstantiationis, in quo scilicet consistat.

Circa præsentem ergo difficultatem Durandus in 4. d. 11. q. 3. partem affirmatiuam tuetur, nempe, naturam conuersionis Eucharisticae in eo consistere, quòd materia prima panis continuetur cum materia prima Corporis Christi, & incipiat esse sub forma Corporis Christi, & eà informari, & quòd materia prima vini continuetur cum materia prima Sanguinis Christi, & incipiat esse sub forma illius, & eà informari eo modo, quo per nutritionem materia prima alimenti continuetur cum materia prima viuientis, & incipit esse sub forma illius, & eà informari. Quòd indicare videtur Damascenus 4. de Fide, cap. 5. vbi conuersionem Eucharisticam declarat exemplo conuersionis alimenti in substantiam comedentis, & conuersionis potus in sanguinem potantis. Et ratione probatur, quia modus iste conuersionis est possibilis, & per eum facillè declaratur conuersio Eucharistica, & secundum eum verba consecrationis sunt vera: ergo.

Reliqui tamen Theologi partem negatiuam communiter tradunt: imò pars affirmatiua, quam Durandus tuetur, iam post Tridentinum erronea iudicatur, & meritò: quia Tridentinum sess. 13. cap. 4. definit, per consecrationem fieri conuersionem totius substantia panis in Corpus, & totius substantia vini in Sanguinem Christi. vbi particula *totius* denotatur, nihil quòd substantiam panis & vini intrat, manere. Quòd magis declarauit can. 2. dum idem definiens, addit: *Manentibus dumtaxat speciebus panis & vini*. Materia autem prima panis & vini non est species, neque accidens panis & vini, sed pars essentialis ipsorum, intrans substantiam & essentiam eorum.

Deinde pars nostra negatiua probatur, & affirmatiua Durandi ratione Theologica rejicitur; quia in Eucharistia non est admitenda alia conuersio, quam ea quæ adæquatur & commensuratur significationi verborum, quia tantum fit ex vi talis significationis, & quam ea, quæ sufficit ad veritatem illorum, ipsorum significationi commensuratam, quia ex ea à posteriori deducitur: sed verba consecrationis non significant Corpus & Sanguinem Christi, vt habentia in se nouam materiam panis & vini informatam forma ipsius Corporis & Sanguinis, sed tantum significant Corpus & Sanguinem Christi simpliciter & absolute, sicut erant ante consecrationem; & ad veritatem commensuratam & conformem significationi ipsorum verborum non requiritur conuersio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, vt habentia nouam illam materiam, sed sufficit conuersio in Corpus & Sanguinem Christi simpliciter & absolute, sicut erant ante consecrationem: ergo absque fundamento & contra rationem admitteretur conuersio prædicta à Durando, quæ scilicet panis & vinum non desinant secundum materiam primam, & quæ fiat in Corpus & Sanguinem Christi, his addendo materiam illam, & quæ informetur ipsorum forma; sed admitienda est conuersio



panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem, qua Corpus & Sanguis sint existentia & presentia absque informatione illa, sicut erant ante consecrationem, & consequenter etiam desinitio totius substantiæ panis & totius substantiæ vini, quia hæc correspondet dictæ existentia & presentia Corporis & Sanguinis Christi.

Quòd autem verba consecrationis etiam essent vera, quamuis conuersio fieret modo assignato à Durando (quia etiam tunc Corpus & Sanguis Christi essent sub speciebus) non sufficit vt conuersio illa admittatur, quia non essent vera veritate commensurata & conformi significationi eorum, sed veritate ipsorum significationem excedente, & ei non conformi. Vnde quamuis conuersio à Durando assignata sit possibilis, & facilis intellectu, & secundum eam verba consecrationis essent etiam vera, non est admittenda, quia non est commensurata & conformis significationi verborum, ex vi cuius fit.

Ad testimonium verò Damasceni respondeamus, eum vsum fuisse eo exemplo nutritionis, non vt in omnibus similitudinem ostenderet, sed vt aliquantulum explicaret, non esse Deo impossibilem conuersionem Eucharisticam ex eo, quòd homini sit possibilis conuersio quæ in nutritione fit.

#### DIFFICULTAS V.

*Vtrum conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione modi accidentalis presentia Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus.*

Paludan.

**P**aludanus in 4. dist. 11. quæst. 3. art. 2. partem affirmatiuam videtur tueri, nempe, conuersionem seu transubstantiationem Eucharisticam sitam esse formaliter in productione modi accidentalis presentia, quo Corpus & Sanguis ponuntur & sunt sub speciebus panis & vini: quòd nonnulli Scotistæ amplectuntur, existimantes esse sententiam Scoti. Et probari potest, quia ad veritatem verborum consecrationis sufficit, quòd Corpus & Sanguis Christi constituantur sub speciebus panis & vini: hoc autem sufficienter fit productione dicti modi; ergo non est necessarium aliud pro conuersione Eucharistica. Patet consequentia, quia conuersio Eucharistica tantum assignatur & ponitur, vt verba consecrationis fiant vera.

Bellarmin.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Adamus.

Bellarminus verò 3. de Eucharistia c. 18. Vasquez disp. 181. c. 2. Ægidius quæst. 75. art. 4. Adamus q. 4. dub. 5. & communiter Theologi partem negatiuam tradunt, & merito: Primò ratione generali, quia conuersio non consistit in productione, sed tantum in desinitione rei quæ conuertitur, connotata etiam re in quam fit conuersio, vt dicemus Diffic. IX. quia rem conuerti in aliam, nihil aliud est, quam in eam aliam desinere seu transire. Secundò speciali ratione, quia aliàs conuersio Eucharistica non esset substantialis, seu non esset transubstantiatio, non solum vt est productio, quia per eam non produceretur substantia, neque modus substantialis, sed tantum accidentalis modus presentia; sed neque vt est conuersio, quia non esset transitus substantiæ in substantiam absolutè, & absque addito, sed esset transitus substantiæ in modum accidentalem, seu

in substantiam sub tali modo accidentali, cum esset transitus substantiæ panis & vini in modum illum accidentalem presentia, seu in Corpus & Sanguinem Christi, non absolutè, sed vt acquiruntur modum illum, quòd est contra Tridentinum sess. 13. cap. 4. vbi absolutè & absque addito dixit, dictam conuersionem fieri in Corpus & Sanguinem Christi, & conuenienter appellari transubstantiationem; & contra Ecclesiam in Missa Corporis Christi, absolutè & absque addito dicentem:

*Quòd in Carnem transit panis,  
Et vinum in Sanguinem.*

Quòd si respondeas Primò, conuersionem hanc esse substantialem, & transubstantiationem, non quatenus est productio, sed quatenus est conuersio; & hoc modo, non quia sit in substantiam tamquam in terminum ad quem, sed tantum quia est à substantia tamquam à termino à quo, & hoc sufficere vt sit substantialis, quia solus terminus à quo est qui conuertitur & transubstantiatur. Contra hanc responsionem est, quòd transubstantiatio non tantum est & dicitur transubstantiatio, quia sit transitus substantiæ, sed etiam quia est in substantiam, aliàs conuersio substantiæ in solam quantitatem esset transubstantiatio, quòd est falsum: & id denotatur particula illa *trans*, quia eà denotatur transitus ab vno in aliud eiusdem rationis, vt patet in transformatione, quæ idè dicitur transformatio, quia est transitus ab vna forma in alteram, & ob id Tridentinum capite illo 4. postquam dixit, in Eucharistia fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, subdit, *Quæ conuenienter & proprie transubstantiatio est appellata.* quasi dicat, idè conuenienter appellatam esse transubstantiationem, quia est conuersio substantiæ in substantiam. Vnde quamuis solus terminus à quo dicatur conuerti & transubstantiari, quia conuersio & transubstantiatio consistit in transitu & desinitione vnius in aliud, & solus terminus à quo sit qui transit & desinit esse in aliud, nihilominus conuersio dicitur substantialis, & transubstantiatio ex termino à quo, & ex termino ad quem, ob rationem dictam.

Quòd si secundò respondeas, conuersionem hanc dici posse substantialem, & transubstantiationem, quia etiam aliquo modo terminatur ad substantiam, nempe Corporis & Sanguinis Christi. Contra hanc responsionem est, quòd substantia Corporis & Sanguinis potius est subiectum dictæ conuersionis, quia est subiectum productionis dicti modi, & ipsius modi, quam terminus illius, quia neque est terminus totalis illius, quia totum resultans ex ea actione, quòd est terminus totalis, est aggregatum coalescens ex substantia illa Christi: & ex modo illo neque est terminus partialis formalis, quia terminus formalis actionis: vel est forma termini totalis, quamuis per actionem ipsam non producat; vel est entitas illa partialis, quæ actione ipsa producit: substantia autem Corporis & Sanguinis Christi neque est forma dicti aggregati, neque actione illa producit, & ad summum est terminus partialis, quia est materia termini totalis, seu pars materialis illius; terminus autem materialis, qui in ratione termini non venit Philosophis in considerationem, non sufficit denominare actionem. & quamuis dictam



Etam conuersionem denominaret substantialem, eam non denominaret substantialem absolute & absque addito, quia non esset in substantiam absolute & absque addito, sed in substantiam, ut acquirentem dictum modum accidentalem presentiam.

Ad rationem verò pro Paludano negamus, ad veritatem verborum consecrationis sufficere formaliter productionem dicti modi accidentalis, quia cum ea productione stare potest presentia panis & vini, & hac stante nequeunt verba illa esse vera.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione modi substantialis, quo Corpus & Sanguis Christi constituuntur substantialiter sub speciebus panis & vini.*

Valentia.  
Ochagau.

**V**alentia disp. 6. q. 3. punct. 3. Ochagauia tractatu 10. q. 14. & plures recentiores partem affirmatiuam tuentur, tum quia eo ipso dicta productio est conuersio substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, quia ex vi illius modi substantialis, quo Corpus & Sanguis Christi constituuntur substantialiter sub speciebus panis & vini, desinunt esse substantia panis & substantia vini sub illis speciebus, ac proinde desinunt esse absolute, seu destruantur, quia nequeunt absque speciebus illis naturaliter conseruari; & consequenter substantia panis & substantia vini non desinunt in purum nihil, sed in Corpus & in Sanguinem Christi, & in hæc conuertuntur: tum etiam, quia eo ipso hæc conuersio est substantialis, sicut actio Incarnationis est substantialis, quamuis per ipsam non producat Verbum, neque humanitas, ex eo solù quòd per eam producit substantialis modus vnionis humanitatis ad Verbum.

Vasquez.  
Suarez.  
Adamus.

Vasquez verò disp. 181. cap. 3. Suarez disp. 50. sect. 4. Adamus q. 4. dub. 5. & plures alij partem negatiuam tradunt, & meritò; quia nullus modus excogitari potest de nouo productus in Corpore & in Sanguine Christi, qui sit substãtialis. Primò, quia nullus modus potest esse substantialis, qui non sit de integritate substantiæ; quia qui est extra integritatem substantiæ, est accidens; modus autem quo Corpus & Sanguis Christi sunt sub speciebus, est extra integritatem substantiæ illorum, quia in cælo sunt absq; illo substantialiter integra, quia absque illo habent modum vnionis materiæ & formæ ex quibus constat, & modum vnionis cum substantia Verbi, quibus modis sunt substantialiter integra. Secundò, quia modus ab aduersarijs assignatus, vel est vnionis Corporis & Sanguinis cum accidentibus prædicamentalibus panis & vini, vel est modus existendi sub illis: nullo autem fundamento affirmari potest, modum vnionis cum accidentibus prædicamentalibus, neque modum existendi sub illis esse substantialem.

Et quamuis admittamus, in Eucharistia produci dictum modum substantialem, nequit conuersio Eucharistica in productione illius modi formaliter consistere. Primò, quia generaliter omnis conuersio formaliter consistit in desitione rei quæ conuertitur. Secundò, quia conuersio Eucharistica non esset in Corpus & Sanguinẽ Christi saltem absolute, sed ad summum in Corpus & in Sanguinem Christi ut acquirentia modum illum.

Ad fundamentum ergo aduersariorum constat, dictum modum substantialem non esse possibilem; & quauis esset possibilis, non posse in productione illius conuersionem Eucharisticam consistere.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione Corporis & Sanguinis Christi.*

**O**mittimus eos, qui dicunt, conuersionem Eucharisticam sitam esse in actione immediate terminata, v.g. ad Corpus Christi, panem in illud conuertendo, & nihil per eam producendo: quia isti absque fundamento aliquo id dicunt, imò contra rationem Philosophicam, secundum quam omnis vera & realis actio necessariò est fieri alicuius termini, siue noui, qua nouiter producat, siue antiqui, qua terminus antea productus conseruetur, quia agere concipi nequit absque fieri.

Inter eos ergo qui supponunt, omnem actionem realem esse productionem alicuius termini, Gabriel in 4. d. 11. q. 1. ar. 3. du. 2. & lect. 40. in can. Suarez disp. 50. sect. 4. Ægidius q. 74. art. 4. du. 5. Adamus q. 4. dub. 5. & plures recentiores in presenti difficultate partem affirmatiuam tuentur, nempe conuersionem Eucharisticam sitam esse in actione, quæ sit productio Corporis & Sanguinis Christi, non de nouo, sed quæ sit conseruatio Corporis & Sanguinis Christi in suo esse substãtiali, siue indistincta ab ea qua in cælo cõseruatur, continuata tamen ex vi verborum consecrationis, ut indicat Gabriel, siue noua & distincta qua nouiter conseruetur, ut docent Suarez & Ægidius, quod indicare videtur Cyprianus Ep. 63. Ambrosius 4. de Sacram. c. 4. Damascenus 4. de Fide ca. 14. & Bessarion lib. de Verbis consecrationis, dum dicunt, in Eucharistia Corpus Christi creari, & ex pane fieri, & panem & vinum fieri Corpus & Sanguinẽ Christi.

Gabriel.  
Suarez.  
Ægidius.  
Adamus.

Et ratione probatur: quia ut conuersio Eucharistica sit substantialis, necessaria est aliqua productio substantialis; hæc autem esse non potest alicuius modi substantialis, ut vidimus, & quamuis posset esse, nõ sufficeret, ut esset in Corpus & Sanguinem Christi absolute & sine addito; ergo necessaria est productio ipsius substantiæ Corporis & Sanguinis Christi, hæc autem nequit esse prima productio eorum, quia ante conuersionem supponuntur producta, ergo est conseruatio illorum.

Bellarminus verò 3. de Eucharistia c. 18. Valentia pun. 3. Vasquez d. 181. Turrecremata opus. 14. disp. 1. du. 5. Ochagauia q. 14. & Bonacina d. 4. q. 3. pun. 6. partem negatiuam tradunt, nempe conuersionem Eucharisticam non esse actionem conseruatiuam Corporis & Sanguinis Christi, & meritò: Primò, quia generaliter nulla conuersio consistit in productione, sed in desitione rei quæ conuertitur, connotato tamen per se termino positio in quem desinit & conuertitur, quia rem in aliam conuertit, est in illam desinere. Verum est, rem connotatã per se pertinere ad conuersionem tamquam terminum secundarium in quem fit; imò etiam aliquo modo eadem proportionem actionem, per quam res connotata producit aut inducit, pertinere per se, quamuis tantum secundariò, tunc videlicet quando res, quæ conuertitur, desinit esse ex vi productionis aut inductionis rei in quam fit conuersio.

Bellarmin.  
Valentia.  
Vasquez.  
Turrecrem.  
Bonacina.



Addimus, non solum in dicta conseruatione non consistere formaliter conuerfionem Eucharisticam ob rationem dictam, sed neque posse pertinere per se adhuc secundario ad eam conuerfionem, eo modo quo productio aut inductio formae pertinent per se ad conuerfionem formae, quae definit & conuertitur in illam, quae producit, aut inducitur, quia illa tantum actio, quae est causa definitionis rei, & est connexa cum definitione, ipsa potest per se pertinere ad conuerfionem illius, aliis nulla esset ratio, ob quam id quod definit, diceretur conuerfionem in id quod producit & inducitur; sed conseruatio Corporis & Sanguinis Christi secundum se, seu in suo esse substantiali, non est causa definitionis panis, neque connexa cum ipsa, sed ipsam definitionem omnino per accidens comitatur, quia substantia ipsa Corporis & Sanguinis Christi, quae in suo esse ea actione producit aut conseruatur, non pugnat substantialiter cum substantia panis & vini, quia non est causa definitionis eorum.

Quod si primo respondeas, conseruationem Corporis Christi non in suo esse substantiali, sed prout est sub speciebus, esse causam definitionis panis, & connexam cum ipsa, quia Corpus Christi, prout est sub speciebus, est impossibile cum substantia panis sub illis absque quibus substantia ipsa nequit conseruari, & non desinere esse. Contra hanc responsionem est, quod conseruatio, qua Corpus Christi conseruatur sub speciebus, quamuis admittatur esse distinctam ab ea qua ante consecrationem conseruatur in caelo, nequit esse una tantum productio tendens in Corpus Christi, & altera in modum illum nullam habentes connexionem, sicut neque ipsarum termini; ergo quamuis productio istius modi esset causa definitionis panis, & connexa cum ipsa, non tamen conseruatio Corporis Christi, quia Corpus ipsum secundum se non est impossibile in rerum natura cum substantia panis. Quod uero conseruatio Corporis Christi sit distincta a productione illius modi, & nullam habens connexionem cum ea, ex eo patet, quod Corpus Christi, & modus ille sunt entitates distinctae, & nullam habentes connexionem.

Et quamuis admittatur, quod una & eadem actio sit conseruatio Corporis Christi secundum se, & simul productio illius modi, nihilominus actio haec ratione sui non esset causa definitionis panis, quia Corpus Christi, prout sub speciebus panis, non est impossibile cum substantia panis sub eisdem speciebus, quia Corpus Christi non est sub illis tamquam subiectum in quo ipsae recipiantur, & a quo in genere causa materialis sustententur, nec esse potest, ut dicemus Difficultate XI. quia ratione esset impossibile cum substantia panis sub illis. Praeter hunc autem modum nullus alius esse potest in Corpore Christi existendi sub illis, qui sit impossibile cum modo, quo substantia panis est unita illis suis speciebus: quia in primis non est impossibile modus aliquis simplex praesentiae in Corpore Christi, quia istud potest esse sacramentaliter praesens speciebus panis, & substantia panis potest simul perseverare unita illis, quamuis sic unita sit illis praesens circumscriptiue, quia modus unius sacramentaliter existendi alicubi non est impossibile cum praesentia circumscriptiua alterius in eodem loco, ut dicemus Difficultate XI. Deinde nec modus aliquis sustentandi accidentia absque eorum receptione & sustentatione

materiali potest esse in Corpore Christi, qui sit impossibile cum illo modo, quo substantia panis est unita suis accidentibus: quia in primis modus iste sic sustentandi accidentia nequit esse in Corpore Christi, vel potius nequit ab eo provenire, quia intelligi nequit, Corpus Christi accidentia illa sustentare absque ipsorum receptione & sustentatione in genere causa materialis, nisi in genere causa efficientis. In Corpore autem Christi esse nequit, vel potius actio & sustentatio efficienter provenire, quia non ut a causa principali, ut patet; neque ut ab instrumento physico Dei, quia nequit assumi ad id ut instrumentum a Deo pro sola voluntate Dei, iuxta generalem doctrinam quam tradidimus Tractatu de Incarnatione Disp. IX. Difficultate IV. & de Sacramentis in genere, Disp. IIII. Difficultate I. quia ad id nullam habet virtutem innatam, neque naturalem, neque obedientialem; quia in Corpore Christi nulla apparet proportio, nullumque vestigium talis virtutis innatae. Et quamuis dicta sustentatio provenire posset a Corpore Christi efficienter, nihilominus Corpus Christi sic sustentans accidentia, efficienter absque ipsorum receptione non est impossibile, & pugnant cum substantia panis, ut unita suis accidentibus; quia Corpus Christi posset efficienter sustentare seu conseruare accidentia panis, non minus unita ipsi substantiae panis, quam separata ab ipsa; quia non minus posset conseruare illa unita ipsi substantiae dependenter ab ipsa tamquam a subiecto, quam separata independenter ab illa: imò posset conseruare accidentia illa adhuc unita ipsi substantiae tamquam subiecto independenter ab ipsa tamquam a subiecto, seu in genere causa materialis, sicut anima rationalis unita materiae tamquam subiecto, conseruatur a Deo independenter ab ipsa materia tamquam a subiecto, seu in genere causa materialis, & sicut a Deo potest conseruari accidens unitum subiecto independenter ab ipso subiecto actione non educitua: ergo Corpus Christi efficienter sustentans accidentia panis, non esset impossibile cum substantia panis sub illis: neque modus alius unionis Corporis Christi cum accidentibus panis, qui non sit receptio ipsorum, & sustentatio materialis (quamuis sit possibilis) est impossibile cum substantia panis sub illis, quia nulla unio Corporis cum accidentibus panis absque ipsorum receptione & sustentatione in genere causa materialis apparet impossibile cum unione substantiae panis cum eisdem, ea ipsa recipientis. Praeter dictos autem modos nullus alius potest fundamento aliquo verisimili assignari, saltem ratione cuius Christus nequeat esse sub speciebus panis, perseverante substantia panis sub illis, de quo latius Difficultate XI.

Quod si secundò respondeas, quamuis substantia Corporis Christi secundum se, seu in suo esse substantiali, non sit impossibile cum substantia panis sub accidentibus, sit tamen impossibile, quasi moraliter ratione significationis, & veritatis verborum, quia Corpus Christi nequit sub accidentibus panis verè demonstrari, nisi substantia panis verè ab illis separaretur, ac proinde nisi corrumpatur, quia ab eis separata nequit naturaliter & sine nouo miraculo conseruari. Contra hanc responsionem est, quod ex ipsa constat, conseruationem Corporis Christi in suo esse omnino per accidens se habere ad definitionem panis, & cum



tum ipsa non esse connexam, quia substantia Corporis Christi secundum se, qua ratione est terminus conseruationis ipsius, quamuis facta ex vi verborum, non est impossibilis, & pugnant cum substantia panis, sed tantum Corpus Christi prout significatum & demonstratum verbis consecrationis, seclusa conseruatione ipsius: quia quamuis per impossibile à nullo conseruaretur, quia aliàs ex se ipso existeret absque actione conseruationis, nihilominus ex modo quo illud demonstramus sub speciebus panis, destruitur substantia panis; ergo conseruatio illa, quamuis admittatur fieri ex vi verborum, est impertinens ad conseruationem hanc. Addimus contra eandem responsionem, Corpus Christi neque produci, neque conseruari ex vi verborum consecrationis, quia verba hæc ita ad sui veritatem præsupponunt & prærequirunt conseruationem Corporis Christi, vt si nunc annihilaretur, quamuis verba consecrationis proferantur à Sacerdote, non poneretur Corpus Christi sub illis, neque verba fierent vera, quia Christus verbis consecrationis tantum contulit vim ponendi Corpus ipsius Christi sub speciebus, supposita permanentia seu conseruatione illius, ac proinde si conseruatio Corporis per se pertineret ad conseruationem, ex vi verborum non fieret conuersio, quia ex vi eorum non fieret conseruatio, quæ ad illam per se pertineret.

Quod si tertio respondeas, ad rationem conseruationis non requiri, quod productio vnius termini, & desinitio alterius, inter quos est conuersio, connectantur ob impossibilitatem immediatam ipsorum terminorum inter se, sed sufficere quod connectantur ob remotam & mediatam impossibilitatem terminorum inter se, vt quando desinitio vnius termini connectitur cum actione præuia, & prærequisita ad productionem alterius termini in quem fit conuersio, & quia substantia panis desinit esse ex eo quod ab ipsa separentur propria accidentia, & constituantur per se existentia, & separatio hæc est prærequisita ad conseruationem Corporis Christi sub illis: ideo conseruatio Corporis sub ipsis pertinet per se ad conseruationem, aut in ea formaliter consistit. Sed contra hanc responsionem est Primò, quod substantia panis non desinit esse, quia accidentia ipsius ab ipsa separentur, sed potius est contra, ideo accidentia separentur, quia substantia desinit esse, vt postea expendimus. Secundò, quia conseruatio Corporis Christi sub speciebus panis non prærequit separationem earum à substantia panis; quia, vt iam diximus, compati potest sub illis simul cum substantia panis. Tertio, quia si substantia panis desinit esse, quia ipsius accidentia ab ipsa separentur, & per se existentia constituantur, potius substantia panis conuertetur in accidentia illa per se existentia, quam in Corpus Christi.

Quod si quartò respondeas, ad rationem conseruationis non esse necessariam connexionem inter productionem alterius termini in quem fit conuersio, & inter desinitioem termini qui conuertitur, sed sufficere connexionem earum, vel in agente, quia idem sit agens, quod producit vnum & corrumpit alterum; vel in voluntate & intentione agentis, quia non corrumpet vnum, nisi produceret alterum. Contra hanc responsionem est, quod sicut non sufficit, quod vnum & idem agens producat vnam formam, & corrumpat alte-

ram, vel quod non corrumpet vnam, nisi produceret alteram, vt verè dicatur, quod generatio vnius est causaliter corruptio alterius, nisi aliàs formæ aliquam inter se habeant impossibilitatem, ita etiam non sufficit connexio in agente, neque in intentione illius, inter productionem vnius, & desinitioem alterius, nisi aliàs inter se connexæ sint ob aliquam impossibilitatem inter rem productam & rem desinentem, vt vnus terminus dicatur fieri ex altero, vel alter in eum conuerti.

Deinde secundò pars nostra negatiua probatur, & affirmatiua aduersariorum rejicitur, quia verba consecrationis sunt causæ & instrumenta conseruationis Eucharistiæ, quia ad eam efficiendam sunt instituta à Christo; sed non sunt causæ & instrumenta conseruationis Corporis Christi, ergo conuersio Eucharistica non consistit in conseruatione Corporis Christi. Consequentia patet. Minor autem probatur, quia verba consecrationis non sunt causa physica ad id, vt iam diximus; neque sunt causa moralis mouendo, seu excitando diuinam voluntatem ad conseruandum Corpus Christi, quia Deus aliàs est motus, & conseruaret Corpus Christi, quamuis verba illa non proferantur.

Quod si respondeas, quod quamuis verba consecrationis non moueant diuinam voluntatem ad antiquam conseruationem, qua Deus extra Eucharistiam conseruat Corpus Christi; quia adhuc verbis illis non prolatis illud conseruaret, mouent tamen diuinam voluntatem ad nouam conseruationem illius sub speciebus Sacramentalibus. Contra hanc responsionem est, quod Corpus Christi vna tantum conseruatione totali, qua sufficienter in suo esse conseruatur à Deo extra Eucharistiam, etiam in Eucharistia conseruatur; quia idem esse Corporis Christi, & substantiale inuariatum perseuerat in Eucharistia, ac erat extra illam, quamuis in Eucharistia illi addatur modus quidam accidentaliter existendi sub accidentibus; idem autem omnino esse substantiale nequit simul pluribus conseruationibus totalibus, & sufficientibus conseruari, sicut neque simul à pluribus causis totalibus pendere (vt diximus Tract. de Incarnat. Disp. III. Diffic. v.) ob eandem omnino rationem, quia scilicet rem conseruari ab agente, est ab agente dependere, & eo indigere: ergo cum vna totali & sufficienti conseruatione extinguitur dicta indigentia rei, non poterit alia conseruatione simul conseruari, quia in ea re non superest indigentia alia, ratione cuius indigeat alia conseruatione, & ratione cuius ab agente dependet.

Ad testimonia verò Patrum ab aduersarijs adducta respondemus, eos tantum velle Corpus Christi ex vi consecrationis constitui sub speciebus panis, substantia ipsa panis destructa, & in illud conuersa: & ad rationem negamus, ad conseruationem substantialem esse necessariam productionem substantialem, sed sufficere desinitioem, seu transitum vnius substantiæ in aliam antea productam, vt dicemus Difficultate IX.



## DIFFICULTAS VIII.

*Utrum conuersio Eucharistica consistat in eo, quòd id, quod erat panis, fiat Corpus Christi.*

**C**Aietanus q. 75. art. 4. partem affirmatiuam tuetur, nempe, conuersionem Eucharisticam consistere in eo, quòd id quod erat panis, incipiat esse Corpus Christi.

**Caietanus.** Doctrina hæc ad eò obscure traditur à Caietano, vt nonnulli ei attribuant dixisse, conuersionem hanc in eo consistere, vt per ipsam eadem numero entitas, quæ erat substantia panis, sit Corpus Christi post consecrationem: alij verò Caietano attribuunt dixisse, conuersionem Eucharisticam in eo consistere, vt per ipsam eadem entitas manens in specie infima panis fiat Corpus Christi. Neutrum tamen horum somniauit Caietanus, vt aduertit Vasquez disp. 181. c. 3. & attentè legenti Caietanum §. *Pro solutione*, constabit: quia Caietanus ita dixit per transsubstantiationem fieri, vt id quod erat panis incipiat esse Corpus Christi, vt asserat terminum à quo transsubstantiationis esse id quod erat panis secundum rationem panis, & terminum ad quem esse, id, quod erat panis, incipere esse Corpus Christi, ita vt terminus ad quem non sit Corpus Christi secundum se & absolutè, sed totum hoc, nempe *Corpus Christi esse id quod erat panis*, quod supra Corpus Christi secundum se tantum addit denominationem quamdam extrinsecam.

**Vasquez.** Vasquez verò vbi supra, Turrianus dub. 7. & alij partem negatiuam meritò tradunt, & affirmatiuam Caietani meritò reiiciunt, non solum vt ipsi falsò attribuitur, sed etiam vt à nobis explicatur.

**Turrianus.** Et in primis dicta doctrina, vt Caietano attribuitur, nempe eandem entitatem, quæ erat panis, esse post consecrationem Corpus Christi, quo supponitur post consecrationem manere entitatem, quæ erat substantia panis, præterquam quòd est contra Tridentinum sess. 13. can. 2. dum ait, fieri conuersionem totius substantiæ panis, manentibus dumtaxat accidentibus, etiam est contra rationem; quia impossibile est, eandem entitatem destrui vt terminum à quo, & manere vt terminum ad quem, non solum secundum rationem singularem, vt patet, sed neque secundum rationem communem in ea entitate inuentam, quia re aliqua destructa, necesse est omnem gradum, & omnem rationem in ea repertam destrui, quia nullus gradus, nullaque ratio eiusdem entitatis re ipsa distinguitur ab alio gradu, & ab alia ratione.

Deinde dicta doctrina Caietani, vt à nobis explicatur, etiam est falsa, quia vt explicatur à nobis pro termino ad quem transsubstantiationis, non assignat Corpus Christi secundum se & absolutè, sed Corpus Christi esse id quod erat panis, quod supra Corpus Christi secundum se, addit denominationem quamdam extrinsecam, quod esse falsum, ostendimus Difficultate v.

## DIFFICULTAS IX.

*In quo ergo consistat conuersio Eucharistica formaliter.*

**C**oncludimus ergo, conuersionem, seu transsubstantiationem Eucharisticam (id est natu-

ram & essentiam ipsius) sitam esse formaliter in sola definitione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, seu quod idem est, in sola definitione panis & vini, vt relata ad Corpus & Sanguinem Christi. Ita Vasquez disp. 181. cap. 11. & 12. & Turrianus dub. 8. & tradidisse videntur S. Thomas quest. 75. art. 4. & Scotus in 4. dist. 11. q. 1. §. *Quantum ad tertium.*

*Vasquez.*  
*S. Thomas.*

Pro huius autem maiori intelligentia obseruandum est Primò, ad rationem conuersionis tria esse necessaria: Primum est, quòd extrema illius sint positua, quia carentia nõ dicitur in rem posituam conuerti, neque econtra res positua in carentiam. Secundum est, quòd res, quæ conuertitur, desinat esse, quia quod in suo esse permanet, non dicitur in aliud conuerti; & in his duobus Theologi omnes conueniunt. Tertium ad conuersionem necessarium est, quòd res, quæ conuertitur, desinat esse ex vi illius rei in quam conuertitur, ad quod necessaria est impossibilitas & pugna inter eas res, ita vt res, in quam fit conuersio, sit quasi formaliter expellens & destruens rem quæ desinat esse & conuertitur; aliàs nulla esset ratio, ob quam res quæ desinat esse, diceretur conuerti in illam aliam, & in eam transire, quia ad id non sufficit quòd vnum desinat alio incipiente: ex eo enim, quòd vnus Angelus annihilaretur à Deo in eo instanti, in quo crearet alterum, non diceretur in hunc alterum ille conuerti. Ita tamen necessaria est pugna seu impossibilitas inter ea, quorum vnum in aliud conuertitur, & cõsequenter connexio inter definitionem illius quod conuertitur, & inter illud in quod fit conuersio, vt non sit necessaria pugna & connexio physica & ex natura rei, qualis est in conuersione formali seu formarum, sed sufficit pugna & connexio quasi moralis, & ex modo operandi, ita vt si conuersio fiat media significatione & demonstratione verborum, ad eam sufficiat pugna & connexio proueniens termino à quo, & termino ad quem cõuersionis ex significatione, quia pugna hæc & connexio sufficit, vt vnus terminus dicatur destrui ex vi alterius, prout significati & demonstrati, & relati ad veritatem, quam ea significatio & demonstratio exigit.

Secundò obseruandum est, ex vi significationis verborum consecrationis Corpus & Sanguinem Christi fieri præsentia accidentibus, seu speciebus panis & vini, & sub illis cõstitui, & etiam desinare esse substantiam panis & vini, quia aliter verba consecrationis nequeunt verificari, ac proinde de facto in consecratione reperiri duplicem mutationem, vel quasi mutationem, nempe productionem præsentia, aut modi quo Corpus & Sanguis Christi fiunt præsentia sub speciebus, aut ipsis vniuntur, & est vera mutatio: & definitionem substantiæ panis & vini, quæ est quasi mutatio, & non rigorosa ex defectu subiecti, quòd transeat ab vno termino in alterum.

Tertiò obseruandum est, hanc duplicem mutationem, vel quasi mutationem, v. g. positionem Corporis Christi sub speciebus panis, & definitionem substantiæ panis, potuisse fieri à Christo, & à Sacerdotibus ex Christi institutione, alijs verbis, nempe, *Sit hic Corpus meum, & non sit substantia panis*. tunc tamen, quamuis fierent duæ istæ mutationes, quæ modò sunt propositione illa categorica, *Hoc est Corpus meum*, non tamen fieri eodem modo, quia tunc Christus, vel Sacerdos non excluderet



cluderet substantiam panis demonstrando Corpus Christi sub speciebus, & illud sub eis statuendo, quia ex vna parte substantia Corporis Christi, & substantia panis non sunt impossibiles ex natura rei sub eisdem accidentibus, vt supra diximus, & ex altera parte verba illa consecrationis demonstrantia, aut significatio verborum consecrationis demonstrantium Corpus Christi sub speciebus panis, ad sui veritatem non exigunt desitionem substantiæ panis. Verba verò, quibus modò fit cõsecratio, & fiunt duæ dictæ mutationes, nempe *Hoc est Corpus meum*, ita demonstrant Corpus Christi sub speciebus panis, vt ad sui veritatẽ exigant desitionem substantiæ panis, quia substantia Corporis Christi non potest dicta propositione categorica demonstrari sub illis speciebus, si sub illis perseueret substantia panis, vt diximus Diffic. I. I. vnde desitio substantiæ panis fit ad exigentiam Corporis Christi, prout istis verbis demonstrati; quia Corpus Christi, prout eis verbis sub speciebus panis demonstratum, est impossibile cum substantia panis sub illis. & ita Sacerdos, statuendo verbis istis Corpus Christi sub speciebus panis, dicitur destruere substantiam panis.

Ex dictis facillè ostendi potest, in consecratione, v.g. Corporis Christi, veram & propriam conuersionem panis in Corpus Christi reperiri: quia sicut in naturalibus eo ipso, quòd forma corrumpitur ad productionem vel introductionem alterius, dicitur conuerti in eam, ex vi cuius productionis vel introductionis corrumpitur, eodem modo in consecratione Corporis Christi panis dicitur conuerti in Corpus Christi, quia destructio panis fit à Deo ex vi Corporis, prout demonstrati sub speciebus panis, seu ad exigentiam Corporis, prout demonstrati sub illis, & non immediate pro mera voluntate ipsius Dei, quia Corpus Christi (quamuis non ex natura rei, prout demonstratum tamen verbis consecrationis demonstratione relata ad veritatem, quam ea demonstratio ex institutione Christi exigit) est impossibile cum substantia panis sub speciebus ipsius panis, ac proinde cum ipsa in suo esse substantiali, quia absque miraculo nequit à suis accidentibus separata conseruari, & ita Deus ad exigentiam Corporis Christi, prout dicto modo demonstrati, & sic quasi moraliter impossibilis cum substantia panis, dicitur panem destruere, & consequenter eum in Corpus Christi conuertere.

Ad dictam tamen pugnam seu impossibilitatem quasi moralem Corporis cum substantia panis requiritur in Corpore præsentia, aut modus existendi sub accidentibus panis, quia Corpus Christi non opponitur pani ex natura rei, sed tantum prout demonstratum sub accidentibus panis. Ad hanc autem demonstrationem requiritur dicta præsentia, aut vnio Corporis sub accidentibus panis, siue nouiter acquisita ex vi verborum, siue antiqua antea aliter à Deo facta non ex vi verborum consecrationis, quibus modò fit, quia hæc antiqua præsentia, aut vnio etiam sufficit: quia quamuis Corpus Christi antea simul cum substantia panis esset præsens, aut vnium sub accidentibus; eo ipso quòd verbis consecrationis demonstraretur, etiam fieret cõuersio panis in ipsum Corpus Christi, quia eo ipso, vt verba fierent vera, desineret substantia panis ad exigentiam Corporis Christi, prout demonstrati sub illis speciebus, vt verè de-

monstraretur. Est autem dicta præsentia aut vnio Corporis sub speciebus (siue noua siue antiqua) ad veritatem verborum requisita, non quia ipsa præsentia aut vnio secundum se significetur vel demonstretur verbis consecrationis, quia non significatur neque demonstratur nisi Corpus Christi secundum se, sed tantum requiritur tamquam conditio, vt Corpus possit sub illis demonstrari, quia si Corpus non esset præsens aut vnium sub illis, non posset sub eis demonstrari: vnde Corpus ipsum secundum se, & in suo esse substantiali est terminus pugnant, in quem dicitur panis conuerti, absque eo quòd præsentia illa aut vnio intret rationem termini in quem fit conuersio.

His ergo suppositis, conclusio nostra probatur Primò, quia conuersio in nullo alio formaliter consistit, quam in transitu vnus rei in aliam; sed sola desitio, v.g. panis in Corpus Christi, est transitus panis in illud, ergo conuersio panis in Corpus Christi consistit formaliter in sola desitione panis in Corpus Christi, seu in desitione panis vt relata ad Corpus Christi.

In hac autem desitione panis in Corpus Christi, in qua formaliter consistit conuersio panis in illud, primò reperitur desitio ipsa panis, quæ est ipse transitus; secundò reperitur non-esse panis, ad quod desitio ipsa immediatè tedit tamquam ad terminum ad quem; tertio reperitur Corpus Christi ad quod desitio illa panis tendit mediatè tamquam ad terminum ad quem impossibilem posituè cum pane, qui est terminus à quo dicta desitionis; & tandem quartò reperitur extrinseca denominatio, seu relatio, ratione cuius desitio panis dicitur desitio panis in Corpus Christi. Est autem denominatio hæc seu relatio quid rationis, vt pote proueniens, & conueniens desitioni panis ex pugna & oppositione quasi morali Corporis cum substantia panis sub accidentibus ipsius panis, proueniente Corpori & pani ex demonstratione Corporis sub accidentibus panis relata ad veritatem, quam verba consecrationis habere debent ob institutionem Christi.

Quando ergo dicimus, naturam & essentiam conuersionis panis in Corpus Christi consistere in sola desitione panis in Corpus Christi, seu in sola desitione panis prout relata ad Corpus Christi, ita intelligendum est, vt natura & essentia conuersionis coalescat ex desitione ipsa (quia absque hac nequit esse transitus, in quo essentia conuersionis consistit) & ex relatione ipsa, seu ex respectu & connotatione ad Corpus Christi, quia absque hac relatione & connotatione desitio panis non est desitio in Corpus Christi, neque transitus in illud, sed tantum est desitio panis, ad eum modum quo productio termini ad quem non dicitur mutatio, nisi vt relata ad terminum à quo, & vt eum respiciens & connotans, quia aliter productio termini ad quem non est transitus subiecti ab vno termino in alterum, in quo essentia mutationis consistit, & ita natura mutationis coalescit ex productione termini producti, quem productio ipsa intrinsecè respicit, & ex connotatione & relatione extrinseca ad terminum à quo ipsi productioni extrinsecè superaddita.

Ex quo constat, conuersionem panis in Corpus Christi non tantum terminari ad Corpus Christi, sed etiam ad non-esse panis, quia scilicet conuersio hæc coalescit ex desitione panis, quæ im-



mediate & quasi intrinsecè & essentialiter respicit non-esse panis, & ex dicta connotatione seu relatione ad Corpus Christi superaddita desitioni panis, ratione cuius desitio panis, quæ intrinsecè fit in non-esse panis, etiam dicitur fieri in Corpus Christi: & quia desitio tendens ad non-esse panis, est prior, & supponitur ad relationem illam ad Corpus Christi, & hæc relatio præsupponit desitionem, & ipsi superadditur, idè conuersio primariò terminatur ad non-esse panis, & secundariò ad Corpus Christi, quamuis etiam per se, & quasi essentialiter. Imò non solum conuersio, sed etiam desitio ipsa non tantum primariò & intrinsecè terminatur ad non-esse panis, sed etiam secundariò ad Corpus Christi, quamuis solum extrinsecè ratione dictæ relationis ipsi desitioni superadditæ & extrinsecæ. Nihilominus tamen conuersio Eucharistica simpliciter & absolute dicitur fieri in Corpus Christi, & ad illud terminari, nõ verò ad non-esse panis, tum quia dicta relatio ad Corpus Christi est quasi forma, & ratio formalis conuersionis vltimò cõplens & perficiens conuersionem, quia ante relationem desitio panis in suo respectu intrinsecò, & in sua relatione intrinsecà ad non-esse panis sistens, nondum est neque dicitur conuersio, quamuis sit pars essentialis, quasi materialis illius; tum etiam, quia desitio ipsa & relatio ipsi superaddita & superueniens, ex quibus tota essentia conuersionis completur, respiciunt Corpus Christi, quia dicta relatio est formaliter respectus ad Corpus Christi, & desitio ipsa illud respicit, quamuis secundariò, & quasi extrinsecè ratione dictæ relationis ipsi superadditæ, & ipsi conuenientis, ex eo quòd desitio fiat ex vi Corporis Christi, prout demonstrati sub speciebus panis. Et quamuis positio Corporis Christi sub speciebus, quæ de facto reperitur (quia ante consecrationem non supponitur præsens sub illis, nec eis vnitum, vt verè posset) sit prior desitione panis, quia panis desinit ex vi Corporis prout sub speciebus demonstrati, ad quòd de facto requiritur positio Corporis sub illis, quia hæc duo efficiuntur media significatione verborum, quibus primariò & expressè significatur & demonstratur Corpus Christi sub speciebus, & desitio substantiæ panis non nisi implicite ex eo solum, quòd est necessaria ad veritatè verborum; nihilominus dicta positio Corporis Christi non intrat conuersionem ipsam dictis verbis factam, sed tantum intrat dicta desitio & dicta relatio extrinsecà, quia rem conuerti in aliam, directè loquendo tantum est in eam desinere & transire, in quo non includitur dicta positio (imò neque per se ad illam pertinet, quamuis per accidens de facto requiratur tamquã conditio) sed tantum dicta desitio & dicta relatio desitionis ad Corpus Christi.

Deinde conclusio nostra (nempe, conuersionem Eucharisticam, v. g. panis in Corpus Christi, sufficienter consistere in desitione panis in Corpus Christi, seu prout relata ad Corpus Christi) probatur, quia ad veritatem verborum consecrationis sufficit desitio panis facta in Corpus Christi: ergo id sufficit ad conuersionem seu transubstantiationem Eucharisticam, & non est aliud assignandum. Consequentia patet, quia Ecclesia & Tridentinum ex nullo alio, quàm ex veritate verborum consecrationis, conuersionem Eucharisticam deduxerunt.

Quòd si respondeas Primò, Ecclesiam & Tri-

dentinum non deduxisse conuersionem Eucharisticam ex sola veritate verborum consecrationis, sed tamquam notum supposuisse, in Eucharistia fieri conuersionem, quæ sit magis conformis naturis rerum, dum non sit contra veritatem verborum: modus autem conuersionis magis conformis naturis rerum est, vt fiat per conseruationem Corporis Christi sub speciebus. Sed contra hanc responsionem est primò, quòd sit aperte contra Tridentinum, dum ait, Ecclesiam sibi semper persuasum habuisse, in Eucharistia fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus Christi, quia Christus verè dixit, Corpus suum esse quòd sub speciebus panis offerebat: ergo ex sola veritate, & non aliunde, Ecclesia & Tridentinum dictam conuersionem deduxerunt. Secundò contra eandem responsionem est, quòd modus conuersionis à nobis assignatus, præterquam quòd est sufficiens ad veritatem verborum, etiam est magis facilis & connaturalis, quàm alij, quia pauciora inuoluit miracula: imò soli conuersioni à nobis assignatæ conuenit vera ratio conuersionis quæ sita est in desitione vnus in aliud, non verò eis actionibus, neque alijs rebus quæ assignantur ab alijs Doctõribus.

Quòd si secundò respondeas, Ecclesiam & Tridentinum ex veritate verborum non collegisse conuersionem substantialem, sed conuersionem substantiæ in substantiam, & ita eam appellasse transubstantiationem, & non conuersionem substantialem, & ad hanc, quæ necessariò concedenda & admittenda est in Ecclesia, & non fuit deducta ab Ecclesia neque à Tridentino, necessariam esse productionem substantialem. Contra hanc responsionem est Primò, quòd ad mysterium Eucharistiæ sufficit, fateri & admittere conuersionem substantiæ in substantiam, quæ dicatur transubstantiatio, & Ecclesia nullum alium modum conuersionis docuit, neque agnouit. Secundò, quòd conuersio substantiæ in substantiam, consistens in desitione vnus in aliam (qualem diximus esse conuersionem Eucharisticam) debet substantialis appellari, quia terminus à quo, & terminus ad quem, illius sunt termini substantiales, & absque dubio appellata est substantialis à Tridentino, dum ab ipso appellata est transubstantiatio, quia id nomine transubstantiationis appellatur.

Quòd si tertio respondeas, Ecclesiam & Tridentinum collegisse transubstantiationem Eucharisticam ex veritate verborum, sed non ex veritate speculatiua, quia verba hæc possent esse speculatiuè vera, absque eo quòd fieret aut facta fuisset conuersio, vt contingeret si Deus ante prolationem verborum posuisset Corpus Christi sub speciebus panis, & destruxisset substantiam panis, vel eam ab illis speciebus separasset, sed ex veritate practica, qua verba efficiunt quòd significant; ergo, vt verborum consecrationis Corpus Christi, quòd illis significatur, reipsa producit: ergo in ipsius productione consistit dicta conuersio, quia hæc ex veritate practica verborum deducitur. Contra hanc responsionem est, quòd quamuis conuersio Eucharistica non deduceretur ex veritate speculatiua verborum, sed tantum ex practica & factiua, sed non deduceretur ex veritate factiua quorumcumque, sed tantum eorum, quæ, præsupposita antiqua productione Corporis Christi, necessaria sunt ad eorum veritatem. Hæc autem necessaria tantum sunt, desitio substantiæ panis, & positio Corpo-



ris Christi sub speciebus panis; præsertim quòd falsum est, Ecclesiam & Tridentinum non deduxisse conuersionem Eucharisticam ex veritate speculatiua: quia hæc tantum est propriè & absolute veritas; & quæ in responsione dicitur veritas practica, non tam est veritas, quam significatio. Deducitur autem conuersio Eucharistica ex dicta veritate speculatiua, quamuis aliàs absq; conuersione potuerint verba esse speculatiuè verà, quia Ecclesia & Tridentinum vt notum supponunt, ante prolationem verborum non fuisse facta duo illa miracula, positionem videlicet Corporis Christi sub speciebus panis, & destructionem substantiæ panis, sed potius fieri vi significationis verborum. Deducitur autem conuersio Eucharistica ex veritate speculatiua à posteriori; & ex significatione à priori, quia significatio est prior, & causa conuersionis & veritas est posterior, & quasi effectus conuersionis.

Quòd si Quartò respondeas, ex veritate verborum consecrationis colligi positionem Corporis Christi sub speciebus panis, ad quam necessaria est noua productio Corporis Christi sub speciebus, quia Corpus Christi præsupponitur existens in celo, & idem Corpus nequit in nouo loco poni perseverans, aut existens in alio, absque noua productione illius Corporis, ac proinde ex veritate verborum consecrationis deduci eam nouam productionem, & in ea consistere conuersionem Eucharisticam. Contra hanc responsionem est, quòd ad positionem Corporis Christi sub dictis speciebus, quamuis existentis in celo, & existentis sub alijs speciebus panis, non est necessaria noua productio Corporis Christi sub illis, quia sufficit productio nouæ præsentiae, aut noui modi vnionis Corporis cum speciebus, vt dicemus Difficul. x. i.

Id autem, quod dictum est de conuersione Eucharistica, nempe consistere in desitione panis & vini, & in relatione extrinseca, seu rationis ipsius desitionis ad Corpus & ad Sanguinem Christi, eadem proportione dicendū est de conuersione naturali, quòd scilicet non consistat in productione, neque in inductione rei aut formæ rei in quam fit conuersio (quamuis ad conuersionem naturalem per se pertineat eadem proportione, qua terminus ad quem ipsius, quia ipsa productio aut inductio est causaliter desitio termini ad quem) sed tantum in desitione rei quæ conuertitur & desinit esse, & in relatione extrinseca, seu rationis ad rem, in quam fit desitio & conuersio, ratione cuius relationis dicitur in eam rem desinere & transire. Et quamuis dicta relatio, qua vltimò completur conuersio, tam Eucharistica quam naturalis, sit rationis, nihilominus conuersio absolute & simpliciter dicitur realis, & esse à parte rei, ex eo quòd materiale ipsius relationis, & fundamentum est à parte rei: sicut ob eandem rationem Sacramenta dicuntur realia, & esse à parte rei, quamuis ratio formalis, qua vltimò complentur, sit significatio sacramentalis, quæ est quid rationis.

Ex dictis constat, conuersionem Eucharisticam non esse propriè mutationem, quia desitio panis & vini, in qua consistit, non est propriè mutatio, quia ipsi desitioni desitit subiectum, quod possit aliter se habere nunc quam prius, & transire à termino à quo ad terminum ad quem, in quo consistit vera & propria ratio mutationis.

## DIFFICULTAS X.

Quomodo Corpus & Sanguis Christi possint enuntari de pane & vino ratione conuersionis Eucharisticae.

Conueniunt Theologi, propositiones, in quibus vtimur verbo conuersionis & transitus, vt quando dicimus, *Panis conuertitur*, aut *transit in Corpus Christi*, esse veras & proprias, vt ex supra dictis patet.

Est tamen difficultas circa duo genera propositionum, quarum aliæ sunt in quibus reperitur Verbum *Fio*, & aliæ in quibus reperitur Verbum *Sum*. Supponimus autem, propositiones prioris generis, in quibus reperitur Verbum *Fio*, solere duobus modis enuntari: vno modo, quando Corpus Christi dicitur de pane cum Præpositione *ex* aut *de*, vt quando dicimus, *Ex pane*, aut *de pane fit Corpus Christi*; altero modo absque Præpositione in nominatiuo, vt quando dicimus, *Panis fit Corpus Christi*.

Hoc ergo supposito, circa hoc prius genus propositionum S. Thomas quæst. 75. art. 8. Sotus in 4. dist. 9. q. 2. ar. 8. & Henriquez Quodlib. 9. q. 9. docent, dictas propositiones, in quibus reperitur Præpositio *ex*, esse veras & proprias, quia Præpositio *ex* tantum denotat habitudinem termini à quo, & panis verè est terminus à quo conuersionis Eucharisticae: eas verò propositiones, in quibus reperitur Præpositio *de*, esse improprias, quia Præpositio *de* denotat causam consubstantiali, consubstantialitas autem in transmutationibus attenditur penes subiectum commune utriusque termino, quod non reperitur in conuersione Eucharistica. Et idè dicti Doctores aduertunt, similes propositiones apud Patres inuentas ita explicandas esse, vt Præpositio *de* non denotet habitudinem subiecti communis, sed termini à quo.

Alexander 4. par. q. 10. memb. 6. art. 2. Gabriel in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 1. & Ledesma 1. par. 4. q. 16. art. 18. docent, omnes dictas propositiones, tam eas in quibus reperitur Præpositio *ex*, quam eas in quibus reperitur Præpositio *de*, esse in rigore & secundum proprietatem veras, quia vtraque dicta Præpositio vtrouis modo accipi possit, secundum proprietatem nempe, & prout dicitur habitudinem termini à quo, & prout dicitur habitudinem subiecti communis.

Valquez verò disp. 181. num. 154. docet, & merito, omnes dictas propositiones, tam eas in quibus reperitur Præpositio *ex*, quam eas in quibus reperitur Præpositio *de*, non esse in rigore veras, sed tantum in sensu improprio, non ratione dictarum Præpositionum *ex* & *de*, quia vtraque Præpositio vtrouis dicto modo accipi potest secundum proprietatem, sed ratione Verbi *Fio*, quia hoc Verbum nequit in dictis propositionibus factionem Corporis Christi significare, quam tantum Verbum *Fio* propriè significat, sed tantum successionem Corporis Christi, vel adductionem illius, quam Verbum *Fio* improprie significat. Et idè quando in Patribus inueniuntur, explicanda sunt in hoc sano sensu, quamuis improprio.

Circa alias propositiones, in quibus etiam reperitur Verbum *Fio*, & Corpus Christi dicitur de pane



pane in nominatio, vt quando dicimus, *Panis fit corpus Christi*, Bonauentura in 4. dist. 11. par. 1. distinctionis, art. vnico, q. 6. docet, illas esse in rigore & propriè veras, & concedendas, quia Verbum *Fio* etiam significat transitum, & panis verè & propriè transit in Corpus Christi.

Alexand.  
S. Thomas.  
Sotus.  
Ledesma.  
Vasquez.

Alexander verò, S. Thomas, Gabriel, Sotus, Ledesma, & Vasquez docent, non esse veras in rigore, & secundùm proprietatem, & meritò: quia vt aliquid propriè dicatur fieri aliud, necessarium est quòd sit subiectum commune vtrique termino transmutationis: & ideò quamuis in Patribus reperiantur, explicandæ sunt in sano sensu, quamuis improprio, ita vt Verbum *Fio* significet transitum & conuersionem. Addit Gabriel, & non immeritò, quòd vt aliquid dicatur propriè fieri aliud, necessarium sit quòd subiectum commune vtrique termino sit completum & totale. Et ideò non est verum secundùm proprietatem, quòd semen fiat homo, benè tamen, quòd calidum fiat frigidum.

Circa posterius genus propositionum, in quibus reperitur Verbum *Sum*, vt quando dicimus, *Panis erit Corpus Christi*, & *Id quod erat panis, est Corpus Christi*, Alexander, Vasquez, & communiter Theologi docent, illas esse in rigore & secundùm proprietatem falsas, & meritò: quia vt ex se patet, panis, aut id quod est panis, numquam erit Corpus Christi. In Confessione verò Berengarij approbata in Concilio Romano sub Nicolao II. & relata à Gratiano in can. *Ego Berengarius*, de Consecratione, dist. 2. vbi dicitur, panè & vinum post consecrationem non solùm esse Sacramentum, sed etiam Corpus & Sanguinem Christi, Verbum *Sum*, vt relatum ad Sacramentum, quòd conuenit pani & vino ratione suorum accidentium, seu suarum specierum, sumitur propriè pro *esse*, & vt refertur ad Corpus & Sanguinem Christi, sumitur impropriè pro *transire*, quòd conuenit pani & vino ratione propriæ substantiæ, vt etiam diximus Difficultate 11. vbi confessionem Berengarij latius exposuimus.

### DIFFICULTAS XI.

*Vtrum Corpus Christi, in celo aut in alio loco existens, possit esse sub speciebus panis simul cum substantia panis.*

Bonauent.  
Capreol.  
Marsil.  
Ferrariens.

Bonauentura in 4. distin. 11. 1. parte, dist. 15. art. 10. q. 3. Capreolus q. 1. art. 3. Marsilius in 4. q. 8. & Ferrariensis 4. contra Gentes c. 63. docent, Corpus Christi ante consecrationem in celo, aut in loco alio existens, si ibi perseveret, non posse constitui sub speciebus panis, nisi destructa substantia panis, & in Corpus Christi conuersa; quia existimant, corpus antea in loco existens, non posse incipere esse vbi antea non erat, nisi vel deserendo antiquum locum, vel per conuersionem alterius substantiæ in alio loco existentis in ipsum: ergo Corpus Christi perseverans in celo, aut in alio loco, & eum non deserens, nequit fieri præfens speciebus panis, nisi propria substantia panis desinat, & conuertatur in Corpus Christi.

Scotus.

Durandus.

Richardus.

Sotus.

Caietanus.

Suarez.

Vasquez.

Scotus verò in 4. dist. 10. Durandus dist. 11. q. 1. Richardus art. 1. q. 1. Sotus dist. 9. quæst. 2. art. 2. Caietanus quæst. 75. art. 1. Suarez disp. 49. & Vasquez disp. 182. docent, Corpus Christi in celo, aut in alio loco existens, & in eo perseverans,

posse fieri præfens saltem Sacramentaliter sub speciebus panis, substantia propria panis sub ipsis perseverante; & meritò: quia nulla in eo apparet contradictio seu repugnantia. Quia si id repugnaret, maximè vel, quia repugnat, Corpus Christi existens & perseverans circumscriptiue in celo, vel in alio loco fieri simul præfens in alio; vel quia repugnat, duas substantias esse simul præfentes in eodem loco, vel quia specialiter repugnat, substantiam alienam fieri simul præfentem accidentibus, quibus propria substantia sit & perseveret præfens. Sed nullum horum trium repugnat: ergo. Et in primis, non repugnat, Corpus Christi existens & perseverans circumscriptiue in celo, vel in alio loco, fieri simul præfens in alio saltem Sacramentaliter, quia de facto existens & perseverans circumscriptiue in celo, fit Sacramentaliter præfens quantitati & alijs accidentibus panis existentibus in terra. Deinde non repugnat, duas substantias esse simul præfentes in eodem loco, quia id etiam circumscriptiue contigit in natiuitate Christi ex Virgine, in qua corpus Christi fuit penetratum cum corpore Virginis; & in Ascensione Christi ad celos, in qua corpus Christi fuit penetratum cum illis. Et tandem non repugnat, substantiam alienam fieri simul præfentem accidentibus, quibus propria substantia est & perseverat præfens, quia nullo firmo fundamento dici potest, substantiam alienam corpoream non posse fieri à Deo præfentem accidentibus alienis, quibus substantia propria sit & perseveret præfens, quia hoc nullo firmo fundamento negari potest, eo ipso quòd substantia aliena & propria possint esse simul præfentes in eodem loco, vt esse possunt, quia eo ipso substantia aliena, si aliàs non maneat sensibilis ratione suorum accidentium, erit occultata sub accidentibus alterius substantiæ.

Addimus, Corpus Christi non solùm posse fieri præfens sub speciebus panis, perseverante sub illis substantia panis, sed etiam ea perseverante posse eis vniri, quia potest à Deo illis vniri tamquam purum extremum non sustentans illa, quia sic nulla erit impossibilitas propriæ, & substantiæ Corporis Christi, quia si ex vnione substantiæ Corporis Christi ad accidentia aliena panis, aliqua impossibilitas proveniret, ex eò maximè esset, quòd accidentia illa eo ipso sustentarentur, & sufficienter à substantia Corporis Christi, & nullo modo à propria; ac proinde separaretur ab illis propria, & vnio destrueretur. Quòd autem Corpus Christi possit illis vniri, negari non potest: quia etiam Angelus vnitur corpori, quòd est difficilius, quia ambo sunt entia per se existentia, & vnum spirituale, & alterum materiale. Quòd verò possit illis vniri vt purum extremum non sustentans illa, probatur exemplo Angeli, qui vnitur corpori vt purum extremum non sustentans illud: & etiam ratione, quia repugnat, quòd illa sustentet materialiter, seu in genere causæ materialis; quia repugnat, quòd aliena substantia sit causa materialis alienorum accidentiũ, quia hæc sua natura tantum respiciunt propriam substantiam vt causam materiale, quia ab ea sola in eo genere dependent; & etiam repugnat, quòd illa sustentet efficienter, seu in genere causæ efficientis, quia repugnat, alienam substantiam adhuc vt instrumentum efficienter conseruare accidentia aliena extra subiectum. Et quamuis Corpus Christi vnitum accidentibus panis,



panis posset vt causa materialis illa sustentare, etiam posset substantia panis illa materialiter sustentare vtriusque substantia, nempe Corporis Christi & panis partialiter concurrente suo passiuo concursu, seu sua partiali passione.

Vnde Corpus Christi potuit fieri præsens, & vniri accidentibus panis, perseverante substantia panis sub illis, ac proinde substantia panis non desinit esse ex vi præsentis & vnionis Corporis Christi sub illis, sed tantum ex vi Corporis Christi prout demonstrati verbis consecrationis ob impossibilitatem moralem prouenientem illis ex his verbis tamquam ex instrumento morali.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, corpus antea in loco existens, posse à Deo constitui vbi antea non erat, absque eo quòd deserat locum antiquum, & absque eo quòd altera substantia in alio loco existens in ipsum conuertatur.

Obseruandum est, vt optimè Vasquez, Corpus Christi de facto non fieri præsens, & vnitum speciebus panis actione aliqua substantiali, quia Corpus Christi producat aut conferuetur, quia per eam tantum potest produci substantia Corporis Christi, & non etiam modus aliquis præsentis & vnionis cum speciebus panis, quia talis modus debet actione aliqua distincta produci, cum sit entitas distincta à substantia Corporis Christi. Modus ergo præsentis & vnionis, quo Corpus Christi fit præsens & vnitum speciebus, producit alia actione distincta: quia quamuis de facto sit necessaria ad conuersionem panis in Corpus Christi, in ea tamen non consistit conuersio, neque per se pertinet ad illam; est autem de facto necessaria tamquam conditio ad conuersionem, vt Corpus Christi, quòd de facto ante consecrationem non est præsens speciebus panis, neque illis vnitum, fiat præsens & vnitum, vt sic possit demonstrari. Vnde substantia panis non destruitur ex vi positionis Corporis Christi sub illis, sed ex vi Corporis vt demonstrati sub speciebus.

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum panis & vinum in conuersione Eucharistica annihilentur.*

EX dictis constat, post consecrationem nihil substantiæ panis & vini manere, sed tantum ipsorum accidentia: superest tamen difficultas, An desinitio substantiæ ipsorum sit annihilatio.

Scotus Quodlib. 20. art. 3. & in 4. dist. 11. q. 4. Maior q. 1. Ockham in 4. q. 6. dub. 7. Gabriel in can. lect. 40. & 41. & Angelus v. *Eucharistia* 1. n. 3. docent, desinitionem substantiæ panis & vini in Eucharistia esse annihilationem, quia substantia panis & substantia vini ita desinunt, vt nihil ipsarum remaneat, quamuis maneat ipsarum accidentia; ergo desinitio earum est annihilatio, quia ad nihil ipsarum terminatur. Et confirmatur, quia si substantia panis & substantia vini, quæ fuerunt sub accidentibus, reproducerentur secundum se totas, verè crearentur, quamuis ad ipsarum reproductionem præsupponerentur earum accidentia; ergo e contra desinitio earum secundum se totas erit annihilatio, quamuis remaneant earum accidentia.

S. Thomas. Caietanus. Suarez. Vasquez. Becanus.

S. Thomas verò, Caietanus, & recentiores Thomistæ q. 75. art. 3. Suarez disp. 50. lect. 7. Vasquez disp. 183. Becanus c. 18. q. 5. Adamus q. 4. dub. 3. &

communiter Theologi docent, desinitionem substantiæ panis & vini non esse annihilationem, & merito: quia desinitio substantiæ panis & vini non tendit in puram nihil, quia ita tendit in nihil substantiæ panis & vini, vt etiam tendat & per se, quamuis secundario, in Corpus & in Sanguine Christi, quia substantia panis & vini ita desinit primario in nihil sui, vt etiam per se, quamuis secundario, desinat in Corpus & Sanguinem Christi, quia desinit ex vi Corporis & Sanguinis prout demonstrati, ob oppositionem & pugnam quasi moralem inter illa, ipsis prouenientem ex verbis consecrationis, quæ sunt instrumentum morale. Quòd autem in aliud desinit, & conuertitur, quamuis in nihil sui, non dicitur omnino & purè annihilari, seu in nihilum redigi: quia quòd sic tendit in nihil sui, vt etiam tendat in aliud ob quòd in illud aliud conuertitur, non dicitur absolutè & purè annihilari; & desinitio rei, quæ tendit in aliquid, quamuis etiam tendat in nihil ipsius rei quæ desinit esse, non potest absolutè & omnino dici annihilatio, sed conuersio: quòd autem in aliud conuertitur, non dicitur omnino perire & in nihilum redigi, quia dicitur quodammodo manere in eo in quòd conuertitur.

Ex quo constat ad rationem Scoti. Ad confirmationem verò concedimus, quòd si tota substantia panis & vini reproduceretur sub speciebus, crearetur, quia tota illa ratione materiæ primæ, ex qua fieret forma, fieret ex nihilo: quia quòd accidentia illius præsupponerentur, non obstaret creationi illius, quia ex vna parte reproductio illius non tenderet in accidentia, & ex altera parte accidentia non veniunt in considerationem in productione substantiæ, quia non pertinet ad esse illius, ob quòd substantia aliqua potest creari; quamuis eius accidentia non creentur, sed de eius potentia educantur. Et ob hanc rationem desinitio panis & vini non desinit esse annihilatio, quia remaneant ipsorum accidentia, sed quia ita tendit in nihil substantiæ ipsorum, vt etiam tendat in aliquid, quauis alienum. Ad confirmationem ergo in forma concedendum est Antecedens, & neganda Cōsequenta, quia desinitio panis & vini non desinit esse annihilatio, quia remaneant eorum accidentia, sed quia etiā tendit in aliquid, quauis alienum, nēpe in Corpus Christi.

## DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum quælibet res creata possit totaliter in quamlibet aliam rem creatam conuerti.*

D Vrandus in 4. dist. 11. q. 2. & 3. docet, nullam substantiam creatam integram seu totalem posse in aliā conuerti, quia desinitio totius substantiæ integræ est annihilatio; ergo nequit esse conuersio.

Scotus in 4. dist. 11. q. 2. Caietanus & recentiores Thomistæ q. 75. art. 4. docent, quamlibet substantiam creatam integram posse conuerti in quamlibet aliam creatam, quia non est maior ratio ob quam tota substantia panis conuertatur in Corpus Christi, & tota substantia vini in eius Sanguinem, quam quælibet alia substantia creata integra in quamlibet aliam, quia in alijs non reperitur peculiaris aliqua repugnantia.

Paludanus verò in 4. distinct. 11. quæst. 3. & Vasquez disput. 184. cap. 2. docent, & merito, non quamlibet substantiam integram posse conuerti

ueri



uerti in aliam, posse tamen aliquas in alias, imò in quamlibet.

Pro huius conclusionis explicatione & probatione reuocandum est in memoriam Primò, ad conuersionem requiri connexionem inter definitionem rei quæ conuertitur, & inter rem in quam fit conuersio: ad connexionem autem inter illas requiritur, vt esse rei, in quam fit conuersio, sit ita pugnans & impossibile siue moraliter siue physicè cum esse rei quæ conuertitur, vt hæc verè desinat esse in rerum natura, ex vi alterius rei in quam conuertitur.

Secundò in memoriam reuocandum est, inter substantias integras non posse esse pugnam physicam in esse substantiali ipsarum, quia physicè & ex natura rei quælibet substantia integra potest simul cum qualibet alia produci, & esse, & permanere; neque posse inter illas pugnam aliquam ex sola voluntate Dei immediatè prouenire, neque ex alio capite, nisi ex vi significationis verborum, ex qua nequit alio modo inter illas esse pugna, nisi media enuntiatione demonstratiua illius substantiæ, in quam facienda est conuersio, ratione accidentium sensibilium substantiæ quæ conuertenda est, ita demonstrando sub accidentibus sensibilibus huius substantiæ alteram substantiã in quam fit conuersio, vna indiuidua & categorica enuntiatione non significata expresse definitione substantiæ quæ conuertenda est, vt eo ipso, quasi secundariò res conuertenda debeat desinere esse, quia sub accidentibus sensibilibus ipsius nequeat substantia aliena enuntiatione illa demonstrari, nisi absit propria.

His ergo suppositis, probatur, substantiam creatam spiritualem non posse in aliam, neque spiritualem neque corporalem, conuerti, quia substantia spiritualis non pendet in suo esse à suis accidentibus spiritualibus, quia ab illis separata potest naturaliter & absque miraculo conseruari; & ita, quamuis quælibet alia substantia integra posset sub illis ad intellectum demonstrari enuntiatione categorica, propria tamen substantia non desineret esse ex vi illius demonstrationis, sed tantum separaretur à suis accidentibus; ergo non conuertetur, quia quod non desinit esse, non conuertitur.

Quòd si respondeas, conuersionem posse fieri non tantum enuntiatione demonstratiua, sed etiam Verbo *Fio*, aut *conuerto*, dicendo, *Panis fiat Corpus*, aut *Panis conuertatur in Corpus Christi*. Contra hanc responsionem est, quòd quamuis vtraius oratione dicta speculatiue denotetur connectio & pugna ad conuersionem requisita, quia vnum fieri aliud, aut in aliud conuerti, illas denotat, neutra tamen oratio sua significatione potest (quamuis ex institutione Christi veritatem exigere) efficere, quòd vna substantia, prout significata in ea oratione, sit causa vt alia substantia in eam desinat esse; quia non ita significat vnam, vt ad exigentiam talis significationis, vt euadat vera, fiat desitio alterius, quia hoc tantum fieri potest oratione categorica demonstratiua, quia per hanc substantia illa in quam fit conuersio, ita demonstratur, vt ad veritatem demonstrationis ipsius substantiæ necessaria sit desitio alterius, quamuis desitio hæc non significetur expresse: quia qui sic demonstrat, dicitur faciendo vnum, vel demonstrando vnum, destruere aliud; qui verò dicit, *Panis fiat Corpus Christi*, aut *Panis conuertatur in*

*Corpus Christi*, non dicitur destruere vnum faciendò, vel significandò aliud, ac proinde vt veræ fiant orationes istæ, debet subsequi conuersio, quæ fiat enuntiatione demonstratiua, quia nequit conuersio aliter fieri.

Deinde probatur, substantiam creatam corporalem integram seu totalem posse totaliter conuerti in quamlibet aliam creatam, siue corporalem siue spiritualem. Et in primis posse in aliam corporalem totaliter conuerti, constat in Eucharistia, in qua substantia panis & vini totaliter conuertitur in Corpus & Sanguinem Christi, vt semper sensit Ecclesia, & definit Tridentinum sess. 13. cap. 4. *Trident.* Vnde sententia Durandi sustineri nequit, & fundamentum ipsius inane est, vt constat ex Difficultate præcedenti. Et id declaratur simul & probatur, quia ex vna parte substantia corporalis potest ita fieri præfens, aut vniri accidentibus sensibilibus alterius substantiæ corporalis, vt possit sub illis enuntiatione categorica demonstrari, sicut Corpus Christi sub accidentibus panis, & Sanguis Christi sub accidentibus vini; & ex altera parte substantia illa altera, sub cuius accidentibus sensibilibus demonstratur, non potest non desinere esse, secluso miraculo, à suis accidentibus separata.

Quòd verò substantia corporalis creata integra possit in spiritualem conuerti, probatur, quia ex vna parte etiam substantia spiritualis potest ita fieri præfens, aut vniri accidentibus sensibilibus substantiæ corporalis totalis, vt possit sub illis propositione categorica demonstrari, vt etiam contingit Corpori Christi in Eucharistia, quamuis existenti modo quasi spiritali; & ex altera parte substantia illa corporalis, sub cuius accidentibus substantia spiritualis demonstrari potest, debet desinere esse ad exigentiam substantiæ spiritualis prout demonstratæ, quia ex eo contrahit pugnam quamdam quasi moralem, ratione cuius debet à suis accidentibus separari, sine quibus nequit naturaliter conseruari.

Boëtius verò lib. de Duabus naturis, & Augustinus lib. 7. de Genesi ad lit. cap. 12. dum dicunt, corpus non posse conuerti in substantiam incorpoream, loquuntur non de conuersione totali, de qua nos loquimur, sed tantum de conuersione formali, in qua manet subiectum commune vtrique extremo, vt eos exponunt Maior in 4. dist. 11. q. 1. *Maior.* & Vasquez num. 18. *Vasquez.*

Ad rationem ergo pro Scoto & Caietano constat, peculiarem esse repugnantiam in eo quòd substantia spiritualis conuertatur in aliam, siue spiritualem siue corporalem, non tamen in eo quòd corporalis conuertatur in aliam corporalem, imò & in spiritualem.

#### DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum creatura possit conuerti in Deum.*

Supponimus, in quo omnes conueniunt, Deum non posse conuerti in creaturam, quia nequit desinere esse; & quòd conuertitur, desinit esse in id in quòd conuertitur.

Hoc ergo supposito, circa difficultatem non desunt qui doceant, creaturam posse conuerti in Deum



Deum (quibus fauet Caietanus q. 2. art. 1. §. Circa illam) quia Deus est præsens quibuscumque accidentibus; ergo poterit demonstrari sub illis, etiam ad sensum sub accidentibus sensibilibus; ergo substantia illa, sub cuius accidentibus potest Deus demonstrari, poterit in Deum conuerti, quia ad veritatem illius demonstrationis requiritur seperatio illius substantiæ à suis accidentibus, & consequenter destructio illius, quia substantia saltem materialis pendet in conseruari à suis accidentibus.

Scotus in 4. dist. 11. Vasquez disp. 184. Suarez disp. 50. sect. 10. Ægidius q. 75. art. 4. & communiter Theologi docent, nullam creaturam posse in Deum conuerti, & merito: quia si ea conuersio faciendæ esset, maximè media enuntiatione demonstratiua categorica, demonstrando Deum ratione sui sub accidentibus illius substantiæ, quæ conuertenda esset in ipsum. Deus autem ratione sui sub nullius substantiæ accidentibus potest demonstrari, quia ratione sui sub nullius substantiæ accidentibus est contentus & occultatus, sed generaliter est in illis eminentiori quodam & infinito modo, & non sub illis, sicut nec sub aliis rebus, in quibus etiam est generaliter modo prædicto: & demonstratio alicuius sub accidentibus requirit peculiarem modum existendi sub illis. Præsentia tamen, quæ Deus est præsens in omnibus accidentibus, sicut generaliter in omnibus rebus, non sufficit, vt possit sub illis demonstrari nominaliter (nisi tantum in illis aduerbially dicendo, *hic*, id est in hoc loco, aut in hac re, *est Deus*) aliàs sufficeret, vt quædam propria substantia est sub illis, possemus nominaliter copulatiuè dicere, *hic est panis & Deus*, quod tamen est falsum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Addimus, quod quamuis Christus, aut Sacerdos ex institutione Christi, consecraret panem his verbis, *Hoc est Corpus meum Desficatum*, non fieret conuersio in Deum, non solum tamquam in terminum adæquatam, vt patet, quia etiam fieret in Corpus, sed neque tamquam in terminum inadaquatam, seu partialem: quia quamuis in eo casu Diuinitas esset ex vi verborum cum Corpore existente sub speciebus, non tamen esset tamquam pars termini destruentis substantiæ panis, sed esset tamquam extremum vnitum Corpori illam destruenti, quia solum Corpus ratione sui demonstraretur illis verbis, & ex vi illorum esset specialiter sub illis; Diuinitas autem quamuis esset specialiter sub illis, quia est hypostaticè vnita ipsi Corpori sub illis existenti, non tamen esset sub illis specialiter ratione sui, sed tantum ratione Corporis cui est vnita; imò non esset sub illis ratione Corporis tamquam pars intrans intrinsecè in id quod est specialiter sub illis, sed tantum tamquam extremum corpori vnitum, quod non intrat in illud, quia illis verbis non demonstratur directè, sed tantum indirectè, tamquam extremum & connotatum; ac proinde ex vi eorum verborum tantum esset sub speciebus tamquam extremum coniunctum ipsi Corpori destruenti substantiam panis, & non esset sub illis, tamquam pars termini destruentis. Si verò Christus, vel Sacerdos ex institutione Christi, consecraret panem his verbis, *Hoc est Corpus meum vinum*, in eo casu fieret conuersio etiam in animam, tamquam in terminum partialem; quia anima esset pars eius quod demonstraretur directè, & destrueret panem,

nempe pars Corporis vini, & demonstraretur tamquam pars illius, ac proinde partialiter destrueret panem.

## DIFFICULTAS XV.

*Vtrum sit possibilis conuersio formalis, & etiam materialis.*

Circa prius supponimus, conuersionem formalem esse transitum, quo vna forma transit in alteram in eodè subiecto communi vtrique formæ, quia transitus, quo vna forma transiret in alteram absque subiecto communi, non esset formalis (nisi ad summum materialiter) quia tunc forma, quæ non esset in subiecto, non haberet statum formæ.

Hoc ergo supposito, conueniunt Theologi, conuersionem formalem, non solum substantialem, sed etiam accidentalem, esse possibilem, & quotidie sæpissimè fieri; quia sæpissimè vna forma, tam substantialis quam accidentalis, transit in alteram in eodem subiecto. Ad conuersionem autem formalem requiritur Primò subiectum vtrique formæ commune, ob rationem dictam, & ob rationem statim dicendam. Secundò requiritur, quod forma, quæ conuertitur, desinat esse, ob rationem sæpè repetitam; ex cuius defectu anima rationalis non conuertitur in formam cadaueris. Tertiò requiritur oppositio & pugna inter ipsas formas, vt ea, quæ conuertitur, desinat esse ex vi alterius in quam conuertitur; ad quam pugnam requiritur subiectum vtrique formæ commune, quia formæ non sunt secundum se impossibiles, sed tantum in ordine ad subiectum.

Circa conuersionem materialem vnius, videlicet materiæ primæ in alteram materiam primam sub eadem forma, Vasquez disp. 184. cap. 10. docet, esse impossibilem: quia quamuis vna materia prima possit alteri succedere sub eadem forma, materia tamen, cui altera succederet sub illa eadem forma, quamuis in ea non introduceretur noua forma, & consequenter desineret esse, non tamen desineret ex vi materiæ succedentis vt impossibilem, sed ad summum ex vi nouæ informationis, qua materia succedens informaretur, quia eo ipso cessaret antiqua informatio, qua materia, cui altera succedit, informabatur, & maneret absque forma, absque qua materia illa non posset conseruari.

Suarez verò disp. 50. sect. 10. & Ægidius art. 4. dub. 4. docent esse possibilem, & merito: quia fieri potest à Deo, quod vna materia subijciatur seu supponatur eidem formæ, cui altera materia erat subiecta seu supposita, absque eo quod in materia antea subiecta formæ inducatur noua forma. In hoc autem casu materia antea subiecta desineret esse ex vi alterius materiæ de nouo subiectæ, tamquam impossibilem sub eadè forma, quia vtraque materia in sufficienter informaretur vna forma, sicut vna forma prout informans subiectum, est impossibilem cum altera idem subiectum informante, & vi sua illam destruit, quia vna materia insufficienter sustentat duas formas simul informantes. Ex quo constat ad rationem in oppositum.

Sed an conuersio hæc materialis fieri possit media demonstratione, sub controuersia est. Circa quam aliqui partem negatiuam absolutè tuentur, quia accidentia sensibilia, sub quibus materia



prima deberet demonstrari, non subieciuntur in ipsa materia prima, ac proinde non potest sub illis demonstrari. Alij verò partem affirmatiuam absolute tradunt, & meritò: quia ex vna parte sensibilia accidentia in materia prima immediatè subieciuntur, ac proinde potest sub illis demonstrari: & ex altera parte vna materia prima demonstrata sub accidentibus alterius materiæ primæ, pugnat cum

hac altera materia prima, sub quibus illa demonstratur, quia illa est aliena his accidentibus individualibus, ac proinde debet abesse propria materia prima, vt possit aliena absolute demonstrari, & consequenter debet corrumpi, quia absque eis accidentibus nequit naturaliter conseruari, quia tunc naturaliter non potest alia accidentia accipere sub quibus conseruetur.

## DISPUTATIO V.

## De modo quo Christus est in Eucharistia.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum totus Christus sit in Eucharistia sub qualibet specie.*



**E**X Lutheranis, qui verum Corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia admittunt, sunt qui existimant, non esse totum Christum sub qualibet specie, sed sub speciebus panis esse tantum Corpus, & sub speciebus vini esse tantum Sanguinem, quia sub speciebus tantum est id quod verbis consecrationis significatur, quia id solis verbis consecrationis efficitur: verbis autem consecrationis panis tantum significatur corpus, & verbis consecrationis vini tantum significatur Sanguis; ergo.

Conueniunt tamen Catholici, totum Christum esse sub qualibet specie. Ita definitur in Concilio Constantiensi sess. 13. & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & in Tridentino sess. 13. & sess. 21. cap. 3.

Et id etiam tradunt Patres, & in primis Andreas Apostolus, qui (vt scribunt Presbyteri Achaia in Vita ipsius) dicebat in altari Agnum immaculatum immolari, & post ipsius manducationem integrum & viuum perseuerare: quod etiam exprimit vel supponunt Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 4. Ambrosius lib. de Ijs qui iniantur, cap. 9. Augustinus in Psalm. 33. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioann. cap. 17. & id clarè exprimitur in can. *Singuli*. de Consecratione, dist. 2.

Et ratione probatur: quia sub speciebus panis est Corpus Christi, quia id expressè significatur verbis consecrationis panis; & sub speciebus vini est Sanguis Christi, quia id significatur expressè verbis consecrationis vini; ergo sub speciebus panis, sub quibus est Corpus Christi, etiam sunt anima & corpus, & diuinitas, personalitas Verbi, & vnio hypostatica, quia nunc omnia hæc sunt re ipsa coniuncta & vnita corpori; & sub speciebus vini, sub quibus est Sanguis, etiam sunt corpus, anima, diuinitas, personalitas Verbi, & vnio hypostatica, quia omnia hæc nunc sunt coniuncta, & vnita Sanguini. Vbi autem est aliquid cui coniuncta sunt alia, etiam sunt necessariò illa alia, quoties illud aliquid non latius patet quam illa alia: corpus autem, anima, & sanguis ita adæquatè coniunguntur, vt nullum eorum latius pateat quam alia. & quamuis diuinitas & personalitas Verbi latius pateat quam Corpus & Sanguis Christi, & vnio ob quod Verbum potest esse vbi non sunt Corpus & Sanguis, & vnio; at Corpus, & Sanguis, & vnio

non latius patent, quam diuinitas & personalitas Verbi, & idèò vbi cumque est Corpus aut Sanguis aut vnio, etiam necessariò est diuinitas & personalitas Verbi.

Ex dictis deducitur, sub qualibet specie Sacramentali esse non tantum Corpus & Sanguinem Christi, & vnionem hypostaticam, sed etiam alios humores, & spiritus vitales & animales, & omnia alia quæ ad consistentiam & integritatem & perfectionem humanitatis Christi pertinent, & modò sunt in Christo in celo, vt præputium; imò & quæ non pertinent ad illam, si aliàs re ipsa sunt coniuncta cum partibus humanitatis.

Ad rationem ergo hæreticorum respondemus, quòd quamuis verbis consecrationis Corpus tantum aut Sanguis tantum expressè significetur, & idèò Corpus tantum aut Sanguis tantum sit per se, & quasi directè, & ex vi verborum, sub speciebus; nihilominus eo ipso omnia alia sunt etiam, & constituuntur sub illis per accidens, & per concomitantiam, & quasi indirectè, cum Corpore aut Sanguine Christi, quia sunt ipsis realiter coniuncta, & cum ipsis realiter connexa, aut saltem humanitatem integritatem.

## DIFFICULTAS II.

*Quid Christi sit sub qualibet specie ex vi verborum, & quid per concomitantiam.*

**S**upponimus, in quo contra Lutherum & alios hæreticos, etiam ex illis qui verum Corpus & Sanguinem Christi admittunt in Eucharistia, Theologi constanter & vnanimiter conueniunt, nempe, in Eucharistia quædam esse ex vi Sacramenti, seu ex vi verborum, quædam verò ex vi naturalis connexionis & concomitantia: quam distinctionem admisit Tridentinum sess. 13. cap. 3. & meritò: quia quædam ponuntur in Eucharistia, quia expressè significantur demonstratiuè verbis consecrationis, quia ad eorum verborum veritatem positio illorum requiritur; quædam verò alia tantum ponuntur, quia sunt realiter connexa & coniuncta cum eis, quæ ex vi significationis verborum ponuntur: ergo in Eucharistia quædam sunt ex vi verborum, quædam verò alia ex vi connexionis & concomitantia.

Hoc ergo supposito, circa difficultatem conueniunt Theologi, sub speciebus panis ex vi verborum, ac proinde per se & quasi directè, esse tantum Corpus Christi, animam verò, Sanguinem, diuinitatem, personalitatem Verbi, & vnionem hypo-

Cyrrillus  
Ierosol.  
Ambros.  
August.  
Cyrrillus  
Alexand.

Trident.



hypostaticam esse per concomitantiam, ac proinde per accidens, & quasi indirectè: quod Tridentinum tradit ubi supra, & meritò: quia Corpus Christi est sub speciebus ex vi significationis demonstratiuæ verborum, reliqua verò dicta, quia re ipsa sunt connexa cum Corpore: & sub speciebus vini tantum esse Sanguinem Christi ex vi verborum, ac proinde per se; & reliqua prædicta, nempe Corpus, animam, diuinitatem, personalitatem Verbi, & vnionem hypostaticam, esse tantum per concomitantiam & per accidens, quia scilicet Sanguis Christi est sub illis ex vi significationis demonstratiuæ verborum, reliqua verò prædicta sunt sub illis, quia re ipsa sunt coniuncta & connexa cum Sanguine ipso. Et ob eandem rationem alij humores & spiritus, & omnia alia distincta à Corpore & Sanguine, quæ pertinent ad consistentiam & integritatem humanitatis Christi, & quæ quoquo modo connexa sunt cum illa, sunt sub qualibet specie per concomitantiam, & non aliter. Unde si in triduo fieret consecratio panis, non esset adhuc per concomitantiam anima sub speciebus illius, nec Sanguis aliquis, si nullus in triduo remansit, quia tunc erant à corpore separata.

Est tamen dissensio inter recentiores, an dicta distinctio existèdi in Eucharistia, ex vi verborum, & per concomitantiam, sit definita de Fide à Tridentino, Suarez disp. 51. negat, quia Tridentinum tantum intendit directè definire, totum Christum esse sub qualibet specie, & ita can. 3. & 4. hoc tantum tradit sub anathemate, & non dictam distinctionem: addit tamen Suarez, esse ingentem temeritatem, & magnum errorem, dictam distinctionem negare. Vasquez verò disp. 185. c. 2. affirmat, & meritò, quia ex vna parte non tantum in canonibus, sed etiam in capitibus fiunt definitiones de Fide, vt patet ex cap. vlt. sessionis 6. & sess. 13. & ex altera nullum est firmum fundamentum ad asserendum, Tridentinum id non intendisse directè definire. imò id sic intendisse, potest firmiter conijci ex eo, quòd hæretici distinctionem illam negabant, imò irridebant. quòd si id non tradidit in canonibus, sed tantum quòd totus Christus sit sub qualibet specie, forsitan fuit, quia circa hoc fuit error principalis, & radix alterius.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum Verbum diuinum sit in Eucharistia ex vi verborum.*

Supponimus, Verbum diuinum, quod est secunda persona Trinitatis, & nostro modo concipiendi coalescit ex diuinitate & ex personalitate Verbi, esse in Eucharistia saltem per concomitantiam, quia est vnitum hypostaticè Corpore & Sanguini Christi, existentibus per se & ex vi verborum in illa.

Est tamen difficultas, An etiam sit ex vi verborum. Ratio difficultatis pro parte affirmatiua est, quia Pronomen *meum* positum in forma Corporis, & Pronomen *meus* aut *mei* positum in forma Sanguinis, refertur ad loquentem; qui autem loquitur in formis consecrationis, est persona Verbi & Christi, aut Sacerdos nomine Christi; ergo persona Verbi aut Christi ponitur ex vi verborum.

Conueniunt tamen Theologi, Verbum diuinum seu personam Verbi diuini non esse in Eu-

charistia ex vi verborum, & per se. Ita Vasquez disp. 185. Suarez disp. 181. Egidius quaest. 76. art. 2. num. 27. & Adamus q. 5. dub. 2. Ratio est, quia verbis consecrationis non demonstratur nec significatur Verbum diuinum esse sub speciebus, sed tantum Corpus & Sanguinem Christi; ergo Verbum diuinum non est in Eucharistia ex vi verborum.

Ad rationem autem difficultatis respondemus, prædictum Pronomen non referri ad personam Verbi & Christi, sed ad hominè Christum, aut potius ad humanitatem Christi; quia verba consecrationis non fuerunt prolata à persona Verbi & Christi, sed tantum ab hominè Christo, aut potius ab humanitate Christi, iuxta ea quæ diximus Tractatu de Incarnat. Disp. 1. Diff. xvi. Et quamuis admitteremus referri ad personam Verbi, non sufficeret ad id, quia persona Verbi potuisset verè dicere, *Hoc est Corpus meum*, absque eo quòd Pronomine isto significaretur corpus actualiter vnitum personæ Verbi, quia ad veritatem dicti Pronominis sufficeret, quòd præcessisset corpus vnitum, quia etiam corpus mortuum & separatum, & brachium abscissum dicitur corpus & brachium huius aut illius humanitatis & hominis. Et quamuis de facto prædictum Pronomen tantum referatur ad hominè Christum, vel potius ad humanitatem, etiam in triduo potuit nomine hominis Christi aut humanitatis Christi dici, *Hoc est Corpus meum*, quia fuit humanitatis & hominis Christi.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum Pater & Spiritus sanctus sint in Eucharistia per concomitantiam.*

Conueniunt Theologi, Patrem & Spiritum sanctum non esse in Eucharistia ex vi verborum & per se, quia non significantur verbis consecrationis: est tamen difficultas, An sint in illa per concomitantiam.

Nugnus quaest. 76. art. 2. diffic. 3. & alij recentiores docent, Patrem & Spiritum sanctum non esse in Eucharistia per concomitantiam, nec aliquo peculiari modo, sed tantum communi modo, quo sunt in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam: quia quamuis Filius sit vnitus humanitati Christi, & eam terminet, non tamen Pater nec Spiritus sanctus; ergo quamuis Filius ratione dictæ vnionis sit per concomitantiam in Eucharistia, non tamen Pater nec Spiritus sanctus.

Vasquez verò disp. 185. cap. 2. Suarez disp. 51. sect. 6. Egidius quaest. 76. art. 2. num. 29. & Bonacina disp. 4. quaest. 3. puncto 5. docent, Patrem & Spiritum sanctum esse in Eucharistia per concomitantiam, & non tantum communi illo modo; & meritò: quia Filius & diuinitas sunt in Eucharistia, Pater autem & Spiritus sanctus sunt connexi cum Filio naturali cõnexione circuminseccionis, & sunt idem re ipsa cum diuinitate; ergo etiã sunt in Eucharistia peculiari modo comitantes Filiũ, & quasi comitantes diuinitatè, & non tantum cõmuni illo modo, Filius tamè est in Eucharistia minùs remotè per concomitantiam, quàm Pater & Spiritus sanctus, quia Filius est in Eucharistia, quia est immediatè vnitus humanitati, & eam immediatè comitatur, non tamen Pater & Spiritus sanctus, sed quia comitantur Filiũ, & quasi comitantur diuinitatem;



imò hæc etiam est magis remotè quàm personalitas Verbi, quia tantùm est, quia quasi comitatur personalitè Verbi eo modo quo diuinitas distinguitur à personalitate Verbi. Nihilominùs, quidquid dicat Bonacina, Pater & Spiritus sanctus dicuntur manducari ad manducationem specierum panis, & potari ad potationem specierum vini, sicut & Filius, vt Vasquez aduertit, quia verè sunt peculiari modo in speciebus panis & vini, quæ verè manducantur & potantur, quamuis nulla sit communicatio idiomatum inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum ex vna parte, & inter Corpus & Sanguinem Christi ex altera; sicut etiã ad manducationem specierum panis dicitur manducari Sanguis, & ad potationem specierum vini dicitur Corpus potari, quamuis inter Corpus & Sanguinem nulla sit communicatio idiomatum, quia id non verificatur ratione communicationis idiomatum, sed quia eo ipso quòd aliquid sumitur, eo ipso etiam sumitur quod est cum ipso connexum, & coniunctum peculiari modo.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, ex eo quòd Filius sit hypostaticè vnitus humanitati Christi, & eam personans, & non Pater & Spiritus sanctus, non deduci, Patrem & Spiritum sanctum non esse in Eucharistia, sed solùm quòd sint aliter quàm Filius, quod est verum, quia Filius est minùs remotè, Pater verò & Spiritus sanctus magis remotè, quia tantùm sunt ob connexionem circuminflectionis cum Filio, & ob idemnitatem cum diuinitate.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum totus Sanguis Christi sit ex vi verborum sub speciebus vini.*

Recentiores nonnulli docent, ex vi verborum non esse totum Sanguinem Christi sub speciebus vini, sed tantùm illum, qui tempore passionis fuit effusus, non illum qui mansit in corpore, quia id indicant verba consecrationis vini apud Matth. cap. 26. Marc. 14. & Luc. 22. *Hic est Sanguis meus novi Testamèti, qui pro multis effundetur.*

Vasquez verò disp. 185. cap. 3. Suarez disp. 51. sect. 3. & plures alij docent, & meritò, totum Sanguinem Christi esse ex vi verborum sub speciebus vini, quod indicat Tridentinum sess. 13. c. 3. dum absolutè, absque vlla limitatione & distinctione Sanguinis, asserit, Sanguinè Christi esse sub speciebus vini. Et ratione probatur, quia verba illa, *Qui pro vobis & pro multis effundetur*, non pertinent ad essentiã formæ consecrationis, vt dicimus Disp. III. Diff. VI. sed tantùm hæc verba, *Hic est Sanguis meus*, aut hæc, *Hic est Calix Sanguinis mei*: ex vi autem eorum quæ sunt essentialia, totus Sanguis ponitur, quia per ista Sanguis absolutè & absque limitatione significatur, & non magis hæc pars Sanguinis quàm illa.

Vnde in vltima cæna ex vi verborum prolatorum à Christo, fuit sub speciebus vini totus Sanguis ipsius quem tunc habebat, & nunc etiam est totus qui est in corpore glorioso Christi, & etiam particula separata, si aliqua extant.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, prædicta verba, *qui pro vobis & pro multis effundetur*, posse per synecdochen verificari de toto Sanguine, etiam si non fuisset totus effusus, præsertim

quòd verisimile sit totum Sanguinem Christi fuisse effusum, vt conijci potest ex eo, quòd ex latere Christi iam mortui manuerit vsque ad effusionem aquæ.

Sed quæres, an, si consecratio Sanguinis fieret in triduo, Sanguis, qui diuisus erat, continuaretur sub speciebus vini, an verò maneret diuisus sicut erat ante consecrationem.

Suarez existimat, quòd continuaretur, Primò, quia consecratio fieret per modum vnus, quia fieret media vnica forma, & sub eiusdè speciebus. Secundò, quia ex vi verborum fieret, vt totus Sanguis esset in eodem loco; res autem liquidæ, si sint eiusdè speciei, continuantur, quando simul in eodem loco constituuntur.

Vasquez verò nu. 27. existimat, quòd maneret diuisus, & meritò: quia ex vna parte dicta continuatio non est necessaria ad veritatem verborum consecrationis, quia de Sanguine alicuius animalis, quamuis in plura vasa diuiso, verè dicitur, *hic est sanguis huius animalis*; quia ad veritatem Pronominis demonstratiui etiam in singulari non requiritur vnitas numerica eius quod demonstratur; & ex altera parte res, quæ carent modo naturali existendi in loco per modum extensionis, quamuis liquidæ sint, & eiusdè rationis, & coniungantur in eodem loco, non continuantur, quia tunc nihil vnus rei liquidæ potest naturaliter corrumpere indiuisibile alterius, nec sui, nec producere indiuisibile commune quo continuetur cum altera, imò non continuantur, ex defectu extensionis in ordine ad locum.

## DIFFICULTAS VI.

*Quid significetur nomine Corporis in forma consecrationis panis.*

Conueniunt communiter Theologi, contra Gabrielem & Marfilium, nomine Corporis in forma consecrationis panis, quod ex vi illius ponitur sub speciebus panis, non significari materiam primam tantùm; & contra Durandum & Caietanum, non significari Corpus secundum communem rationem corporis, quod in prædicamento Substantiæ est species subalterna, quia aliàs eodem modo & eiusdè verbis potuisset consecrari Corpus Christi, quamuis fuisset redactum in cineres, quia in cineribus eadem materia prima, & eadem ratio communis corporis, quod est species subalterna in prædicamento Substantiæ, mansissent. Consequens autem est falsum, quia Corpus, quod ex vi verborum consecrationis panis consecratur, & ponitur sub speciebus panis, est caro Christi, in cinere autem nihil est quod sit caro. Quòd autem Corpus, quod ex vi verborum consecrationis panis consecratur, sit caro Christi, patet, quia illud est cibus spiritualis animæ, eo modo quo diximus Disput. I. Diffic. III. id autem nulli alij corpori conuenit, nisi carni Christi, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus.*

Conueniunt Secundò, nomine corporis in forma consecrationis panis significari corpus organicum humanum Christi, vt Pronomine *meum* positum in ipsa forma fati denotatur (sicut etiã nomine corporis, quando dicimus, *Hoc est corpus Petri*) & significari corpus organicum humanum, non tantum viuum, sed etiam mortuum; quia corpus cuius-

Vasquez.  
Suarez.

Trident.



eiuscunq; hominis non solum viuum, sed etiam mortuum, dum habet partes heterogeneas, verè dicitur corpus illius hominis, cuius fuit viuum.

Dissentiant tamen Theologi in explicando, quod aut quale corpus organicum humanum nomine illo corporis significetur.

Sotus.  
Ledesma.

Sotus in 4. dist. 10. q. 1. art. 1. & Ledesma 1. par. q. 17. art. 1. dub. 3. & 4. docent, significari corpus organicum humanum vniuoè commune humano viuo & humano mortuo. Modus tamen iste dicendi nobis non probatur, Primò, quia falsum supponit, esse corpus organicum humanum vniuoè commune humano viuo & humano mortuo. Quia quamuis corpori organico humano detur vna ratio corporis vniuoè communis, non tamen vna ratio organici, & humani vniuoè communis, quia in primis, vt Aristoteles 2. de Generat. animalium c. 1. ait, *facies & caro, que animam non habet, æquiuocè est facies & caro, perinde ac lapidea aut lignea*: ergo etiam corpus organicum mortuum humanum, quod, quatenus organicum, constat carne, ossibus, neruis, facie, brachio, & crure, est æquiuocè corpus organicum humanum, & non vniuoè. Deinde, quia si corpori organico humano viuo, & corpori organico humano mortuo, esset vna ratio corporis organici humani communis vniuoè, esset illis immediatè communis, quia inter corpus organicum humanum, vt sic, ex vna parte, & inter corpus organicum humanum viuum, & inter corpus organicum humanum mortuum ex altera, nulla ratio nullumque prædicatum mediat: commentitium autem est, corporibus organicis humanis viuo & mortuo dari vnam rationem immediatè communem, quia corpus organicum humanum viuum continetur sub animali, sub quo non continetur corpus organicum humanum mortuum, imò neque sub viuente, vt patet. Secundò, prædictus modus dicendi non probatur, quia nomen *corpus* in forma consecrationis panis ratione Pronominis *meum*, & ratione Pronominis *hoc* demonstratiui ad sensum, quæ in ipsa forma continentur, determinatur, vt significet non quodlibet corpus, sed organicum humanum & singulare Christi.

Henriq.  
Scotus.

Henriquez Quodlib. 4. quæst. 3. & Scotus in 4. dist. 11. quæst. 3. docent, nomine *corporis* in forma consecrationis panis significari corpus organicum humanum singulare Christi, quod dicunt esse compositum ex materia prima, & ex forma quadam singulari corporeitatis, educta de potentia materia, quæ est prior quàm anima rationalis, & quàm forma cadaueris, & simul cum his successiue existentibus perseverat in materia prima.

Modus etiam iste dicendi multò minùs placet, tum quia est contra Aristotelem vbi supra; quia si facies & caro essent ab eadem forma in cadauere, à qua sunt in homine viuo, non æquiuocè sed vniuoè essent facies & caro hominis viui & hominis mortui: tum etiam, quia superflue & absque fundamento præter animam rationalem in homine viuo, & præter formam cadaueris in homine mortuo, ponitur forma alia substantialis, quia anima rationalis, & forma cadaueris, & quæcumque alia forma substantialis, ita est forma naturalis, vt non tantum tribuat esse substantiæ, sed etiam omnem rationem intermediam vsque ad indiuiduam & singularem inclusiue, quia anima rationalis non tantum tribuit esse substantiæ, sed etiã esse corporis: quia non tribuit esse substantiæ spiritualis, vt

patet, & etiã tribuit esse viuents, & animalis, & hominis, & huius hominis; ac proinde ab ipsa prouenit esse organici, quia istud esse non distinguitur ab esse viuents, quod eo ipso habet varia organa apta, vt in ipsis possint, medijs potentijs in illis residentibus, opera vitæ exerceri, vt significat Aristoteles 2. de Anima cap. 1. & ita cadauer, quamuis habeat partes heterogeneas similes partibus animalis viuents, non tamen est organicum nisi æquiuocè, quia non est viuens, habens organa apta, vt in eis possint opera vitæ exerceri medijs potentijs in illis residentibus.

Vasquez ergo disp. 186. cap. 3. Suarez disp. 51. sect. 4. & Henriquez lib. 8. cap. 28. docent, & meritò, nomine *corporis*, adiunctis Pronomine *meum* & Pronomine *hoc*, in forma consecrationis panis, significari corpus organicum humanum Christi, non commune vniuoè, vt diximus, sed singulare, vt Pronomine *meum* & Pronomine *hoc* demonstratiuo ad sensum significatur, & non compositum ex materia prima, & ex forma illa corporeitatis, sed compositum ex materia prima, & ex forma substantiali hominis, aut cadaueris hominis: quia compositum hoc, est corpus organicum humanum, habens carnem, ossa, neruos, faciem, brachia, & crura (quale in homine Christo nunc reperitur, & in eius cadauere reperiebatur) & communi acceptione dicitur humanum, & per synchdochon dicitur caro. Nominem ergo corporis, quo corpus organicum humanum singulare significatur, non tantum viuum, sed etiam mortuum significatur, vt vidimus; sed non vniuoè sub vna ratione communi viuo & mortuo, vt etiam vidimus, sed æquiuocè, vtrumque immediatè & in se ipsis, sicut canis latrabilis, sidus caeleste, & piscis marinus, nomine *canis* immediatè & in se ipsis significatur.

Vasquez.  
Suarez.  
Henriq.

Ex vi ergo verborum consecrationis panis, & per se, sub speciebus panis constituitur & est corpus organicum humanum singulare Christi, quia tale est quod verbis ipsis significatur, & non constituitur viuum & mortuum copulatum, quia nequit simul viuum & mortuum constitui, sed viuum aut mortuum disiunctum, & non aliter; quia ad veritatè consecrationis nihil amplius requiritur, quàm quòd sub speciebus panis constituatur corpus Christi humanum & singulare, aut viuum aut mortuum, non determinatè viuum neque determinatè mortuum, quia verba non magis significant illud viuum quàm mortuum, nec e contra, sed constituitur viuum aut mortuum sub disiunctione. Vnde quòd sub speciebus constituatur determinatè viuum aut determinatè mortuum (vt verè constituitur, quia actio per quam constituitur, vtpote omnino singularis & determinata, tendit ad aliquid omnino singulare & determinatum, & determinatè) id tamen non fit ex vi verborum & per se, sed per concomitantiam & per accidens, quia scilicet de facto & re ipsa sit determinatè viuum, aut sit determinatè mortuum, quãdo fit consecratio, quia de facto non aliter constituitur sub speciebus, quàm re ipsa est in se; quia repugnat aliter constitui quàm re ipsa fuerit, aut saltem nequit aliter constitui absque nouo miraculo, & non necessario, vt Christus det nobis carnem suam ad manducandum. Ex quo constat, animam rationalem Christi constitui sub speciebus per concomitantiam (sicut corpus determinatè viuum) vt dicitur in Tridentino sess. 13. cap. 3.



## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum quantitas, & reliqua accidentia Corporis & Sanguinis Christi sint in Eucharistia.*

*Durandus. Maior.* Durandus in 4. dist. 10. q. 2. & Maior q. 2. docent, in Eucharistia non esse quantitatem quam Christus habet in celo (& idem est de reliquis accidentibus materialibus, quæ à quantitate depèdent) quia effectus formalis primarius quantitatis est, reddere subiectum, in quo est, extensum circumscriptiuè, & commensuratiuè in ordine ad locum: sed Christus in Eucharistia non est sic extensus, quia existit totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci; ergo in Christo, prout existente in Eucharistia, non est quantitas, quia forma nequit esse in subiecto, nisi ei tribuat suum effectum formalem primarium.

*S. Thomas.* S. Thomas verò q. 76. art. 4. & reliqui Theologi docent, in Eucharistia esse quantitatem Christi, & reliqua accidentia, quæ non pendent à loco determinato, nec ab extensione locali; & meritò: quia ex vna parte quantitas est realiter connexa & coniuncta cum substantia, quamuis ab ea realiter distinguatur; & ex altera non pendet à loco determinato, nec ab extensione locali: ergo in Eucharistia, in qua est substantia Corporis & Sanguinis Christi quam habet in celo, etiam est quantitas quam in celo habet. Et ob eandem rationem etiam sunt alia accidentia, quæ non dependent à loco determinato, nec ab extensione locali: quia absque fundamento admitteretur substantia Corporis & Sanguinis Christi, prout est in Eucharistia, esse separata à quantitate, & ab alijs accidentibus absolutis, à loco determinato, & ab extensione locali. Et quidem Tridentinum sess. 13. cap. 3. non aliunde, nisi ex sola naturali connexionem & coniunctionem aliquorum non pendentium à loco determinato, nec ab extensione locali, cum substantia Corporis & Sanguinis Christi deduxit illa esse etiam in Eucharistia.

*Trident.*

Theologi tamen in quantitate distinguunt duo, nempe essentiam ipsius, quam dicunt esse extensionem partium secundum se absque fundamento proximo, ut commensuretur loco diuisibili, & ut ab eo circumscribatur: & etiam proprietatem, quam tamquam fundamento proximo extensio ipsa partium secundum se fit proximè apta, ut loco diuisibili corresponsdeat, commensuretur, & æquetur, & qua quantitas ipsa fit impenetrabilis naturaliter cum altera quantitate in eodem loco. Hæc autem proprietates est potius modus quantitatis ipsam modificans, quam res ab ipsa quantitate realiter distincta. Theologi ergo in Corpore & Sanguine Christi, prout in Eucharistia existentibus, admittunt essentiam quantitatis, & non proprietatem ipsius. Ex quo constat ad rationem aduersariorum, quantitatem secundum suam essentiam tribuere suum effectum formalem primarium Corpori & Sanguini Christi, prout existentibus in Eucharistia, faciendo illa extensa secundum se, & non faciendo illa proximè apta ut commensurentur, & æquantur loco diuisibili, quia hoc est effectus solius proprietatis quantitatis consistentis in dicto modo, quo quantitas Christi, prout in Eucharistia, caret.

Addimus, non solum quantitatem fieri proximè aptam ut æquetur loco diuisibili, & impenetrabilem ratione dictæ proprietatis, sed etiam substantiam Corporis & Sanguinis Christi (& idem est de quacumque alia substantia & accidenti materialibus) fieri proximè aptam ut commensuretur, & corresponsdeat loco diuisibili ratione quantitatis, ut modificatæ, & etiam quod sit impenetrabilis naturaliter cum altera substantia habente quantitatem modificatam dicto modo, & non ratione sui. Non negamus, tam substantiam materiale, quam alia accidentia materialia, habere extensionem entitatiuam, seu distinctionem partium integralium entitatiuarum ratione sui; sed tantum negamus, habere extensionem quantitatiuam & localem: ac proinde, quamuis in substantia & in accidentibus materialibus sit longitudo, latitudo, & profunditas entitatiua, in substantia substantialis, & in accidentibus accidentalis; nulla tamen ratione sui est quantitatiua, neque localis, id est ratione sui non est apta proximè ut commensuretur loco, nisi ratione longitudinis, latitudinis & profunditatis quantitatiuæ, ut modificatæ illo suo modo, sicut quantitas ipsa eo suo modo.

Valeat ergo modus dicendi Durandi & Maioris, qui absque efficaci fundamento est contra torrentem Theologorum, ob quod solet à nonnullis temerarius, & ab alijs erroneus notari. Vtraque tamen censura rigida videtur, quia dictus modus dicendi non est graui, quamuis non satis efficaci fundamento destitutus.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum quantitas, & reliqua accidentia Corporis & Sanguinis Christi sint in Eucharistia ex vi verborum.*

Conueniunt Theologi, accidentia Christi distincta à quantitate, & non requisita ad organizationem Corporis quæ sunt in Eucharistia, esse in ea concomitanter tantum, & per accidens, quia tantum sunt in ea, quia re ipsa sunt in Christo, & non quia significantur verbo aliquo consecrationis. Est tamen difficultas, An quantitas (& idem est de reliquis accidentibus requisitis ad organizationem saltem accidentalem Corporis) sit in Eucharistia ex vi verborum.

Circa hanc difficultatem sunt, qui doceant, quantitatem Christi esse in Eucharistia ex vi verborum, & per se, vel quia existimant, ad rationem cuiuscumque corporis esse necessariam quantitatem; vel quia existimant, nomine *corporis* in verbis consecrationis intelligi materiam primam cum quantitate.

Vasquez disp. 187. cap. 4. & Ochagavia q. 20. Vasquez. docent, quantitatem in communi Corporis esse ex Ochagan. vi verborum in Eucharistia; quantitatem verò in indiuiduo esse tantum concomitanter, & per accidens; quantitatem autem Sanguinis Christi etiam esse tantum concomitanter, & per accidens. Prima autem pars huius sententiæ probari potest, quia ex vi verborum consecrationis panis ponitur Corpus Christi organicum, & heterogeneum: ad hanc autem organizationem, & partium dissimilitudinem, necessaria est quantitas. Secunda verò pars probatur, quia ex vi verborum non ponitur corpus organicum determinatè viuum, neque de-

termi-



terminatè mortuum, sed viuum vel mortuum sub  
difiunctione: in corpore autem viuo & mortuo  
non est eadem indiuidua quantitas, ergo ex vi ver-  
borum non ponitur indiuidua quantitas corporis  
vini, neque indiuidua quantitas corporis mortui,  
sed quantitas vtrique quantitati communis. Tan-  
dem probatur tertia pars, quia ad rationem Sanguinis, qui in Eucharistia ponitur ex vi verborum,  
non est requisita quantitas, quia non est organicus.

S. Thomas.  
Ægidius.  
Suarez.  
Adamus.

S. Thomas verò & Caietanus quæst. 76. art. 4.  
Ægidius artic. 2. num. 29. Suarez disp. 51. sect. 5.  
Adamus quæst. 5. dub. 2. & communiter Theologi  
docent, & meritò, quantitatem non solum Sanguinis Christi, sed etiam Corporis ipsius, & secundum omnem rationem, tam communem quam indiuiduam, esse in Eucharistia tantum per concomitantiam, & per accidens, & non ex vi verborum. Quod indicat Tridentinum sess. 13. cap. 4. dum ait, per consecrationem panis & vini fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, quibus verbis satis indicat, ex vi verborum consecrationis substantiam panis & vini conuerti tantum in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, & non in quantitatem, quia hæc est extra substantiam; id autem tantum ponitur ex vi verborum, in quod fit conuersio ex vi illorum.

Et ratione probatur, quia ex vi verborum id tantum ponitur in Eucharistia, quod ipsis significatur aut expressè aut implicite, quia includatur in eo quod expressè significatur: verbis autè consecrationis non significatur quantitas, quia verbis consecrationis Sanguinis non significatur quantitas ipsius, quia ad sanguinem humanum Christi in forma consecrationis significatum non est requisita quantitas, neque in sanguine ipso includitur, vt patet, quia sanguis non est organicus; neque verbis consecrationis Corporis significatur quantitas illius, quia non significatur expressè, vt patet, neque implicite, quia absque fundamento nomine *corporis* in forma consecrationis illius amplius intelligitur, quam compositum ex materia prima, & ex forma substantiali, aut hominis, aut cadaueris sub difiunctione, quia corpus, vt sic, est sufficienter corpus humanum, saltem æquiuocè, & est sufficienter organicum, saltem æquiuocè, vt sit & dicatur corpus hominis, seu humanum saltem æquiuocè: quia vt corpus sit humanum, absque fundamento exigitur alia organizatio, quam quæ includitur in dicto composito substantiali, siue hæc organizatio sit formalis organizatio substantialis, consistens in eo, quod partes integrantes substantiales sint substantialiter integraliter dissimiles; siue sit organizatio substantialis radicalis, in eo consistens, quod dicta substantia composita exigit organizationem formalem accidentalem ex quantitate, & ex nonnullis alijs accidentibus prouenientem, quia absque fundamento alia maior requiritur ad corpus humanum nomine *corporis* significatum ratione Pronominis *hoc* & Pronominis *meum*. Ex quo constat ad rationem Vasquez & Ochagauie: falsitas autem fundamenti Auctorum primi modi dicendi ex supra dictis constat.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum Christus sit in Eucharistia totus sub qualibet parte specierum.*

Conueniunt Catholici, sub qualibet parte panis & vini consecrati separata, seu post diuisionem ipsius panis & vini, seu specierum panis & vini sub qua manet Corpus aut Sanguis Christi, totum Christum manere, & etiam totum Corpus & totum Sanguinem ipsius: quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 13. can. 3. In cuius probationem plura adducunt Vasquez disp. 188. c. 1. & Suarez disp. 52. sect. 1. Manet autè Corpus aut Sanguis Christi sub qualibet parte separata, sub qua maneret substantia panis aut vini, & tamdiu manet sub illa, quamdiu sub illa maneret substantia panis aut vini, quia Corpus & Sanguis Christi, ad quorum positionem ponitur totus Christus, succedunt substantiæ panis & substantiæ vini loco ipsarum.

Vasquez.  
Suarez.

Est tamen difficultas, An Christus sit totus sub qualibet parte materiæ consecratae, etiam ante diuisionem ipsius materiæ, & idem est de suo Corpore & Sanguine. Circa quam Theologi contra Albertum, existimantem, Christum ante diuisionem materiæ consecratae esse totum in tota materia, & non totum, sed tantum partem sub qualibet parte materiæ, conueniunt, Christum esse totum in tota materia consecrata, & totum in qualibet parte materiæ, in qua est Corpus aut Sanguis Christi (sicut anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis) & meritò: quia Christus est in materia consecrata modo indiuisibili, & non subiecto mensuræ loci; ergo non tantum est totus in tota materia, sed etiam totus in qualibet parte in qua est. Et quidè si Christus post diuisionem materiæ consecratae est totus etiam in qualibet parte, in qua post diuisionem manet ipse Christus, etiam erat totus ante diuisionem, quia in diuisione non fit noua consecratio, vt patet.

Id verò quod addunt Alexander, Gabriel & Bonauentura, nempe etiam ante diuisionem materiæ consecratae Christum non esse in partibus proportionalibus materiæ consecratae, neque in partibus determinatis adeò paruis, vt in illis, si separarentur à toto, non posset ob ipsarum paruitatem conseruari substantia panis & vini, est falsum, vt contra dictos Doctores docent S. Thomas quæst. 76. art. 3. Vasquez cap. 3. Suarez sect. 2. & communiter Theologi: quia si Christus non est in ea parte minima, in qua separata non posset ob paruitatem conseruari substantia panis & vini, vel ergo in ea parte est pars Christi, vel nihil Christi. Si est pars Christi, ergo in ea & in alijs partibus minimis est Christus modo diuisibili, & subiecto mensuræ loci, quod est absurdum. Si verò in ea nihil est Christi, ergo nec in alia parte minima illi immediate coniuncta, nec in alia vsque ad omnes, ergo in tota materia consecrata nihil erit Christi, quod est hæreticum. Est ergo totus Christus in qualibet parte, quantumuis minima, ante diuisionem materiæ.

Alexander.  
Gabriel.  
Bonauent.

Quod autem supponunt Alexander, Gabriel & Bonauentura, nempe posse esse partem panis & vini adeò paruam, vt in ea nequeat substantia panis & vini conseruari, falsum est; quia substantia panis



panis & vini non est organica, ad cuius solius conseruationem requiritur certa quædam magnitudo, ita vt minor non sufficiat: & addimus, quod quamuis id admittatur (quod etiam admittit Vasquez disp. 171. cap. 2.) ac proinde, quod in illis partibus minimis, si separarentur à toto, seu post diuisionem, non posset conseruari substantia panis & vini, ac proinde in illis post diuisionem seu separatis à toto non maneret Christus; nihilominus erit in qualibet earum ante diuisionem & separationem, quia etiam in qualibet earum ante separationem conseruatur substantia panis & vini, cui post consecrationem succedit substantia Corporis & Sanguinis Christi sub eorum speciebus.

## DIFFICULTAS X.

*Utrum totus Christus sit sub indiuisibilibus speciebus panis & vini.*

**C** Apeolus in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 3. Scotus dist. 49. quæst. 4. art. 6. Suarez. disp. 52. sect. 2. & Nugnus quæst. 76. art. 3. partem affirmatiuam tuentur: quia Christus succedit substantiæ panis & vini sub ipsorum speciebus; sed substantia panis & vini erat sub indiuisibilibus speciebus, ergo Christus est sub illis. Et id confirmatur & declaratur exemplo Angeli; quia Christus est sub speciebus modo indiuisibili instar Angeli existentis in aliquo corpore tanquam in loco; sed Angelus ita est in corpore tanquam in loco, vt sit in toto illo corpore & in qualibet parte, & in quolibet indiuisibili illius; ergo etiam Christus est sub totis speciebus, & sub qualibet parte, & sub quolibet indiuisibili. Quod autem Angelus sit modo dicto in corpore, tanquam in loco, probatur, quia præsentia Angeli in se est continua & vnita, ergo correspondet omnibus partibus & indiuisibilibus corporis & spatii cui est præfens.

Scotus.  
Richardus.  
Vasquez.  
Ochagau.

Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 9. Richardus art. 6. quæst. 2. Vasquez disp. 188. cap. 4. & Ochagauia quæst. 21. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia substantia Corporis & Sanguinis Christi tantum succedit substantiæ panis & vini sub eorum speciebus, & non succedit alij, ergo sub eo tantum erit substantia Corporis & Sanguinis Christi, sub quo erat substantia panis & vini; sed hæc tantum erat sub partibus diuisibilibus speciebus, & non sub indiuisibilibus; ergo substantia Corporis & Sanguinis Christi, & Christus ipse non est sub indiuisibilibus earum. Quod autem substantia panis & vini tantum sit vel esset sub partibus diuisibilibus speciebus (quantitatis videlicet, & aliorum accidentium) & non sub indiuisibilibus, probatur: quia sicut partibus quantitatis tantum correspondent partes substantiæ, & non indiuisibilia, ita etiam indiuisibilibus quantitatis non correspondent partes substantiæ, sed tantum indiuisibilia; ita vt sicut partes substantiæ sunt sub partibus quantitatis, ita etiam indiuisibilia substantiæ sunt sub indiuisibilibus quantitatis: sed solum partes substantiæ sunt substantia, & indiuisibilia substantiæ non sunt substantia, sed modi illius, partes enim v. g. panis sunt panis, indiuisibilia verò panis non sunt panis; ergo substantia Corporis & Sanguinis Christi tantum est sub partibus diuisibilibus speciebus panis & vini, & non sub indiuisibilibus, sub quibus non erat substantia panis & vini.

Ex quo constat ad rationem aduersariorum, Minorem illius esse falsam. Ad confirmationem verò desumptam ab exemplo Angeli, quamuis admittamus, Angelum esse præsentem aut vnitum indiuisibilibus corporis præsentia aut modo ipsis immediatè correspondente, quod non est certum, vt ostendit Vasquez 1. parte disp. 192. nihilominus Christus non est præfens neque vnitus indiuisibilibus speciebus, non quia non possit, si Angelus possit, sed quia Christus non instituit, substantiam sui Corporis & Sanguinis succedere indiuisibilibus substantiæ panis & vini, sed tantum ipsorum substantiæ, & idè indiuisibilibus speciebus panis & vini non est præfens neque vnita, nisi tantum extrinsecè, quatenus videlicet est præfens aut vnita partibus speciebus, quæ sunt proximæ suis indiuisibilibus. Vnde similitudo Angeli & Christi, quoad modum existendi indiuisibiliter, tantum tenet quoad hoc, quod sicut Angelus ita est in corpore, vt sit totus in toto, & totus in qualibet parte; ita etiam Christus sit sub speciebus: non verò tenet quoad modum existendi sub indiuisibilibus, quia quoad hunc modum magis assimilatur modo existendi animæ rationalis in materia prima, quia anima ita est tota in tota materia, & tota in qualibet parte materiæ, vt non sit in indiuisibilibus materiæ, quia non informat illa: ac proinde præsentia aut vnio Corporis Christi sub speciebus, aut cum speciebus, non aliter est continua ex parte termini, nempe ex parte speciebus quibus est præfens aut vnitum, nisi quia facit corpus præfens aut vnitum partibus continuatis, mediis indiuisibilibus.

Obseruandū tamè est, Christum esse sub lineis & superficiebus speciebus existentibus tempore consecrationis: quia lineæ & superficies substantiæ, v. g. panis, quæ lineis & superficiebus speciebus correspondebant, sunt verè substantia panis, sicut etiam lineæ & superficies quantitatis sunt verè quantitates, vt Aristoteles docet cap. de Quantitate: quia quamuis lineæ & superficies tam substantiæ quàm quantitatis sint modi indiuisibiles secundum quid, quia lineæ est indiuisibilis secundum latitudinē, & superficies secundum profunditatem; absolutè tamen sunt res, & diuisibiles, & partes ipsarum, & continuantur suis indiuisibilibus. Est tamen discrimen, quod lineæ, & superficies, & profunditas quantitatis, sunt diuersæ species quantitatis: quia extensio quantitatis secundum se, in qua essentia quantitatis consistit, est diuersa specificè in illis tribus; lineæ verò, superficies, & profunditas substantiæ non sunt diuersæ species substantiæ, quia id in quo essentia substantiæ consistit, non est diuersum secundum speciem in illis. Vnde superficies panis poterit validè consecrari, quia est pars substantiæ, & est sensibilis; non tamen poterit licitè. Addidimus, *sub lineis & superficiebus existentibus tempore consecrationis*; quia in nouis lineis & superficiebus, quæ diuisione speciebus Sacramentalium nouiter fiunt, non est Christus, quia non erant, quando facta fuit consecratio; & nunc non consecrantur nouiter, neque consecrari possunt, quia sub eis non est substantia panis & vini (quæ sola est materia consecrationis) quia destructa fuit ex vi consecrationis, neque esse potest in illis absque eo quod sit in profunditate, in qua verè non est, quia non est nisi profunditas antiqua, in qua verè fuit destructa ex vi consecrationis.



## DIFFICULTAS XI.

*Utrum unum & idem corpus possit aliquo modo de potentia Dei absoluta esse simul in pluribus locis.*

**H**eretici, ut facilius negent, Corpus Christi, quod est in cælo, posse esse simul in Eucharistia, docent, unum & idem corpus nullo modo posse de potentia Dei absoluta esse simul in pluribus locis: Quod sentire videtur Augustinus l. 20. contra Faustum cap. 11. dum ait, Christum non potuisse simul esse in Sole, & in Luna, & in cruce: & indicari videtur Matthæi ultimo, dum de Christo dicitur, *non est hic*, surrexit enim: quia hæc particula causalis enim frigida esset, si unum & idem corpus posset esse simul in pluribus locis. Et ratione probari potest Primò ab exemplo, quia unum corpus nequit simul esse in pluribus temporibus; ergo neq; in pluribus locis. Secundo, quia omne quod est in loco, vel est in eo circumscriptiuè, vel definitiuè: quod autem circumscribitur loco, vel eo definitur, ita est in vno loco, ut non sit in alio, alioquin non circumscriberetur neq; definiretur loco.

Conueniunt tamen Catholici, unum & idem corpus posse simul esse in pluribus locis discretis Sacramentaliter, seu indiuisibili modo, imò in vno circumscriptiuè, & in alio vel in alijs Sacramentali & indiuisibili modo: quia de Fide constat, Corpus & Sanguinem Christi de facto in nocte cœnæ fuisse circumscriptiuè & naturali modo in mensa, & Sacramentaliter in diuersis particulis, quas Discipulis porrigebat; & etiam nunc esse in cælo circumscriptiuè & naturali modo, & in pluribus speciebus panis & vini consecratis modo Sacramentali & indiuisibili, quod definit Tridentinum sess. 13. cap. 1. ergo id fieri potest diuina virtute.

Et ratione probatur, quia nulla apparet repugnantia & contradictio in eo, quod Deus in eodem corpore simul producat varias præsentias, aut modos vnionis cum varijs rebus distantibus localiter, ergo id non est negandum diuinæ virtuti. Antecedens autem constabit ex solutione eorum, quibus dicta repugnantia contenditur ostendi: & declaratur, quia præsentia, aut modus vnionis corporis cum alia re extra ipsum, respicit eam rem extrinsecam, seu extrinsecum illud cui fit præsens aut vnium; ergo ex hac parte non repugnat, multiplicari, extrinsecò illo multiplicato: & aliàs dicta præsentia aut modus vnionis est quid superadditum substantiæ corporis, & extra ipsam; ergo neque ex hac parte repugnat, multiplicari, quamuis non multiplicetur corpus.

Ad testimonium autem Augustini respondemus, eum, dum ait, Christum non potuisse esse simul in Sole, & in Luna, & in cruce, loqui naturaliter, quia loquitur contra Manichæos, dicentes Christum fuisse phantasma absq; carne, & etiam fuisse crucifixum, & per Solem & per Lunam distantem: quia contra eos vitur eo dilemmate, Si Christus est spiritus, non potuit pati; si corporeus, non potuit esse simul in Sole, & in Luna, & in cruce. Ergo sicut, quando ait, spiritum non posse pati, loquitur naturaliter, quia ex sententia ipsius lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 10. spiritus diuina virtute pati potest: ita etiam loquitur naturaliter, quando ait, Christum nõ potuisse esse simul in Sole, & in Lu-

na, & in cruce, & vim habet contra Manichæos, quia isti tantum loquebantur naturaliter.

Ad testimonium Matthæi respondemus, eam consequentiam causalem, *non est hic, quia surrexit*, esse optimam, & non frigidam, quamuis idem corpus possit esse simul in pluribus locis, quia sepulchrum non est nisi pro mortuis, & idèò optimè intulit, *quia surrexit*, seu ad vitam rediit, non est in sepulchro.

Ad primam rationem, ab exemplo temporum desumptam, respondemus, discrimen esse inter diuersa tempora, seu inter diuersas partes eiusdem temporis, ut in eis idem corpus nequeat esse simul, si verè nequit; & inter diuersa loca aut spatia, ut in eis possit esse simul: quia plures partes temporis, utpote essentialiter successiuæ, nequeunt esse simul; plura verò loca & spatia possunt esse, & de facto sunt simul; & idèò, si aliàs non repugnet (ut verè non repugnat) poterit idem corpus esse simul in pluribus locis & spatijs, quamuis nequeat esse simul in diuersis partibus temporis.

Ad secundam respondemus, quòd etiam si id, quod circumscribitur loco, aut eo definitur, nequeat naturaliter esse simul in alio, potest tamen diuina virtute: quia esse circumscriptiuè in loco, & esse definitiuè in eo, non est ita esse in vno loco, ut non sit in alio; sed esse circumscriptiuè in loco, est esse in illo commensuratiuè ei correspondèdo, ita ut ipsi loco coextendatur, & esse definitiuè in loco, est esse in illo absque dicta correspondentia & commensuratione.

## DIFFICULTAS XII.

*Utrum idem corpus de potentia Dei absoluta possit esse simul in pluribus locis adæquatis circumscriptiuè.*

**B**onauentura in 4. dist. 49. 2. parte dist. art. 2. Durandus dist. 10. q. 1. Paludanus quæst. 1. Vasquez disp. 189. cap. 5. & plures alij, partem negatiuam tuerunt.

Primò, quia si unum corpus posset diuina virtute in pluribus locis constitui, etiam posset constitui in toto vniuerso, & consequenter vbique, quod creaturæ repugnat, sicut & attributum diuinum immensitatis, ratione cuius Deus est vbique.

Secundò, Quia si idem corpus constitueretur simul in pluribus locis discontinuis, esset à se ipso distinctum, quia ratione distantiae esset à se ipso discretum & diuisum.

Tertiò, Quia impossibile est, idem corpus secundum eandem partem se ipsum tangere, & sibi ipsi esse contiguum, & sibi ipsi occurrere; ergo impossibile est, constitui in pluribus locis: quia si in illis posset cõstitui, posset sic constitui ut sibi ipsi esset contiguum, & se ipsum tangeret, ut pater, & quòd in vno loco constitutum, ita posset versus alterum locum moueri, ut sibi ipsi occurreret.

Quartò, Quia materia prima nequit diuina virtute habere plures formas substantiales, quia naturaliter tantum est capax vnus, & diuina virtute nequit recipere id cuius non est capax: sed unum corpus naturaliter tantum est capax vnus præsentiae circumscriptiuae, ergo diuina virtute nequit plures simul habere.

Quintò, Quia si idem corpus posset esse in pluribus locis circumscriptiuè, posset in omnibus illis

Bonauent.  
Durandus.  
Paludan.  
Vasquez



illis propria virtute naturali moueri, aut in vno quiescere, & in alio moueri: Consequens autem est impossibile, quia impossibile est, virtute naturali duas presentias adæquatas produci; ergo & Antecedens. Consequentia conditionalis probatur: quia si lapis extra centrum supra trabem simul constituitur in duobus locis, & trabes remoueat, tunc mouebitur duobus motibus deorsum simul à principio intrinseco, nempe à sua grauitate, quia extra centrum erat in statu violento: & si lapis in centro constituitur, & simul etiam extra illud supra trabem, tunc remota trabe, à principio intrinseco quiescit naturaliter, & ab eodem principio simul naturaliter mouetur deorsum.

Sextò, Quia si vnum corpus posset simul esse in duobus locis circumscriptiuè, posset non solum simul moueri motibus contrarijs, nempe sursum & deorsum, accedere ad vnum locum, & simul ab eo recedere; & in vno calefieri, & in alio simul frige fieri in gradibus intensis: sed etiam posset illi prædicata priuatiuè opposita simul cõuenire, quia posset in vno viuere, & simul in alio interfici; in vno visum habere, & in alio simul priuari visu; in vno quiescere, & in alio simul moueri; quia corpori existenti in diuersis locis posset causæ contrariæ applicari, & posset in vno applicari causæ, & non in alio.

Scotus. Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 2. Richardus quæst. 2. Gabriel quæst. vnica art. 2. Marsilius in 4. quæst. 7. artic. 3. Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 3. & 4. Suarez disp. 38. sect. 4. & Becanus c. 17. quæst. 14. partem affirmatiuam tradunt, & merito, Primò, Quia Christus sæpè post ascensionem in cælum apparuit in terris, & tamen à die Ascensionis numquam deseruit cælum; ergo simul fuit circumscriptiuè in cælo, & etiã in loco terræ in quo apparuit. Et in primis Christum post ascensionem apparuisse in terris, constat, quia Act. 9. & 22. refertur apparuisse Paulo in via, & Hegeippus lib. 3. de Excidio Ierosol. cap. 2. Ambrosius Oratione contra Maxentium, & Athanasius in Apologia pro sua fuga, referunt, Christum Paulo apparuisse in terris: & idem Athanasius in Vita Antonij refert, Christum apparuisse Antonio: & Gregorius 1. 4. Dialog. cap. 16. refert, Christum apparuisse Tarsilæ auix suæ: & Ioannes Diaconus in Vita Gregorij refert, Christum Gregorio apparuisse: & nouissimè S. P. N. Ignatio Christum apparuisse, & ipsi suam propitiationem obtulisse, in eius Vita refertur. Quòd verò Christus à die Ascensionis non deseruerit neque deserturus sit cælum vsque in diem iudicij, significatur Act. 3. illis verbis: *Quem (nempe Christum) oportet cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium.* & Act. 1. Angeli in die Ascensionis satis indicarunt, Christum non deserturum cælum quousque; ad iudicandum veniat. Et non minùs indicatur Psalm. 109. illis verbis: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* id est, vsque in finem, vt exponit Paulus 1. ad Corinth. 15. Et id supponit Tridentinum sess. 13. cap. 1. dum, postquam dixit, Christum esse presentem in Eucharistia, subdit, non pugnare, vt *Saluator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, iuxta modum existendi naturalem, & vt in multis alijs locis Sacramentaliter adsit.*

Quòd si respondeas, Christum non apparuisse in propria persona, sed in persona alicuius Angeli

qui personam Christi gerebat; Contra responsum est, quod Paulus 1. ad Corinth. 15. in confirmationem resurrectionis Christi refert, Christum sibi apparuisse; ex eo verò quòd Christus ipsi apparuisset in persona Angeli, vel non satis confirmaret Christum resurrexisse & viuere, vel saltem non ita benè, ac ex eo quòd ipsi in propria persona apparuisset.

Id verò quòd Calvinus respondet, nempe Christum non apparuisse in terris, sed in cælo, dicitur absque fundamento, imò & contra textum; quia in eo dicitur Christum apparuisse Paulo in via, & ei astitisse, & Paulum & comites ipsius vocem Christi intra lucem, quæ in aère circumfulsit, audiuisse.

Secundò opinio nostra probatur, Quia Corpus Christi de facto est in pluribus locis, in vno, nempe in cælo, circumscriptiuè, modo scilicet quantitatiuo, & naturali cum modo extensionis in ordine ad locum; & in alijs Sacramentaliter absque eo modo extensionis: ergo diuina virtute potuit & potest esse in pluribus modo quantitatiuo, & extensionis. Consequentia patet, quia facilius est, & magis consentaneum corpori existenti in vno loco modo quantitatiuo & naturali, constitui in alio loco modo etiam naturali & quantitatiuo, quàm modo Sacramentali & indiuisibili, absque modo illo extensionis quem habet in alio loco. Et in primis id est magis consentaneum, quia modus ille extensionis est connaturalis corpori habenti quantitatem: deinde id est facilius, quia facilius est rem conseruare aut constituere in alio loco cù suo modo & proprietate naturali, quàm absque ea; quia ad conseruandam vel constituendam rem illam in alio loco absque modo & proprietate naturali, est necessarium nouum miraculum, quia nequit absque miraculo res priuari suo modo & proprietate naturali; ergo facilius est, & magis consentaneum corpori, quòd habeat plures presentias quantitatuas, & proportionatas dicto modo extensionis, & proprietati naturali ipsius corporis, quàm plures, quarum vna sit proportionata dicto modo extensionis, & altera quæ sit proportionata carentiæ illius modi.

Tertiò opinio nostra probatur, Quia nulla apparet repugnantia & contradictio in eo, quòd corpus cum suo modo naturali extensionis in ordine ad locum, constituitur in pluribus locis circumscriptiuè, ergo id non est diuinæ virtuti denegandum. Consequentia patet, Antecedens autem constat ex solutione eorum, quibus contradictio contenditur ostendi. Et declaratur Primò, quia pluralitas presentiarum non repugnat substantiæ corporeæ, habenti quantitatem absque modo extensionis, ergo non repugnat illi habenti quantitatem cum eo modo, quia modus iste est connaturalis substantiæ habenti quantitatem. Et declaratur Secundò, quia ex vna parte presentia quantitativa respicit extrinsecum, nempe locum; & ex altera est quid superadditum corpori, & quantitati, & modo extensionis; ergo non repugnat, quòd multiplicato loco extrinseco, multiplicentur presentia in corpore, quamuis neque corpus, neque eius quantitas, neque modus extensionis multiplicentur.

Ad primam verò rationem aduersariorum concedimus, vnum corpus posse constitui simul in toto vniuerso seu vbique (quamuis non eadem presentia, ita vt habeat totum vniuersum pro loco quasi adæquato, sed varijs presentijs, & varijs vbi, alias

Hegeipp.

Ambros.

Ioan. Diac.



aliàs minus corpus adæquaretur maiori, quod est impossibile, quia relatio æqualitatis nequit variari, quamdiu in extremis manet eadem extensio) id tamen non repugnat creaturæ, ob rationem dictam; neque id est proprium Dei, quamuis immenitas, ratione cuius Deus est vbique, sit propria Dei, & distincta à forma, vel à formis quibus creatura est vbique; quia formæ istæ sunt accidentia realia participata, vel quædam extrinsecæ denominationes: sicut neque creaturæ repugnat esse ab æterno, & durare in æternum, duratione quadam seu æternitate participata, & distincta ab æternitate diuina.

Ad secundam negamus, ex eo quòd vnum corpus constituatur in duobus locis discontinuis adæquatis, inferri, quòd distinguitur & diuidatur à se ipso: sicut neque ex eo quòd duo corpora penetrantur, & sint in eodem loco, inferitur, fieri vnum. Ratio vtriusque est, quia vnitas & pluralitas subiecti non sumitur ex vnitate & pluralitate accidentis, ac proinde nec vnitas & pluralitas corporis ex vnitate præsentis, quæ est accidentalis, & superaddita corpori, & extra entitatem ipsius, sed vnitas subiecti sumitur ex indiuisione, & pluralitas illius ex diuisione entitatis ipsi subiecto intrinsecæ.

Ad tertiam concedimus, impossibile esse, idem corpus se ipsum verè tangere, & sibi ipsi esse verè contiguum, & sibi ipsi occurrere secundum eandem partem; negamus tamen, id sequi ex eo, quòd idem corpus constituatur simul in pluribus locis circumscriptiue adæquatis, sed ad summum sequitur, quòd id possit fieri secundum diuersas partes, non verò secundum eandem, nisi apparenter ex eo quòd constituatur in pluribus locis contiguis.

Ad quartam negamus, repugnare, vnã materiam primam simul recipere plures formas substantiales, præsertim si nulla vel vna sola educatur de potentia illius. Et quamuis id repugnaret, non tamen, corpus simul esse in pluribus locis circumscriptiue: quia si materia prima non possit simul plures formas substantiales recipere, non esset ex eo quòd non possit illas naturaliter vel ab agente naturali recipere, quia anima rationalis nequit naturaliter & ab agente naturali gratiam habituales recipere, & tamen diuina virtute potest; sed esset ex eo, quòd in materia prima nulla esset potentia innata ad id: at in corpore, quamuis naturaliter nequeat altera præsentia produci, non extracto corpore ab antiquo loco, in ipso tamen corpore conijcitur esse potentia innata ad plures præsentias quantitatis simul (non minùs quàm in subiecto ad plura accidentia contraria in gradibus intensis) quia in corpore agnoscitur potentia innata ad plures præsentias Sacramentales simul, quæ sunt minùs proportionatæ corpori, quàm quantitatis, etiam si nequeat illas naturaliter habere.

Ad quintam respondemus, corpus extra centrum in duobus locis simul circumscriptiue constitutum, v. g. lapidem constitutum supra trabem, quamuis auferatur trabes, non posse propria virtute naturali moueri, quia non habet virtutem ad duos motus simul quibus tunc deberet moueri, quia non esset maior ratio ob quam lapis ab vno loco moueretur, quàm ab altero, sed tunc se sifteret defectu virtutis motiue: imò ex defectu huius non esset in statu violento, sed præternaturali,

quia non grauitaret, cum eius grauitas non sit sufficiens ad imprimendum impulsu ad descendendum, non quia grauitas mutaretur, sed quia non esset sufficiens ad imprimendum impulsu ad descendendum ex duobus locis, ex quibus deberet descendere medio impulsu impresso à grauitate ipsius lapidis; & non possit ex vno tantum, quia non esset maior ratio ob quam descenderet ex vno, quàm ex altero. Tunc autem in eo duplici loco conseruaretur à Deo cum illa duplici præsentia: at si Deus suspenderet concursu, quo duplicem illam præsentiam conseruaret, tunc lapis maneret existens in rerum natura absque loco, quia non possit moueri, cum eius grauitas existens extra locum, ad nullam partem determinatam inclinaret, exigeret tamen tunc à solo Deo constitui in aliquo loco, in hoc aut in illo, pro arbitrio Dei; & eadem proportione, si lapis à Deo constitueretur in centro, & extra centrum, tunc esset in centro, & extra illud, præsentis à Deo productis & conseruatis: & quamuis, si à Deo derelingeretur, non moueretur propria virtute ad centrum, in eo tamen propria virtute quiesceret, in ea scilicet parte in qua à Deo conseruabatur.

Addimus autem, quòd quando Deus corpus, quod propria virtute existit in vno loco, constitueret in alio, ex tunc corpus defineret esse in suo antiquo loco (nisi præsentia in isto antiquo etiam conseruaretur à solo Deo) quia præsentia illa noua à Deo producta & conseruata impediret, ne corpus propria virtute se sifteret in illo antiquo loco: sicut si solus Deus conseruaret corpus in loco, impediendo concursu corporis, ne ad eam præsentiam concurreret, non possit propria virtute ex eo loco exire, quia virtus propria corporis ultra præsentiam sibi sufficientem, quam inuenit iam productam, nequit producere aliam; sicut aqua non concurreret ad producendam in se ipsa humiditatem aliquam, si sibi sufficientem inueniret à Deo productam.

## DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum corpus existens simul in pluribus locis, habeat necessario easdem formas, & eadem prædicata ex eis prouenientia, in omnibus illis.*

**C**onueniunt Doctores, eam præsentiam localem (quæ dicitur Vbi) quam corpus in pluribus locis existens, habet in vno loco, non esse in alio, sed in quolibet loco habere distinctam, quia præsentia localis ita immobiliter respicit spatium cui adest, vt extra ipsum spatium nequeat persenerare eadem, ac proinde ex formis, quæ intrinsecè respiciunt præsentiam localem determinatam, vt ex motu & quiete, vnã, quam corpus existens in pluribus locis habet in vno loco, posse non habere in alio; & si habet aliquam, talem esse verè distinctam ab ea quam habet in alio: & ita corpus existens in pluribus locis, posse in vno loco moueri sursum & in alio deorsum; & in vno loco stare, & in alio sedere; & posse in vno moueri, & in alio non moueri: & hoc posterius, non quia corpori existenti in alio loco deficeret absolutè motus, quia verè non deficit, sed quia in alio loco deficit præsentia motus: ex eo enim, quòd corpus in



vno loco existens habeat aliquam formam, & existens in alio non habeat illam in eo alio, non sequitur contradictio, quia ad hanc requiritur affirmatio & negatio eiusdem de eodem: hoc autem quod sit eiusdem de eodem, requiritur quod forma, aut predicatum, respiciens intrinsecè præsentiam determinatam, affirmetur & negetur de subiecto, non solum respectu eiusdem temporis, vt generaliter ad contradictionem requiritur in omnibus predicatis; sed etiam de subiecto respectu eiusdem loci, quia hunc & præsentiam in ipso respicit intrinsecè, quod in casu dicto non contingit. Vnde quamuis de corpore illo absolutè verè dicamus moueri, non tamen possumus absolutè verè dicere non moueri, quia eo denotatur in nullo loco moueri, sed tantum possumus affirmare, non moueri in illo alio loco.

Est tamen difficultas de formis absolutis à loco determinato, & cum non respicientibus intrinsecè, vt de albedine & nigredine, de visu & de cæcitate, de vita & de morte, & de alijs huiusmodi, an scilicet necessariò conueniant corpori & subiecto, seu illud comitentur in omnibus locis, in quibus fuerit simul existens. Scotus in 4. dist. 10. q. 2. & 4. Marfiliius q. 7. & 8. ar. 3. Vasquez disp. 189. c. 4. & Rub. 4. Phyl. quæst. 8. docent, dictas formas necessariò comitari corpus in omnibus locis in quibus simul fuerit, imò ita necessariò, vt oppositum fieri nequeat de potentia Dei absoluta: quia quæ sunt absoluta à loco determinato, conueniunt corpori aut subiecto secundum se, absque respectu ad locum, ratione solum vnionis cum ipso corpore aut subiecto: ergo vbi cumque fuerit corpus aut subiectum, etiam erunt illa ratione vnionis cum illo.

Alexander verò 4. par. quæst. 11. memb. 1. ar. 1. Gabriel in 4. dist. 10. Maior q. 4. Suarez disp. 48. sect. 5. & Conimbricenses 4. Phyl. c. 5. q. 5. ar. 2. docent, de potentia Dei absoluta fieri posse, vt dictæ formæ, quæ reperiuntur cum corpore in vno loco, non reperiuntur cū illo in alio loco, & meritò: quia nulla in eo reperitur contradictio & repugnantia, ergo fieri potest de potentia Dei absoluta. Consequentia patet, Antecedens autem, præterquam quod constabit ex solutione rationis aduersariorum, etià constat exemplo præsentia localis, quæ quamuis sit vnita corpori, non tamen est cū eo in alio loco, neque esse potest, ob rationem supra adductam; & etiam exemplo modi extensionis, in ordine ad locum, qui conuenit quantitati secundum se independentem à loco determinato, & tamen reperitur cum quantitate Christi in caelo, & non cum eadem in Eucharistia; ergo non repugnat, formas à loco determinato absolutas non comitari corpus vbi cumque fuerit. Id autem nequit aliter fieri, nisi ex eo quod Deus, conseruata præsentia propria formæ, ratione cuius est cum corpore in vno loco, impediatur aut non producat aliam præsentiam, ratione cuius deberet esse cum eodem corpore in alio loco; seu ex eo, quod Deus multiplicet præsentiam corporis, & non dictæ formæ.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, ea quæ sunt absoluta à loco determinato, conuenire corpori secundum se, absque respectu ad locum determinatum, ratione vnionis cum ipso corpore; negamus tamen consequentiam, seu, inde inferri, illa ita necessariò debere comitari corpus vbi cumque fuerit, vt id nequeat diuina virtute impedi, quia ad id non sufficit sola vnio illorum cum

subiecto, sed etià est necessaria præsentia ipsis superaddita, quam Deus impedire potest, non concurrente ad productionem illius. Vnde quamuis præsentia dictarum formarum sit impertinens, vt corpus illas absolutè habeat, quia illas sufficienter habet absolutè ratione vnionis illarum cum ipso; non tamen est impertinens vt illas habeat in hoc aut in illo loco, quia ad hoc non tantum est necessaria præsentia subiecti in eo loco, sed etiam illarum formarum in eodem loco. Fatemur, dictas formas ratione vnionis cum subiecto, naturaliter acquirere præsentiam in omnibus locis in quibus sit subiectum, siue producat à Deo ad exigentiam dictæ vnionis, siue ab vniente illas formas, siue ab ipsis formis vnitis, de quo dicemus Disputatione VI. Difficultate VI.

Ex dictis deducimus, diuina virtute fieri posse, vt forma, v. g. anima rationalis, informet materiam primam in vno loco existentem, & non informet illam simul existentem in alio, quia forma potest carere præsentia in hoc alio loco; aut, quod idem est, fieri posse, quod materia prima in vno loco existens habeat animam rationalem in eo loco, & quod non habeat illam in alio. Tunc autem, quamuis esset verum, *Petrus*, verbi gratia, *est viuens*, non tamen esset verum absolutè, *Petrus non est viuens*, quia sensus huius est, *Petrus nullo modo est viuens*, quod est falsum; esset tamen verum, *Petrus in alio loco non est viuens*, quia in eo alio loco non est anima, à qua in eo sit viuens: & si anima Petri nullam habeat præsentiam (quod non repugnat) tunc quamuis esset verum, quod Petrus non est viuens in aliquo loco, esset tamen absolutè verum, quod Petrus est viuens, quia in rerum natura anima rationalis Petri est vnita materia primæ. Et eodem modo fieri potest, vt anima rationalis in vno loco existens, habeat gratiam habituales; & in alio simul existens, non habeat illam in illo alio, si gratia careat præsentia in hoc alio loco: in hoc tamè loco existens non erit in peccato mortali, quamuis in eo loco non sit præsens gratia habitualis, quia peccatum mortale secundum se expellitur ab anima, & definit esse in illa secundum se, per gratiam secundum se, ratione vnionis gratia ad animam independentem à loco, & à præsentia gratia & animæ. Quod autem non reperitur in subiecto aliquo secundum se, in eo nullibi seu in nullo loco reperitur. Et ob eandem rationem, si homo in vno loco existens interficiatur ab agenti naturali, erit interfectus in omni loco, quia agens naturale non interficit destruendo solam præsentiam animæ, sed destruendo vnionem animæ cum materia primæ; quæ si in vno loco destruitur, manet in omni loco destructa. Deus autè posset interficere hominem prout in vno loco, non interficiendo illum absolutè, destruendo videlicet præsentiam animæ in eo loco, & non destruendo vnionem animæ cum materia prima.

Ex dictis ergo ad sextam rationem aduersariorum Difficultate præcedenti, ab inconuenientibus desumpta, constat, corpus in pluribus locis simul existens, posse in vno moueri sursum, & in alio simul deorsum; & ad vnum locum accedere, & simul ab eo recedere (non recessu sumpto pro desertione loci, sed pro motu ab eo loco ad nouum locum;) & posse in vno moueri, & in alio non moueri: quia isti motus & istæ formæ conueniunt corpori per respectum ad locum determinatum, ac proinde possunt



possunt variari in varijs locis: non verò posse magis calefieri & frigeferi, quam si esset in vno tantum loco, quia calor & frigus conueniunt corpori secundum se independentem à loco: ac proinde non posse, quamuis existat in varijs locis, calefieri & frigeferi simul in gradibus intensis, quia quartus gradus, v. g. caloris, secundum se nequit esse in eodem corpore cum quinto frigiditatis, quia secundum se independentem à loco sunt impossibiles in eodem subiecto secundum se. Constat quoque, corpus posse in vno loco esse viuens, & in alio esse mortuum, seu non viuens, & carens vita; & in vno loco habens visum, & in alio non habens visum, seu carens visu, carentiam non sumptam pro separatione animæ & visus à subiecto, sed sumptam pro absentia seu carentia præsentia animæ & visus; id est, non quia materia deficiat anima, & subiecto deficiat visus, quia reuera illis non deficiunt; sed quia animæ & visui deficiat præsentia in eo alio loco: quia quamuis, vt subiectum dicatur absolutè habere formam aliquam, non sit necessaria præsentia subiecti, neque formæ, neque vnionis inter ea, sed sufficiat vnio formæ secundum se, cum subiecto secundum se; nihilominus, vt subiectum dicatur habere formam in hoc aut in illo loco, non sufficit dicta vnio, sed ultra eam etiam requiritur præsentia subiecti, & formæ, & vnionis inter ea in eo loco, quia præsentia cuiuslibet ex tribus dictis deficiente in eo loco, non dicitur forma haberi à subiecto in eo loco, etiam si absolutè dicatur ab eo haberi; ac proinde ex prædictis nulla sequitur contradictio, quia quamuis in eis affirmatio attribuitur absolutè subiecto, negatio tamen non attribuitur eidem absolutè, sed respectiue ad locum, seu præexistenti in loco.

## DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum Christus sit in Eucharistia tamquam in loco.*

Trident.

Conueniunt Primò Theologi, Christum verè & realiter & substantialiter esse in Eucharistia, vt definit Tridentinum sess. 13. cap. 1. & esse in ea non diuisibiliter & modo quantitatio, sed indiuisibiliter & modo spiritali, vt diximus Difficultate IX.

Secundò communiter conueniunt, in Christo esse aliquid intrinsecum, ratione cuius sit præsens in Eucharistia, quia in ea est realiter & substantialiter præsens (vt Tridentinum definit) quo denotatur esse præsentem modo aliquo intrinsecum.

Tertiò communiter conueniunt, hoc intrinsecum, ratione cuius Christus est præsens in Eucharistia, esse ex natura rei distinctum ab ipso Christo, quia Christus potest esse, & de facto fuit in rerum natura absque dicta præsentia in Eucharistia.

Est tamen difficultas, quid sit intrinsecum istud, ratione cuius Christus est præsens in Eucharistia, an scilicet sit præsentia localis, pertinens ad prædicamentum Vbi, habens rationem seu respectum immobilitatis, & distantia, & propinquitatis in ordine ad puncta per imaginationem fixa, an verò tantum sit modus aliquis vnionis seu coniunctionis cum speciebus Sacramentalibus, habentibus

præsentiam localem, pertinentem ad prædicamentum Vbi.

Vasquez disp. 190. cap. 3. & Ochagavia q. 23. Vasquez, Ochagau. docent, intrinsecum istud esse modum vnionis, quo Christus vnitus est speciebus, ratione tamen illius non esse proximè & formaliter præsentem; sed remotè & radicaliter; quia ex eo, quòd Christus vnitus est speciebus, est & dicitur præsens extrinsecè in loco specierum à præsentia specierum cum quibus est vnitus, extrinseca videlicet denominatione præsentia proueniente à præsentia specierum: quia generale existimant, nullam rem, nisi quantitatem modo extensionis affectam, habere præsentiam propriam & intrinsecam ad prædicamentum Vbi pertinentem, quia nulli rei, nisi quantitati dicto modo affectæ, possit ratione sui conuenire respectus distantia & propinquitatis, qui est proprius præsentia localis, quia quælibet alia res caret extremis, ratione quorum possit quoad distantiam & propinquitatem mensurari, Christus autem in Eucharistia caret modo extensionis in ordine ad locum.

Scotus verò in 4. d. 11. quæst. 1. & 2. & Suarez Scotus, Suarez, Becanus. disp. 47. sect. 2. Becanus cap. 17. quæst. 12. docent, illud intrinsecum, ratione cuius Christus in Eucharistia est præsens in loco specierum, esse præsentiam localem propriam & intrinsecam Christi, pertinentem ad prædicamentum Vbi, & merito: quia generaliter quælibet res creata, quamuis nulli alij vnita, verè & ratione sui potest esse propinqua, & distans à punctis imaginatione fixis, non minùs quàm quantitas modo extensionis affecta, quia oppositum nullo sufficiente fundamento probatur; ergo Christus, & quælibet alia res, non minùs quàm quantitas modo extensionis affecta, potest esse præsens præsentia locali intrinseca ad prædicamentum Vbi pertinente. Et confirmatur, quia quælibet res creata coexistit tempori primi mobilis, aut tempori imaginario per aliquid sibi intrinsecum, quòd est duratio ipsius rei; ergo etiam coexistit spatio loci per aliquid sibi proprium & intrinsecum; ergo Christus est præsens in loco specierum modo aliquo sibi intrinseco. Quòd autem hoc intrinsecum ad prædicamentum Vbi pertineat, ex eo constat, quòd Christus ratione illius est in distantia & in propinquitate ad puncta per imaginationem fixa, in qua sunt species Sacramentales, ergo illud pertinet ad prædicamentum Vbi, sicut id, ratione cuius species sunt in eadem distantia & propinquitate, pertinet ad illud.

Ita tamen Christus in Eucharistia ratione dictæ præsentia intrinseca est præsens in loco specierum, vt non sit in illo circumscriptiue, & modo quantitatio & diuisibili, quia non commensuratur & correspondet diuisibiliter loco specierum ex defectu modi extensionis, quo in Eucharistia caret. Et quamuis non sit in loco specierum tamquam in loco definitiue rigoroso, quia non est in vno tantum & determinato loco, est tamen in loco specierum quasi definitiue; quia quodlibet Vbi ex pluribus, quibus localiter est præsens in locis specierum, constituit Christum in loco definito & determinato, & accommodato ipsi Christo, prout vnito speciebus. Habet autem pro loco ipsum locum specierum, quia quasi continetur & ambitur ab ipso, & illum replet absque diuisibili correspondentia: & non habet pro loco species ipsas, sicut neque species



ipsum Christum, quia neque Christus replet & ambit species, neque repletur & ambitur ab ipsis; sed sibi inuicem coexistunt, sicut substantia ipsa panis, & ipsa accidentia seu species. Christus ergo non est in Eucharistia, id est in speciebus Sacramentalibus, tamquam locatum in loco, sed est in illis per modum substantiæ ab ipsis occultatæ, & non ambitus & circumdatus ab illis: unde Christus continetur sub speciebus, sumpto *contineri* pro *occultari*; & non continetur ab illis, sumpto *contineri* pro *ambiri*.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, Antecedens esse falsum: & ad probationem negamus, alijs rebus à quantitate modo extensionis affecta, non conuenire ratione sui distantiam & propinquitatem, & non posse mensurari quoad distantiam & propinquitatem, quia absque fundamento dicitur ad id esse necessarium, quod habeat extrema, & modum extensionis.

Hæc autem præsentia propria & intrinseca, qua Christus in Eucharistia (& idem est de suis accidentibus) est præsens localiter, est verè diuisibilis, non tantum ex parte subiecti, quia habet diuersas partes in diuersis partibus subiecti, sicut reliqua accidentia materialia Christi; sed etiam est diuisibilis ex parte spatij & loci, non solum quia Christus sit præsens diuersis partibus spatij & loci, sed etiam quia diuersis entitatibus ipsius præsentia, quamuis in eadem parte Christi existentibus, sit præsens diuersis partibus spatij & loci; quia possit fieri præsens vni parti, & non alijs, absque variatione totius præsentia, sola variatione entitatis, ratione cuius debet esse præsens illis alijs partibus spatij & loci, ad eum modum quo vnus habitus scientiæ diuersis entitatibus respicit diuersas conclusiones.

## DIFFICULTAS XV.

*Vtrum Christus habeat vniionem cum speciebus Sacramentalibus.*

Scotus.  
Gabriel.  
Maior.  
Ægidius.

Scotus in 4. d. 11. quæst. 1. & 2. Gabriel q. 3. Maior quæst. 4. & Ægidius q. 75. art. 4. dub. 2. docent, nullam esse vniionem inter Christum & inter species Sacramentales, sed tantum præsentiam Christi ad species ex pacto Dei inseparabilem, seu numquam defecturam, quia præsentia hæc inseparabilis sufficit ad saluanda omnia quæ Fides docet circa mysterium Eucharistiæ; ergo absque necessitate admittitur vniio aliqua præter eam præsentiam.

S. Thomas.  
Bellarmin.  
Vasquez.

S. Thomas verò in 4. dist. 11. q. 1. ar. 1. quæst. 1. Bellarminus lib. 3. de Eucharistia, cap. 8. Vasquez disp. 190. & communiter Theologi, docent, inter Christum & inter species Sacramentales esse vniionem realem, seu physicam, & meritò: quia absque ea nequit saluari communis modus loquendi fidelium circa mysterium Eucharistiæ, delumptus ex Scriptura & ex Patribus; quia Christus ipse, quando in cæna seipsum sub speciebus præbuit Discipulis ad manducandum, dicitur se ipsum in manibus habuisse, & gestasse; & Sacerdos deferens & eleuans species, & eas deglutiens, dicitur etiam deferre Christum, & eum eleuare & deglutire; quibus manifestè significatur, Christum moueri localiter à Sacerdote, & à se ipso motum fuisse in cæna ad motum specierum. Sed si inter Christum,

& inter species non esset aliqua vera vniio, sed tantum præsentia ex pacto Dei inseparabilis, non diceretur in rigore Christus à se ipso & à Sacerdote moueri ad motum specierum, sed potius à solo Deo ad motum specierum à Christo & à Sacerdote factum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

## DIFFICULTAS XVI.

*Qualis sit vniio Christi cum speciebus.*

Svarez disp. 47. sect. 3. docet, vniionem inter Christum & inter species non esse formalem, sed effectiuam & mutuam, qua Christus efficienter conseruat species separatas à subiecto, & eas quasi trahit ad se, & qua econtrà species conseruant præsentiam Christi sub illis, & ad se quasi trahunt illum. Hic tamen modus dicendi nobis non probatur: Primò, quia dicta vniio effectiua est illis impossibilis; quia si dicta efficientia illis conueniret, maximè vt instrumentis Dei; Christus autem & species nequeunt à Deo assumi vt instrumenta ad dictos effectus, quia ad eos nulla in illis agnoscitur virtus innata, quia huius nullum adest in illis indicium; nec vestigium, quia nulla in illis apparet proportio, nec preparatio accommodata ad eos effectus, & Deus pro sola sua voluntate nequit assumere rem aliquam vt instrumentum physicum, nisi ad eum effectum ad quem habet aliquam virtutem innatam, vt diximus Tractatu de Incarnatione Disputatione ix. Difficultate 14. Secundò, quia quamuis dicta vniio esset illis possibilis, tamen absque fundamento admittitur esse de facto. Tertio, quia dicta vniio effectiua non est talis qualis insinuat à Tridentino sess. 13. c. 1. dum ait, modum existendi Christi sub accidentibus esse ineffabilem; quia dicta vniio effectiua non est adeò difficilis intellectu & explicatu. Quarto, quia hæc vniio effectiua inter Christum & species non sufficeret, vt mouens species diceretur mouere Christum ad motum illarum, quia ad earum motum non moueretur Christus necessariò, sed omnino liberè ex voluntate Dei, absque exigentia aliqua specierum vt motarum, liberè assumens illas vt instrumentum, quia in ipsis nulla esset virtus ex qua necessariò oriretur motio Christi: is autem qui mouet aliquid, ad cuius motum non mouetur aliud necessariò, sed omnino liberè ex voluntate alterius, adhuc Dei, non dicitur mouere illud aliud ad motum illius; bene tamen quando ex motu vnus aliud necessariò mouetur. Et ita qui mouet magnetem, dicitur etiam mouere ferrum ad motum magnetis, quia in magnete est virtus qua necessariò attrahit ferrum.

Valentia quæst. 75. punct. 3. docet, dictam vniionem esse formalem, non accidentalem, sed substantialè medio modo substantiali, quia Christus est sub speciebus realiter & substantialiter, vt dicitur in Tridentino sess. 13. can. 1. quod nequit fieri absque modo vniionis substantiali. Modus etiam iste dicendi, quatenus asserit, dictam vniionem formalem esse substantialem, nobis non probatur: Primò, quia modus iste vniionis est extra integritatem substantiæ Christi, quia eam supponit, ergo nequit esse substantialis. Secundò,



Secundò, quia est modus vnionis cum accidentibus prædicamentibus; Tridentinum verò, dum ait, Christum esse sub speciebus realiter & substantialiter, solùm contendit contra hæreticos, Christum esse in Eucharistia secundùm suam substantiam, & non tantùm tamquam in signo.

Vasquez.

Vasquez ergo disp. 190. c. 3. & 1. part. disp. 188. num. 32. docet, dictam vnionem esse formalem, vt paulò antea diximus contra primum modum dicendi, & non esse substantialem, vt etiam nunc dicebamus contra secundum modum dicendi; sed esse accidentalem, & meritò: quia vnio hæc est substantiæ Christi cum accidentibus prædicamentibus, & extra integritatem substantiæ Christi. Est autem vnio hæc substantiæ Christi immediatè tantùm cum quantitate specierum, cum alijs verò accidentibus mediatè, quatenus sunt in quantitate cum qua Christus est immediatè vnitus, quia præter vnionem immediatam & proximam cum quantitate, non est necessaria alia vnio immediata cum alijs accidentibus.

Est etiã vnio hæc, seu modus hic vnionis Christi cum quantitate specierum, non materiæ & formæ, nec vnus partis integrantis cum alia, sed est vnio quasi subiecti cum accidente; non subiecti informationis neque inhæisionis, sed adhæisionis, ratione cuius quantitas panis aut vini in Eucharistia vnitur & adhæret Christo tamquam extremo, & econtrà, absque dependentia aliqua vnus ab alio. Et modus hic vnionis, non est nisi vnus, quia vnus sufficit ad saluandum prædictum modum loquendi fidelium circa mysterium Eucharistiæ, ex Scriptura & Patribus desumptum, & tantùm se tenet ex parte Christi ei inhærens, & non ex parte quantitatis, sicut de modo inhæisionis accidentis in subiecto docent communiter Philosophi; & aprius reducit ad prædicamentum Quantitatis, quam ad aliud, quia est modus vnionis Christi cum quantitate, sicut modus inhæisionis quantitatis reducit ad prædicamentum ipsius Quantitatis. Et absque dubio modus hic vnionis est diuisibilis ex parte subiecti in quo est, nempe ex parte Christi, quia alia pars huiusmodi est in manu Christi, & alia in pede ipsius, quamuis per eum modum totus Christus indiuisibiliter ad modum rei indiuisibilis vnatur quantitati, totus videlicet toti, & totus parti; & etiam est diuisibilis ex parte quantitatis cui vnit Christum, tũ quia vnit Christum diuersis partibus diuisibilibus quantitatis, tum etiam quia Christus alia entitate modi vnitur vni parti quantitatis, & alia entitate modi vnitur alij parti quantitatis.

## DIFFICULTAS XVII.

*Vtrum modus, quo Christus est sub speciebus, sit supernaturalis secundum substantiam.*

Scotus.  
Vasquez.

Scotus in 4. distinct. 10. q. 8. Vasquez 1. part. disp. 214. & communiter Scotistæ docent, eum modum esse tantùm naturalem quoad substantiam. Fundamentum Scoti desumitur ex doctrina generali ipsius secundum quam existimat nihil creatum esse supernaturale secundum substantiam: fundamentum verò Vasquez desumitur ab exemplo modi, quo Angelus (& idem est de ani-

ma rationali) existit totus in toto corpore cui vnitur, & totus in qualibet parte, qui est ordinis naturalis quoad substantiam; ergo etiam modus, quo substantia corporea Christi existit tota sub totis speciebus, & tota sub qualibet parte earum.

Caietanus verò quæst. 75. art. 6. Valentia pun. 3. Caietanus. Valentia. Suarez. & Suarez disp. 48. sect. 1. & disp. 53. sect. 5. docent, modum, quo Christus est sub speciebus, esse supernaturalem quoad substantiam, quia modus hic non solùm secundum indiuiduum, sed etiam secundum speciem est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis.

Pro huius tamen resolutione supponendum est, in Christo sub speciebus duo reperiiri, nempe modum vnionis (quem Scotus & non pauci negant) quo Christus est vnitus speciebus secundum se, prout abstrahunt à loco, totus totis, & totus cuiilibet parti; & etiam Vbi ipsum, seu præsentiam localem propriam & intrinsecam (quam Scotus & plures alij admittunt) qua Christus est in loco specierum tamquam in loco, quasi definitiue totus in toto, & totus in qualibet parte.

Hoc ergo supposito, existimamus, dictum modum vnionis esse supernaturalem quoad substantiam, non verò dictam præsentiam. Ratio prioris partis est, quia dictus modus vnionis non solùm secundum rationem indiuidualem, sed etiam secundum specificam est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis, ergo est supernaturalis secundum suam substantiam. Est autem supernaturalis, ex eo quòd vnit Christum cum accidentibus alienis, quia hoc est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis materialis, etiam secundum rationem specificam; non verò ex eo quòd vnit Christum indiuisibiliter, nempe totum totis speciebus, & totum cuiilibet parti, quia substantia quanta absque modo extensionis exigit vniri indiuisibiliter. Ex quo constat ad fundamentum Vasquez quatenus huic priori parti aduersatur. Fundamentum verò Scoti falsam continet doctrinam, vt docet Vasquez 1. part. d. 214. & 231. Ratio posterioris partis est, quia supposito modo vnionis quo Christus est vnitus speciebus, est ipsi connaturalis, & debita præsentia, qua sit in spatio & in loco specierum, & ipsi præsens, & supposito modo vnionis, quo Christus absque modo extensionis est indiuisibiliter vnitus speciebus totus totis, & totus cuiilibet parti, est etiam ipsi connaturalis; & debita præsentia, qua indiuisibiliter sit in spatio & in loco specierum, & ipsi præsens, totus toti spatio & loco, & totus cuiilibet parti spatij, & loci. Præsentia ergo hæc, quamuis sit indiuisibilis modo dicto, est tamen naturalis, quia est iuxta exigentiam Christi, prout est absque modo extensionis in ordine ad locum. Ex quo constat ad rationem pro Caietano, Valentia, & Suarez, quatenus huic posteriori parti aduersatur.

Vasquez.

## DIFFICULTAS XVIII.

*Vtrum existentia Christi in Eucharistia pendeat ab existentia naturali ipsius extra Eucharistiam.*

Circa hanc difficultatem, paruam vel nullam inuenio inter Theologos controuersiam: quia si per existentiam naturalem Christi intelligamus non præsentiam naturalem,



sed existentiam Christi in rerum natura, conueniunt Primò, modum existendi Christi sub speciebus ita pendere ab existentia substantiali ipsius, vt de potentia Dei absoluta Christus nequeat constitui, nec permanere sub speciebus, nisi sit existens in rerum natura: quia quòd secundum suam substantiam & naturam non existit in rerum natura, nequit existere aliquo modo, quia modus essentialiter supponit id cuius est modus; quod non negauit Scotus, vt ei falsò imponit Gaëtanus quæst. 62. art. 2. Non negamus, de potentia Dei absoluta potuisse de nouo produci aut reproduci dum constituitur sub speciebus, quamuis non præsupponeretur antea existens in rerum natura.

Si tamen per existentiam naturalem Christi, intelligamus præsentiam naturalem, qua naturaliter est præsens in cælo diuisibiliter; conueniunt Secundò Theologi, modum, quo Christus est sub speciebus, siue sit vnionis, siue præsentia intrinsecæ, siue vtriusque, de potentia Dei absoluta non pendere à præsentia qua naturaliter existit præsens in cælo diuisibiliter (& hoc est quod Scotus docuit in 4. dist. 10. q. 4. & 6.) quia Deus efficere potest, vt Christus tantum existat præsens in Eucharistia, & non alibi, quia in hoc nulla apparet repugnantia, quia potuit Deus à principio producere Christum in rerum natura, & eum speciebus Sacramentalibus vnire, impedita omni præsentia Christi diuisibili & indiuisibili extra Eucharistiam. Et etiã postquam produxit Christum cum præsentia diuisibili extra Eucharistiam, & eum vnuit speciebus, & fecit ipsum indiuisibiliter præsentem in loco earum, potuit, hac vnione & hac præsentia in Eucharistia retentis, destruere quamcumque aliam præsentiam Christi, tam diuisibilem quàm indiuisibilem. Imò, sola vnione illa retenta, etiam potuit destruere præsentiam Christi in ipsa Eucharistia. Ergo Christus de potentia Dei absoluta potest existere in Eucharistia independenter à præsentia, etiam naturali ipsius extra Eucharistiam, imò absque præsentia ipsius in ipsa Eucharistia, cum possit esse vnitus speciebus, & non esse præsens ipsi de potentia Dei absoluta.

Conueniunt communiter Tertio, quòd Christus de attenda factò, institutione ipsius, non constitueretur de nouo in Eucharistia, si non præsupponeretur existens in rerum natura; vt si præsupponeretur à Deo ita destructus, vt non maneret in rerum natura, neque viuus neque cadauer: & quòd non perseveraret in Eucharistia, si, postquam est in ea, destrueretur omni modo dicto, existens extra Eucharistiam. Et meritò: quia Christus non ponitur de nouo in Eucharistia actione de nouo productiua, neque conseruatiua ipsius, neque perseverat in Eucharistia actione conseruatiua ipsius; sed ponitur de nouo actione productiua modi vnionis ipsius cum speciebus, aut productione præsentia localis, qua collocatur in loco specierum; aut productione vtriusque: & perseverat in Eucharistia conseruatione dicti modi vnionis, aut conseruatione dictæ præsentia; aut conseruatione vtriusque, quæ sunt actiones superadditæ actioni, qua Christus fuit productus, & conseruatur in rerum natura. Ergo si Christus non præsupponatur existens in rerum natura ante consecrationem, ex vi consecrationis non constitueretur de nouo in Eucharistia, & si aliàs ita destruat, vt in rerum natura neque viuus, neque cadauer maneat, non perseverabit in Eucharistia.

Addimus contra Vasquez disp. 192. cap. 1. quòd si Christus secundum suam substantiam perseveret in rerum natura, quamuis nullibi præsens, dum sit existens in rerum natura, nihilominus de factò, attenda institutione ipsius, constitueretur de nouo in Eucharistia ex vi consecrationis, & in Eucharistia manebit præsens, quauis alia præsentia destructa: quia absque fundamento dicitur, institutionem aliter fuisse à Christo factam, & Christum in rerum natura existentem, quamuis absq; omni præsentia, non constituendum ex vi consecrationis sub speciebus, & sub illis non permanens, si extra eas nullibi esset præsens; quia verisimilius est, præsentiam Sacramentalem Christi in Eucharistia ex vi institutionis Christi, tantum pendere ab existentia Christi in rerum natura, & non ab alia præsentia ipsius.

## DISPUTATIO VI.

### De his quæ conueniunt Christo prout est in Eucharistia.

#### DIFFICULTAS I.

*Utrum Christus, prout existens in Eucharistia, moueatur motu locali sibi proprio & intrinseco.*



CONVENIUNT Theologi, vno aut altero excepto, Christum moueri localiter ad motum specierum sub quibus est, quia eas comitatur toto tempore, quo substantia panis & vini sub illis conseruaretur: & species non moueri ad motum Christi; ac proinde Christum, prout existentem in Eucharistia, tantum moueri per accidens.

Est tamen difficultas, An motus iste localis, quo Christus per accidens mouetur ad motum specierum, sit ipsi proprius & intrinsecus, seu in ipso receptus.

Vasquez disput. 190. cap. 4. & Ochagaui docent, Christum prout existentem in Eucharistia, non moueri motu locali sibi intrinseco, & recepto in ipso, sed tantum ad motum specierum, motu tantum in ipsis recepto tamquam forma extrinseca; quia præsentia localis, & consequenter motus localis qui ad eam acquirendam tendit, non conuenit nisi corpori extenso in ordine ad locum, Christus autem prout in Eucharistia, non est extensus in ordine ad locum.

Scotus, Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 6. Ocham q. 5. Ocham.

Gabriel



Gabriel.  
Maior.  
Suarez.  
Ægidius.  
Adamus.

Gabriel quæst. vnica art. 2. Maior quæst. 6. Suarez disp. 53. sect. 1. Ægidius quæst. 76. art. 6. dub. 1. & Adamus quæst. 5. dub. 3. docent, Christum existentem in Eucharistia, moueri localiter motu in ipso recepto, & merito: quia Christus prout existit in Eucharistia, habet propriam & intrinsecam præsentiam localem in se ipso receptam, vt diximus Disputat. ix. Difficult. xiv. Ergo quoties species, quibus est vnitus, mouentur localiter, & acquirunt nouam præsentiam, etiam Christus mouetur localiter motu sibi proprio & in se ipso recepto, & nouam præsentiam acquirit & recipit, quamuis per accidens motu deriuato ex motu specierum, in ipsis causato ab impetu ipsis immediatè impresso, ad eum modum quo anima rationalis vnita materiæ primæ, mouetur ad motum materiæ primæ.

## DIFFICULTAS II.

*A quo Christus existens in Eucharistia moueatur localiter.*

Scotus.  
Gabriel.  
Maior.

Scotus in 4. dist. 10. quæst. 6. Gabriel quæst. vnica art. 2. & Maior quæst. 6. docent, Christum prout in Eucharistia, non moueri à mouente species, sed à solo Deo. Et in primis non moueri à mouente species, probatur, quia ex vna parte, qui mouet species, non imprimat immediatè Christo impetum, vt eum immediatè moueat, quia eum non tangit immediatè; neque mouet Christum mediatè, & per accidens imprimendo impetum speciebus, & eas mouendo, quia inter Christum & inter illas non est vnio & connexio aliqua; ac proinde moueri à solo Deo, qui pro sua mera libertate post consecrationem constituit Christum vbicumque sunt species.

Caietanus.  
Ægidius.  
Suarez.  
Vasquez.

Caietanus verò quæst. 76. art. 6. Ægidius dub. 1. Suarez disp. 53. sect. 1. & Vasquez disp. 190 n. 45. docent, & merito, Christum prout existentem in Eucharistia, moueri à mouente species. Fundamentum verò huius desumitur ex communi modo loquendi fidelium, desumpto ex Scriptura & ex Patribus, secundum quem Christus prout in Eucharistia, dicitur deferri & deglutiri à Sacerdote deferente & deglutiente species: delatio autem & deglutitio verè sunt motus locales. Id autè fieri posse declaratur: quia ex vna parte, Christus est vnitus & coniunctus physicè cum speciebus vnione & connexionione formali (quamuis supernaturali) non minùs quàm anima rationalis cum materia prima; & ex altera parte, motus quo Christus localiter mouetur, & præsentia qua fit localiter præfens in loco specierum, est naturalis secundum substantiam, vt diximus Disputat. v. Difficult. xvi 1. Optimè ergo intelligitur, eum qui mouet & impellit species per se impetu illis immediatè impresso, etiam per accidens & naturali consecutione mouere Christum illis physicè alligatum, non minùs quàm qui mouet per se materiam primam, per accidens naturali consecutione motet animam rationalem.

Qui autem mouet species, nequit Christo impetum imprimere, neque ipsum per se mouere, quia Christus caret modo extensionis, ex cuius defectu nequit pati ab agente naturali, & ex cuius defectu nequit Christus sua grauitate resistere

motui per accidens deriuato ex impetu & motu specierum, causato à mouente species ipsas, quia ex illius defectu nequit in materiam externam agere.

## DIFFICULTAS III.

*Utrum Christus prout existens in Eucharistia, possit agere & pati actione & passione corporea transeunte.*

Difficultas hæc procedit de Christo, secluso dono impassibilitatis, quo nunc gaudet in Eucharistia; & seclusa concomitantia, qua accidentia absoluta à loco determinato, quæ conueniunt Christo in cælo, etiam conueniunt ipsi vbicumque sit.

Ocham ergo in 4. quæst. 5. Maior dist. 10. q. 5. Ocham. & Gabriel in Canonem Missæ lect. 45. lit. Q. do- Maior. Gabriel. cent, Christum prout existentem in Eucharistia, posse pati ab agente naturali externo corporeo, & in passum externum corporeum agere, actione & passione corporea transeunte (de facto tamen à Deo impediri, ne impediatur meritum fidei, qua credimus mysterium Eucharistiæ.) Et id quo ad actionem probabile existimat Ægidius quæst. 76. art. 6. dub. 2. Opinio hæc probari potest Primò, quia vt agens corporeum agat, & vt passum corporeum patiat, actione & passione corporea transeunte, sufficit, quòd loco coniungantur, aut quòd non distent localiter: sed Christus prout existens in Eucharistia, quamuis careat modo extensionis localis, potest tamen ita localiter coniungi agenti & passio corporeo, vt ab eo non distet localiter; ergo poterit ab agente corporeo pati, & in passum corporeum agere: Secundo, quia modus accidentarius non est necessarius agenti ad agendum, neque passio ad patiendum: sed modus extensionis, quo Christus prout existens in Eucharistia caret, est Christo accidentarius; ergo quamuis eo careat, poterit pati ab agente corporeo, & agere in passum passionem & actionem corpoream transeunte.

Ægidius.

S. Thomas verò quæst. 76. art. 7. & quæst. 71. S. Thom. art. 4. & Scotus in 4. dist. 10. quæst. 5. & 7. Vasquez Scotus. Vasquez. disp. 191. cap. 3. Suarez disp. 53. sect. 2. & communiter Theologi, docent, Christum prout in Eucharistia, non posse naturaliter agere in passum externum corporeum, neque pati ab agente externo corporeo, actione & passione corporea; & merito: quia ad agendum & patiendum actione & passione corporea transeunte, necessarius est contactus physicus agentis & passii, quæ corporea sunt, tamquam conditio necessaria; experientia enim constat, agens corporeum non agere in passum externum corporeum, nisi huic sit proximum & contiguum: sed Christus prout existens in Eucharistia, nequit tangere alterum corpus, & ei esse contiguum, neque tangi ab altero corpore; quia Corpori Christi deficit modus extensionis localis, qui ad contiguitatem requiritur; ergo Christus prout existens in Eucharistia, nequit in alterum agere, neque ab altero corpore pati, passione & actione corporea transeunte.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, negamus, ad dictam actionem sufficere propinquitatem agentis corporei ad passum corporeum, absque contactu seu contiguitate. Et ad secun-



dam concedimus, modum extētionis esse in Christo accidentarium; negamus tamen, non esse necessarium agenti & passio corporeo ad dictā actionem & passionem: quia quamvis non sit necessarius agenti tamquam principium seu virtus, neque passio tamquam dispositio, requiritur tamen tamquam conditio in actu primo, ut possit esse sufficiens applicatio agentis ad passum, quæ est conditio necessaria in actu secundo, & nequit esse absque dicto modo.

Addimus, ut optimè Vasquez num. 11. Christum prout in Eucharistia, non posse de potentia Dei absoluta agere in passum externū corporeum, neque ab agente naturali corporeo pati; quia ex vna parte, neque Christus in dictum passum, neque dictum agens in Christum potest agere sua virtute naturali; & ex altera, neque in Christo, neque in alio dicto agente agnoscitur proportio aliqua, ut eleuari possit à Deo ad id; quia Deus nequit pro sola sua voluntate quamcumque rem ad quemcumque effectum assumere ut instrumentum. Poterit tamen Christus pati passione corporea transfente, à Deo, & à quocumque alio agente, quod ad agendum non indiget contiguitate cum passio, quia dicta contiguitas tantum requiritur propter agens ut agat, & non propter passum ut recipiat.

#### DIFFICULTAS IV.

*Vtrum Christus prout existens in Eucharistia, possit actiones immanentes exercere.*

**S**upponimus, Christum prout existentem in Eucharistia, exercere posse actiones intellectus, independentes à ministerio sensuum ( ut visionem Dei, & intellectiones, seu actus scientiæ infusæ ) & actus voluntatis, quia ad eos actus intellectus sequuntur; quia modus extensionis, qui in Eucharistia deficit Christo, non est ipsi necessarius ut agat in se ipso, neque ut à se ipso patiat; quia tantum requiritur ut contingatur cum passio externo corporeo in quod sit acturus, & cum agente externo corporeo à quo sit passurus. Sed an etiam possit exercere actus intellectus dependentes à ministerio sensuum, constabit ex ijs quæ statim dicemus circa actiones sensitivas.

Hoc supposito, circa actiones sensus, tam interni quàm externi, An scilicet Christus prout existens in Eucharistia, possit eas exercere, Ocham, Maior, & Gabriel vbi supra, partem affirmatiuam tuentur: Suarez verò sect. 3. Vasquez cap. 3. Ægidius art. 7. Adamus quæst. 5. dub. 5. & communiter Theologi partem negatiuam.

Nos tamen existimamus, Christum prout in Eucharistia, non posse exercere actiones sensus exterioris, benè tamen actiones sensus interioris. Ratio prioris partis est, quia sensus exterior nequit operari, nisi quando patitur ab agente aliquo externo corporeo; nempe ab obiecto à quo recipiat species: sensus autem Christi prout in Eucharistia, nequit ab illo pati, ex defectu modi extensionis in Christo, ex cuius defectu obiectum nequit sensui exteriori Christi contigui, ut in hunc agat, & producat species. Ratio posterioris partis est, quia ex vna parte, ut sensus interior sentiat, non indiget de nouo pati ab obiecto externo corporeo; quia in absentia obiecti potest species, quas ante defectum

modi extensionis in Christo potuit acquirere & retinere, & medijs illis obiectum ipsum sentire, & percipere: & ex altera parte, absque fundamento exigitur dictus modus extensionis, ut agens agat in se ipso actione immanente; quia iste tantum requiritur, ut agens contingatur passio externo corporeo, & ipsi debite applicetur. Quòd autè actio sensus interioris recipienda sit indiuisibiliter in Christo, non obstat, ut in ipso recipi possit etiam ab agente naturali: quia modus iste est connaturalis accidenti recipiendo, & subiecto recepturo, quando subiecto deficit dictus modus extensionis, præsertim cum iste modus indiuisibiliter existendi non sit positiuus, sed quid negatiuum, carentia videlicet extensionis in ordine ad locum.

Et ob dictam rationem Christus, prout in Eucharistia, posset naturaliter moueri motu locali, proportionato præsentia connaturali corpori existenti absque modo extensionis: de factò tamen obstat, quòd Christus præsupponatur in cælo quod deserturus non est, & mobile nequeat naturaliter moueri ad nouum locum, nisi deserendo antiquum.

Ex dictis constat, Christum prout in Eucharistia, posse exercere quascumque actiones intellectus, dependentes à ministerio sensus interioris ( & consequenter, actus omnes voluntatis qui ad eas actiones sequuntur ) si aliàs in ipso sensu sint species sensibiles, ut esse possunt. Imò de factò species sensibiles, tam sensus exterioris quàm interioris, quæ sunt & acquiruntur in Christo prout in cælo etiam sunt, & acquiruntur in Christo prout in Eucharistia, iuxta ea quæ dicemus Difficul. VI. Vnde etiam prout in Eucharistia, poterit Christus exercere actiones sensus exterioris, medijs speciebus, deriuatiuè connaturali consecutione acquisitis à Christo prout in Eucharistia, ex eo quòd ab ipso acquirantur in cælo. quod non negamus in nostra Conclusionem, sed tantum quòd possit illas exercere medijs speciebus acquisitis primariò, & directè à Christo prout in Eucharistia; ita ut quamvis tantum esset in Eucharistia, & non in cælo, posset illas acquirere, & sensationes exteriores exercere, quod verè contingit circa sensationem interiorem; quia potest in Eucharistia species sensus interioris antè ab ipso diuisibiliter existente acquisitam retinere, & media ea sensationem elicere.

Addimus, ut optimè Suarez, Ægidius, & Adamus, Christum prout in Eucharistia, posse de potentia Dei absoluta actiones sensuum exteriorum exercere, & etiam interiorum, quamvis in his non sint retentæ species; quia posita specie sensibili, in illis operari possunt: species autem possunt à solo Deo sensibus exterioribus & interioribus imprimi & infundi.

#### DIFFICULTAS V.

*Vtrum Christus prout existens in Eucharistia, possit videri oculo corporeo.*

**P**rimò est difficultas, An possit naturaliter videri.

Ocham in 4. quæst. 5. art. 3. Maior dist. 10. q. 3 & Gabriel lect. 45. lit. P. docent, Christum prout in Eucharistia, posse naturaliter videri oculo corporeo ( de factò tamen à Deo impediri, ut mysterium Eucharistiæ occultetur ) quia Christus prout

Ocham.  
Maior.  
Gabriel.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Adamus.

Suarez.  
Ægidius.  
Adamus.



in Eucharistia, verè est coloratus, & præsens in loco specierum; ergo poterit species sui in oculum immittere, & consequenter poterit videri.

S. Thomas.  
Scotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Adamus.

S. Thomas verò in 4. dist. 1. art. 4. quæstione. 1. Scotus quæst. 9. Suarez disp. 53. sect. 3. Vasquez disp. 191. cap. 1. Adamus quæst. 5. dub. 5. & communiter Theologi docent, Christum prout in Eucharistia, non posse naturaliter videri, & meritò: Primò, quia Christus, aut color ipsius, absque modo extensionis existens, nequit producere speciem sui in oculo, quia ei nequit contigui. Secundò, quia Christus, aut color ipsius, nequit esse obiectum potentiae visivæ, quia potentia cogitativa, quæ nobilior est quocumque sensu externo, utpote valens confingere & percipere plura quæ sensu externo non percipiuntur, nequit confingere aliquid inextensum & indivisibile, & illud cogitare.

Quòd si ad hanc secundam rationem respondeas, idèd cogitativam non posse percipere & cogitare quod indivisibiliter existit, quia nulla ex speciebus, quibus vitur, repræsenterat rem absq; modo extensionis, & absque figura, non verò quia ipsi deficiat virtus naturalis ad id: contra hanc responsonem est, quòd cogitativa habet vim ad utendum specie, v. g. auri, absque extensione & figura auri, coniungendo sua cogitatione aurum cum extensione & figura montis, quæ per aliam speciem repræsenteratur, ergo si haberet vim cogitandi quod inextensum & indivisibile est, posset optimè uti specie auri, ad cogitandum colorem illius absque extensione & figura aliqua.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, non sufficere, Christum esse coloratum, & præsentem, ut immittat speciem sui in oculum; quia ad hoc requiritur in Christo modus extensionis, absq; quo nequit oculo contigui: & quamvis posset speciem sui immittere, non sufficeret, ut posset videri, ob defectum modi extensionis, absque quo non est obiectum sensibus proportionatum.

Secundò est difficultas, An Christus prout in Eucharistia, possit de potentia Dei absoluta videri.

Alexand.  
Scotus.  
Sorus.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Richardus.  
Paludanus.  
Capreolus.  
Suarez.

Alexander 4. par. q. 10. memb. 7. art. 3. Scotus in 4. disp. 10. quæst. 9. Sorus quæst. 1. art. 7. Vasquez c. 2. & Ægidius art. 7. partem affirmatiuam tuentur, quia in ea nulla apparet repugnantia.

Richardus verò in 4. distinct. 10. art. 5. quæst. 2. Paludanus quæst. 4. art. 1. Capreolus quæst. 4. ar. 3. ad 6. contra 1. conclus. & Suarez sect. 4. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia potentia visiva nequit sua virtute naturali ferri in obiectum absq; modo extensionis, neque in ea est virtus aliqua innata ad id, quia nullum indicium neque vestigium illius in illa apparet; ergo nequit à Deo ad id eleuari.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum ea, quæ Christus acquirit, & ipsi imprimuntur extra Eucharistiam, committentur naturaliter ipsum in Eucharistia.*

**C**onueniunt Primò Theologi, præsentiam localem, quæ Christo & cuiusque corpori imprimitur in vno loco, non imprimi ipsi in alio; quia præsentia localis ita immobiliter respicit spatium cui adest, ut extra ipsum non perseueret ea-

dem. Et idem ob eandem rationem docent de motu locali, de quiete, & sessione, & de statione, & de alijs, quæ essentialiter respiciunt præsentiam localem determinatam.

Conueniunt Secundò, formas, siue substantiales siue accidentales, quæ essentialiter non respiciunt præsentiam & locum determinatum, quæ Christo imprimuntur in vno loco, v. g. in celo, etiam imprimi ipsi in alijs locis in quibus est Sacramentaliter. Quamvis non desint, qui id negent de aliquibus formis, sed absque sufficienti fundamento.

Est tamen difficultas, An id fiat naturaliter, an supernaturaliter pro mera voluntate Dei.

Maiores in 4. dist. 10. quæst. 4. Suarez disp. 48. sect. 6. & Ægidius (quamvis obscure) quæst. 76. art. 4. dubio vnico, docent id fieri supernaturaliter pro mera voluntate Dei, & non naturaliter, quia calor v. g. qui ab agente naturali imprimitur corpori existenti Toleti, nequit ab eo agente illi imprimi Romæ, quia agens illud nequit transmittere suum effectum, v. g. calorem, vltra spheram & terminum sibi naturaliter præfixum. Et si corpus existens Toleti fiat maius per additionem substantiæ & quantitatis, ut si aqua infundatur alia pars aquæ; non sit maius necessariò & ex natura rei, existens Romæ: quia ad eam accretionem Romæ faciendam requiritur motus localis substantiæ & quantitatis additæ, quo tendat & transferatur in Curiam Romanam, qui nequit naturaliter fieri. Et corpus, quod corrumpitur in vno loco, non necessariò & ex natura rei corrumpitur in alio; quia corruptio corporis provenit vel ex diuisione continui, vel ex alteratione aliqua: quæuis autem harum fieri potest ab agente naturali in vno loco, & potest non fieri in alio. Excipit tamen Suarez actiones vitales immanentes, non pendentes ab obiecto localiter applicato, quales sunt actiones sensus interioris, & intellectus, & vtriusque appetitus, quia verisimile existimat, actiones has rei in vno loco impressas, eam in quouis alio naturaliter comitari.

Maiores.  
Suarez.  
Ægidius.

Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 2. & 6. Gabriel lect. 46. lit. F. Vasquez disp. 192. & Conimbrienses 4. Phys. cap. 5. quæst. 5. art. 2. docent, dictas formas & mutationes vitales convenientes Christo (& idem est de convenientibus cuiusque alij corpori) independenter à loco determinato, comitari Christum naturaliter, vbicumque existat; & meritò: quia quæcumque formæ & mutationes independentes à loco determinato, vniuntur physice subiecto secundum se, prout abstrahit à loco, & ei secundum se, prout à loco abstrahit, alligantur: ergo vbicumque fuerit dictum subiectum secundum se, erit etiam, naturali consecutione, forma illi secundum se physice vnita & alligata, ex eo enim forma aliqua producitur aut introducitur in hoc loco, & nò in alio, quia subiectum, cui vnitur, est in eo loco, & non in alio; & ex eo forma aliqua existens in subiecto mouetur ad motum subiecti, & ad eundem locum trahitur, quia est vnita illi subiecto. Ergo eo ipso, quòd vnum vnitur physice alteri, secundum se constituitur, vbi est illud cui vnitur, quamvis in pluribus locis existat.

Scotus.  
Gabriel.  
Vasquez.

Quod maximè confirmat Tridentinum sess. 13. cap. 3. dum ex vnione & connexionem aliquorum cum Corpore & Sanguine Christi existentibus in Eucharistia, infert, illa aliqua etiam esse in Eucharistia per concomitantiam.

Tridentin.



Forma ergo, & mutatio, quæ vnitur Christo existenti in celo, etiam comitatur ipsum, & naturaliter, in Eucharistia, siue id fiat proximè ab agente naturali vniente formam aut mutationem Christo, si aliàs verum est, quòd ab agente naturali generaliter producit proxime præsentia, quod poterit fieri ab agente naturali in Christo secundariò, & deriuatiuè, & naturali consecutione ratione dictæ vnionis quam facit; quamuis aliàs primariò & directè non possit agere in Christum existentem in Eucharistia, neque duas præsentias eiusdem rei simul producere: siue id fiat à solo Deo (si agens naturale non possit) ad exigentiam tamen dictæ vnionis factæ ab agente naturali (ad eum modum, quo solus Deus naturaliter creat animam rationalem, quia eam creat ad exigentiam dispositionum, quas agens naturale induxit in materiam primam) quia vnio illa formæ aut mutationis cum Christo exigit, vt id fiat ab eo agente, à quo fieri possit: siue id proximè fiat (vt nos credimus) ab ipsa forma vel mutatione, quæ ab agente naturali vnitur Christo. quia ex se ipsa per simplicem emanationem, & naturalem consecutionem oritur & pullulat. Quia credimus generaliter, præsentias, quæ non fiunt per motum localem (quales sunt illæ, quibus res fiunt præsentis quando produciuntur, & fiunt præsentis locis, in quibus sunt materiæ primæ quibus vniantur proximè aut remotè) proximè oriri & pullulare ex ipsis rebus quæ fiunt præsentis; sicut etiam credimus, subsistentiam & proprietates naturæ ex ipsa natura proximè oriri. Quod etiam credimus contingere præsentis rerum, quibus inhæret vel imprimitur proximè impulsus (saltem primariò & directè) vt moueantur: sed dicuntur moueri ad motum alterius, vt sunt præsentia aliorum accidentium à quantitate, imò & substantiæ corporalis, quia ista omnino per accidens mouentur ad motum quantitatis, cui proximè inhæret & imprimitur impulsus. Neque difficile existimamus, ex eadem re duas præsentias simul oriri, naturali consecutione, ad vnionem illius cum subiecto existente in duobus locis.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, dicendo ad primam partem, calorè ab agente naturali impressum corpori existenti Toleti, etiam naturaliter comitari idem corpus existens Romæ, & id fieri vno ex prædictis modis: quamuis verius credamus, fieri proximè ab ipso calore impresso ratione vnionis cum ipso subiecto, & remotè ab agente naturali vniente calorem cù subiecto, quatenus causauit vnionem, ratione cuius naturali consecutione & deriuatiuè calor etiam fit præsentis Romæ ultra spheram, ultra quam agens illud non potest proximè & directè operari. Et eodem modo ad secundam partem dicimus, corpus, quod Toleti fit maius additione substantiæ & quantitatis Toleti facta, etiam fieri maius Romæ ratione vnionis substantiæ & quantitatis additæ cum substantia & quantitate corporis, absque motu locali substantiæ & quantitatis additæ, quo tendat Romam; sed sola simplici emanatione alterius præsentia substantiæ & quantitatis additæ, ortæ in Curia Romana ex ipsa substantia, & quantitate addita. Et ad tertiam partem negamus, corpus, quod in vno loco substantialiter corrumpitur, v. g. corpus Petri non corrumpi in alio, quamuis fiat ab agente naturali, & quamuis actio præuia, à qua prouenit corruptio, non imprimeretur corpori in alio loco, quia anima,

v. g. quæ aufertur à materia prima Petri, secundum se in nullo alio loco reperiri potest nisi in illa materia. Addimus, *corpus, quod in vno loco substantialiter corrumpitur*, per separationem videlicet substantialem formæ à materia secundum se: quia si corruptio non sit substantialis (vt quando fit per ablationem vnus præsentia formæ, aut modi vnionis formæ cum materia in aliquo loco, vt fieri potest, quamuis à solo Deo) non eo ipso, quòd corpus corrumpitur in vno loco, corrumpitur in alio, vt patet ex dictis Disputat. v. Difficult. XIII. quia tunc non destruitur altera præsentia, qua forma & vnio sunt cum materia prima in alio loco, quod nobis non aduersatur; quia corruptio hæc respicit locum determinatum; forma autem, & mutatio quæ locum determinatum respicit, impressa subiecto in vno loco, non comitatur subiectum in alio loco existens, vt supra diximus.

### DIFFICULTAS VII.

*Quæ prædicata attribuantur Christo ratione specierum.*

Conueniunt cõmuniter Theologi, prædicata accidentaliter speciebus conuenientia, denotantia motum localem aut existentiam in loco, verè & propriè & absque figura attribui Christo, vt moueri localiter, & esse hic aut illic: vel, quia etiam ipsi Christo conueniunt intrinsecè, vt nos supra diximus; vel saltem, quia conueniunt ei extrinsecè, ex eo quòd est physicè vnitus & alligatus speciebus.

Est tamen difficultas, an etiam reliqua prædicata accidentaliter, non denotantia motum, neque existentiam in loco, conuenientia speciebus, attribuantur Christo.

Claudius Sainctes Repet. 5. de Eucharistia, c. 3. *Sainctes.* affirmat, quia prædicata plura accidentaliter conuenientia speciebus, attribuantur Christo in Eucharistia ratione vnionis Christi cum ipsis speciebus, ergo omnia debent attribui, quia omnium eadem est ratio.

Vasquez verò disp. 193. cap. 2. negat, & meritò: quia quamuis species calefiant, aut alio modo alterentur aut corrumpantur, Christus tamen non dicitur calefieri, neque alio modo alterari neque corrumpi, quia prædicata hæc, & generaliter alia quæ non referuntur ad aliquem sensum, exceptis quæ denotant motum localem aut præsentiam in loco, non attribuantur secundum communem vsum alicui per extrinsecam denominationem, neque per deriuationem ex altero.

Addidimus, prædicata conuenientia speciebus, quæ non referuntur ad aliquem sensum non attribui Christo; quia quæ ad sensum referuntur, vt videri, tangi, contraheri, dentibus atteri, & gustari, etiam attribuantur Christo, quia Christus est sub speciebus quasi sub quodam tegumento: operationes autem sensuum nõ tantum dicuntur versari circa sensibilia per se, sed circa substantiam, quæ est subiectum immediatè quantitatis, & mediatum aliorum accidentium, ob quod dicitur sensibilis per accidens; sed etiam dicuntur versari circa substantiam quæ continetur aut contegitur subiecto ipso sensibilem per se. & ita, qui tangit aut videt vestem, etiam dicitur tangere aut videre hominem vestitum contactum veste ipsa.

Dicitur



Dicitur etiā Christus manducari, quando manducantur species, quia manducare includit cibum dentibus atterere, & motum localem traiectionis cibi ad stomachum, ex quibus, iuxta ea quæ dicta sunt, dentibus atteri potest Christo attribui, ratione specierum, & motus traiectionis etiam ratione sui, quamvis deriuatiuè ex traiectione specierum.

Deinde Christus dicitur frangi in Eucharistia, quando franguntur species, non quia verè in partes frangatur & diuidatur, sed quia frangitur & diuiditur quoad existentiam in Sacramento, quia existens antea in vno Sacramento, post fractionem specierum existit in diuersis Sacramentis.

Tandem Christus dicitur misceri, quando miscentur species Sanguinis & Corporis (quamvis non corrumpatur, neq; verè diuidatur, sicut etiam grana diuersi generis frumenti absque corruptione & diuisione dicuntur misceri) quia ea mixtione Corpus Christi constituitur intra species Sanguinis, & vndeque Sanguine circumdatur.

Est tamen discrimen inter dicta prædicata, quæ Christo attribuuntur ratione specierum, quòd fractio & mixtio attribuuntur Christo propriè absq; figura, & etiam ratione sui, & intrinsecè, sicut prædicata denotant motum & præsentiam in loco; prædicata verò quæ ad sensum referuntur, quamuis verè attribuuntur Christo, non tamen propriè, sed impropriè & figuratè, & tantum ratione specierum per figuram Metonymiam, quia Christo attribuuntur tantum ratione specierum ipsum continentium, seu occultantium.

Ad rationem ergo in oppositum constat, non omnium prædicatorum, quæ conueniunt speciebus, esse eandem rationem, vt Christo attribuuntur.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum aliquando in Eucharistia videatur vera Caro & verus Sanguis Christi in se ipsis.*

**S**upponimus, in Eucharistia aliquando apparuisse Carnem & Sanguinem Christi, vt affirmant Paschasius lib. de Corpore & Sanguine Christi, cap. 54. Guilmundus lib. 3. de Sacram. Corporis & Sanguinis Christi, & plures alij: & apparitiones has fieri posse duobus modis; vno modo, solius visus aut medij immutatione, ita vt in ipsis speciebus verè non sit quod in eis apparet, sed tantum ob oculos versetur, quod Deus efficere potest, producendo in visu speciem visibilem representantem Carnem & Sanguinem, seu eorum partem, & colores, vt existentes & præsentés diuisibiliter in Eucharistia, quamuis re ipsa non sint eo modo existentes & præsentés: altero modo fieri posse, facta immutatione in speciebus accipientibus figuram & colorem vel carnis vel sanguinis. & hoc posteriori modo fieri, quoties sic apparet omnibus, præsertim si diu sic appareant; quoties verò species non apparet omnibus eodem modo, fieri modo priori.

Hoc ergo supposito, conueniunt Theologi, quoties dictæ apparitiones fiunt priori modo, immutatione videlicet solius visus vel medij, & non ipsarum specierum, tunc non videri veram Carnem neque verum Sanguinem Christi in propria specie & in se ipsis; quia id quod tunc apparet, non est

verè in obiecto, neque in speciebus Sacramentalibus, sed tantum apparet ob immutationem visus vel medij.

Est tamen difficultas, An quoties apparitiones fiunt posteriori modo, tunc videantur Caro & Sanguis Christi in propria specie & figura, & in se ipsis.

Alexander 4. par. quæst. 11. num. 2. art. 4. Gabriel lect. 51. lit. E. & Palatius dist. 10. disp. vlt. partem affirmatiuam tuentur, quia ex vna parte id est possibile, & ex altera id est maxime conueniens, ad confirmandam veritatem præsentie Christi in Eucharistia.

S. Thomas verò, & Vasquez quæst. 76. art. 8. Adamus q. 5. dub. 3. & communiter Theologi partem negatiuam tradunt, & meritò: quia in primis tunc non videtur vera Caro Christi, neque verus Sanguis Christi prout existit in Eucharistia, quia in ea existit indiuisibiliter, & tunc apparet diuisibilis. Deinde non videtur vera Caro neque verus Sanguis Christi modo diuisibili, quia quamuis hoc sit possibile, si incipiat constitui in Eucharistia modo diuisibili, siue deserendo locum cæli, siue multiplicata præsentia circumscriptiua & diuisibili Christi, id tamen est indecens, quia facile posset tangi & contrectari ab hominibus. Cui maxime fauet, quòd quando sic apparet per multum tempus, diuturnitate ipsa color Carnis & Sanguinis marcescit, quod non contingit colori veræ Carnis & veri Sanguinis Christi: apparet autem tunc Caro & Sanguis Christi ratione effigiei carnis & sanguinis, quam Deus format in speciebus, quantum ad figuram & colorem. Et quamuis in his apparitionibus simplices decipiantur, in eo tamen nullum reperitur mendacium, quia non fiunt à Deo intentione decipiendi, sed significandi Christum esse sub speciebus.

Et quod dictum est de Carne & Sanguine Christi, nempe quòd neque in apparitionibus posteriori modo factis videantur in se ipsis, etiam dicendum est (quiquid Ægidius dicat) de puero aut viro IESU sic apparente, ob rationem dictam.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum quando apparet Caro aut Sanguis in speciebus, maneat Christus Sacramentaliter sub illis.*

**C**onueniunt Theologi, quando caro, aut sanguis, aut puer apparet in speciebus, non immutatione specierum, sed tantum immutatione visus aut medij, tunc manere Christum sub speciebus: quia tunc species secundum se manent in eodem statu, ac proinde tunc Christus eodem modo erit sub illis, ac erat antea.

Est tamen difficultas, An quando dictæ apparitiones fiunt immutatione specierum, tunc maneat Christus Sacramentaliter sub illis.

Durandus in 4. dist. 10. quæst. 4. docet, Christum tunc non manere Sacramentaliter sub speciebus, quia sub ipsis sic mutatis non maneret substantia panis neque vini, quia sub accidentibus Carnis nequit manere substantia panis, in cuius locum successit Corpus Christi; & sub accidentibus Sanguinis nequit manere substantia vini, in cuius locum successit Sanguis Christi.

S. Thomas



*S. Thomas.* S. Thomas & Vasquez quæst. 76. art. 8. Sotus in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 8. & communiter Thomistæ docent, tunc Christum manere sub speciebus, si maneat eadem quantitas; quia quamdiu eadem quantitas manet, etiam maneret substantia panis & vini.

*Palatius.* Palatius verò dist. 10. disput. vlt. Henriquez lib. 9. cap. 28. Adamus quæst. 5. dub. 5. & Suarez disp. 55. sect. 3. docent, quoties in his apparitionibus fit tanta mutatio in speciebus, ut sub eis non conseruaretur substantia panis aut vini, ut contingere potest, quamuis maneat eadem numero quantitas, tunc sub illis non manere Christum; & quoties in speciebus non fit tanta mutatio, ut sub illis non desineret substantia panis aut vini, tunc sub illis manere Christum; & merito: quia Christus succedit sub speciebus ipsi substantiæ panis aut vini in locum illius, ergo quoties sub illis non conseruaretur substantia panis aut vini, non permanet Christus sub illis; & quoties conseruaretur, permanet.

Addimus, ut contingere potest, quamuis maneat eadem numero quantitas, quia quantitas non est dispositio sufficiens ad conseruandam substantiam panis & vini, sed necessaria sunt alia accidètia, quæ possunt deficere, quamuis quantitas non deficiat.

Addimus contra Durandum, in dictis apparitionibus posse species ita immutari quoad figuram & colorem, ut appareant puer aut Sanguis, absque eo quòd sub illis corrumperetur substantia panis & vini, quamuis adesset (ac proinde species posse sic immutari quoad figuram & colorem, perseuerante Christo sub illis) quia possunt sic immutari à Deo, absque eo quòd dissoluatur temperamentum primarium qualitatum sufficiens ad conseruandam substantiam panis & vini, si adesset: & credimus, de facto regulariter ita fieri immutationem specierum quoad figuram & colorem, ut sub ipsis sic immutatis & apparentibus perseueraret substantia panis & vini, & perseueret Christus, quousque diuturnitate temporis contingat species ipsas corrumpi, quia id est maximè conueniens fini, quem Deus regulariter medijs eis apparitionibus intendit: quia vel fiunt à Deo ad significandam præsentiam Christi sub speciebus, cui fini magis congruit, quòd sub illis perseueret; vel fiunt ad solatium alicuius iusti, & huic fini etiam magis congruit quòd perseueret, quia sic solatium erit magis solidum. Quòd si aliquando fini,

qui creditur à Deo intendi, magis congruat, mutationem specierum ita fieri, ut sub ipsis sic mutatis non perseueraret substantia panis aut vini, & non perseueret Christus, ut quando species sic apparent in punishmentem illius qui eas intendit indignè suscipere, tunc credendum est sub eis non perseuerare Christum, si illæ permanentes sic appareant.

Nihilominus species illæ sic apparentes, siue credatur sub illis Christus perseuerare, siue credatur non perseuerare, adorandæ & venerandæ sunt: quia si credatur sub illis perseuerare, adorandæ sunt tamquam re ipsa continentes seu occultantes Christum; si verò credatur non perseuerare sub illis, adorandæ & venerandæ sunt, tamquàm signum & vestigium Christi.

Quoad esum verò & consumptionem specierum sic apparentium expediens est, illas non consumere (nisi redeant ad pristinam formam) ut docent communiter Theologi, quia tunc non sunt sub forma cibi aut potus humani sub qua Christus voluit sumi, sed eas seruare ob æstimationem tanti miraculi, & ob maiorem reuerentiam huius Sacramenti. Et hoc consuevit in Ecclesia fieri: nihilominus si quis non horreat sumptionem specierum sic apparentium, non video eum prohiberi.

Sed quæres, Quid facturus est Sacerdos, si post consecrationem ante sumptionem, contingat aut species panis, aut species vini, aut ambas sic immutari & apparere. Respondemus, species non immutatas, si aliquæ non sunt immutatae, sumendas esse à Sacerdote, quia Sacerdos tenetur præcepto diuino Sacramentum ab ipso confectum sumere, quantum possit; species verò immutatas, siue ambas siue alteras, & non redeuntes ad pristinam speciem, non esse ex obligatione & necessariò sumendas, quia non sunt sub forma cibi & potus humani, sub qua sola Christus præcepit sumi; neque esse necessarium nouam materiam cõsecrare, etiam si ambæ species sic immutatae sint, & permaneant, ut contra Antoninū docent communiter Theologi; tum quia id non est necessarium ad perfectionem prioris sacrificij, quia absque sumptione, & ante ipsam, sacrificium est perfectum; tum quia, quamuis absque sumptione non esset perfectum, consecratione nouæ materiæ, & sumptione ipsius, non perficeretur sacrificium illud prius, quia consecratione nouæ materiæ fieret nouum sacrificium, & eius sumptione perficeretur nouum istud, & non illud prius.

## DISPUTATIO VII.

### De accidentibus panis & vini remanētibus in Eucharistia.

#### DIFFICULTAS I.

*Quæ accidentia panis & vini remaneant in Eucharistia post consecrationem.*



CONVENIUNT Primò Catholici, in Eucharistia post conuersionem panis & vini in Corpus & in Sanguinem Christi factam media consecratione, manere accidentia sensibilia panis & vini, (id est, quæ à sensibus præcipiuntur) nempe quantitatem, ca-

lorem, frigiditatem, siccitatē, humiditatem, colorem, odorem, & saporem: quia præterquam quòd experientiā constat, dicta accidentia post cõsecrationem manere, definitum est in Concilio Lateranensi cap. 1. & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & in Tridentino sess. 13. can. 2. in Eucharistia manere species panis & vini. Nomine autem specierum ad minus accidentia sensibilia intelliguntur.

Conueniunt Secundò Theologi, non solum accidentia sensibilia panis & vini in Eucharistia manere, sed etiam omnia alia accidentia, quamuis sensibus occulta, quæ separata à substantia possunt conser-



conseruari; & merito: quia in pane & vino nulla alia accidentia reperiuntur, nisi quantitas, qualitates primæ, & qualitates secundæ, quæ ex temperamento primarum naturaliter & necessariò oriuntur; & relationes, quæ ex dictis accidentibus, & ex substantia ipsa confurgunt, quia nullo fundamento possunt alia accidentia assignari. Negari autem non potest, in Eucharistia manere quantitatem & primas qualitates panis & vini; ergo etiam remanent reliqua alia supradicta accidentia panis & vini, exceptis relationibus à substantia panis & vini pendentibus: quia reliqua alia ex quantitate, & ex primis qualitatibus naturaliter & necessariò oriuntur, & independenter ab influxu aliquo substantiæ in ipsa accidentia, conseruantur in quantitate.

Sed quamuis Theologi conueniant in eo, quòd reliqua accidentia panis & vini præter sensibilia, exceptis relationibus dictis, maneat in Eucharistia, id tamen neque est definitum, neque certum. Et in primis id non est definitum, quia tantum definitum est, species panis & vini in Eucharistia manere; nomine autem specierum tantum intelliguntur accidentia sensibilia, quia hæc sola dici possunt species, cum sola ipsa sint quasi simulacrum & figura substantiæ ipsam sensibus demonstrans. Nihilominus Tridentinum, dum can. 2. definit fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, non definit tantum manere accidentia sensibilia panis & vini, quia particula illa exclusiua *dumtaxat* non fuit addita ad excludenda alia accidentia præter sensibilia, sed ad excludendam substantiam panis & vini, cuius immediatè fecerat mentionem, & quam implicite excluderat, dum dixit fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini. Deinde id non est certum, quia nullo firmo & certo fundamento constat; quia non est satis certum, in pane & vino, præter accidentia sensibilia, & ea quæ ex his necessariò oriuntur, non esse alia accidentia materialia; & quamuis esset certum non esse alia, tamen non est certum, accidentia materialia in hære quantitati immediatè, & absque influxu aliquo substantiæ in ipsa; ac proinde nequit esse certum, omnia accidentia panis & vini remanere in Eucharistia post destructionem substantiæ panis & vini, à qua forsan naturaliter dependent, quia non est certum, manere accidentia quæ non experimur esse præter sensibilia, quamuis aliàs naturaliter & necessariò oriantur ex dicta substantia, hæc deficiente.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum quantitas panis & vini in Eucharistia existat per se positiuè.*

**C**onueniunt Catholici, quantitatem panis & vini in Eucharistia manere per se absque subiecto, quia nihil est in quo esse, aut cui in hære possit; & oppositum est damnatum in Concilio Constantiensi sess. 8. Ex quo constat, quantitatem panis & vini in Eucharistia conseruari à Deo actione distincta ab illa, qua antea in proprio subiecto conseruabatur, quia actio, qua antea conseruabatur, non erat creatiua, sed eductiua, dependens à subiecto ad minus tamquam à causa materiali, qua conseruabatur dependenter ab ipso subiecto;

actio uero, qua in Eucharistia conseruatur, non est eductiua, sed creatiua, non dependens à subiecto, qua quantitas independenter ab illo conseruatur. unde actio hæc distincta est ex natura rei ab ipsa quantitate, sicut & eductiua; quia sicut quantitas modò est absque eductiua, etiam antea fuit absque creatiua. Separatio autem realis vnius ab altero, indicium est distinctionis ex natura rei inter illa.

Est tamen difficultas, An præter hanc actionem creatiuam, qua nunc quantitas panis & vini in Eucharistia à Deo extra subiectum & per se conseruatur, gaudeat modo aliquo positiuo perfectatis, an tantum dicatur esse per se negatiuè sola carentia existendi in subiecto, absque aliquo modo positiuo perfectatis superaddito.

Supponimus autem contra nonnullos, modum perfectatis positiuum (qui non posset esse substantialis, sed accidentalis, & quia esset extra integritatem substantiæ, & quia esset modificans accidens) esse possibilem quantitati de potentia Dei absoluta, quia in hoc nulla apparet repugnantia & contradictio: quia quamuis modus iste non possit esse in substantia, tamquam in subiecto remoto, & ipsi accidere, quia tantum potest conuenire accidenti existenti extra substantiam, id tamen non est necessarium ad rationem accidentis modalis, neque ad rationem accidentis in fieri, ut creationis accidentis (sicut neque est necessarium ad modum substantialem, quod possit per se existere) sed sufficit quòd sit modus; aut fieri accidentis, quod potest esse in substantia. Prædictus ergo modus accidentalis positiuus perfectatis est possibilem quantitati, & cuiuscumque alij accidenti, sicut substantiæ totali est possibilem modus existendi in alieno supposito, quamuis ei non sit possibilem modus in hærentiæ in alio tamquam in subiecto, quia substantia totalis nequit fieri informans subiectum, & ab ipso dependens.

Est ergo difficultas, An modus iste perfectatis positiuus accidentalis, quem dicimus esse possibilem quantitati, conueniat de facto quantitati panis & vini existenti in Eucharistia.

Vasquez disp. 194. cap. 2. Suarez disp. 56. sect. 2. Valentia disp. 6. quæst. 5. & Ægidius quæst. 77. art. 1. dub. 2. docent, quantitatem panis & vini in Eucharistia existere per se modo positiuo perfectatis illi superaddito: quia ut substantia existat per se absque subiecto, indiget modo positiuo perfectatis superaddito, ergo etiam quantitas, ut existat per se absque subiecto in substantia. Et confirmatur, quia existentia substantiæ absque modo perfectatis superaddito, non sufficit ut substantia existat per se; ergo existentia accidentis absque modo perfectatis superaddito multò minùs sufficit, ut accidens existat per se.

Scotus uero in 4. dist. 12. quæst. 1. & 6. Ledesma 1. par. 4. q. 18. art. 2. Bellarminus 3. de Eucharistia c. 24. & Valentia q. 5. p. 1. docent, quantitatem panis & vini in Eucharistia existere per se, non positiuè modo aliquo perfectatis superaddito, sed negatiuè, ex eo scilicet quod existit in rerum natura absque subiecto; & merito: quia dictus modus positiuus non est necessarius quantitati, ergo non est admittendus. Consequentia patet, quia absque necessitate non est admittendum nouum miraculum, sine quo dictus modus esse non potest. Antecedens autem probatur, quia in primis non est necessarius, ut accidens existat in rerum natura, quia accidens

Vasquez.  
Suarez.  
Valentia.  
Ægidius.

Scotus.  
Ledesma.  
Bellarmus.  
Valentia.



de potentia Dei absoluta existere potest in rerum natura absque modo inhaesionis quo inhaereat subiecto, & absque modo perfectatis superaddito, quia in hoc nulla inuoluitur repugnantia & contradictio, sicut etiam substantia de potentia Dei absoluta potest existere in rerum natura absque substantia propria, & absque aliena, vt diximus Tractatu de Incarnat. Disputat. iv. Difficult. vii. Et declaratur: quia ex vna parte quantitas est prior modo inhaesionis, & modo perfectatis, & ex altera parte isti duo modi non opponuntur contradictoriè, quia ambo sunt positivi, ac proinde inter eos reperitur medium, nempe negatio vtriusque: quia quamuis modo inhaerentiae seu existentiae in subiecto immediatè opponatur non existere in subiecto, non tamen modus existendi per se positivè: & quamuis modo existendi per se positivè immediatè opponatur non existere per se positivè, non tamen existere in subiecto; ergo non repugnat, quantitatem existere per se negatiuè absque modo existendi in subiecto, & absque modo positivo existendi per se. Deinde dictus modus positivus perfectatis non est alio modo necessarius quantitati, quia non est necessarius ad saluanda reliqua alia, quae sunt necessarii concedenda in Eucharistia, nec aliquid eorum, quia nullum ex eis poterit assignari ad quod saluandum sit necessarius, quia ad quodcumque ex illis sufficit quantitati, non existere in subiecto, seu negatio existendi in illo, vt discurrenti per omnia necessaria, facillè patebit ex dictis, & ex dicendis.

Ad rationem ergo aduersariorum à simili desumptam respondemus, substantiam indigere modo positivo perfectatis, non vt existat per se, quia de potentia Dei absoluta existere potest per se negatiuè; sed vt existat per se modo sibi connaturali, quia modus hic est connaturalis & debitus substantiae: accidens verò non indigere eo modo positivo perfectatis, vt existat per se modo sibi connaturali, neque eo ad id indigere potest, quia modus iste perfectatis, qui accidenti tribueretur, quamuis esset accidentalis (imò non posset non esse talis) nequit esse accidenti connaturalis, quia potius esset illi supernaturalis, quia modus iste non solum secundum suam rationem indiuidualem, sed etiam secundum suam rationem specificam est supra existentiam cuiuscumque rei naturalis. Et ad confirmationem respondemus, quòd sicut existentia substantiae absque modo positivo perfectatis non sufficit, vt substantia existat per se connaturaliter, & sufficit vt existat in rerum natura, & per se negatiuè; ita etiam existentia accidentis absque modo positivo perfectatis sufficit, vt accidens existat in rerum natura, & per se negatiuè.

Obseruandum est, quantitatem in Eucharistia carentem modo inhaerentiae actualis, & modo positivo perfectatis, esse in statu violento, non quia caret modo perfectatis, sed quia caret modo inhaerentiae; quia eo caret non tantum contra eius inclinationem materialem, sed etià contra eius impetum actiuum, seu effectiuum internum: quia quantitas, & quodlibet aliud accidens nõ tantum quasi causa materialis exigit modum illum inhaerentiae, sed etiam influit in illum tamquam causa efficiens (sicut substantia efficienter influit in modum positivum substantiale perfectatis, seu substantiam, vt diximus Tract. de Incarnatione Disput. iv. Diffic. vi.) quia accidens est prius secundum naturam modo illo inhaerentiae, & est eo nobilior, & eo non indigens

ad operandum (sicut neque substantia indiget suo modo perfectatis ad id) & est necessariò connexum cum illo.

Quòd autem accidens eductione producat, non obstat, vt efficienter influat in suum modum inhaerentiae; quia eductio, vt diximus Tractatu de Incarnatione Disputat. ii. Difficult. viii. tantum terminatur ad accidens vt praecisè existens in rerum natura, & non ad accidens vt existens in subiecto; quia modus inhaerentiae non producit eductione ipsa accidentis è subiecto, sed alia actione distincta & posteriore, quia ad diuersas entitates diuersa fieri terminantur: vnde per eductionem accidentis media, qua vt passione in fieri subiectum materialiter concurret ad ipsum accidens, non ponitur accidens in subiecto in facto esse, seu medio modo inhaerentiae, sed quasi in fieri; quia subiectum ratione eductionis, vt passio est, patitur in fieri recipiendo in fieri ipsum accidens, non verò in facto esse, quousque in posteriori naturae producit, aut resultat modus inhaerentiae, ratione cuius inhaeret in facto esse ipsi subiecto.

Addidimus, quantitatem carentem modo inhaerentiae, & modo perfectatis positivum, esse in statu violento; quia si modum positivum perfectatis haberet, quamuis careret modo inhaerentiae, non esset in statu violento: quia quamuis tunc contra impetum actiuum internum careret modo inhaerentiae sibi connaturali, sed careret illo ratione modi perfectatis positivum sibi non disconuenientis, sed maxime congrui, quia maxime terminaret existentiam accidentis, & maxime suppleret vicem modi inhaerentiae, quia eo modo perfectatis maxime melioraretur accidens (sicut Tractatu de Incarnatione Disputat. iv. Difficult. xii. diximus de humanitate respectu carentiae personalitatis propriae, media personalitate Verbi) quia quamuis modus ille accidentalis perfectatis esset impossibilis cum modo inhaerentiae, ita tamen esset in quantitate, vt supposita carentia proprii modi inhaerentiae, non noceret quantitati, sed eam potius perficeret, & optimè modificaret; sicut etiam personalitas Verbi, quamuis impossibilis cum propria personalitate humanitatis, supposita tamen carentia propriae, personalitas Verbi non nocet humanitati, sed potius eam perficit. In quo personalitas Verbi, & modus ille perfectatis, ex vna parte differunt à calore producto in aqua, quia iste non tantum nocet quasi negatiuè & indirectè, quatenus scilicet est impossibilis cum frigiditate, & eam expellit; sed etiam positivè & directè, & ratione sui; quia calor disponit & iuuat ad destructionem aquae, & ob id aqua habens calorem, est in statu violento, quia caret frigiditate medio calore sibi directè nociuo, ac proinde est in statu violento ob duplicem titulum; nempe quatenus caret frigiditate, & quatenus habet calorem.

### DIFFICULTAS III.

*Vtrum modus perfectatis accidentalis possibilis accidenti sit supernaturalis.*

**V**Asquez i. p. disp. 114. cap. 4. docet, modum *vasquez* hunc accidentalem perfectatis esse naturalem quoad substantiam: Primò, quia modus iste perfectatis habet connexionem naturalem cum negatione substantiae panis & vini, quia ex hac negatione natura-



sed negatio hæc est naturalis; ergo etiam dictus modus perfectatis cum ea negatione naturaliter connexus, est ordinis naturalis. Secundò, quia modus substantialis perfectatis est naturalis quoad substantiam, ergo etiam modus iste perfectatis accidentalis, quia modus substantialis perfectior est accidentali. Addit tamen, dictum modum esse supernaturalem ex parte efficientis, sicut est reproductio hominis, quia à nullo agente naturali potest produci, sicut neque homo reproduci.

Ochagan.

Ochagania verò quæst. 27. & nonnulli alij recentiores Thomistæ quæst. 77. art. 5. docent, dictum modum accidentalem perfectatis esse supernaturalem quoad substantiam, & meritò: quia modus iste adhuc secundum suam speciem est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis.

Ad primam verò rationem in oppositum, negamus, dictum modum accidentalem perfectatis esse connexum cum negatione substantiæ panis & vini, quia non oritur ex ea; tum, quia destructa substantiâ panis & vini, quantitas illius non exigit conservari, & multò minùs reliqua accidentia; tum etiam, quia quamvis exigeret conservari, non tamen exigeret conservari medio modo perfectatis, quia absque eo conservari potest, & faciliùs, quia absque nouo miraculo, quod requiritur ad productionem illius modi.

Ad secundam concedimus, modum substantialem perfectatis esse naturalem, quia est debitus naturæ substantiali, negamus tamen, modum accidentalem perfectatis etiam esse naturalem, ob supra dictam rationem. Et ad probationem concedimus, modum substantialem esse perfectiorem; & ex eo tamen non concluditur, modum accidentalem etiam esse naturalem, & non supernaturalem; quia naturale potest esse perfectius supernaturali, quia substantia creata perfectior est gratia habituali, quamvis hæc sit supernaturalis, & illa naturalis.

## DIFFICULTAS IV.

*Utrum reliqua accidentia panis & vini maneat in quantitate tamquam in subiecto.*

**S**upponimus, reliqua accidentia panis & vini, præsertim absoluta, ex natura rei distincta à substantia & quantitate, posse à Deo constitui & conservari per se extra subiectum, quia in hoc nulla apparet contradictio. Est tamen difficultas, An de facto sit factum.

Ocham.

Gabriel.

Maior.

Aliacensis.

Ocham lib. de Sacramento altaris cap. 62. & 63. Gabriel lect. 44. lit. K. Maior in 4. dist. 12. q. 2. Aliacensis quæst. 6. art. 3. docent, omnia accidentia panis & vini post consecrationem existere per se absque subiecto, quia existimant, in rerum natura non esse aliquam vnam & peculiarem quantitatem, sed tam substantiam materialem, quam qualitates & reliqua accidentia materialia, habere propriam quantitatem & extensionem ab ipsis indistinctam; ex quo optimè inferitur, qualitates & alia accidentia panis & vini in Eucharistia, nulli subiecto inherere, quia si alicui, maximè quantitati ab ipsis distinctæ; hæc autem non est in rerum natura. Idem quoad subiectum dictorum accidentium, nempe non esse in subiecto, docet Marsilius

in 4. q. 9. art. 2. alio tamen fundamento nixus: quia quamvis admittat, quantitatem esse peculiare accidens à substantia materiali, & ab alijs accidentibus materialibus distinctum; existimat tamen, reliqua accidentia non inherere immediatè quantitati, sed substantiæ, sicut ipsam quantitatem, in Eucharistia autem non manet substantia panis & vini, cui inherere possit.

S. Thomas verò, & eius interpretes, quæst. 77. art. 2. & communiter Scholastici in 4. dist. 11. Valquez disp. 194. cap. 3. Suarez disp. 56. sect. 3. Adamus q. 6. dub. 1. & Becanus cap. 20. q. 2. docent, reliqua accidentia panis & vini in Eucharistia esse in quantitate tamquam in subiecto, & solam ipsam quantitatem esse per se extra subiectum, & meritò. Primò, quia si quantitas in Eucharistia non esset subiectum reliquorum accidentium materialium, & sufficiens absque concursu materiali substantiæ, agens naturale non posset in speciebus Sacramentalibus qualitatem aliquam producere, v.g. calorem (quod est contra experientiam;) quia non potest producere accidens per se existens extra subiectum sufficiens. Secundò, quia si reliqua accidentia in Eucharistia non essent in quantitate tamquam in subiecto, & consequenter non essent in aliquo subiecto, non esset vnio aliqua physica inter accidentia panis inter se, & inter accidentia vini inter se in Eucharistia, quia inter se nequeant immediatè vniri, cum nequeat vnum informare alterum.

Constat ergo, fundamentum Marsilij falsum esse, nempe accidentia materialia distincta à quantitate immediatè esse in substantia tamquam in subiecto, & non in quantitate; aliàs accidentia, quæ ob rationes dictas in Eucharistia sunt immediatè in quantitate, mutassent subiectum.

Ad fundamentum verò Ochami & aliorum, negamus, non esse peculiarem quantitatem ex natura rei distinctam à substantia & ab alijs accidentibus, ratione cuius vna substantia, quæ vnâ tantum potest habere quantitatem, est impenetrabilis cum altera, quia hæc altera debet habere alteram quantitatem, & duæ quantitates non possunt esse simul in eodem spatio, vt quotidie experimur, ac proinde multò minùs in eodem subiecto. Ex quo etiam constat, substantiam & alia accidentia materialia non habere proprias quantitates, quia ex his plura sunt simul in eodem spatio, & in eodem subiecto.

Reliqua ergo accidentia materialia panis & vini distincta à quantitate, non mutantur physicè per consecrationem, quia post eam perseverant in eodem subiecto, & eodem modo: quantitas verò physicè mutatur, quia amittit modum inharrentiæ, quo erat in substantia panis & vini.

## DIFFICULTAS V.

*Utrum accidentia seu species panis & vini in Eucharistia possint agere propria virtute.*

**C**onueniunt Theologi, accidentia panis & vini in Eucharistia eodem modo agere, ac quando erant in propria substantia, vt experientia constat: calor enim panis in Eucharistia verè calefacit, & eodem modo quo antea; & humiditas vini in Eucharistia verè humectat, sicut antea:

C c

imò



imò accidentia vini conuertunt aquam ipsis infusam in vinum.

Est tamen difficultas, An accidentia panis & vini id efficiant propria virtute, seruato modo naturali, an Deo supplente efficientiam aliquam substantiæ in qua erant.

In primis, quod attinet ad productionem formæ accidentalis, qua calor v.g. producit calorem, & humiditas humiditatem, conueniunt communiter Theologi, id efficere accidentia in Eucharistia naturaliter, & propria virtute, sicut ante consecrationem, & meritò: quia dicta productio sufficienter prouenit à solo accidenti, vt à principio efficiendi, quia in ipso accidenti efficiendi est sufficiens efficacia & virtus ad omnem rationem existentem in effectu. In calore enim producente est sufficiens virtus ad omnem rationem existentem in calore producto, quia omnis hæc ratio sufficienter correspondet calori producenti, vt causæ efficiendi, & subiectum accidentis nullam illi confert vim ad operandum: quia si subiectum sit substantia, tantum est vehiculum ipsius accidentis efficiendi; & si sit quantitas, præter hoc quòd sit vehiculum, solum habet quòd sit illi quasi conditio ad operandum, quia ratione quantitatis, accidentia fiunt contigua passo, quod est illi necessarium ad operandum in passo.

Et idem ob eandem rationem dicendum est, quod attinet ad productionem specierum intentionalium sensibilium, quibus accidentia Sacramentalia sentiri possunt, quòd scilicet ab ipsis accidentibus naturaliter proueniat.

Deinde quod attinet ad productionem substantiæ, prouenientem ab ipsis accidentibus Sacramentalibus, difficultas est, Quomodo ab ipsis proueniat. In hac difficultate philosophandum est, sicut in difficultate de accidenti separato à proprio seu connaturali subiecto, v.g. de calore existente extra ignem in alio subiecto, de quo disputatur 2. Phys. c. 3. vbi nos diximus, accidentia à proprio subiecto separata, imò & accidentia existentia connaturaliter in proprio subiecto, concurrere immediatè ad productionem substantiæ, virtute propria in ipsis existente, absque concursu immediato proprii & connaturalis subiecti: quamuis non dicantur concurrere, vt causæ principales, ad eam productionem, quia sunt inferiora & imperfectiora, quàm ipsa substantia quam producant, sed vt instrumenta propriæ substantiæ, illius videlicet, à qua saltè remotè producta sunt; quia concurrunt tamquam virtus propriæ substantiæ, quod etiam tradit Vasquez disp. 195.

Tandem Theologi conueniunt, accidentia Sacramentalia pati ab agente naturali, imò & ab eo corrumpi, vt experientià constat, calefiunt enim ab igne, & humectantur ab aqua, & à qualibet horum, & etiam ab alijs agentibus naturalibus corrumpuntur.

#### DIFFICULTAS VI.

*Quomodo ex accidentibus seu speciebus Sacramentalibus possit substantia aliqua produci.*

**N**on minùs experientià constat, accidentia Sacramentalia panis & vini in Eucharistia à contrario agente naturali corrumpi, quàm ipsis

corruptis succedere substantiam aliã distinctam, v.g. substantiam vermis aut ignis.

Est tamen difficultas, Quomodo, & qua virtute, substantia illis corruptis succedens, de nouo producat. Occasio tamen & ratio difficultatis est, quia tunc deficit materia prima, in qua forma substantiæ succedentis possit recipi.

Circa hanc difficultatem in primis Innocentius III. lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 11. Bonaventura in 4. dist. 12. par. 1. dist. art. 2. quæst. 1. & Alexander 1. par. quæst. 10. m. 7. art. 2. docent, tunc eandem numero substantiam panis & vini, quæ erat ante consecrationem, reproduci miraculosè, & ex materia prima ipsius nouam illam substantiam produci.

Modus hic dicendi communiter rejicitur, & meritò: quia vel substantia panis & vini redit & reproducitur, permanentibus adhuc accidentibus consecratis; vel his iam corruptis. Si permanentibus, ergo simul sunt substantia panis & vini cum Corpore & Sanguine Christi, quia quamdiu manent accidentia illa, tamdiu sub illis manent Corpus & Sanguis Christi. Si autem substantia panis & vini redit accidentibus illis corruptis, tunc substantia panis & vini esset absq; suis accidentibus, vt pote iam corruptis; imò ex ea substantia redeunte non posset fieri, quæ de nouo succedit accidentibus illis corruptis, quia hæc substantia succedens fit in eadem duratione, in qua accidentia illa consecrata corumpuntur, ac proinde in eadem, in qua substantia illa panis & vini redit, & est, ex substantia autè, quæ est, dum est, non potest alia fieri.

Secundò Ferrariensis 4. Contra gentes cap. 66. Capreolus in 2. dist. 1. q. 3. a. 3. Henriquez Quodlib. 4. q. 36. & Egidius Theoremate 45. docent, ex quantitate panis & vini, quasi ex materia prima, produci formam substantiæ succedentis, quia quantitas in Eucharistia gerit vicem primi subiecti, & in ea recipiuntur dispositiones, ad quas consequitur noua illa forma substantialis.

Modus etiam iste dicendi communiter rejicitur, & meritò: Primò, quia quantitas suã naturam non est receptiua formæ substantialis, neque potest à Deo eleuari ad illam recipiendam ex defectu capacitatis ad id, vt ostendit Vasquez disp. 132. c. 6. Deinde Secundò, quia substantia succedens, v.g. vermis, nequit componi & coalescere ex quantitate & ex forma substantiali, sed ex hac, & ex materia prima.

Tertiò Caietanus q. 77. art. 5. docet, quantitatem in Eucharistia gerere vicem materiæ primæ, quoad receptionem dispositionum ad formam substantiæ succedentis introducendam, & in ea duratione, in qua introducitur, Deum conuertere quantitatem illam in materiam primam, & agens naturale formam illam introducere.

Modus tamen iste dicendi in eo displicet, quòd asserit, quantitatem Sacramentalem conuerti in materiam primam: quia quantitas illa non desinit ex vi productionis materiæ primæ, quia non desinit ex natura rei, vt patet; nec ex vi aliquorum verborum, vt etiam est manifestum.

Quartò ergo Scotus in 4. d. 12. q. 6. Durandus quæst. 2. Maior q. 4. Gabriel q. 1. art. 3. Vasquez disp. 194. cap. 3. Suarez disp. 57. sect. 3. & Egidius q. 77. art. 5. num. 57. docent, & meritò, in instanti, aut in tempore (in quo post immutationem accidentium panis & vini, quæ sufficeret ad corruptionem

nem



nem propriæ substantiæ, si adesset, introducenda est noua forma substantialis) produci à Deo, per creationem, materiam primam, in qua introducitur forma illa noua: & illam creati à Deo ad exigentiam dictæ immutationis accidentium, non ad exigentiam naturalem, sed vt occultetur mysterium Eucharistiæ.

Et in primis, in eo instanti aut tempore produci materiam primam, patet, quia in eo producitur substantia composita ex materia prima & ex forma, quorum neutra præerat in rerum natura. Deinde, materiam hanc creati, constat, quia fit ex nihilo. Et hanc materiam primam non produci à Deo ad exigentiam naturalem dictæ immutationis, præcedentis in quantitate Sacramentali, patet, quia ad materiam primam, quæ producitur extra subiectum (quia ipsa est primum subiectum) nulla est, neque præcedit dispositio & immutatio: sed illam produci ad exigentiam occultationis mysterij, quia si non produceretur materia prima, non succederet substantia aliqua totalis ad corruptionem specierum, quod dabitur non leue indicium mysterij Eucharistiæ.

Addimus, materiam primam & formam produci in instanti aut tempore: quia si substantia, quæ succedit speciebus, sit viuens, vt vermis, producitur in instanti, si verò sit non viuens, producitur in tempore, quia productio substantiæ succedentis sit in eadem duratione, in qua fieret, si sub accidentibus Sacramentalibus esset propria substantia ipsorum.

Sed an creetur à Deo noua numero materia prima, an recreetur illa eadem numero, quæ destructa fuit in conuersione Eucharistica, incertum est. Credimus tamen, contra non paucos, vt optimè Suarez & Ægidius, eandem numero materiam primam reproduci, quia recreando eandem numero materiam est minor mutatio in rerum natura, quam in creando nouam numero materiam; quia in recreando eandem tantum fit ipsa recreatio, & noua introductio quantitatis Sacramentalis in ipsa materia antiqua recreata, in creando verò nouam numero materiam, fiunt ipsum creare materiam nouam, & annihilare quantitatem Sacramentalem, ne transeat ad nouum subiectum, & producere nouam quantitatem in materia creata.

Sed à quo forma illa substantialis producatur, & consequenter substantia ipsa totalis succedens, an à solo Deo, an ab agente naturali, incertum est. Credimus tamen, contra Scotum & Vasquez, vt benè Suarez & Ægidius, produci ab agente naturali immutante quantitatem Sacramentalem, quia verè potest ab ipso produci; ergo ipsi non est denegandum. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia in instanti, aut in eo tempore in quo forma illa producitur, adest materia prima à Deo recreata, in qua & ex qua possit ab agente naturali produci; & est extensa per quantitatem Sacramentalem à Deo in eo instanti aut in eo tempore reunitam materiæ primæ, si necessaria est extensio in materia prima, vt ipsi contiguetur, & approximetur, vt nos credimus esse necessariam: & etiam credimus, formam illam produci ab agente naturali ad exigentiam naturalem materiæ primæ, & dispositionum naturalium ab agente naturali productarum in dicta quantitate, quia in ea duratione adest materia prima, quæ naturaliter exigit formam: & adsunt dispositiones ad formam productam in quantitate tunc reunita à Deo materiæ pri-

mæ. Vnde materia prima, quantitas, & dispositiones, sunt prius naturâ, quam forma producenda ab agente naturali, quia conducunt ad productionem illius. Materia prima, tamquam causa materialis in qua, & ex qua producitur ab agente naturali: & quantitas, quasi conditio in actu primo, vt agens naturale contiguetur, & approximetur materiæ primæ, vt in ipsa & ex ipsa formam producat: & dispositiones conducunt, vt agens naturale illam producat in materia, & ex materia disposita.

## DIFFICULTAS VII.

*Quomodo ex accidentibus, seu ex speciebus Sacramentalibus, possimus nutriri.*

Conueniunt Theologi, nos posse nutriri accidentibus, seu speciebus Sacramentalibus in iusta quantitate sumptis. Est tamen difficultas circa modum, quo fieri possit nutritio.

Circa modum hunc quilibet philosophatur eodem modo, quo circa productionem substantiæ speciebus corruptis succedentis, de quo egimus Difficultate præcedente.

Iuxta doctrinam ergo à nobis in ea traditam, dicendum est, nos nutriri sumptione specierum Sacramentalium, non quia nutriamur ex Corpore & Sanguine Christi, quia Corpus & Sanguis Christi non conuertuntur in substantiam nostram, quia sunt incorruptibili modo sub speciebus: neque quia nutriamur ex ipsis speciebus, quia species non possunt habere vicem materiæ primæ, vt in ipsis forma alimenti aut hominis introducatur: sed quia nutriamur ex ipsa substantia ab agente naturali producta, speciebus in stomacho corruptis succedente, quæ habet rationem alimenti; quia speciebus in stomacho corruptis, succedit talis substantia, qualis ex digestionem substantiæ panis, si adesset, ex vi caloris naturalis succederet pro alimento, quia substantia ipsa panis non est immediatum alimentum, sed substantia ipsi post digestionem succedens. Nutrimur ergo ex speciebus Sacramentalibus, quia substantia, ipsi in stomacho digestionem corruptis pro alimento succedens, conuertitur in substantiam hominis vi caloris naturalis. Et eadem proportionem ex speciebus Sacramentalibus vini in magna copia sumptis inebriamur, ac si sub illis esset substantia vini: quia sicut substantia vini, si adesset, vi caloris naturalis resolveretur in vapores, quibus in cerebrum ascendentibus inebriamur; sic etiam substantiam vini non existente, sed tantum speciebus, virtute diuina recreatur materia prima, & ipsi reunitur quantitas cum dispositionibus vi caloris naturalis introductis in illa, & in ea materia prima virtute eiusdem caloris producitur substantialis forma vaporis, quam calor naturalis produceret, si vinum non defuisset.

Nutrimur ergo sumptione specierum Sacramentalium non ex ipsis tamquam ex alimento adhuc mediato, quia non nutriamur immediatè ex aliquo in quod species ipsæ conuersæ fuerint, sed tantum nutriamur ex illis occasionaliter, quia nutriamur ex substantia dicto modo succedente ipsis corruptis, cuius aliqua pars sub vna forma ad nutritionem reseruetur, & alia pars sub alia forma in secessum emittitur.

Obseruandum autem est. Primò contra Waldenses



denfes tom. 2. de Sacramentis cap. 60. Corpus & Sanguinem Christi etiam manducari & bibi ab auibus & à bestijs, Species Sacramentales fumantibus, ratione ipsarum specierum, quia eas verè (quamvis non Sacramentaliter) manducant, & bibant, quia species dictæ verè sunt cibus & potus materialis earum.

Obferuandù est Secundò, in quo contra Bonaventuram in 4. dist. 13. art. 2. q. 3. conueniunt communiter Theologi, Corpus Christi non deserere species nondù corruptas, sed eas comitari, etiam si à bestia aliqua fumantur, aut in locum aliquem fordidù incidant, quia Corpus & Sanguis Christi succedunt loco substantiæ panis & vini, ac proinde tamdiu perseverant sub speciebus, quamdiu substantia panis & vini perseveraret sub illis. Imò in Directorio Inquisitorum par. 2. quæst. 10. refertur Gregorius XI. damnaſſe aſſerentes, sub hostia consecrata in lutum aut in locum fordidum proiecta non manere Corpus Christi, nondum corruptis speciebus. Et fanè Christus prout est sub speciebus, nequit coinquinari ex immundo loco, quia est sub speciebus modo impassibili ab agente naturali corporeo.

Ex quo etiam constat, Christum non deserere species ad introitum earù in stomachum (vt falsò credit Glossa in can. *Tribus*. de Consecratione, dist. 2. ne Christus in stomachum immundum descendat) quia id non tantùm est contra communem Theologorum sensum, & contra prædictam rationem, sed etiam contra Scripturam Ioan. 6. vbi supponitur, Corpus & Sanguinem Christi manducari & bibi: quia quod nõ traiecitur in stomachum, non dicitur manducari neq; bibi, quamuis ore sumatur, & gustetur, & dentibus teratur, ea enim quæ ore sumuntur, quamuis dentibus terantur, & gustentur, non dicuntur manducari, neque bibi, si eiciantur extra os, antequam in stomachum traieciantur.

### DIFFICULTAS VIII.

*Utrum per mixtionem liquoris cum speciebus vini consecratis, Sanguis Christi desinat esse sub illis.*

Alexand.  
Maior.

**I**N primis Alexander 4. par. quæst. 10. mem. 7. art. 7. & Maior in 4. dist. 12. q. 4. dub. 3. docent, mixtione liquoris non consecrati, v. g. vini aut aque cum speciebus cõsecratis, Sanguinem Christi desinare esse sub illis, quamvis mixtio fiat solum diuisione & penetratione, absque alia physica alteratione, quia per eam mixtionem desineret esse substantia vini, si adesset sub illis accidentibus, quia ex substantia vini, & ex liquore illo, coalesceret alia tertia substantia, ab ipsis quæ miscentur distincta.

Sotus

Secundò Sotus in 4. dist. 10. q. 2. art. 8. docet, quòd si gutta vini consecrati misceatur magnæ copiæ vini non consecrati, Sanguis Christi manebit sub gutta illa consecrata, quando vinum consecratum & non consecratum sunt eiusdem speciei; si tamen sint diuersæ speciei, poterit gutta illa consecrata corrumpi à vino nõ consecrato, & tunc sicorrumpatur, non manebit Sanguis Christi sub gutta illa. Quòd si species consecratæ misceantur cum alijs consecratis, sub omnibus manebit Sanguis Christi, quomodocumque misceantur.

Tertiò Paludanus in 4. dist. 12. q. 5. art. 2. & Capreolus q. 1. art. 3. ad argumenta contra secundam conclusionem docent, quòd si vinum infusum speciebus consecratis, non possit ipsis facillè misceri, quia vinum infusum, vel species consecratæ, sunt crassioris naturæ, ita vt non possit fieri diuisione & penetratio per partes minutissimas, non statim desinet esse Sanguis Christi sub illis diuisione & penetratione illa, nisi etiam accedat alteratio aliàs sufficiens ad corruptionem: si verò vinum infusum, & species consecratæ sint subtilioris naturæ, ita vt facillè possint per minutissimas partes diuidi & penetrari, tunc ea sola diuisione & penetratione species consecratæ corrumpentur, ac proinde sub illis non erit amplius Sanguis Christi.

Paludanus  
Capreolus.

Tandem Durandus in 4. dist. 12. q. 3. Valquez disp. 195. c. 6. Suarez disp. 57. sect. vlt. & Egidius q. 67. art. 8. docent, & meritò, per mixtionem liquoris cum speciebus consecratis factam sola diuisione & penetratione, absque physica immutatione specierum ad earum corruptionem sufficentem, Sanguinem Christi non desinare esse sub illis.

Durandus.  
Valquez.  
Suarez.  
Egidius.

Et in primis id probatur, quando liquor speciebus consecratis infusus est eiusdem speciei, vt quando speciebus vini rubri consecratis infunditur vinum rubrum non consecratum, quia tunc sola diuisione & penetratione, quamvis per minutissimas partes facta, non destrueretur propria substantia vini, si adesset sub speciebus; ergo sub ipsis non desinet esse Sanguis Christi, quia iste tamdiu perseverat sub illis, quamdiu perseveraret propria substantia vini. Antecedens autem probatur Primò, quia substantia non viuens, qualis est substantia vini, in qualibet minima parte, quamvis ab alijs separata, conseruari potest, quantum est ex parte quantitatis. Secundò, quia quamvis substantia vini conseruari non posset sub qualibet minima parte separata, & non continuata cum alijs, potest tamen sub qualibet minima continuata cum quantitate substantiæ eiusdem speciei, vt patet.

Quòd autem tunc, si adesset propria substantia vini consecrati, fieret vnum tertium vinum per continuationem, non sufficit, vt sub speciebus consecratis desinat esse Sanguis Christi: quia continuatio hæc, ratione cuius fieret vnum tertium vinum, si adesset propria substantia vini sub speciebus consecratis, non sufficeret, vt non maneret substantia propria, quæ esset ante continuationem (quamvis non maneret sub denominatione totius, sed partis) quia in materia illius vini consecrati, si adesset, nulla noua forma introduceretur, sicut neque in materia vini non consecrati infusi introducitur, & idè tunc ex pluribus substantijs, si etiam adesset propria vini consecrati, fieret vna non tam corruptione plurium, & productione tertiæ, quàm continuatione plurium; ac proinde non sufficeret, vt sub speciebus consecratis, quamvis continuatis cum accidentibus vini non consecrati, desineret esse Sanguis Christi, sicut econtrà diuisione, qua species consecratæ diuiduntur, non sufficit vt sub partibus, in quas fit diuisione, nõ maneat Sanguis Christi, quamvis media illa diuisione & discontinuatione, si substantia propria vini adesset, ex vna fierent plures distinctæ; quia adhuc facta ea discontinuatione, maneret eadem substantia vini in partibus discontinuatis, quæ antea erat in eisdem continuatis (quamvis

non



non sub denominatione partis, sed totius) ac proinde ex illa fierent plures, non tam per corruptionem vnius, & productionem plurium, quam per vnius discontinuationem.

Deinde idem probatur, quando liquor speciebus consecratis infusus est diuersæ speciei, vt quando infunditur aqua, quia etiam tunc sola diuisione & penetratione, absq; superaddita physica alteratione, non destrueretur propria substantia vini, si adesset, quamuis ex liquore illo, & ex propria substantia vini, si adesset, fieret vna tertia substantia per continuationem: quia tunc non destrueretur media aliqua physica alteratione, quia supponimus eam non esse; neque ex defectu magnitudinis, quamuis fiat diuisio in minutissimas partes, quia substantia non viuens nullam exigit determinatam magnitudinem ad sui conseruationem; neque destrueretur per continuationem (quamuis hæc esset possibilis, & fieret) ob rationem supra adductam.

Addidimus, per mixtionem liquoris cum speciebus consecratis factam sola diuisione, absq; superaddita physica alteratione ad corruptionem specierum sufficiente, Sanguinem Christi non desinere esse sub illis, quia si species ita alterentur, vt corrumpantur, quamuis earum corruptio fiat ab alijs speciebus consecratis, tunc Sanguis Christi desinet esse sub illis, quia tunc sub illis non maneret propria substantia vini: imò quando ita alterantur, vt sub illis non maneret substantia vini, tunc verè annihilantur à Deo.

Sed an in vno vino sit aliqua qualitas, alteri vino, quamuis diuersi coloris, opposita, & sufficiens ad destruendum, incertum est.

Ex dictis in casibus occurrētib; indicandum est, an quando sit mixtio liquoris cum speciebus consecratis, maneat sub ipsis Sanguis Christi, an non. In casu autem, in quo res maneat sub dubio, ita vt nequeat probabiliter seu prudenter iudicari manere vel non manere Sanguinem Christi, tunc species sunt absq; irreuerentia tractandæ, & à sacerdote sumendæ, aliàs exponemur probabili periculo indignè tractandi species consecratas.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum quando Christus desinit esse sub speciebus, mutetur.*

Supponimus Christum non desinere esse sub speciebus primariò per mutationem sui, quia Christus non deserit species, quia ipse hoc aut illo modo mutetur, sed desinere esse sub illis, quia illæ corrumpuntur.

Est tamen difficultas, An quando Christus desinit esse sub speciebus, quamuis ad corruptionem ipsarum, nihilominus Christus mutetur.

Alexand.  
Ledesma.

Alexander 4 par. q. 11. memb. 2. art. 2. & Ledesma 1. p. q. 17. art. 6. dub. 5. & 6. docent, Christum non mutari, quia incipit esse sub speciebus, nulla facta mutatione in ipso, sed sola conuersione panis & vini in ipsum; ergo quando desinit esse sub speciebus, nullo modo mutatur.

Vasquez.  
Suarez.

Vasquez verò disp. 195. n. 57. Suarez disp. 54. sect. 1. & communiter Theologi docent, Christum physicè mutari, quòdo desinit esse sub speciebus; & meritò: quia secundum nostram sententiam Christus est sub speciebus modo quodam formali

accidentali vnionis cum illis, existente in ipso Christo, & est præsens in loco earum, præsentia accidentali de prædicamento Vbi. Ergo quando desinit esse sub speciebus, amittit dictam vnionem & dictam præsentiam: ergo tunc physicè accidentaliter mutatur, non positiuè aliquid acquirendo, sed negatiuè seu priuatiuè duo illa amittendo.

Quod verò aliqui dicunt, nempe Christum, cum desinit esse sub speciebus, seu cum illas deserit, in cælum localiter moueri, & ire, falsum est; quia quamuis Christus tunc deserat locum specierum, nullum tamen de nouo acquirit, sed retinet quem habet in cælo. Si tamen Christus non esset in cælo, neque alibi, nisi in vna Hostia consecrata, & hæc corrumpatur, Christus maneret in loco specierum circumscriptiuè, quia ex ipso naturaliter pullularet præsentia ipsi naturalis in eo loco, sicut ex aqua calida frigiditas, ne maneret absque omni præsentia.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum desinitio Christi sub speciebus, sit conuersio ipsius in substantiam sibi succedentem.*

Ex supradictis constat, speciebus corruptis, & eo ipso Christo desinente esse sub speciebus illis, succedere substantiam aliquam creatam. Et etiam constat, corruptionem specierum non esse conuersionem ipsarum in substantiam illam ipsis succedentem, sed esse annihilationem: quia non corrumpuntur ex vi productionis illius substantiæ, quia non est directæ impossibilitas, & oppositio in rerum natura inter substantiam illam, & inter species Sacramentales.

Est ergo difficultas, An desinitio Christi sub speciebus, sit conuersio ipsius in substantiam sibi succedentem.

Non desunt recentiores, qui existimant, eam desinitioem Christi esse veram conuersionem & transubstantiationem in substantiam ipsi Christo succedentem (ac proinde Christum conuerti in nostram substantiam, quando illum Sacramentaliter suscipimus) quia ea desinitio est transitus à substantia Christi in substantiam ipsi succedentem.

Suarez verò disp. 54. sect. 2. & plures alij recentiores existimant, eam desinitioem Christi non esse veram conuersionem, & meritò: Primò, quia substantia Christo succedens, non est opposita & impossibilis cum Christo ex natura rei, neque ex significatione verborum, quia Christus non desinit esse sub speciebus, quia succedit alia substantia, seu quia sit qui intendat illam producere sub illis speciebus, sed tantum desinit esse sub speciebus ex pacto & voluntate Dei, quia species corrumpuntur, vt occultetur mysterium. Secundò, quia quamuis Christus desineret esse sub speciebus ex vi substantiæ succedentis, quia esset impossibilis cum Christo sub speciebus, quæ verè non est, non tamen conuerteretur in eam substantiam, quia Christus non corrumpatur; ad conuersionem autem vnius in aliud, necessaria est corruptio eius quod conuertitur; ac proinde desinitio Christi sub speciebus non est transitus Christi in substantiam succedentem, ob duas dictas rationes.



## DISPUTATIO VIII.

## De effectibus Sacramenti Eucharistiae.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum Sacramentum Eucharistiae conferat augmentum gratiae iustificantis.*

**P**RÆTER hæreticos, qui generaliter omnibus Sacramentis novae legis negant virtutem ad conferendam gratiam iustificantem ex opere operato, non satis constat fuisse aliquem, qui veritatem hanc negaverit, specialiter Eucharistiae.

Conveniunt ergo Theologi (vno aut altero forsitan excepto) Sacramentum Eucharistiae ex opere operato conferre augmentum iustificationis dignè suscipientibus illud: quod iam definitum est ab Ecclesia, ut constat ex Decreto Eugenij IV. & ex Tridentino sess. 7. can. 6. 7. & 8. & ex sess. 13. cap. 2. si inter se conferantur.

Eugen. IV.  
Trident.

Et id deducitur ex illo Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam eternam.* Nemo autem dicitur habere vitam æternam nisi qui vivit vita gratiae iustificantis: sed nullus virtute Eucharistiae incipit de novo vivere vita gratiae per se (sed ad summum aliquando & per accidens) quia Eucharistia vivimus tamquam cibo & potu; nullus autem incipit vivere cibo & potu, sed qui iam est vivens eis nutritur, & recreatur, ut amplius expendemus Diffic. VII. & VIII. ergo virtute Eucharistiae vivitur augmento vitæ gratiae, & illud confertur.

Ita tamen virtute Sacramenti Eucharistiae confertur augmentum gratiae iustificantis dignè suscipientibus illud, ut etiam conferantur auxilia gratiae actualia ad peculiare fines, in quos institutum fuit hoc Sacramentum, nempe auxilia ad liberationem à peccatis venialibus, & etiam ad præservationem à mortalibus, ut perseveremus in vita spirituali; quia perseverantia in ea est effectus nutritionis spiritualis, ad quam Sacramentum Eucharistiae ordinatur, & etiam ad alios peculiare fines, de quibus constabit ex dicendis: quia generale & commune est omnibus Sacramentis, ut virtute eorum conferantur auxilia efficacia gratiae ad proprios & peculiare fines eorum (quamvis non infallibiliter) ut docent communiter Theologi, & nos diximus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione III. Difficultate III.

## DIFFICULTAS II.

*Quando augeatur gratia iustificans virtute Sacramenti Eucharistiae.*

**C**irca hanc Difficultatem duo examinanda sunt: alterum est, quo tempore Sacramentum Eucharistiae incipiat conferre augmentum gratiae iustificantis; alterum est, quanto tempore duret virtus illius conferens augmentum gratiae.

Sotus.  
Ledesma.  
Henriq.  
Valentia.  
Ægidius.

Circa prius Sotus in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. Ledesma 1. parte 4. quæst. 20. art. 1. Henriquez 1. 8. c. 43. Valentia disp. 6. q. 7. pun. 1. Ægidius q. 79. n. 23.

& Bonacina disp. 4. quæst. 4. pun. 2. docent Sacramentum Eucharistiae conferre augmentum gratiae in instanti ultimo terminatio traiectionis specierum ad stomachum, seu deglutitionis in quo finitur seu perficitur traiectio specierum in stomachum, seu deglutitio earum, & non antea; & merito: quia effectus iste Eucharistiae, utpote instituta instar cibi & potus, promissus est à Christo manducationi & potationi illius, ut constat ex illo Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam eternam*, & non nisi manducationi & potationi perfectæ & completæ: sed manducatio & potatio perficiuntur & complentur in ultimo instanti transmissionis cibi & potus in stomachum, seu deglutitionis eorum; quia manducatio & potatio non solum includunt summionem cibi & potus in ore, sed etiam transmissionem eorum in stomachum, & in ea consumuntur; traiectio autem, seu motus traiectionis non perficitur & consummatur usque ad ultimum instans terminatum ipsius, quia usque ad illud semper superest aliquid motus traiectionis: ergo augmentum gratiae confertur in eo ultimo instanti terminatio dicti motus traiectionis, in quo motus iste definit per primum non-esse, siue in eo instanti ultimo producatur aliquod indivisibile motus, ut nos credimus, siue non producat, ut alij existimant. Quod autem manducatio & potatio non solum includant summionem cibi & potus in ore, sed etiam traiectionem eorum ad stomachum, seu deglutitionem eorum, patet: quia qui nondum deglutiit cibum & potum, seu nondum traiecit illos in stomachum, quamvis eos habuerit in ore, non dicitur manducasse neque potasse: in eo autem instanti ultimo, in quo finitur deglutitio & traiectio cibi & potus, & consequenter manducatio & potatio, dicitur quis manducare & potare, quia tunc perficit & complet manducationem & potationem, & antea non dicitur manducare neque potare, sed dicitur incipere manducare & potare, quia antea non traiecit neque deglutiit perfectè: & in eodem instanti dici potest manducasse & potasse, quia ante illud instans præcesserunt omnes partes traiectionis & deglutitionis; & ideo dici potest augmentum gratiae conferri ei qui manducat & potat Eucharistiam, & etiam ei qui manducavit & potavit.

Bonacina.

Id autem fit non solum quando vnica formula, & sola consummatè deglutitur, sed etiam quando prima formula ex pluribus, quæ aliquando pro eodem Sacramento sumuntur, aut quando prima pars discontinuata ab alijs consummatè deglutitur, quia etiam tunc species totalis & perfectæ consummatè deglutitur, non verò quando aliqua pars formulæ continuata cum alijs partibus perfectè deglutitur & transmittitur, priusquam alia partes: quia etiam si in ea parte sit totus Christus, & manducatione aut potatione illius Christus manducetur aut potetur, tamen nihil primò deglutitur seu traiecit, in cuius indivisibili terminatio, & initiatio alterius, & continuatio vtriusque, possit augmentum gratiae conferri, quia ante quam-

cumque



eumque partē est alia prior & prior in infinitum, absque aliqua prima omnium; & ante quodcumque indivisibile terminatiū partis est aliud prius alterius partis prioris, & ante illud est aliud prius in infinitum absque aliquo primo omnium, ac proinde congruenter fuit à Christo institutum, ut augmentum gratiæ conferatur in ultimo instanti deglutitionis speciei totalis & perfectæ, ut sit ali- quod instans fixum, in quo semper conferatur.

Circa posterius Caietanus q. 79. art. 1. & Richardus art. 1. 3. docent, Sacramentum Eucharistiæ conferre gratiæ augmentum continuè, toto tempore quo durant species sacramentales incorrupte in stomacho. Primò, quia id est maximè conforme benignitati Dei. Secundò, quia Sacramentum Eucharistiæ institutum est in cibum & in potum spirituales animæ. Ergo quamdiu in stomacho perseverat, confert augmentum gratiæ, sicut cibus & potus corporalis tamdiu operantur ad nutritionem & ad refrigerationem, quamdiu sunt in stomacho.

Suarez.  
Reginald.  
Ægidius.

Doctrinam hanc Caietani & Richardi ex parte amplectantur Suarez disp. 63. lect. 7. Reginaldus lib. 29. n. 140. & Ægidius q. 79. art. 1. num. 42. docentes, species sacramentales, dum in stomacho incorrupte perseverant, retinere virtutem conferendi augmentum gratiæ, & illud tamdiu conferre, quamdiu durat actualis dispositio & deuotio; aut toties, quoties actualis dispositio & deuotio repetitur nouiter.

Sotus.  
Ledesma.  
Valentia.  
Henriq.  
Vasquez.  
Bonacina.

Sotus verò, Ledesma, Valentia, Henriquez, Vasquez, Bonacina, ubi supra, docent, & meritò, Sacramentum Eucharistiæ in sumptione ipsa, in ultimo instanti terminatio illius, semel conferre totum suum augmentum gratiæ iustificantis, & postea nihil ampliùs conferre. Quod in primis & præcipuè probatur, quia ante tempora Caietani, communi Ecclesiæ sensu firmatum erat, in sola sumptione ipsa augmentum gratiæ conferri (quia effectus iste in Scriptura tantum tribuitur manducationi & potationi Eucharistiæ) & semel tantum conferri, sicut contingit alijs Sacramentis: ergo non est dicendum, postea conferri, neque continuè, quamuis dispositio continuetur, nec postea discontinuè, quamuis repetatur. Consequentia patet, quia ad hoc affirmandum, nullum de nouo apparuit efficax fundamentum; absque fundamento autem efficaci nihil noui affirmandum est circa rem hanc, quæ pendet ex libera institutione Christi, præcipuè contra id quod communiter existimabatur in Ecclesiâ.

Deinde idem probatur ab incommotis, Primò, quia aliàs, qui indignè suscepit Eucharistiæ, si postea ante corruptionem specierum in stomacho perfectè conteratur, aut aliter rectè disponatur, recipiet gratiam Eucharistiæ, quod quamuis dicti Doctores admittant, sed absque fundamento, & contra communem fidelium sensum. Secundò, quia aliàs melius & vtilius esset maiorem quantitatem specierum sumere, quia maiori temporis spatio durabunt in stomacho absque corruptione, & sic iuxta sententiam Caietani & Richardi toto illo tempore gratiam conferrent, aut iuxta sententiam eorum, qui Caietani & Richardi ex parte sequuntur, possent gratiam conferre, & conferrent, si actualis dispositio non cesset, aut si repetatur. Tertio, quia aliàs, iuxta sententiam Caietani & Richardi, ille qui post dignam sumptionem

Eucharistiæ ante corruptionem specierum peccat mortaliter, v.g. peccato furti, aut luxuriæ, etiam peccaret peccato sacrilegij, quia peccato illo mortali impedit effectum gratiæ, quem species in stomacho, etiam absque continuata & absque noua dispositione conferrent; sicut etiam peccat peccato sacrilegij, qui suscipit Eucharistiæ in peccato mortali, quia eo impedit effectum gratiæ Eucharistiæ. Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, id esse maximè conforme benignitati Dei, nihilominus absque maiori fundamento non sufficere, ut contra antiquam & communem fidelium sensum affirmetur.

Ad secundam concedimus, Sacramentum Eucharistiæ esse cibum & potum spirituales animæ; negamus tamen, in eo assimilari cibo & potui corporali, quod semper, dum est in stomacho, operetur ad nutritionem, & ad refrigerationem spirituales; imò dissimiliter se habent, quia cibus corporalis non statim, ac perficitur manducatio, nutrit, sed transacto aliquo tempore, in quo disponitur ad id; neque statim, ac potatio perficitur, refrigerat, sed postea: Sacramentum verò Eucharistiæ statim, ac est perfectè manducatum aut potatum, nutrit aut refrigerat in instanti ultimo terminatio manducationis aut potationis, & non postea.

### DIFFICULTAS III.

*Quæ dispositio sit necessaria in suscipiente Eucharistiæ, ut augmentum gratiæ ipsius recipiat.*

Conueniunt Theologi, in suscipiente Eucharistiæ esse necessarium statum gratiæ & sanctitatis, ut augmentum virtute Eucharistiæ recipiat, ut ex se patet.

Est tamen difficultas, An præter statum gratiæ aliqua alia dispositio requiratur ad id.

Alexander 4. p. q. 10. mem. 8. art. 3. S. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. art. 1. quæst. 13. Durandus q. 4. Paludanus quæst. 1. art. 2. Caietanus q. 79. art. 1. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 6. & Siluester v. Eucharistia. docent, in suscipiente Eucharistiæ, ad percipiendum fructum augmenti gratiæ ipsius, præter statum gratiæ requiri affectum aliquem deuotionis: quod Patres significare videntur, dum in suscipiente Eucharistiæ, magnam deuotionem requirunt. Et ratione probatur. Primò à simili: quia ut quis cibo corporali nutriatur, necessarium est, quòd vitaliter concurret & cooperetur; ergo ut quis cibo spirituali Eucharistiæ nutriatur, necessarium est quòd vitaliter concurret affectu aliquo deuotionis. Secundò ab absurdo probatur, quia aliàs si actualis aliqua deuotio necessaria non sit, innumeri Sacerdotes, qui in statu gratiæ Eucharistiæ sumunt, ingens quoddam & incredibile augmentum gratiæ obtinuissent.

S. Thomas verò q. 79. art. 8. Gabriel lect. 85. in can. litt. T. Sotus in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 8. Adrianus in 4. quæst. 1. de Eucharistia, Vasquez d. 206. Suarez d. 63. lect. 3. Ægidius quæst. 79. art. 1. dub. 1. Reginaldus lib. 29. cap. 6. q. 3. & Bonacina disp. 4. q. 6. pun. 1. docent, & meritò, in suscipiente Eucharistiæ, præter statum gratiæ, nullam aliam actualem deuotionem requiri ad percipiendum augmentum gratiæ virtute ipsius Eucharistiæ. Quod satis indicat Tridentinū sess. 13. c. 3.

Alexand.  
S. Thomas.  
Durandus.  
Paludan.  
Caietanus.  
Antonin.  
Siluestr.

S. Thomas.  
Gabriel.  
Sotus.  
Adrianus.  
Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.  
Reginald.  
Bonacina.



dum præter statum gratiæ nullam aliam dispositionem requirit, quam, si necessaria esset, absque dubio requireret. Et id ratione probatur Primò, quia nullum apparet firmum fundamentum necessitatis dictæ actualis dispositionis. Secundò, quia alijs Ecclesia inutiliter & indignè antiquitas administrasset Eucharistiam paruulis, & nunc his qui post vsum rationis in amentiam incidunt, quia paruuli & amentes nequeunt actualem aliquam deuotionem habere. Tertio, quia alijs, qui absq; actuali dispositione Eucharistiam sumeret, peccaret mortaliter, quia impediret effectum illius, & eius efficacitatem frustraret.

Qui ergo in statu gratiæ Eucharistiam sumit absq; actuali dispositione, non solum recipit augmentum gratiæ, vt ex dictis patet, sed etiam nullo modo peccat, quia non frustrat efficacitatem Eucharistiæ: imò quamuis, dum Eucharistia sumit, peccet venialiter, non solum recipit augmentum gratiæ, vt aduertunt S. Thomas, Vasquez, Suarez, Reginaldus & Bonacina: quia peccatum veniale actualiter commissum (adhuc sumptione ipsa, vt quando hæc fit ex fine veniali) nõ destruit statum gratiæ, qui sufficit ad percipiendũ dictum augmentum, sed neque committit nouum peccatum veniale sacrilegij, quia peccato illo veniali actualiter commissio non frustrat efficacitatem Eucharistiæ.

Obseruandum tamen est, statum gratiæ, quamuis ex institutione Christi requiratur ad percipiendum augmentum gratiæ virtute Eucharistiæ, non tamen requiri tamquam dispositionem, quia dispositio importat ordinem aliquem proportionatum ad productionem effectus, vt calor ad productionem ignis, sed requiri, vel tamquam remotionem impediendi, peccati videlicet mortalis, vel potius tamquam formã, ex institutione Christi habilitantem subiectum ad augmentum gratiæ virtute Eucharistiæ percipiendum. Et quia status gratiæ nõ est dispositio, idèò augmentum gratiæ non confertur iuxta mensuram status gratiæ, ita vt, ceteris paribus, detur maius habenti maiorem gratiam, & minus habenti minorem; sed confertur iuxta mensuram deuotionis circa Eucharistiam, quia affectus & deuotio circa ipsam, aut circa illius sumptionem, aut circa Deum auctorem illius, aut circa Christum in ipsa contentũ, est dispositio & cooperatio ad sumptionem Eucharistiæ.

Patres ergo pro aduersarijs adducti, qui in suscipiente Eucharistiam cupiunt actualem deuotionem, aut aliam actualem dispositionem, non exigunt illam vt necessariam, sed ad eam exhortantur tamquam maximè vtilem ad effectum Eucharistiæ, qui crescit ob illam, & tamquam maximè congruam dignitati illius.

Et ad primam rationem concedimus, Eucharistiam vt cibum spiritualem nutrire, diuerso tamen & dissimili modo, quam corporalem: quia Eucharistia nutrit efficienter, & non tamquam materia quæ conuertatur in augmentum gratiæ; cibus verò corporalis non nutrit efficienter, sed tamquam materia quæ conuertitur in augmentum illius quem nutrit: & idèò viuens debet efficiẽter & vitaliter concurrere ad nutritionem corporale agendo in cibum, quia non est aliud agens particulare quod id efficiat, non verò est necessarium quod famens Eucharistiam efficienter cooperetur, sed sufficit, quòd supponatur spiritualiter viuus.

Ad secundam concedimus, Sacerdotes, qui in statu gratiæ Eucharistiam sumunt, peruenire ad ingens augmentum gratiæ, & credibile. Cui non obstat, quòd in illis sint plura peccata venialia, quia hæc non sunt impossibilia cum augmento gratiæ adhuc ingente. Quòd autem non experiantur dictum augmentum, non est mirum, quia augmentum habitus infusi, quantumuis ingens, non cadit sub experientiam, sicut cadit augmentum habitus acquisiti, quia habitus infusus non præstat facilitatem ad operandum, sicut præstat habitus acquisitus.

## DIFFICULTAS IV.

*Utrum virtute Sacramenti Eucharistiæ, præter vnionem animæ cum Deo fiat medio augmento gratiæ, etiam fiat vnio aliqua inter carnem suscipientis & inter carnem Christi.*

Doctores quidam Complutenses (vt refert Vasquez disp. 204. cap. 1.) contra Cardinalem Mendocã, qui in publica concione oppositum docuit, affirmarunt, præter vnionem spirituale animæ cum Deo, mediante augmento gratiæ collato virtute Sacramenti Eucharistiæ, nullam aliam reperiri inter carnem Christi: quod tradidisse videntur Damascenus 4. de Fide orthod. c. 14. Pseudo-Cyprianus Sermone de Cœna Domini. Et ratione probatur: quia si vnio aliqua virtute Sacramenti Eucharistiæ daretur, esset quasi inter materiam & formam, vel tamquam inter agens & passum, quia nulla alia excogitari potest; sed nequit esse quasi inter materiam & formam, quia ex carne suscipientis, & ex carne Christi non resultat aliquod tertium compositum tamquam ex partibus, sicut resultat ex materia & forma; neque esse potest tamquam inter agens & passum, quia neque ex carne Christi sub speciebus, neque ex speciebus ipsis deriuatur aliquid in carnem suscipientis: & quamuis deriuaretur, non esset sufficiens ad vnionem realem inter carnem illius & carnem Christi, quia ex Sole deriuantur plures effectus in hæc inferiora, & tamen non vnitur realiter cum illis.

Dictis Doctoribus acquiescere videntur Petrus Martinez, etiam Doctor Complutensis, in Epistolam Iudæ 3. parte Comment. loco 23. & Becanus cap. 22. q. 5. dum non agnoscunt aliam vnionem inter carnem suscipientis & carnem Christi, nisi propinquitatem localem inter eas, quatenus caro Christi est sub speciebus in stomacho suscipientis; & etiam Bonacina disp. 4. quæst. 4. pũ. 1. dum non agnoscit aliam vnionem, nisi spiritualem cum Christo & cum fidelibus.

Roffensis verò lib. 4. contra Oecolampadium cap. 21. & 32. Hosius in Confessione Catholica cap. 42. Bellarminus lib. 1. de Eucharistia cap. 12. Toletus in cap. 6. Ioannis annotat. 29. Alanus lib. 8. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 28. Suarez disp. 64. sect. 3. & Vasquez disp. 2004. cap. 2. docent, & meritò, virtute Sacramenti Eucharistiæ non tantum fieri vnionem spiritualem animæ suscipientis cum Deo, & cum anima Christi, per affectum ratione augmenti gratiæ & charitatis, collati virtute Sacramenti Eucharistiæ, sed

S. Thomas.  
Vasquez.  
Reginald.  
Bonacina.

Car. Mend.

Damascen.  
Pseudo-Cy.

Pet. Mart.

Becanus.

Roffensis.  
Hosius.  
Bellarminus.  
Toletus.  
Alanus.  
Suarez.  
Vasquez.



sed etiam fieri peculiarem vnionem realem inter carnem Christi & inter carnem dignè suscipientis, quæ etiam corruptis speciebus, & non manente Christo secundum substantiam in stomacho, perseverat. Quod absque dubio tradunt Hilarius l. 8. de Trinitate, & refertur in can. *In Christo Patet*. de Consecratione, dist. 2. Chrysostomus Homil. 46. in Ioan. Cyrillus Ierosolym. Catechesi 4. Damascenus 4 de Fide, c. 14. Cyrillus Alexandrinus l. 4. in Ioann. c. 14. Irenæus l. 4. Aduersus hæreticos, ca. 34. Leo I. Epist. 3. & refertur can. *In quibus*. de Consecratione, dist. 2. & Innocentius III. l. 4. de Mysterijs Millæ, c. ult. dum omnes prædicti assignant peculiarem vnionem realem inter carnem Christi & carnem dignè suscipientis Sacramentum Eucharistiæ, tamquam peculiarem effectum huius Sacramenti, & contendunt, hanc vnionem tamdiu perseverare, quamdiu dignè suscipiens perseverat in gratia.

Quod si Primò respondeas, Patres per figuram hyperbolem sic fuisse locutos, ad exaggerandam Sacramenti Eucharistiæ excellentiã; contra hanc responsionem est, quod, præterquam quod Patres eodem modo loquuntur de dicta vnione, & de præsentia Christi in Eucharistia, & de hac non loquuntur hyperbolicè, id est notare Patres hyperbolicæ locutionis, quæ veritatem excedit.

Quod si secundò respondeas, Patres tantum velle, quod Verbum eo ipso quod vnitum fuit carni Christi, etiam quodammodo vnitum fuerit omnibus hominibus; contra responsionem est, quod non solum aduersatur Patribus in modo loquendi, sed etiam in re ipsa: quia secundum hanc responsionem negatur peculiaris vnio, quam Patres contendunt fieri virtute Sacramenti Eucharistiæ.

Quod si tertio respondeas, Patres tantum voluisse, carnem Christi vniri nostræ, quia in stomacho recipimus illam; contra responsionem est Primò, quod hæc vnio etiam fit inter carnem Christi & carnem indignè suscipientis Eucharistiæ. Secundò, quod Patres contendunt, vnionem ab ipsis assignatam perseverare, quamdiu suscipiens Eucharistiæ perseverat in gratia, & vnio illa localis tantum perseverat quamdiu Christus perseverat sub speciebus in stomacho.

Quod si quartò respondeas, Patres nõ assignare aliam vnionem inter carnem Christi & nostram, nisi eam quæ esse potest inter ipsas, ex eo quod à carne Christi tamquam ab instrumento diuinitatis diriuetur in carnem dignè suscipientis Eucharistiæ, virtus & qualitas, quæ caro nostra præparetur ad immortalitatem, similem ei quam habet caro Christi; contra responsionem est, quod, præterquam quod hæc qualitas fingitur absque fundamento, deriuatio illius ex carne Christi in nostram non sufficit, vt caro Christi & nostra fiant vna caro & vnum corpus, quod Patres intendunt.

Quod si quintò respondeas, Patres non assignare aliam vnionem, nisi eam quæ esse potest ex eo, quod virtute Eucharistiæ dignè susceptæ deriuentur & dentur dignè suscipienti auxilia gratiæ, medijs quibus efficiat membra sua arma iustitiæ ad pie & iustè operandum; contra hanc responsionem est. Primò, quod hæc deriuatio & collatio auxiliorum non sufficit, vt caro Christi & caro suscipientis sint vna caro & vnū corpus. Secundò, quia etiam virtute aliorum Sacramentorum deriuantur auxilia gratiæ ad opera pia & iusta, secundum fines pe-

culiæ eorum, & tamen Patres contendunt, virtute Eucharistiæ fieri peculiarem vnionem.

Vnio ergo peculiaris inter carnem Christi & carnem dignè suscipientis Eucharistiæ, proueniens peculiariter ex digna susceptione illius, & tamdiu perseverans, quamdiu suscipiens perseverat in gratia adhuc post specierum corruptionem, non est vnio aliqua physica, vt patet, sed est quædam vnio moralis, similis vnioni morali quæ est inter corpora coniugum, prouenienti ex copula, absq; irreuerentia & iniuria ab vno in alterum facta, ratione cuius fiunt vna caro & vnum corpus. Quia sicut coniuges non solum fiunt vna caro physice ratione copulæ quomodolibet adhuc iniuriosè habitæ, quia fiunt principium physicum vnus carnis & prolis, sed etiã fiunt vna caro moraliter ratione copulæ inter ipsos liberè & absque iniuria habitæ, quia hæc tam intima coniunctio liberè & absque iniuria habitæ, exigit moraliter vt vnus coniux carnem alterius quasi propriam respiciat, habeat, & tractet, & econtrà: ita etiam ex eo, quod Christus in Eucharistia carnem suam liberè communicet suscipienti tamquam cibum, quo spiritualiter nutriatur, & eã dignè suscipiens illam intra suam carnem & viscera liberè suscipiat absque iniuria & irreuerentia in Christum, caro Christi, & caro dignè suscipientis illam, fiunt vna caro & vnū corpus, non physice, vt patet, sed moraliter, quia hæc tam intima coniunctio liberè & dignè facta exigit moraliter, vt Christus carnem nostram, intra quã ipse & caro ipsius vt cibus spiritualis liberè & dignè suscipitur, habeat quasi propriam, & eam quasi propriam tractet, & econtrà, vt dignè suscipiens Eucharistiæ carnem Christi, quam intra se liberè & dignè recipit, eam habeat & tractet vt propriam. Nihilominus vnio hæc, quamuis tantum sit moralis, dicitur à Patribus realis, & naturalis, & substantialis, quia non fit ratione solius affectus, sed etiam ratione receptionis realis carnis Christi secundum rem, & secundum naturam, & secundum substantiam intra nos: & ob hanc vnionem moralem inter carnem Christi & nostram, prouenientem ex digna susceptione Eucharistiæ, Sacramentum Eucharistiæ dicitur à Patribus *Communio*.

Perseuerat autem vnio hæc moralis etiam post corruptionem specierum, quamdiu dignè suscipiens perseverat in gratia accepta: quia quamdiu in ea perseverat, caro dignè suscipientis digna est, vt ob mixtionem præcedentem cum carne Christi tractetur à Christo quasi propria, non verò post amissionem gratiæ.

Sumptio verò Eucharistiæ indigna, & in statu peccati mortalis facta, non vnit moraliter carnem Christi, & carnem indignè suscipientis, sed tantum localiter: quia sumptio illa non fit absque iniuria & irreuerentia in Christum, ob quod coniunctio illa localis, quamuis libera, non exigit vt caro dignè sumentis habeatur & tractetur à Christo quasi propria; sicut neque copula carnalis vi & oppressione facta, sic commixtos efficit vnã carnem moraliter, ob eamdem rationem, siue sint matrimonio coniuncti siue non, efficit tamen illos vnã carnem physice, id est principium physicum vnus carnis & prolis, ob quod inter sic cõmixtos, si matrimonio tantum rato coniuncti sint, cõsummat matrimoniũ, quia scilicet efficit illos principium vnus prolis, ad quam matrimoniũ ordinatur.

Hilarius.

Chrysost.

Cyril. Ierosol.

Damascen.

Cyr. Alex.

Irenæus.

Leo I.

Innoc. III.



Id verò, quod addit Vasquez, nempe, ad vnionem moralem inter carnem viri & carnem feminae requiri, quòd copula carnalis oriatur & fiat ex amore amicitiae, seu benevolentiae, & mutuo, dicitur absq; fundamento, imò & contra rationem: quia eo ipso, quòd copula fit liberè & absque iniuria & irreuerentia, exigit, vt caro vnus tractetur ab altero quasi propria, & econtra. Et sanè, copula carnalis regulariter oritur non ex amore benevolentiae in alterum, sed ex propria complacentia, seu benevolentia sui, & ex concupiscentia alterius, quia vnus alterum, vt sibi bonum, nempe delectabilem, concupiscit: & in sumptione digna Eucharistiae saepe contingit, vt non fiat ex charitate erga Deum, neque erga Christum vt hominem, sed ex complacentia propria, & ex concupiscentia Christi, vt sanctificantis medijs speciebus; & tamen vtraque haec coniunctio, quamuis sic facta, efficit sic coniunctos vnam carnem & vnum corpus.

Damascentus verò & Pseudo-Cyprianus pro aduersarijs adducti, ita agnoscunt vnionem spiritualem inter nos & Christum virtute Eucharistiae factam, vt non negent dictam vnionem moralem inter carnem Christi, & nostram: imò Damascenus etiam hanc non leuiter indicat. Et ad rationem respondemus, praeter vnionem physicam formae cum materia, & coniunctionem agentis cū passio, etiam esse vnionem moralem à nobis assignatam.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum Sacramentum Eucharistiae conferat gloriam in alia vita.*

**C**onueniunt Primò Theologi, gloriam animae in alia vita esse effectum Sacramenti Eucharistiae, non solum generali ratione, quia effectus illius est gratia sanctificans, quae est ius ad gloriam; sed etiam speciali ratione, quia scilicet perseverantia in gratia, ad quam infallibiliter consequitur gloria animae, est specialis effectus Eucharistiae. Est autem gloria animae vtroque modo effectus Eucharistiae, non immediatus & in se ipsa, sed mediatus & in radice, nempe in gratia, & in perseverantia in illa: quia in tantum Eucharistia est vtroque dicto modo causa gloriae, in quantum est causa gratiae, & perseverantiae in illa, ad quas infallibiliter consequitur gloria animae.

Conueniunt Secundò, gloriam corporis in alia vita esse effectum Eucharistiae, cuius effectus mentio fit Ioan. 6. illis verbis, *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* & ita esse effectum Eucharistiae, vt non sit infallibiliter futura in eo qui dignè sumpsit Eucharistiam, sicut neque gloria animae, ad quam consequitur. Et contra nonnullos, dicentes, gloriam quamdam accidentalem instar laureolae, qua distinguantur qui dignè sumpsit Eucharistiam, ab illis qui eam vel non sumpsit, vel indignè, esse effectum Eucharistiae, addimus, praeter gloriam illam corporis communem omnibus, non esse aliam gloriam corporis, quae sit effectus Eucharistiae, quia nullum est firmum fundamentum ad id.

Est autem gloria corporis effectus Eucharistiae, non immediatus, sed mediatus & remotus, & magis remotus quam gloria animae: & etiam vtroque illo modo, quo gloria animae, quia est effectus Eu-

charistiae generali ratione, quia scilicet Eucharistia est causa gratiae, quae est ius ad gloriam animae, ad quam debito congruitatis consequitur gloria corporis: & speciali ratione, non conueniente alijs Sacramentis, quia scilicet est causa perseverantiae in gratia, ad quam consequitur gloria animae, & ad hanc modo dicto consequitur gloria corporis. Vnde à Patribus optimè dicitur, carnem nostram per Eucharistiam ad immortalitatem praeparari, quia scilicet id verè fit vtroque modo dicto, generali videlicet & speciali, quamuis mediata.

Id verò, quod addunt Suarez disp. 64. sect. 2. & Aegidius quaest. 79. art. 8. nempe, gloriam corporis consecutam ad gloriam animae, etiam attribui Eucharistiae alio singulari modo, quia scilicet ob ipsam tamquam ob nouum titulum, quia per eam caro nostra coniungitur carni Christi, confertur, est omnino absque fundamento.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum Sacramentum Eucharistiae in hac vita producat aliquid in corpore dignè suscipientis.*

**R**ecentiores nonnulli docent, in corpore dignè suscipientis Eucharistia produci in hac vita qualitatem quamdam, ratione cuius corpus illius vnitur corpori Christi, & praeparatur ad immortalitatem, quia qualitas illa necessaria sit ad vnionem, & ad praeparationem praedictas, quas Patres tradunt.

Suarez verò disp. 64. sect. 1. Vasquez disp. 204. n. 28. & Aegidius quaest. 79. art. 8. docent, in corpore dignè suscipientis Eucharistiam nihil produci in hac vita, & meritò: quia qualitas haec absque fundamento fingitur, quia neque est necessaria ad dictam vnionem realem inter carnem Christi & carnem dignè suscipientis, quia tantum est moralis; neque est necessaria, vt caro nostra ad immortalitatem praepararetur, quia tantum praeparatur mediata duobus modis Difficultate praecedente adductis.

Addimus, vt optimè Vasquez, corpora nostra virtute Eucharistiae fieri arma & instrumenta iustitiae & virtutis, quia ad nutritionem spiritualem animae, & ad praeruationem à peccatis, quae sunt effectus Eucharistiae, pertinet externa protectio Dei, qua non solum in anima, sed etiam in corpore impediuntur prauis motus, & etiam pertinet interna inspiratio, qua ad actus bonos in anima & in corpore excitamur. Et his duobus modis, vt ex Patribus aduertunt Suarez & Aegidius, virtute Eucharistiae temperatur libido, & minuitur fomes, externa videlicet protectione Dei, & interna inspiratione, etiam facta in potentia imaginatiua sensitua.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum Sacramentum Eucharistiae per se remittat peccata mortalia.*

**L**utherus in Concione de Digna praeparatione ad Sacramentum Eucharistiae, Kemnitius 2. Parte Examinis Concilij Tridentini sess. 13. cap. 2. & 7. & Calvinus lib. 4. Institutionum, c. 3. docent, Sacramentum Eucharistiae per se remittere



mittere peccata mortalia, & ad eorū remissionem fuisse per se institutum, & idē non accedere indignē ad illud eum, qui accedit conscius peccati mortalis. Omissis autem varijs argumentis, quibus id probare contendunt, quia facilē solui & videri possunt apud Bellarminum l. 4. de Eucharistia, cap. 19. id præcipuē probant ex verbis consecrationis Calicis, quia primō in eis verbis Calix Christi dicitur *novum Testamentum in Sanguine*, Lucae 22. novum autem Testamentum continet pactum remissionis peccatorum, ut dicitur Ieremias 31. Deinde, quia in eis verbis de Sanguine Christi dicitur, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Catholici tamen conveniunt, Sacramentum Eucharistiae non remittere per se mortalia, neque ad eorum remissionem fuisse per se institutum.

Quod (ut Vasquez refert disp. 205. c. 1.) antiqua Patrum traditione confirmatum est, & satis indicat Tridentinum sess. 13. c. 2. dum assignans effectus Sacramenti Eucharistiae, ipsi tantum attribuit nutritionem spiritualem, & præservationē à mortalibus, & liberationem à culpis quotidianis commissis: at si etiam per se remitteret mortalia, non omitteretur à Tridentino, à quo numerata fuit præservatio ab illis; & can. 5. dum damnat illos, qui dicunt, vel præcipuum effectum Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex Eucharistia nullos alios effectus provenire; vbi per peccata absq; dubio intelligit mortalia, at si remissio mortalium esset effectus per se Eucharistiae, remissio illorum esset effectus præcipuus illius, ut patet, quia hæc fit media gratia iustificante, quæ est principalissimus effectus Eucharistiae. Idem quoque maximē indicant Patres, quos refert Vasquez vbi supra, dum dicunt, perniciosum esse cū conscientia peccati mortalis ad Eucharistiam accedere.

Et ratione, desumpta ex fine institutionis Eucharistiae, probatur, quia hæc per se instituta est tantum pro illis qui sunt vivi, quia tantum instituta est tamquam cibus & potus, & idē tantum sub speciebus panis & vini; cibus autem & potus non convenit mortuis ut ad vitam reuocentur, sed vivi ut non moriantur, & ut in vita vegetentur; ergo per se instituta est pro spiritualiter vivis, ut in vita spirituali crescant, & ut non moriantur spiritualiter, & non pro spiritualiter mortuis, ut ad vitam reuocentur; ac proinde per se instituta est ad augmentum gratiæ, & ad præservationem à mortalibus quibus anima moritur, & non ad reuocationem à morte, seu ad remissionem mortalium. Ex quo constat, eum qui ad Eucharistiam conscius peccati mortalis accedit, accedere contra institutionem illius, & consequenter indignē.

Ad ea verò quæ pro hæreticis ex verbis consecrationis Calicis adducuntur, respondemus, Calicem, aut Sanguinem Christi dici novum Testamentum, quia effusio illius in cruce fuit conditio, seu fœdus, sub quo relicta & promissa est nobis gratia & remissio peccatorum: & ob id Sanguis, qui in Calice consecratur, rectē dicitur novum Testamentum, continens pactum remissionis peccatorum, non quia, prout in Eucharistia, habeat hunc effectum ex opere operato, sed quia Sanguis, qui est in Eucharistia, prout fuit effusus in cruce, fuit pretium vniuersale remissionis peccatorum, & ob id etiam dicitur effundi in remissionem peccatorum.

## DIFFICULTAS VIII.

*Utrum Sacramentum Eucharistiae aliquando per accidens remittat peccata mortalia.*

Conueniunt Catholici, eum, qui existens in peccato mortali accedit ad Eucharistiam abique bona fide, id est nulla ignorantia excusatus à peccato indignæ susceptionis, de qua in fine Difficultatis, non iustificari ab illo, quia non fuit per se instituta ad remissionē mortalium, & idē eum, qui sic accedit, peccare nouo peccato mortali sacrilegi, quia sic accedens facit contra institutionem per se Sacramenti Eucharistiae absque bona fide, id est absque ignorantia aliqua sufficiente ad excusandum ab eo peccato.

Est tamen difficultas, An aliquando per accidens remittat mortalia, in eo videlicet peccatore, qui bona fide accedit.

Sotus in 4. d. 11. q. 2. art. 3. Ledesma l. p. 4. q. 20. art. 3. Sanctes Repetit. 6. de Eucharistia, cap. 10. Vega 9. in Tridentinum c. 34. Suarez disp. 63. sect. 1. Egidius q. 79. art. 3. Adamus q. 7. dub. 1. & Becanus c. 22. q. 1. docent, Eucharistiam in casu dicto remittere ex opere operato peccata mortalia, primam gratiam habitualem conferendo. Ducuntur autem testimonijs aliquorum Patrum, qui docere videntur, Eucharistiam remittere mortalia, quia ad minus id efficit per accidens, quando scilicet bona fide suscipitur à peccatore.

Alexander verò 4. par. q. 10. memb. 8. art. 1. Bonaventura in 4. d. 13. 2. p. distinctionis, art. 1. q. 2. Gabriel dist. 9. q. 2. art. 2. Maior q. 1. & Vasquez d. 205. c. 4. docent, & meritò, Eucharistiam nunquam ex opere operato remittere mortalia, neque primam gratiam habitualemente conferre. Quod indicat Tridentinum sess. 13. c. 2. dum Sacramento Eucharistiae attribuit, quod præseruet à mortalibus, & remittat venialia. At si Tridentinū sentiret, aliquando remittere mortalia, id etiā adderet, quia esset maximē vtile ad quietandas conscientias.

Et ratione probatur, quia non constat, Christum ad id instituisse Sacramentum Eucharistiae; ergo absq; fundamento id illi tribuitur. Consequentia patet, quia neque Eucharistia, neque aliud Sacramentum tribuit effectum aliquem, nisi ex institutione Christi. Antecedens autem probatur, quia id neque constat ex Scriptura, neque ex aliqua Ecclesiæ definitione, neque ex ipsa natura seu institutione Eucharistiae, neque ex antiqua aliqua traditione Patrum: ergo. Et in primis id non constat ex Scriptura, neque ex aliqua definitione Ecclesiæ, ut patet. Neque ex ipsa natura seu institutione Eucharistiae, imò ex ea oppositū deducitur, quia Eucharistia instituta fuit ut cibus & potus, qui nunquam ordinantur in suscitationem mortuorū, sed ad corroborationem & recreationem viuorum. Neque id constat ex antiqua Patrum traditione, quia nullus ex Patribus id affirmat.

Non negamus, Patres aliquos remissionem peccatorum Eucharistiae attribuere, hi tamen de venialibus explicandi sunt, quia nullam de mortalibus mentionem faciunt, & venialia verè remittuntur per Eucharistiam ex opere operato. Cyrillus verò Alexandrinus l. 4. in Ioan. c. 7. dū de Eucharistia ait, *non mortem solū, sed etiam morbos omnes depellit,*

Bellarmin

Vasquez.

Trident.

Vasquez.

Sotus.

Ledesma.

Sanctes.

Vega.

Suarez.

Egidius.

Adamus.

Becanus.

Sotus.

Ledesma.

Sanctes.

Vega.

Suarez.

Egidius.

Adamus.

Becanus.

Alexand.

Bonavent.

Gabriel.

Maior.

Vasquez.

Cyr. Alex.



*Damasceus* depellit, non loquitur de morte peccati præteriti, sed de morte peccati futuri, à qua Eucharistia præseruat, vt ex verbis, quæ Cyrillus subdit, deducitur. Et Damascenus 4. de Fide cap. 14. dum ait, Corpus & Sanguinem Domini omnē spureitiam abstergere, non loquitur de Eucharistia vt est Sacramentum, sed vt est sacrificiū: quia vt est sacrificiū, impetrat vt peccata mortalia deleantur, media impetratione auxiliorum efficacium ad id, vt ex verbis proximè antecedentibus Damasceni deducitur. Et Iustinus in Quæstionibus à gentibus Christianis, in responsione ad quæst. 44. dum ait, carbonem Dominicæ carnis conscientiam eorum, qui ipsam edunt, ab omni scelere expiare, tantum loquitur, vt ex contextu conijcitur, de esu carnis Christi nō in Eucharistia, sed de esu carnis per fidem edendæ, credendo in carne Christi mysterium incarnationis, per quod fuit quasi carbone igne Diuinitatis ignita; quia impij, siue infideles, de quorum sceleribus ibi loquitur, per hanc fidem, seu esum carnis Christi, cultores Dei effecti, & ad lauacrum regenerationis perducti, à suis sceleribus abluuntur. Ex quibus constat solutio ad principale fundamentum aduersariorum ex Patribus desumptum.

Inter eos verò Doctores, qui existimant, aliquando Eucharistiam per accidens primam gratiam habitualem conferre, & peccata mortalia remittere, controuersia est, quæ dispositio necessaria sit & sufficiat in suscipiente ad eum effectum.

Sunt qui dicant, ad id sufficere, quod suscipiens Eucharistiam omnino inuincibiliter, imò & probabiliter seu prudenter credat se esse in statu gratiæ, quamuis non habeat attritionem mortaliū, quorum sit remissio. Hi tamen absque fundamento aliquo id dicunt, imò & contrarationem: quia ad remissionem mortaliū, adhuc per Baptismum & per Pœnitentiam, quamuis sint Sacramenta pro mortuis instituta, ad minus est necessaria vera attritio illorum, imò etiam ad remissionem venialium faciendam adhuc per Eucharistiam.

Alij, existimantes, necessariam esse attritionem mortaliū quæ remittuntur, docent eam sufficere, etiam in conscio mortalis, quamuis cognitam & scitam, & non existimatam contritionem. Hi etiam manifestè falluntur ( nisi forsan in casu, in quo conscius mortalis bona fide accedat, non iudicans se indignè accedere) quia Eucharistia per se instituta est ad conferendum augmentum gratiæ; ergo contra finem & institutionem illius, & consequenter indignè accedit, qui conscius peccati mortalis accedit, sciens se tantum habere attritionem, nisi bona fide accedat; ac proinde non recipiet gratiam habitualement, quia in eo casu sic accedens peccat mortaliter.

Reliqui verò docent, ad id in suscipiente requiri & sufficere veram attritionem mortaliū quæ remittuntur, & quod suscipiat bona fide, & merito: & ex suppositione, quod Eucharistia aliquando per accidens conferat primam gratiam, & remittat mortalia: quia in primis attritio est necessaria, vt per eam aliquo modo peccator disponatur ad remissionem eorum mortaliū, sicut etiam requiritur in suscipiente Baptismū & Pœnitentiam. Deinde est necessarium quod suscipiat bona fide, vt ea excusetur à peccato mortali sacrilegij indignæ susceptionis, quia eo impeditur à susceptione augmenti gratiæ.

Ille autem dicitur suscipere bona fide ad id sufficiente, qui omnino inuincibiliter, aut probabiliter seu prudenter credit sibi nihil deficere ad dignè accedendum, vel quia non est conscius mortalis non remissi, vel quia si est conscius, credit inuincibiliter, siue physicè siue moraliter se habere contritionem; vel quia credit, quod quamuis sit conscius, & non habeat nisi attritionem, possit nihilominus dignè accedere, quia qualibet bona fide ex his, excusatur à dicto peccato indignæ susceptionis, & etiam ille dicitur suscipere bona fide sufficiente, vt excusetur à dicto peccato, qui non iudicat nec dubitat sibi deficere aliquid necessarij, vt possit dignè Eucharistiam suscipere.

## DIFFICULTAS IX.

*Quos alios effectus conferat Sacramentum Eucharistiæ.*

Conueniunt Theologi, per Sacramentum Eucharistiæ remitti peccata venialia quoad culpam, vt antiqua Patrum traditione firmatū est, & definitum in Tridentino sess. 13. c. 2. & remitti per illud mediatè, & ex opere operantis, medio actu seu opere contritionis, quam Deus medio auxilio efficaci excitat in eo qui dignè suscipit illud.

Est tamen difficultas, An etiam per illud remittantur immediatè, & ex opere operato.

Circa quam Suarez disp. 63. sect. 10. Vasquez q. 87. art. 3. dub. 2. Ægidius q. 19. art. 4. Bonacina q. 4. pun. 1. & communiter Theologi, contra nonnullos meritò docent, etiam immediatè, & ex opere operato per illud remitti. Quod indicat Tridentinum vbi supra, & constat Primò ex eo, quod institutum est tamquam cibus & potus, qui ordinantur ad immediatè restaurandum quod perditur: per remissionem autem venialium anima reparatur, sicut per remissionem mortaliū viuificatur. Secundò constat ex eo, quod semper illa remittit in dignè suscipiente illud, & attrito de illis, & non semper excitat neq; impetrat auxilium efficax ad contritionem venialium: ad hanc autem remissionem venialium, quæ immediatè & ex opere operato fit per Sacramentum Eucharistiæ, non prærequiritur in suscipiente perfecta eorum contritio, tamquam dispositio, aliàs eorum remissio non fieret virtute Eucharistiæ, quia præsupponeretur facta ex vi illius contritionis; prærequiritur tamen attritio eorum, quia hæc etiam prærequiritur ad remissionem eorum per Sacramenta mortuorum. de quo latius diximus Tractatu de Pœnitentia Disputat. 11. Difficult. xvi.

Circa remissionem pœnæ debitæ pro peccato, dicendum est, Sacramentum Eucharistiæ eo modo quo remittit culpam, etiam remittere pœnam ipsi culpæ debitam, totam, aut partem maiorem aut minorem, iuxta maiorem aut minorem suscipientis dispositionem, ac proinde non remittere ex opere operato pœnam aternam debitam pro peccato mortali, imò neq; temporalem restantem post remissionem culpæ mortalis, quia non remittit ipsam culpam mortalem adhuc per accidens: remittere tamen immediatè, & ex opere operato pœnam debitā pro peccatis venialibus, totam aut partem iuxta proportionem dispositionis suscipientis Eucharistiam, quia immediatè & ex opere operato remittit culpas ipsas veniales.

Circa

Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Bonacina.



Circa præseruationem à peccatis mortalibus, vt in ea non incidamus, conueniunt Theologi eam esse effectum Sacramenti Eucharistia. Quod definitum est in Tridentino sess. 13. cap. 2. & significatur Ioann. 6. *Hic est panis de calo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* & infra: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et id constat ex eo, quòd institutum est tamquam cibis & potus spiritualis; cibis autem & potus spiritualis in conseruationem, & in perseuerantiam in vita spirituali ordinantur; quæ peccatis mortalibus destruitur.

Sacramentum autè Eucharistia causat ex opere operato præseruationem à mortalibus, quia eam causat ex institutione Christi, sed non causat illam

immediatè, sed tantum mediatis auxilijs efficacibus, quæ dignè sumenti conferuntur ex opere operato, quæ non semper sunt internæ inspirationis, quibus implemus præceptum positium, aut quibus retrahimur ab opere mortali contra præceptum negatiuum, sed aliquando sunt auxilia externæ protectionis, seu manutentiæ Dei, quibus auferuntur occasiones peccandi mortaliter. Ita tamen confert dicta auxilia efficacia ex institutione Christi, vt non conferat illa infallibiliter, sed prohibito Dei: nihilominus sæpè ob Sacramentum Eucharistia conferuntur auxilia efficacia ei, qui illud dignè suscepit, quæ non conferrentur si illud non suscepisset; de quo diximus Tractatu de Sacramento in genere, Disputat. 111. Difficult. 111.

## DISPUTATIO IX.

## De sumptione Sacramenti Eucharistia.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum sumere Sacramentum Eucharistia in statu peccati mortalis, sit peccatum mortale.*



CONVENIUNT Catholici, accedere ad Sacramentum Eucharistia, seu illud sumere in statu peccati mortalis, esse peccatum mortale: quod definitur in Tridentino sess. 13. can. 11. & significatur 1. ad Corinthios 11. *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Et ratione probatur, quia qui sic accedit ad Sacramentum Eucharistia, totam eius efficacitatem frustrat, totum fructum illius impediendo, in quo non leuis irreuerentia seu iniuria fit ipsi Sacramento, & auctori illius.

Vnde peccatum hoc est irreuerentia & sacrilegij contra virtutem religionis, à quo nullus excusatur ob solam difficultatem eliciendi contritionem, quando deficit copia Confessarij, etiam si Missam celebrare teneatur, quia nemini, antequam ad altare accedat, est impossibile adhuc moraliter contritionem elicere, quia ex vna parte nemini deficit auxilium sufficiens ad contritionem peccatorum, quando venit in mentem obligatio eliciendi contritionem, vt generaliter aduertit Vasquez 1. part. d. 95. cap. 5. siue auxilium illud sit immediatè sufficiens, siue tantum mediatè & remotè: & ex altera parte supponimus, vsque ad Communionem superesse non paruum temporis spatium, vt absque nimia difficultate contritionem eliciat. Nihilominus si contingat, vt quis in altari existens recordetur alicuius mortalis non confessi, & cuius non habuit neque habet contritionem, & quando recordatur, est adedò propinquus Communioni, vt pro temporis angustijs nequeat moraliter, seu absque nimia difficultate ad contritionem excitari, nisi pro tempore aliquo aliquantulum notabili, cum graui nota sui honoris,

ad eam eliciendam detineatur, tunc iste talis ab eo peccato excusabitur, communicando in eo malo statu, quia non est contra reuerentiam Sacramento debitam in eo statu accedere, ne notam grauem honoris incurrat.

Quòd si obijcias, Peccatum mendacij nulla potest necessitate excusari: sed qui communicat in peccato mortali, peccat peccato mendacij; ergo nequit necessitate aliqua, adhuc vitandi notam grauem honoris, excusari à peccato comunicandi in eo statu. Consequentia patet, & etiam Maior. Minor verò probatur, quia qui communicat, profitetur, & denotat se ea Communionem vniri Christo tamquam cibo spirituali, & reliquis membris Christi iustis tamquam conuiuijs spiritualibus, quod est falsum in eo qui communicat in peccato mortali, quia vnio cum Christo tamquam cum cibo, & cum alijs iustis tamquam cum conuiuijs, supponit vnionem communem per charitatem, quia vnio cum cibo spirituali non conuenit, nisi antea spiritualiter viuenti, & vnio cum conuiuijs spiritualibus non conuenit nisi viuentibus spiritualiter, & ei qui cum illis præsupponitur amicus. Respondemus, concedendo, mendacium nulla necessitate excusari, significare tamen falsum, adhuc scienter & contra mentem, absque animo significandi falsum, & decipiendi, quamuis sit contra veracitatem, si fiat absque rationabili causa; excusari tamen potest ex causa rationabili: in casu autem præsentis, quamuis supponamus, eum qui in peccato mortali communicat, significare falsum, quia tamen non communicat animo significandi falsum, & decipiendi, in quo ratio mendacij consistit, idedò ob dictam necessitatem potest à falsa significatione excusari, quamuis à mendacio nulla causa excusari potest. Est tamè discrimen inter res & voces, quoad significandum falsum absque animo significandi falsum, & decipiendi, quod in rebus facile cõtingit, medijs illis falsum significari, absque animo id significandi, & decipiendi; quia illis facile possumus vnio animo seu intentione alterius finis, quam significandi, quia res possunt ad plures alios fines ordinari; in vocibus verò difficile admodum contingere illis significare falsum absque animo id significandi, & decipiendi,



quia difficile admodum est vti vocibus, & eas ordinare ad alium finem, quàm ad significandum, quia difficile admodum est vsum vocum ad alium finem conducere, nisi ad significandum.

Obseruandum est Primò, quòd quamuis Sacerdos peccet mortaliter manducando Eucharistiam in statu mortalis peccati, non tamen eam in eo statu manibus aut osculo tangendo, quia in eo tactu, quamuis factò in statu mortalis peccati, nulla apparet irreuerentia saltem grauis, quia tactus iste non est Sacramentalis.

Obseruandum est Secundò, eum, qui intuitu reuerentiæ Sacramenti Eucharistiæ, prohibitus præcepto aliquo positivo, adhuc humano, sumere Eucharistiam (vt prohibetur excommunicatus, & non ieiunus, & qui ob aliquod speciale peccatum prohibetur quasi indignus) eam sumit in statu mortalis, non committere duo peccata mortalia, sed vnum tantum numero: quia quamuis sumptio illa ex duobus titulis sit peccatum mortale, nempe, & quia est transgressio illius præcepti positiui, & quia est transgressio præcepti naturalis diuini non sumendi Eucharistiam in statu mortalis; nihilominus quia vterq; iste titulus eodem modo opponitur religioni, quia eodem modo est contra reuerentiam Sacramenti, ideò est idem specie peccatum, & etiam est idem numero, quia non est vnde malitia numero multiplicetur, quia materia est eadem numero, & non respiciens diuersa extrinseca, imò nullum, quia est absoluta, nullum extrinsecum respiciens.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum peccatum mortale indignæ susceptionis Eucharistiæ sit omnium peccatorum grauissimum.*

**P**RO huius clariori resolutione supponimus, in malitia (in qua consistit ratio formalis peccati) esse duplicem perfectionem; vnâ essentialem, quæ desumitur ex ordine ad obiectum, & in indiuisibili consistit, ita vt ab ipso eodè manente, nullum prædicatum auferri possit, neque nouum illi addi; in quo sensu essentialis rerum dicuntur esse sicut numeri; quia sicut addita aut ablata vnitate à numero, variatur numerus secundum speciem, ita etiam addito aut ablato prædicato, essentialis & species rerum variantur. Alteram accidentalem, quæ intra latitudinem essentialem crescit & decrescit quasi intensiuè, ex augmento & decremento aut libertatis aut materiæ, aut obligationis virtutis, & ex eis desumitur; & secundum hanc perfectionem accidentalem attenditur in malitia ratio mortalis & venialis, & non secundum perfectionem essentialem. Vnde quia in his, quæ non mole magna sunt, idem est maius quod perfectius, ideò etiam in malitia est duplex maioritas seu grauitas & quantitas perfectionis, vna est essentialis, & secundum hanc peccatum est huius vel illius speciei; altera est accidentalis, & secundum hanc peccatum est mortale aut veniale, & secundum vtramque maioritatem seu grauitatem vnum peccatum potest esse maius seu grauius altero.

Hoc ergo supposito, certum est Primò, peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ, per accidens, seu secundum grauitatem accidentalem,

potest esse grauius etiam peccatis quæ sunt contra Deum, vt peccato odij Dei, & blasphemia contra Deum, quia hæc posteriora peccata possunt esse tantum venialia ex paruitate seu leuitate deliberationis; & peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ potest esse mortale, & secundum hanc grauitatem accidentalem peccatum hoc indignæ receptionis Eucharistiæ potest esse leuius, etiam peccatis quæ sunt contra puras creaturas, aut circa eas, vt peccato homicidij, & furti, & fornicationis, quia hæc possunt esse mortalia, & peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ potest esse tantum veniale, si fiat ex parua seu imperfecta deliberatione.

Secundò certum est, peccata contra Deum commissa, vt peccatum odij & blasphemia, secundum grauitatem essentialem desumptam ex ordine ad obiectum ipsorum, esse peccata grauiora peccato indignæ receptionis Eucharistiæ, quia peccata illa priora opponuntur virtutibus aut actibus essentialiter perfectioribus, quia peccatum odij Dei opponitur charitati virtuti Theologicæ, quæ essentialiter est perfectior virtute religionis, cui opponitur peccatum sacrilegij indignæ receptionis Eucharistiæ, & peccatum blasphemia Dei opponitur actui laudis Dei ad religionem pertinenti, qui essentialiter est perfectior actu reuerentiæ erga Eucharistiam, pertinente ad eandem virtutem religionis, cui etiam opponitur peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ.

Peccatum ergo sacrilegij indignæ susceptionis Eucharistiæ essentialiter est grauius omnibus peccatis quæ sunt in puras creaturas, aut circa illas, vt furto, homicidio, sodomia, & alijs, quod docent S. Thomas & Caietanus quæst. 80. art. 5. Gabriel *S. Thomas. Caietanus. Gabriel. Sorus. Vasquez.* lect. 87. lit. H. Sorus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 5. & Vasquez disp. 207. cap. 1. quia peccatum sacrilegij indignæ receptionis Eucharistiæ opponitur religioni, quæ est virtus perfectior & melior virtutibus moralibus, quibus opponuntur peccata omnia quæ sunt in puras creaturas, aut circa illas: & non solum est grauius dictis peccatis secundum rationem genericam, sed etiam secundum rationem specificam; quia secundum vtramque opponitur actui religionis perfectiori & honestiori secundum rationem genericam & specificam actibus, & omissionibus, quibus peccato in puras creaturas, aut circa illas opponuntur, quia est actus perfectioris virtutis.

Et non solum in præsentis casu, sed etiam generaliter credimus, nullam speciem contentam sub genere perfectiore, esse imperfectiorem specie contenta sub genere imperfectiore, sed semper esse perfectiorem; quia absque dubio in genere perfectiore differentia perfectiores continentur, & perfectiores ex eo extrahuntur, & oppositum nulla ratione, nulloque exemplo exactè discussò ostendi potest. Ob quod nobis non probatur id in quod inclinatur Suarez disp. 66. sect. 2. nempe, peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ, quamuis secundum rationem genericam sit grauius peccato circa puras creaturas, non tamen secundum rationem specificam, quod etiam indicat Durandus in 4. dist. 9. q. 4. n. 10. qui etiam in exemplo, quod ad id confirmandum adducit, fallitur manifestè, quia supponit, peccatum homicidij priuatæ personæ secundum rationem specificam esse grauius peccato contumeliæ in Principem, in quo Durandus apertè decipitur: quia contumelia Principi facta opponitur obser-



obseruantia erga Superiores, quæ perfectior est quàm iustitia, cui opponitur homicidium priuatæ personæ; ac proinde secundum rationem specificam, & essentialiter, grauior est dicto homicidio, etiam si accidentaliter possit esse leuior, & digna minori pœna.

Ex dictis constat, peccatum indignæ receptionis Eucharistia simpliciter & absolutè non esse omnium peccatorum grauiissimum: quia quamuis grauitate accidentali possit esse grauius peccatis in Deum, ex sua tamen specie & essentia est leuius illis, & consequenter, ceteris paribus, est illis leuius, imò & leuius est essentialiter peccato sacrilegij eorum qui crucifixerunt Christum, & peccato sacrilegij Iudæ qui eum vèdidit, quia homicidium Christi, & eius venditio, opponitur actui, aut omissioni perfectiori eo actu, cui opponitur indigna receptio Christi in Eucharistia. Quando verò Patres aded exaggerant peccatū indignæ receptionis, vt illud comparent peccato crucifigentiū, & Iudæ, non id faciunt, quia sentiant, inter ea esse æqualitatem, sed quia inter illa reperitur quædam imitatio & proportio: quia sicut Iudas osculo tradidit Christum indignis & inimicis ipsius Christi, ita etiam peccator recipiendo Christum in Eucharistia, veluti quodam osculo tradit illud indigno & inimico ipsius Christi, eum sibi tradendo, & eum ore intra se recipiendo; & sicut qui Christum crucifixerunt, fuderunt sanguinem illius in suam perniciem, ita etiā peccator indignè recipiendo Christum quodam modo in sui mortem fundit Sanguinem Christi.

Obseruandum est, peccatorem ed grauius peccare sumendo Eucharistiam, quò in peiori statu illam sumit, siue quia in pluribus, siue quia in grauioribus peccatis illam sumit; quia qui in peiori statu sumit illam, ed indignius sumit, sicut sumptio est melior, quò in meliori statu fit, & digna ex opere operantis maiori augmento gratiæ & gloriæ. Nihilominus nullus tenetur in confessione explicare numerum mortalium, in quorum statu Eucharistiam sumpsit (& multò minus eorum grauitatem) sed sufficit, si explicet se in statu peccati mortalis Eucharistiam sumpsisse, quia illam in statu plurium sumere, non multiplicat numero peccatum indignæ receptionis, imò non semper est circumstantia notabiliter aggrauans; & quando fit, non est necessariò in confessione explicanda.

### DIFFICULTAS III.

*Vtrum sumere Eucharistiam in peccato veniali sit peccatum.*

Conueniunt Theologi, non esse mortale, sumere Eucharistiam in peccato veniali, siue habituali iam præterito, nondum remisso; siue actuali, quod tempore sumptionis committitur: imò neque sumendo Eucharistiam sumptione veniali, vt quando fit ex inani gloria, quia quocumque & in quocumque veniali recipiendo Eucharistiam, non cernitur fieri irreuerentia grauis Eucharistiæ.

Est tamen difficultas, An id sit peccatum veniale nouum contra religionem, distinctum ab eo, quo aut in quo sumitur.

Recentiores nonnulli docent, sumere Eucharistiam in veniali facto, tempore ipsò sumptionis esse aliud peculiare & nouum peccatum veniale

sacrilegij contra religionem, quia eo peccato actuali impeditur maius augmentum gratiæ, quod Eucharistia causaret, si in sumente esset feruor charitatis, qui eo peccato actuali impeditur. Imò addit, committere peccatum nouum sacrilegij eum, qui habens peccata venialia præterita facta ex consuetudine, sumit Eucharistiam, & etiam eum, qui sumit illam habens conscientiam multis venialibus oneratam (quæ intelligunt, quando sumitur Eucharistia absq; attritione illorum) quia qui vtrouis modo ex his duobus sumit Eucharistiam, & aliquo modo indignè sumit illam, & etiam impedit remissionem illorum, quæ fieret si haberet attritionem illorum.

Richardus verò in 4. dist. 9. art. 2. q. 1. Maior q. 1. *Richardus.*  
Sotus d. 12. q. 1. art. 4. Adrianus in 4. q. 1. de Eucha- *Maiores.*  
ristia, & Vasquez disp. 207. c. 2. docent non esse no- *Sotus.*  
uum peccatum veniale sacrilegij, sumere Eucha- *Adrianus.*  
ristiam in peccato veniali, quamuis multiplici, & ex *Vasquez.*  
consuetudine facto, & quamuis actuali facto tem-  
pore sumptionis, imò quamuis facto sumptione ip-  
sa; & meritò: quia peccatū veniale, quamuis mul-  
tiplex, & ex consuetudine factū, & actuale, & sum-  
ptione ipsa Eucharistiæ commissum, non impedit  
principalem & primarium effectum Eucharistiæ,  
nempe augmentum gratiæ: ergo sumendo Eucha-  
ristiam in peccato veniali, quamuis multiplici, &  
ex consuetudine facto, & actuali, & sumptione ipsa  
commissò, nullum committitur nouum peccatum  
veniale sacrilegij. Antecedens patet. Consequentia  
autem probatur, quia præter irreuerentiam, quæ in  
impediendo effectum principalem & primarium  
Eucharistiæ reperitur, nullo fundamento ostendi  
potest, aliquam aliam reperiri: quia in primis nullo  
fundamento ostendi potest indignè sumi & irreue-  
renter positiuè, ex eo præcisè, quòd sumatur in ali-  
quo statu ex dictis, neque in omnibus simul dum  
sumatur in statu gratiæ. Deinde non sumitur indig-  
nè ex eo, quòd sumendo Eucharistiam in aliquo  
statu ex dictis, impediatur aliquis alius effectus  
Eucharistiæ distinctus à principali & primario,  
quia nò sumitur indignè ex eo, quòd sumatur Eucha-  
ristia in multiplici veniali, & ex consuetudine  
facto absq; attritione, quia sic sumendo impediatur  
remissio illorum: quia etiā qui sumit Eucharistiam  
in peccato veniali præterito non remisso, & non factò  
ex consuetudine, absq; attritione illius, impedit  
eius remissionem, & tamen non peccat peccato ali-  
quo nouo sacrilegij, quia in eo statu sumit Eucha-  
ristiam, in quo omnes conueniunt; neque sumitur  
indignè, quia sumendo Eucharistiam in peccato  
actuali, quamuis commissò sumptione ipsa impe-  
diatur maius augmentum gratiæ, quod Eucharistia  
causaret, si in sumente esset feruor charitatis, qui  
peccato actuali impeditur, aliàs quicumq; sumens  
Eucharistiā peccaret ex defectu maximæ, aut sal-  
tè maioris dispositionis, quā posset habere, quam-  
uis absque veniali aliquo illam sumeret, quia non  
habendo maximam, aut saltem maiorem disposi-  
tionem, impediret maximū, aut saltem maius aug-  
mentum, quod Eucharistia sic disposito conferreret.

Gennadius verò lib. de Ecclesiasticis dogmati-  
bus apud Augustinum l. 53. & refertur can. *Quoti-*  
*die*, de Cōsecratione dist. 2. dum ad sumptionem Eucha-  
ristiæ exigit satisfactionem pro peccatis, quam-  
uis non capitalibus neque mortalibus, & mentem  
absque affectu committendi peccatum etiam non  
capitale & mortale, non exigit satisfactionem



pro peccatis venialibus, neque mentem absque affectu illa committendi, sed satisfactionem pro peccatis mortalibus non publicis, & mentem absque affectu illa committendi, ut ex contextu deducitur. Et Pseudo-Anselmus in illud 1. ad Corinthios 11. *Probet autem seipsum homo*, dum ait: *Indignè manducat & bibit, qui vel aliquid grave, vel multa leuia commisit peccata, & non est confessus*. Per leuia tantum intelligit peccata venialia, ex quibus efficitur vnum mortale (ut ex pluribus furtis parvis fit vnum, saltem quantum ad retentionem, aut non restitutionem) aliàs ad sumptionem Eucharistiae exigeret confessionem venialium, quod nullus Theologus exigit.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum existens in peccato mortali, teneatur Sacramentaliter confiteri ad sumptionem Eucharistiae.*

Post Tridentinum negari nequit, ad sumptionem Eucharistiae, in eo qui peccauit mortaliter, necessariam esse confessionem Sacramentalem illius mortalis, quamuis ab eo iustificatus sit media contritione perfecta, quia sess. 13. cap. 7. & can. 11. id praecipit & statuit.

Est tamen difficultas, An in eo, qui peccauit mortaliter, ad sumptionem Eucharistiae ante Tridentinum & semper fuerit necessaria, seu sub praecipio, confessio Sacramentalis peccati mortalis committi.

Caietanus.

Caietanus (qui fuit ante Tridentinum) in Summa v. *Communio*, & in illud 1. ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo*, & quaest. 80. art. 4. docet, nullum esse neque fuisse praecipium praemittendi confessionem Sacramentalem mortalis ad sumptionem Eucharistiae; quod videtur tradidisse Chrysostomus Homilia 28. in dicta verba Pauli; *Probet autem se ipsum homo*, & ex eis Caietanus suam sententiam probat; quia Paulus tantum exigit, ut homo seipsum probet, ergo non est necessarium quod probeatur a Confessario.

Reliqui verò Doctores docent, & meritò, ante Tridentinum ab initio Ecclesiae Christianae fuisse necessariam, seu sub praecipio, confessionem Sacramentalem mortalis ad sumptionem dignam Eucharistiae. Quod satis significat Tridentinum sess. 13. cap. 7. & can. 11. Et in primis fuisse necessariam ante Tridentinum, satis significat ipsum Concilium c. 7. dum loquens de praeparatione necessaria ad sumptionem Eucharistiae, & reuocans in memoriam verba illa Pauli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo*, & illa appellans praecipium, ait: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali confessione ad sacram. Eucharistiam accedere debeat.* & can. 11. dum ait: *Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario praemittendam esse confessionem Sacramentalem.* In quibus locis aperte Tridentinum tradit, ante ipsum necessariam fuisse confessionem Sacramentalem mortalis ad sumptionem Eucharistiae, quia non tantum vitur verbo *statuit*, quo denotat se

praecipere; sed etiam verbo *declarat*, quo significat id quod ante ipsum erat; ac proinde declarare, illam fuisse necessariam, supponit eam necessariam fuisse ante declarationem.

Deinde dictam confessionem fuisse necessariam, seu sub praecipio ad sumptionem Eucharistiae, non tantum ante Tridentinum, sed ab initio Ecclesiae & a tempore Pauli, exprimit ipsum Tridentinum cap. 7. dum verba illa Pauli, *Probet autem se ipsum homo*, appellat praecipium aut Pauli aut Christi, supponens, probationem fuisse praecipiam & necessariam a tempore aut Pauli aut Christi: & statim subdit, eam probationem debere esse per confessionem Sacramentalem. Tridentinum ergo sentit, a tempore aut Pauli aut Christi necessariam & praecipiam fuisse confessionem Sacramentalem mortalis ad sumptionem Eucharistiae. Vnde opinio Caietani post Tridentinum sustineri non potest.

Chrysostomus autem ubi supra non dixit, eum qui habet conscientiam mortalis, non teneri praemittere confessionem ad sumptionem Eucharistiae, sed tantum docuit, quemlibet posse sine teste examinare & iudicare, an habeat vel non peccatum mortale.

Quod verò homo seipsum probare debeat, quod verbis Pauli significatur, non tollit, etiam debere a Confessario probari. Ideò autem Paulus dixit, *Probet se ipsum homo*, quia ipse homo prius debet examinare conscientiam suam, an commiserit aliquod mortale, ut si inueniat commississe, illud Sacerdoti confiteatur, & in eo casu etiam probeatur ab illo.

Obseruandum est contra nonnullos, ut optimè Canus relect. de Penitentia, par. 4. concl. 4. Azorius cap. 30. quaest. 10. Vasquez disp. 208. num. 24. & Bonacina disp. 4. quaest. 6. punct. 1. eum qui sine confessione mortalis commissi sumit Eucharistiam, non peccare duplici peccato, vno omissionis confessionis, & altero commissionis sacrilegij indignae sumptionis Eucharistiae, sed vno tantum, nempe peccato commissionis sacrilegij indignae sumptionis; quia in hoc casu confessio Sacramentalis non obligat ratione sui, sed tantum ratione dignae sumptionis Eucharistiae: ubi autem vnum est propter aliud, ibi est vnum tantum. Et ob eandem rationem idem dicendum est de illo, qui absque contritione sumit Eucharistiam, quando confiteri non potest, quod scilicet vno tantum peccato commissionis indignae sumptionis Eucharistiae peccet, & non duplici.

Canus.  
Azorius.  
Vasquez.  
Bonacina.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum praecipium praemittendi confessionem mortalis ad sumptionem Eucharistiae, sit etiam diuinum, an tantum Ecclesiasticum.*

Certum est, praecipium hoc esse Ecclesiasticum, quia ad minus latum est a Tridentino *Trident.* sess. 13. c. 7. & can. 11. & ante ipsum fuit ad minus Ecclesiastica consuetudine introductum. Est tamen difficultas, An etiam sit diuinum.

Supponimus autem, non esse diuinum naturale, ortum ex natura ipsa Eucharistiae, & confessionis Sacramentalis, quã habent ex institutione diuina, absque



absque alia superaddita insinuatione diuina; quia Christus potuit vtrumque dictum Sacramentum, substantia vtriusque integra permanente, instituire absque obligatione confitendi ante sumptionem Eucharistia.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An dictum præceptum ita sit Ecclesiasticum, vt etiam sit diuinum positium.

Palatius in 4. dist. 9. q. 10. Medina Cod. de Confess. q. 17. Armilla v. *Communio*, & Nauarrus in Init. de Pœnit. dist. 5. in 3. partem Glossæ n. 31. & 32. docent, dictum præceptum esse tantum Ecclesiasticum, Primò, quia præceptum hoc continetur in illis verbis, *Probet autem se ipsum homo*. hæc autem verba sunt Pauli, non Domini. Secundò, quia Tridentinum c. 7. præceptum hoc appellat Pauli, non Domini, quia post mentionem Apostoli ait, *Quare reuocandum est in memoriam eius præceptum*, vbi relatiuum eius ad Apostolum non ad Dominum refertur, tum quia, quamuis antea facta fuerit mentio Apostoli & Domini, tamen in verbis proprijs ipsius Tridentini non fuit facta mentio Domini, sed Apostoli; Domini autem tantum facta fuit mentio in verbis Pauli relatis à Tridentino, nempe, *non diiudicans Corpus Domini*; imò relatis ante mentionem Apostoli: tum etiam, quia postquam Tridentinum dixit, *Reuocandum est in memoriam eius præceptum*, illud statim & immediate assignat, referens verba illa Pauli, *probet se ipsum homo*, in quibus præceptum continetur: ait enim Tridentinum, *Quare reuocandum est in memoriam eius præceptum*, *Probet se ipsum homo*.

Sorus verò in 4. dist. 12. q. 1. art. 4. Canus relect. de Pœnit. par. 5. Vasquez disp. 207. cap. 4. Suarez disp. 66. sect. 3. Valentia disp. 6. q. 8. pun. 3. Couarruias in cap. *Alma mater*, 1. p. 8. 17. & Bonacina disp. 4. q. 6. pun. 1. docent, præceptum præmittendi confessionem ante sumptionem Eucharistia, ab eo qui peccauit mortaliter, non esse purè Ecclesiasticum, sed etiam esse diuinum posituum, & meritò: quia dictum præceptum in dictis verbis Pauli contentum, non fuit tunc latum à Paulo quando verba illa protulit, sed erat iam antea latum; ergo credendum est, latum fuisse à Christo, & nobis à Paulo traditum & explicatum, quia, iuxta Regulam Augustini lib. 4. de Baptismo cap. 14. præceptum illud conijcitur esse diuinum, cuius non agnoscitur initium, si aliunde non conijciatur non fuisse latum à Deo. Quòd autem dictum præceptum in verbis Pauli contentum, non fuerit tunc à Paulo latum, sed antea fuerit, ex eo probatur, quòd non fuit traditum à Paulo tamquam nouum, sed tamquam antiquum: quòd Primò constat ex eo, quòd Paulus tradit probationem illam per confessionem tamquam medium antea vnicum & necessarium, vt quis dignè manducaret & biberet, vt ex contextu constat. quia postquam dixit, *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*, immediate subdit: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*. At si antea non fuisset præceptum confessionis ad sumptionem Eucharistia, non tradidisset probationem per confessionem tamquam medium vnicum & necessarium ad dignam sumptionem Eucharistia, quia præter confessionem erat contritio perfecta, qua peccator potuisset constitui in sta-

tu gratia. Secundò idem constat ex eo, quòd Paulus reprehendebat Corinthios, quia absque probatione illa sumebant Eucharistiam, supponens fuisse transgressores illius præcepti, & ob id plures ex illis fuisse infirmitatibus, mortibus, & alijs pœnalitatibus à Deo punitos.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus, in verbis illis Pauli contineri dictum præceptum, sed non vt à Paulo latum, sed vt promulgatum & traditum. Ad secundam etiam concedimus, dictum præceptum appellari à Tridentino Pauli, non quia à Paulo latum, sed quia ab ipso explicatum & promulgatum; sicut etiam lex vetus, quamuis diuina, etiam dicebatur Moysi, non quia fuerit à Moysè tamquam à legislatore lata, sed quia ab ipso promulgata fuit.

## DIFFICULTAS VI.

*Quando possit quis post mortale sumere Eucharistiam sine præuia confessione illius.*

Conueniunt Theologi, præceptum præmittendi confessionem mortalis ad sumendam Eucharistiam, quamuis etiam diuinum, non adèd strictè obligare in actu secundo, quin ob aliquam causam occurrentem eius obligatio in actu secundo (de qua est difficultas) aliquando cesset: quòd expressit Tridentinum sess. 13. c. 7.

Est tamen difficultas in assignandis casibus, in quibus obligatio dicti præcepti cesset.

Casus ergo in quibus obligatio dicti præcepti cessat, & licitum est absque præuia confessione mortalis Eucharistiam sumere, habendo perfectam contritionem, qua fiat iustificatio ab illo, sunt plures, & deducendi ex doctrina, quam Tridentinum tradit sess. 13. c. 7. dum significat, id tunc esse licitum, quando deficit copia Confessarij, & simul vrget necessitas sumptionis Eucharistia.

Circa prius, quòd concurrere debet, vt peccator possit Eucharistiam sumere absque præuia confessione mortalis, sola perfecta contritio illius, obseruandum est, tunc non deficere copiam Confessarij, quamuis deficiat ille cui deuotius, & ille cui quis ordinariè cõfiteretur, si adsit Sacerdos, qui possit saltem ex priuilegio, aut aliter ex commissione absoluere ab omnibus peccatis pœnitentis, etiam in eo casu in quo pœnitens ob aliquam causam sufficientem excusatur ab integrè confitendo mortalia; quia etiam in eo casu peccator tenetur præmittere confessionem, quamuis non integram: & tunc deficere copiam Confessarij, quando peccator nulli potest confiteri, saltem absque graui nota infamia, aut suspitionis peccati mortalis, vt potest contingere ei, qui iam accessit ad altare ad communicandum, si confiteatur ipsi administranti Eucharistiam, aut si discedat ex altari ad confitendum alteri. Iudicio autem prudentis relinquatur, quando Parochus celebraturus teneatur pro quærendo Confessario adire oppidum vicinum, quia ad id tenetur, quando, habita ratione loci, & temporis, & personæ, commodè potest adire, & tempore opportuno commodè redire; & non tenetur, quando nequit absque incommodo graui atque intolerabili.

Circa posterius plures sunt necessitates vrgentes sumptionis Eucharistia, quæ, quantum est

Palatius.  
Medina.  
Armilla.  
Nauarrus.  
Glossa.

Sorus.  
Canus.  
Vasquez.  
Suarez.  
Valentia.  
Couarruias.  
Bonacina.



ex se, sufficiunt ad excusandum à præmittenda confessione mortalis ad sumptionem Eucharistiæ, quæ ad duas generatim possunt reduci (excepto casu præcepti diuini sumendi Eucharistiam post consecrationem factam, de quo Difficultate VI.) Prior est, quando est periculum mortis instantis, quia tunc potest quis Eucharistiam sumere absque præuia confessione, si adsit Diaconus, qui possit illam administrare, ne absque Eucharistia ex hac vita discedat, in quo Theologi communiter conueniunt. Posterior est, quando absque graui nota infamiæ aut suspitionis, aut absque prudente timore illius, nequit omitti sumptio Eucharistiæ, quia etiam tunc sumi potest absque præuia confessione, in quo Theologi conueniunt.

Sed quando possit prudenter timeri grauis nota infamiæ aut suspitionis in non sumendo Eucharistiam, arbitrio prudentis relinquitur. Timeri autem potest prudenter, & non raro, Primò, quando vrget obligatio vel consuetudo, absque obligatione communicandi, in Congregatione aliqua, quod attentis circumstantijs iudicandum est. Secundò, quando populum vrget præceptum audiendi Missam, & non est nisi vnus qui celebrare possit, præsertim si sit Parochus: in hoc autem casu potest, deficiente copia Confessarij, absque præuia confessione celebrare, non vt populus audiat Missam, sed vt ipse non incurrat infamiam, neque suspitionem mortalis, quam posset Sacerdos incurere non celebrando.

Vnde ob concurrentiam duorum prædictorum, nempe inopiæ Confessarij, & vrgentis necessitatis sumptionis Eucharistiæ, ille qui coram alijs accedit ad altare ad communicandum, quamuis ibi recordetur alicuius mortalis, potest absque præuia confessione illius communicare ob periculum infamiæ aut suspitionis, cui est expositus si discedat & non cõmunicet, ob quod vrget necessitas communicandi; aut si confiteatur Sacerdoti administranti Eucharistiam, vel si discedat vt alteri confiteatur, ob quod deficit copia Confessarij: quia ex vna parte ex obiecto expositus est periculo dicti damni, & ex altera non discernit se esse liberum à dicto periculo, vt supponimus; quia si id discerneret, non posset absque præuia confessione communicare. Et ob hanc rationem, qui accedens ad altare pro temporis angustijs nequit prudenter discernere, an ex discessu ab altari, vel ex confessione in eo facienda, incurfurus sit notam aliquam grauem, an non, tunc potest absque præuia confessione Eucharistiam sumere, quia scilicet ex obiecto est expositus periculo dicti damni, & ex altera non discernit se esse liberum ab eo periculo. Et ob eandem rationem administrans Eucharistiam, dum non discernit prudenter, eum, qui accedit petens confessionem, esse liberum à dicto periculo ex discessu, aut ex confessione facienda, potest illi administrare Eucharistiam, non audiendo confessionem. Et idem ob eandem rationem dicendum est de Sacerdote, qui vadens vestitus ad altare, aut iam in altari existens, recordatur alicuius mortalis, quod scilicet non teneatur regredi aut discedere adhuc ante consecrationem, neque vocare Confessarium, nisi quando discernit prudenter se esse liberum à dicto periculo, quamuis regrediatur, aut discedat, aut Confessarium vocet. Et idem dicendum est in casu, in quo Sacerdos vadens ad altare, aut in eo existens, recordatur excommunicationis, aut fra-

tionis ieiunij ad communicandum requisiti, aut alius impimenti ad id.

Ad hanc autem posteriorem vrgentem necessitatem communicandi ob vitandam notam infamiæ aut suspitionis, & ad priorem, ne quis discedat è vita absque Eucharistia ob mortem instantem, reduci possunt omnes casus vrgentis necessitatis sumptionis Eucharistiæ: quia casus ille communicandi absque præuia confessione ad vitandum scandalum verum (non ob vitandam admirationem, aut occasionem loquelæ) quod ex non communicando posset oriri, reducit ad vrgentem necessitatem communicandi ob vitandam notam infamiæ aut suspitionis: quia si tunc potest quis absque præuia confessione communicare ob vitandum scandalum, quod non communicando daret, idè est, vt euitet dictam notam, quam non communicando incurreret, & non est vt euitet scandalum, quia istud est passiuum, ob quod, siue sit pusillorum peccantium ex passione vel ex ignorantia, siue sit Pharisaorum peccantium ex malitia, non est omittendum præceptum aliquod, & in præsentiarum non est omittendum præceptum confitendi mortale ad dignè communicandum, à quo quis aliàs non excusatur ob vitandam dictam notam, aut aliter.

Et ad communicandum absque præuia confessione, quando deficit Confessarius, non sufficit, vt quidam volunt, magna aliqua deuotio illius qui desiderat communicare, neq; occurrentia alicuius festiuitatis, in qua solitus est communicare; quia neutra ex his est vera necessitas sumendi Eucharistiam, quam Tridentinum requirit, neque quæ sufficiat ad excusandum à præcepto confitendi mortale ad sumendam Eucharistiam.

#### DIFFICULTAS VII.

*Vtrum qui sumpsit Eucharistiam absque præuia confessione mortalis, teneatur confiteri quam primum possit.*

**D**ifficultas hæc procedit & de Sacerdote celebrante, & de laico communicante, cuius nomine etiam comprehenditur Sacerdos laicè communicans.

Circa Sacerdotem celebrantem conueniunt Primò Theologi, eum qui conscius mortalis, non habens copiam Confessarij, & vrgente necessitate celebrandi, absque præuia confessione celebravit, teneri, quam primum oblata opportunitate post celebrationem possit, ad confitendum, vt constat ex Tridentino sess. 13. c. 7. in fine.

Secundò conueniunt communiter Theologi, præceptum hoc, quo Sacerdos in casu dicto tenetur ad confitendum post celebrationem, quam primum possit, non esse diuinum, quia id nullo fundamento constat, sed tantum esse Ecclesiasticum; & non esse antiquius Concilio Tridentino, quia id nullo fundamento conijci potest, sed esse nouum à Tridentino in eo loco nouiter latum. Quod verbum *confiteatur* planè indicat, quamuis non sit verbum præcipiendi, neque æquiuale, quia id non semper est necessarium; sed aliquando sufficit verbum modi imperatiui, præsertim quando ab initio sic fuit intellectum, sicut verè fuit verbum istud. Et quamuis præceptum hoc sit tantum Ecclesiasticum,



fiasticum, obligat tamen ad confessionem peccati mortalis interioris, quia determinat & modificat, quoad tempus, præceptum diuinum confessionis, obligans ad confessionem omnium mortalium etiam interiorum, quod Ecclesia non facit ex potestate ordinaria, sed ex peculiari, quam habet ad determinandum & modificandum præceptum diuinum, quod non fuit pro determinato tempore latum.

Et quia præceptum hoc Ecclesiasticum tantum fuit latum pro celebrantibus, qui conscij mortalis, & non habentes copiam Confessarij, & urgente necessitate, celebrarunt absque præuia confessione; ideo qui celebravit absque conscientia mortalis, quamuis post celebrationem recorderetur mortalis ante celebrationem commissi, non tenetur eo præcepto, neque qui celebravit conscius mortalis, si erat copia Confessarij, aut si non urgebat necessitas celebrandi, quia nec instabat mors, nec erat periculum alicuius grauis notæ. At si, dum celebrat, ante sumptionem Eucharistiæ recorderetur, & fiat conscius mortalis antea vel tunc commissi, & nequeat tunc confiteri absque graui nota, neque desistere à celebrando, aut ob periculum grauis notæ, aut quia iam consecrauit, tenetur post celebrationem quam primùm confiteri, quia tunc sumit Eucharistiam absque confessione ob urgentem necessitatem sumendi illam, ne scilicet notam incurrat, aut quia iam consecrauit, & quia caret copia Confessarij, quia nulli confiteri potest absque dicta nota.

Circa laicum communicantem Nauarrus in Summa cap. 2. num. 10. docet, etiam laicum conscius mortalis, absque præuia confessione communicantem, quando defuit Confessarius, & fuit necessitas urgens communicandi, teneri post Communionem, quam primùm possit, ad confitendum; quia quamuis Tridentinum id non expresserit de laico, id etiam absque dubio voluit, & id absque dubio responderet, si de eo interrogaretur.

Vasquez verò disp. 208. n. 23. Suarez disp. 66. sect. 7. Egidius quæst. 80. art. 4. in fine. Reginaldus lib. 29. num. 110. & Bonacina disp. 4. quæst. 6. punct. 1. docent, laicum non teneri dicto præcepto, & meritò: quia Tridentinum id tantum præcepit Sacerdotibus celebrantibus, vt patet ex contextu; & absque dubio id noluit laicis præcipere, vt conijci potest ex eo, quòd postquam generatim dixit, omnes conscius mortalis teneri ad confessionem ante Communionem, peculiariter Sacerdotibus, in casu dicto celebrantibus absque præuia confessione, præcepit, statim quam primùm possint confiteri: id autem eis peculiariter præcepit, quia eis frequentius accidit ad celebrandum accedere absque præuia confessione in dictis casibus; vnde Tridentinum interrogatum negatiuè responderet.

## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum minister administrans Eucharistiam indigno, vnum tantum peccatum committat.*

**C**onueniunt Theologi, ministrum, qui absque causa excusante scienter administrat Eucharistiam indigno, peccare mortaliter peccato sacrilegij, quia facit contra reuerentiam Eucharistiæ

debitam: & idè est, quando sic administrat quodlibet aliud Sacramentum.

Est tamen difficultas, An peccet vno tantum peccato, an duplici.

Recentiores nonnulli docent, eum peccare duplici peccato sacrilegij; vno, quia ex se indignè administrat Eucharistiam, & altero, quia cooperatur peccato indignæ susceptionis suscipientis Eucharistiam.

Vasquez verò d. 209. c. 1. docet, ministrum scienter administrantem Eucharistiam indigno (aut quodlibet aliud Sacramentum) vnum tantum peccatum sacrilegij committere, & meritò: quia ex vna parte minister in casu dicto non aliter peccat, nisi quia Eucharistiam ministrat indigno, efficiendo aliquid præuium ad indignam susceptionem illius, in quo malè tractat Eucharistiam; & ex altera parte ex eo præcisè, quòd sic concurrat & cooperetur cum indigno ad indignam susceptionem, non imputatur illi peccatum indignè suscipientis, neque ei tribuitur, quia non est causa peccati suscipientis, quia non est causa susceptionis; quia neque physica, vt patet, neque moralis, quia non inducit neque suadet suscipienti ad id, vt potest non suadere, & supponimus, sed tantum cooperatur, & non consuscipiendo, sicut cooperantur ad tractionem nauis qui eam simul trahunt, sed tantum dando, & efficiendo id sine quo alter non susciperet indignè, in quo ipse non peccat peccato susceptionis suscipientis, sed tantum proprio peccato administrationis factæ indigno. Ergo administrans Eucharistiam indigno (aut quodlibet aliud Sacramentum) vno tantum peccato sacrilegij peccat indignæ administrationis, & non etiam peccato indignæ susceptionis, quia non aliter peccat, nisi quia administrat indigno, & hoc tantum modo adiuuat & cooperatur indignæ susceptioni, & non aliter. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Addimus contra Vasquez, ministrum, qui non tantum administrat Sacramentum indigno, sed eum etiam inducit ad id, non solum peccare peccato indignæ administrationis, sed etiam peccare peccato indignæ susceptionis, quo indignè suscipiens peccat, quia est causa indignæ susceptionis illius. Et eodem modo eum, qui inducit feminam ad fornicationem cum ipso, non solum peccare peccato propriæ fornicationis, sed etiam peccato fornicationis feminæ ab ipso inductæ: quando verò non inducit, sed tantum fornicatur cum illa, vno tantum peccato fornicationis peccare, quia ipse non est causa actionis feminæ, quia non physica, vt patet, neque moralis, quia eam non inuitat, etiam si cooperetur cum illa, efficiendo actum necessarium comitantem actionem feminæ, & sine quo actio feminæ non esset.

Addimus secundò contra Vasquez, vt optimè Suarez disp. 63. sect. 1. ministrum in peccato mortali se ipsum communicantem, ad minus duo peccata sacrilegij committere, vnum indignæ administrationis, quia in peccato mortali administrat (quod tantum est veniale, vt diximus Tractatu de Sacramentis in genere, Disp. 14. Diffic. ix.) alterum indignæ susceptionis (quod est mortale) quia in eo statu suscipit Eucharistiam, quæ sunt duo distincta, imò & in specie, & neutrum est peccatum ratione alterius, seu malitia desumpta ab altero, sed vtrumque ratione sui: imò etiam peccat alio tertio peccato mortali sacrilegij, quia sibi indigno Eucharistiam administrat.



Obseruandum tamen est, præceptum administrandi Eucharistiam & alia Sacramenta digno, quamuis sit diuinum naturale, imò & negatiuum (quidquid Suarez dicat) quia contra illud peccatur nò omittendo reuerentiam debitam seu actum reuerentiæ debitæ, sed commitendo, & efficiendo actum irreuerentiæ, nempe indignè tractando & conferendo Sacramenta; ita tamen obligare, vt aliqua rationabili causa possit minister à peccato contra illud peccatum excusari, vt postea dicemus, eo modo quo aliqua præcepta naturalia negatiua aliquando nò obligant, deficiente aliqua circumstantia requisita, vt obligent; quia non omnia obligant circa materiam absolute (vt obligat præceptum non mentiendi) sed circa materiam aliquibus circumstantiis vestitam & determinatam, quibus deficientibus, aut earum aliqua, cessat eorum obligatio, quamuis nulla deficiente, obligent semper & pro semper; vt præceptum non occidendi hominem, quod ita obligat, vt in defensionem propriam, aut Deo concedente facultatem, non obliget; & præceptum non auferendi alienum inuito domino particulari, non obligat Deo dante facultatē ad id.

## DIFFICULTAS IX.

*Vtrum peccatori occulto, petenti publice Eucharistiam, sit deneganda.*

Conueniunt Theologi, peccatori occulto publice petenti Eucharistiam, nò esse denegandam, quia in hoc euentu occurrunt duo præcepta, vnum iustitiæ, non infamandi proximum, ipsi publice negando Eucharistiam: alterum religionis, non administrandi Sacramentum indigno. Ex his autem duobus, quorum vnum tantum potest in eo euentu seruari, præceptum iustitiæ strictius & firmius obligat, quam alterum religionis; ergo peccatori occulto non est publice deneganda Eucharistia, ne infametur, sed ipsi, quamuis indigno, administranda est. Quòd autem præceptum iustitiæ non infamandi proximum, strictius obliget quam præceptum religionis non administrandi Sacramentum indigno, probatur: quia sicut obligatio misericordiæ, qua subuenitur miseriæ proximi, præfertur obligationi religionis, qua Deo sacrificium offertur, iuxta illud Osee 6. *Misericordiam volo, non sacrificium.* quia sacrificium non offertur Deo ob ipsius utilitatem, sed ob nostram, & ob id cessat obligatio religionis, vrgente miseria proximi, vt huic subueniatur; ita etiam obligatio iustitiæ non infamandi proximum, præferenda est obligationi non administrandi Sacramentum indigno: quia Deus voluit & instituit Sacramentorum administrationem in utilitatem nostram, nò in suam; & ob id non indignè Sacramentum tractatur, quando administratur indigno, ne infametur; quia in eius utilitatem institutum est, & non Dei.

Quòd si obiecias, Primò: Ex duobus malis, quæ ita occurrunt, vt necessarium sit alterum eorum eligere, eligendum est quod est minus; sed infamare proximum in casu dicto est minus malum, quam administrare Sacramentum indigno, quia illud opponitur iustitiæ, quæ est minor virtus quam religio, cui opponitur administrare Sacramentum indigno; ergo. Respondemus, dictam regulam, eligendi minus malum contra minorem virtutem, intelligendam esse, quando ex parte obiecti vtrius-

que præcepti, aut vtriusque virtutis, nulla deest circumstantia pro obligatione alicuius ipsorum, sed ex solo occurfu tollitur obligatio alterius, vt contingit, quando quis est dubius de valore matrimonij, in quo casu debet reddere petenti, eligendo id quod fortasse est contra castitatem; ne negando debitum, faciat contra iustitiam, quæ est melior castitate; quia in hoc casu nulla deest circumstantia necessaria ex parte obiecti, vt vtrumque præceptum obliget, sed ex solo occurfu vtriusque eligit quod minus est. In nostro verò casu non ita contingit; quia ex parte obiecti præcepti non administrandi Sacramentum indigno, & non cooperandi cum illo ad indignam receptionem, deest circumstantia, nempe carentia illationis damni proximo, ex cuius defectu cessat obligatio illius. Quia ne damnum, adhuc temporale famæ contra iustitiam, inferatur proximo, ipsi publice negando Sacramentum, quod in eius utilitatem institutum est, nulla fit irreuerentia Sacramento, administrando illud indigno, & cum eo cooperando ad indignam receptionem; sicut quando proximo in extrema necessitate administratur Baptismus ab eo qui est in peccato mortali, & moraliter nequit disponi ad iustificationem, quia vrget periculum mortis baptizandi, nulla inferitur irreuerentia Baptismo, quia institutus est in remedium hominum, & tunc non potest proximo subueniri, nisi minister illud administret in statu peccati.

Quòd si obiecias Secundò: Si quis habeat apud se entem alterius depositum, & sciat dominum ensis eum petere vt se ipsum occidat, nequit depositarius illum reddere domino, vt euitet mortem corporalem domino, quamuis ipsi domino ex negatione ensis aliquando sequatur infamia; ergo peccatori petenti Eucharistiam reddi nequit, saltem vt euitetur mors spiritualis ipsius, quæ est maioris considerationis quam corporalis. Respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam, ob discrimen inter damnum spirituale & corporale; quòd damnum spirituale, quia est generale, consequens ad violationem cuiuscumque virtutis & præcepti, non est ratione sui contra aliquam virtutem, neque contra aliquod præceptum; & ideò qui peccando grauer se ipsum spiritualiter occidit, non peccat, quia se ipsum spiritualiter occidit; neque aliud peccatum committit, nisi illud ex quo mors spiritualis oritur: quia ex eo quòd seipsum occidit spiritualiter, non facit contra aliquam peculiarem virtutem, nec contra aliquod peculiare præceptum; & qui alterum inducit & inuitat ad peccatum aliquod graue quo spiritualiter occiditur, non peccat nisi eo peccato ad quod prouocat, quia est causa moralis illius peccati, & non quia illum spiritualiter occidit. Damnum verò corporale, quia non est generale, est contra aliquam peculiarem virtutem, aut iustitiæ, aut misericordiæ, aut fortitudinis, & est præceptum peculiare fortitudinis vitandi mortem propriam, nisi quando ad non vitandam illam est rationabilis causa. Quia ergo præceptum vitandi mortem corporalem proximi, cuiuscumque virtutis sit, ceteris paribus, strictius obligat, quam præceptum reddendi depositum illi, & illum non infamandi, ideò in casu obiectionis non est reddendus ensis domino, quamuis ipsi sequatur infamia, vt eius mors corporalis vitetur: in nostro verò casu Eucharistia non est deneganda peccatori occulto eam publice petenti, ne infametur, ob rationem dictam, nulla habita ratione damni spiritualis; quia



quia hoc ratione sui non est contra aliquam peculiarem virtutem, neque contra aliquod peculiare præceptum; & ideo præceptum non administrandi Sacramentum indigno, non occurrit cum præcepto aliquo vitandi mortem spiritualem proximi indignè sumentis Sacramentum, sed cum præcepto non infamandi illum, quod debet illi præferri, ob rationem dictam: præceptum verò reddendi ensẽ domino, & ipsum non infamandi, occurrit cum præcepto vitandi mortem corporalem ipsius, quod debet illis præferri.

Quod si obiecias Tertio: Minister potest cõferre peccatori occulto hostiam non consecratam, & hoc modo famam illius illesam seruare, & nullam irreuerentiam irrogare Sacramento, ergo id debet facere, & non conferre Eucharistiam. Respondemus, præterquam quod id non potest semper fieri, & ideo tunc minister debeat illi Hostiam consecratam conferre, quamuis id possit fieri, non esset licitum id facere ipso peccatore ignorante, imò neque ipso sciente & contentiente, quia fictio semper est illicita, & in Sacramentis valde perniciosa & execranda, vt dixit Innocentius III. in cap. *De homine*, de Celebratione Missarum.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum peccatori occulto, occultè petenti Eucharistiam, sit etiam deneganda.*

Conueniunt Theologi, occulto peccatori occultè petenti Eucharistiam, denegandam esse à ministro, cui non conuenit ex officio Sacramenta administrare, quia tunc nulla adest causa ob quam Sacerdos non Parochus excusetur ab obligatione præcepti non administrandi Eucharistiã indigno, quia tunc neque peccator infamatur, quia ipsi ita negatur Eucharistia, vt nullus sit testis apud quem possit nouiter infamari, vel tantum est vnus aut alter, qui peccatum illius etiam agnoscit: neque illi fit iniuria aliqua contra ius aliquod, quod habeat vt ipsi Eucharistia conferatur, quia nullum habet vt sibi conferatur à Sacerdote non Parocho.

Est tamen difficultas, An neganda sit à ministro, cui ex officio incumbit Sacramenta administrare, nempe à proprio Parocho.

*Sotus.* Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. docet, non esse illi negandam tempore obligationis Communionis, neque extra tempus obligationis (nisi quando frequenter petit) quia peccator habet ius petendi Eucharistiam à suo Pastore, præsertim tempore obligationis.

*S. Thomas.* S. Thomas verò in 4. dist. 9. art. 5. & reliqui Theologi docent, negandam esse illi Eucharistiam etiam tempore obligationis, & merito: quia peccator, dum est in statu peccati, non habet ius ad Eucharistiam, quia non est in statu requisito à Christo vt eam possit recipere; & credi non potest, Christum contulisse ius iustitiæ ad Sacramenta ei, qui non est in statu requisito ab ipso.

Addimus contra Alexandrum 4. par. quaest. 11. memb. 2. art. 3. Durandum in 4. dist. 9. q. 1. Vasquez disp. 209. cap. 5. & contra plures alios, vt optimè Adrianus Quodlib. 3. q. 3. Paludanus in 4. dist. 9. q. 4. art. 1. Gabriel q. 2. art. 3. dub. 1. Nauarrus c. 21. n. 55. Egidius q. 80. art. 6. n. 38. & plures alij, non esse negandam Eucharistiam dicto peccatori, si minister Eucharistiæ cognouerit statum peccato-

ris tantum in confessione Sacramentali, in qua cum non absoluit, etiam si nullus adsit testis; non quia tunc peccator habeat ius ad Eucharistiam, sed ne negatione Eucharistiæ fiat illi confessio odiosa, quia facillè suspicabitur, sibi negari Eucharistiam, quia ipse confessus fuit suum statum, quo irreuerentia irrogatur Sacramento confessionis, iuxta ea quæ diximus Tractatu de Pœnitentiã, Disput. XI. Difficultate IX.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum peccatori publico, publicè petenti Eucharistiam, deneganda sit.*

Conueniunt Theologi, publico peccatori non tantum quando occultè, sed etiam quando publicè petit Eucharistiam, denegandam esse, quia tunc nulla adest causa, ob quam minister excusetur ab obligatione non administrandi Eucharistiam indigno.

Est tamen difficultas, Quis dicatur & sit peccator publicus, ad hunc effectum vt ei sit etiam publicè deneganda Eucharistia.

Circa hanc rem, varijs modis dicendi omisis, dicendum est, vt optimè Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. & Vasquez disp. 209. cap. 2. vt peccatum aliquis sit & dicatur publicum ad effectum dictum, non sufficere infamiam ex indicijs ortam, sed requiri notorietatem peccati, siue per sententiam Iudicis, siue per confessionem ipsius in iudicio factam, siue per euidentiã facti seu peccati, quæ nulla possit tergiuersatione celari. Quia sicut in cap. *Quasitum*, de Cohabitatione Clericorum & mulierum, dicitur, non sufficere infamiam, vt Missam Sacerdotis peccatoris audire nõ possimus, sed requiri notitiam peccati aliquo ex tribus modis dictis; sic etiam non sufficit infamia peccati ex indicijs orta, ad negandam Eucharistiam, sed necessaria est, & sufficit notitia peccati aliquo modo ex dictis. Ratio autem huius est, quia quando tantum est dicta infamia, & non est notitia aliquo modo ex tribus dictis, peccator negatione Eucharistiæ ipsi facta læditur in sua fama, quia ea negatione publicè facta infamatur manifestè, & infamia ex indicijs habitã nondum est sufficienter infamatus, quia hæc infamia est maximè fallibilis. Quando verò adest notitia peccati aliquo modo ex tribus dictis, peccator ita est infamatus, vt negatione Eucharistiæ publica non lædatur in fama, quia notitiã eã, vt pote publicã & moraliter certã, est publicè & moraliter certò infamatus. Est autem peccatum notorium euidentiã facti, quando factum est coram maiori parte viciniæ, in qua ad minus habitant decem: si tamen viciniã sit plurimum, non requiritur quod fiat coram maiori parte, sed coram aliquibus; sicut quando fit in platea, ad arbitrium viri prudentis, attentis qualitate testium, tempore, & loco, vt diximus Tractatu de Excommunicat. Disputatione 1. Difficultate 111.

Supere est tamen difficultas, An quando peccator est publicus seu notorius in vno oppido, & non in alio, neganda sit illi Eucharistia in illo alio, in quo non est publicus seu notorius. Et non procedit, quando ex oppido, in quo est publicus, citò humano more deuenit notitia ad aliud, quia tunc absque dubio neganda est illi Eucharistia tantquam publico peccatori, quia tunc humano more nega-

*Adrianus.*  
*Paludanus.*  
*Gabriel.*  
*Nauarrus.*  
*Egidius.*

*Sotus.*  
*Vasquez.*



negatione publica Eucharistiæ non læditur in fama: sed tantum procedit, quando creditur, quod non deueniet notitia, saltem citò, in illud aliud oppidum.

Resolutio huius difficultatis pendet ex resolutione alterius, an scilicet infamatus in vno loco possit infamari in alio, ad quem creditur non deuenturam infamiam, aut saltem non deuenturam citò: de qua re legi potest Lessius de Iustitia, cap. 2. dub. 13.

Circa hanc difficultatem, quia pars negatiua nobis verior videtur, quia ille habere videtur ius vt in illo alio loco non infametur, idè consequenter credimus, peccatori publico seu notorio in vno oppido, non posse publicè negari Eucharistiam in illo in quo est occultus, & creditur non citò publicandus, & multò minùs si creditur numquam publicandus; quia ea negatione publicè infamatur in oppido in quo aliàs aut non est infamandus, aut non est citò infamandus.

### DIFFICULTAS XII.

*Vtrum Eucharistia possit administrari alicui ad purgationem delicti, de quo est suspectus.*

**R**atio difficultatis pro parte affirmatiua desumitur ex Concilio Wormatiensi, quia ab ipso modus iste purgationis institutus est cap. 10. & refertur can. *Si Episcopo* 2. quæst. 5. vbi statuitur, quod si Episcopo aut Presbytero crimen aliquod imputeretur, Missam celebret, & hoc modo de crimine obiecto innocentem se ostendat: & ab eodem in cap. 15. & refertur can. *Sepè*, præcipitur, quod si intra Monasterium furtum aliquod fieri contigerit, & auctor ipsius ignoretur, & Fratres ab hoc delicto purgandi sint; Missa celebretur, & singuli Fratres in ea Eucharistiam sumant, & hæc verba dicant, *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.*

Nihilominus Doctores conueniunt (exceptis Adriano Quodlib. 3. art. 3. oppositum dicente, & Ægidio quæst. 80. num. 39. id idem indicante) Eucharistiam nulli posse administrari ad purgationem delicti de quo est suspectus, & illud non fatetur.

Quo autem Iure id prohibitum sit, non est parum difficile. Quia in primis id non est prohibitum Iure naturali, quia ab homine suspecto ita potest extorqueri susceptio Eucharistiæ, vt in ea susceptione nõ tentetur Deus, sed ita vt suspectus suscipiens Eucharistiam instar iurantis se habeat: quia potest sic sumi, vt sumptione ipsa iuret quodam genere iuramenti execratorij, quasi supra se inuocando potentiam Dei, vt Deus signo aliquo visibili ipsum puniat, si non sit innocens; in purgatione autem sic facta nullo modo tentatur Deus, quia id non est velle experiri potentiam Dei, sed profiteri veritatem, quia qui sic inuocat potentiam Dei, & sic iurat, vt Deus approbet quod iurat, non petit à Deo miraculum, quia Deus id videtur approbare nihil faciendo. Deinde id non est prohibitum Iure naturali diuino, quasi contra reuerentiam Eucharistiæ efficiat minister, si eam tribuat suspectis de crimine, quia verè non efficit contra illam, nisi quando suspicio est talis, vt nulla in contrarium admittatur probatio; & æquiualeat manifesto cri-

mini: quia non est contra reuerentiam Eucharistiæ ipsam tribuere leuiter & non certò suspectis, ne certò infametur, præsertim quod quis præsumendus est bonus, dum firmiter non probatur malus. Rursus id non est prohibitum Iure diuino positiuo, quia de eo nullatenus constat. Tandem id non est prohibitum Iure aliquo humano scripto, quia nullibi id reperitur, etiãsi in aliquibus Canonibus reperiatur prohibita purgatio per aquam feruentem, & per ferrum candens, quatenus per eam tentatur Deus, & in ea absque sufficiente causa petitur à Deo, vt manifesto miraculo approbet innocentiã suspecti; quia in ea petitur, vt si suspectus de crimine sit innocens, nihil mali patiat ab aqua feruente, neque à ferro candente.

Dicta ergo purgatio mediâ collatione Eucharistiæ, est prohibita Iure humano non scripto, sed defuetudine introducto, vt aduertunt Maior in 4. dist. 9. quæst. 4. & Vasquez disp. 210. cap. 3. quia eo ipso quod genus aliquod purgationis seu iudicij non est in vsu, est peregrinum: quod autem est peregrinum, est eo ipso illicitum, vt dicitur in cap. *Ex tuarum*, de Purgatione canonica, illis verbis, *Quia verò peregrina iudicia sunt inhibita, purgationem quam præstitit, sufficere non putantes, &c.* Et meritò, quia eo ipso quod iudicium est peregrinum, est contra ordinem Iure scripto aut consuetudine præscriptum.

Ad rationem ergo difficultatis ex capitulis illis Concilij Wormatiensis (quod tantum fuit Prouinciale, & non approbatum à Romano Pontifice) desumptam respondemus, eã tantum probari, dictam purgationem non fuisse Iure aliquo vniuersali prohibitam, & pro tempore aliquo in vsu fuisse in ea Prouincia; id tamen non tollit iam esse prohibitam Iure humano, vniuersali defuetudine introducto.

### DIFFICULTAS XIII.

*Vtrum pollutio impediatur sumptionem Eucharistiæ.*

**S**upponimus, pollutionem, quæ est peccatum mortale, ita impedire sumptionem Eucharistiæ, vt nequeat absque praua confessione sumi, vt generale est omnibus peccatis mortalibus; & pollutionem non esse mortalem, nisi quando est directè intenta, non verò quando tantum est indirectè intenta, seu in sua causa, id est quando adhibetur causa pollutionis, non intendendo pollutionem, sed aliud, quamuis sciatur ex ea causa futuram esse pollutionem, nisi quando causa non habet alium effectum, quàm excitare ad pollutionem (qualis est actus libidinosus) vt dicimus Tractatu de Peccatis.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An pollutio impediatur sumptionem Eucharistiæ.

Conueniunt Doctores, pollutionem, quæ non est mortalis, quamuis in vigilia eueniat, & si fuit, si præcedat Sacramentalis confessio illius, non impedire sumptionem Eucharistiæ: quia ex vna parte pollutio non mortalis non aufert statum gratiæ, qui est sufficiens ad augmentum illius ad quod Eucharistia primariò & principaliter instituta fuit; & quamuis fuerit mortalis, si præcedat Sacramentalis confessio illius, non impedit statum gratiæ, quem Sacramentalis confessio potest conferre:



ferre: & ex altera parte nulla est prohibitio sumendi Eucharistiam post pollutionem non mortalem, neque post mortalem, si præcedat confessio illius, quia nulla est prohibitio positua, quia de ea non constat; neque naturalis, quia ex nullo capite ostendi potest.

Quòd si Primò obijcias Augustinū Serm. 244. de Tempore, vbi ait, post pollutionem, quæ nobis nolentibus accidit, non licere communicare, nisi eleëmofyna præcedat, imò & ieiunium; Respondemus, vt Vasquez quæst. 8. cap. 7. Augustinum loqui de pollutione quæ est peccatum veniale, & docere, quòd post eam non liceat communicare, sumpto non licere pro eo quod non est congruum seu decens, non verò pro eo quod est illicitum & peccatum.

Quòd si Secundò obijcias Timotheum Alexandrinum in Responsis Canonicis, quæ habentur Tomo 6. Bibliothecæ Patrum, Respon. 3. vbi ait, pollutionem nocturnā impedire Communionem, & Respon. 5. & 13. vbi ait, coniugatos non posse sumere Eucharistiam eo die, quo simul cohabitauerint; Respondent nonnulli, in dictis locis non contineri prohibitionem, sed consilium non communicandi. Vasquez verò vbi supra credit, antiquitus fuisse legem aliquam vel vniuersalem, vel prouincialem, qua post pollutionem, imò & tempore menstrui feminæ, prohibitum erat communicare, nisi post aliquot dies aut horas, vt in aliquibus canonibus indicatur, & id significasse Timotheum vbi supra: iam tamen dictam legem non vigere, quia opposita consuetudine sit abrogata.

Negari tamen non potest, esse optimum consilium, in Eucharistiæ reuerentiam, quando ad communicandum non vrget aliqua rationabilis causa, à Communione abstinere pro aliquo tempore post pollutionem, & post actum coniugalem, & quando adest menstruum, præsertim si post eos actus relinquatur aliqua carnis cōmotio, vel aliqua mentis euagatio circa eas res: non tamen est peccatum, adhuc veniale, quando adest menstruum, & post pollutionem, & post actum coniugalem absque dilatione communicare, etiam si pollutio fuerit mortalis, & actus coniugalis fuerit ex fine aut aliter factus mortalis, si ante Communionem præcedat confessio illius quod fuerit mortale, quia nulla adest prohibitio communicandi in dictis casibus, quia non est aliqua positua, quia de ea non constat; neque naturalis, quia nullo sufficienti fundamento ostendi potest.

## DIFFICULTAS XIV.

*Vtrum cibus vel potus sumptus impediatur  
sumptionem Eucharistiæ.*

**L**utherani & Calvinistæ in eo errore fuerunt, vt existimauerunt, ad sumptionem Eucharistiæ non esse necessarium ieiunium: & in eodem fuerunt aliqui antiquiores hæretici, vt indicatur in Concilio Constantiensi sess. 13.

Conueniunt tamen Catholici, necessarium esse, & à multis annis necessarium fuisse ieiunium ad sumptionem Eucharistiæ, vt dicitur in Concilio Constantiensi sess. 13. in initio: quod etiam præcipitur & decernitur in pluribus alijs Concilijs, quæ referunt Suarez disp. 68. sect. 3. & Vasquez disp. 211. in quibus etiam fit mentio antiquissimæ

consuetudinis non sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij: imò fuisse à tempore Apostolorum, dicitur in VI. Synodo, can. 29. & à pluribus Patribus, quos referunt Suarez & Vasquez.

Præceptum autem hoc non sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, non est diuinum, quia non constat Christum id præcepisse, imò conijcitur id non præcepisse, quia illam Apostolis post cœnam communem administravit; neque est naturale, vt patet; sed est Ecclesiasticum, à principio Ecclesiæ siue ab Apostolis expressè traditum, siue dicta consuetudine introductum, & sæpè in pluribus Concilijs confirmatum.

Sed obijcit Lutherus, Christum dedisse Apostolis Eucharistiam post cœnam. Respondemus, quòd quamuis fuerit conueniens, quòd Christus post cœnam è vita discessurus, in fine illius in signum amoris pro discessu Eucharistiam institueret, & eam Apostolis ministraret; tamen postea, causa hac cessante, conuenientius fuit, & est, vt nos ad Eucharistiam accedamus nullo cibo & potu communi præoccupati: & ided id fuit vel ab Apostolis expressè præceptum, vel consuetudine introductum tamquam necessarium & præceptum.

Secundò obijcitur testimonium Chrysostomi Epistola ad Cyprianum Episcopum, in qua cum quidam ipsi obiecisset, quòd non ieiunios ad Eucharistiam admitteret, responderet, etiam Christum post cœnam dedisse Apostolis Communionem; qua responsione significat, licitum esse post fractionem ieiunij Eucharistiam sumere. Respondemus, Chrysostomum prius negasse se id facere; deinde retulisse exemplum illud Christi, non vt significaret id esse licitum, sed vt extenuaret crimen sic accedendi ad Eucharistiam, ne putaretur nimis execrandum.

Tertiò obijcitur illud Pauli 1. ad Corinthios cap. 11. *Si quis esurit, domi manducet.* vbi Paulus videtur admittere, quòd Corinthij iam pransi ad Ecclesiam venirent ad sumendam Eucharistiam. Respondemus, varijs solutionibus & expositionibus omissis, Paulum verbis illis non admittere Corinthios iam pransos ad Eucharistiam sumendam, sed admonere, vt si quis præ fame non posset expectare communem cœnam, quæ post sumptionem Eucharistiæ erat in vsu apud illos pro omnibus qui Eucharistiam sumebant, adiret domum, & manducaret, vt ita expectare posset: erat enim apud Corinthios in vsu, in memoriam cœnæ Christi commune conuiuium, seu comunem cœnam post sumptionem Eucharistiæ parari in Ecclesia omnibus qui Eucharistiam sumebant, ex cibis quos ipsi, præsertim diuites, ad id in Ecclesiam deferebant: plures tamen ex diuitibus, qui magnam ciborum & potus copiam deferebant, nolebant pauperes ad cœnam expectare, quia cœna non poterat ita citò pro omnibus parari; & ided vnusquisque, præsertim ex diuitibus, id quod in Ecclesiam detulerat, cœnare præsumebat, antequam omnes ad cœnandum conuenirent; ex quo schismata & dissensiones inter Corinthios oriebantur: quia pauperes alij, qui nihil ad cœnandum detulerant, non cœnabant, (ob quod rubore confundebantur) & ita cœna Dominica, seu Christi, à qua nullus, neque Iudas fuit exclusus, non recolebatur. Paulus ergo in eo loco reprehendit Corinthios diuites, qui non expectantes pauperes, prius ante comunem cœ-

nam

Concilium  
Constant.

Suarez?  
Vasquez?



nam in Ecclesia cœnabant, & eos admonet, vt cum omnibus cœnent, & ne aliquis fame urgente in Ecclesia suam cœnam seorsim cœnet, admonet, vt si esuriat, manducet domi, non ante, sed post sumptionem Eucharistia, vt postea possit cum reliquis in Ecclesia cœnare.

## DIFFICULTAS XV.

*Vtrum ieiunium ad sumptionem Eucharistia prerequisite debet esse naturale, an sufficiat Ecclesiasticum.*

**I**eiunium naturale dicitur abstinentia ab omni cibo & potu, adhuc per modum medicina: Ecclesiasticum verò est abstinentia à cibo per modum cibi, & non est abstinentia à potu, neque à medicamentis, neque à cibo per modum medicina, sed ad nutritionem.

Godfredus.  
Io. Paris.

Circa difficultatem ergo Godfredus & Ioannes Parisiensis docuerunt, ad sumptionem Eucharistia sufficere ieiunium Ecclesiasticum, quia ieiunium ad eam prerequisite precipitur ab Ecclesia: ergo eodem modo intelligendum est, quo Ecclesia intelligit ieiunium quod pro diebus ieiunij precipit.

S. Thomas.

S. Thomas verò, & eius interpretes, quæst. 80. art. 8. & Scholastici in 4. distinct. 8. & Summistæ v. *Eucharistia* vel v. *Ieiunium* docent, & optimè, ieiunium ad sumptionem Eucharistia prerequisite esse naturale, & non sufficere Ecclesiasticum, quod habetur in Concilio Toletano VII. cap. 2. & indicatur in cap. *Ex parte*, de Celebratione Missarum: & id exprimitur & declaratur consuetudine Ecclesiæ, qua introductum est, aut qua saltem obseruatur. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Suarez.  
Vasquez.

Et quamuis non desint, qui existimant tantum esse peccatum veniale, Eucharistiam sumere post sumptionem cibi & potus in parua quantitate, ob leuitatem seu paruitatem materia; Suarez tamen disp. 68. sect. 4. & Vasquez disp. 211. cap. 3. & communiter Doctores existimant esse mortale, etiam si Eucharistia sumatur post sumptionem minimæ quantitatis cibi aut potus, & merito: quia materia huius prohibitionis non est sumptio cibi aut potus, sed est sumptio Eucharistia post sumptionem cibi aut potus; sumptio autem Eucharistia post illam est materia grauis, seu magni momenti.

Obseruandum est Primò, ieiunium hoc naturale ad sumptionem Eucharistia prerequisite non violari ex eo, quòd aliquid cibi, intra dentes ex die precedente relictum, traiciatur à casu in stomachum, quia traectio illa à casu facta non censetur moraliter comestio; censetur autem, si fiat scienter & ex intentione, ac proinde per illam violaretur dictum ieiunium, vt contra Tabiennam v. *Communicare*, & forsan contra Ægidium q. 80. art. 8. & contra Adamum quæst. 8. num. 79. aduertunt communiter Doctores: sicut etiam censetur traectio sacchari noctu immisisti in os paulatim deglutendi, si traectio illius post mediam noctem perseueret. Neque violari ex eo, quòd parum aquæ salia admixtum deglutatur, in quo Doctores conueniunt, quamuis non sit conuer-

sum in saliuam, quia deglutitio illius non est potatio, quia sumitur per modum salia, seu quasi vnum cum salia. Et idem est, quando aliquid iuris aut cibi conditi sumitur ad gustandum, & parum illius admixtum salia, quamuis non conuersum in saliuam, deglutitur, vt plures Doctores aduertunt; quia etiam tunc deglutitio illius non est potatio neque comestio, quia etiam sumitur per modum salia, & quasi vnum cum ea. Neque violari sumptione pulueris, quem cum aère, quem respiramus, attrahimus ad stomachum; neque mulsæ sic attractæ in stomachum, neque ipsius volando intrantis in os apertum, & à casu traiectæ in stomachum: quia dicta traectio non est comestio. Neque violari traiectione salia, neque sanguinis descendens ex capite, aut aliunde, neque alius humoris, quamuis scienter facta; quia neque est comestio, neque potatio, quia ad comestionem & ad potationem requiritur, quòd cibus & potus ori ab extrinseco imponantur.

Obseruandum est Secundò, ieiunium hoc naturale ad sumptionem Eucharistia tantum prerequisite in eo die in quo sumitur Eucharistia: dies autem ad hunc effectum, iuxta Ecclesiæ consuetudinem, computatur à media nocte, & ideò quod ante mediam noctem manducatum aut potatum est, non impedit sumptionem Eucharistia. quod verum est, quamuis digestum non sit, siue ex defectu somni, siue aliunde, vt contra Gloss. in can. *Nihil* 7. quæst. 1. & in cap. *Si extiterit*, de Accusationibus, aduertunt communiter Doctores.

## DIFFICULTAS XVI.

*Vtrum Eucharistia possit aliquando à non ieiuno sumi.*

**C**onueniunt Doctores, in articulo physico mortis, aut in periculo mortis (quod etiam dicitur articulus, quamuis solum moralis) siue mortis naturalis, siue violentæ, in quo Sacramentum Eucharistia tamquam viaticum pro migratione ex hac vita debet ex præcepto diuino, sumi posse à non ieiuno, quando nequit commodè tempus matutinum ieiunus expectare; vel quia Ecclesia non vult in eo casu obligare prohibitionem non sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, vel quia in eo articulo, siue physico siue morali, est præceptum diuinum sumendi Eucharistia, quod, utpote diuinum, & materia maioris considerationis, præferendum est dictæ prohibitioni Ecclesiastica.

Addidimus, quando nequit commodè tempus matutinum ieiunus expectare; quia non sufficit, quòd infirmus possit vna vel duabus horis post mediam noctem commodè ieiunus expectare, vt non possit ab ipso non ieiuno Eucharistia sumi, quia tunc non tenetur diutiùs differre sumptionem cibi aut potus, quia nequit absque considerabili incommodo ob nimiam infirmitatem, neque tenetur curare vt intempestiua nocte ad se afferatur Eucharistia, quia id regulariter fieri nequit absque considerabili incommodo (imò in ea hora nequit satis honorificè afferri) Ecclesia autem non vult ad eò infirmum grauare. Ob quod non est scrupulosè procedendum in admostrando Eucharistiam sic infirmo non ieiuno, vt Ecclesiæ consuetudo declarat.

Est



Est tamen difficultas, An in eadem infirmitate possit infirmus non tantum semel, sed iterum atque iterum non ieiunus communicare, quando ieiunus nequit commodè expectare: & procedit, quando in eodem periculo mortis perseverat, & illud non euasit: quia quando non perseverat in eodem periculo mortis, sed illud euasit, nequit non ieiunus iterum communicare.

Circa hanc difficultatem supponimus, quòd quando status eiusdem infirmitatis ita variatur, ut infirmus, qui fuit in periculo mortis, ab eo liberatus fuit, & postea iterum incidit in periculum mortis, tunc toties potest ab ipso non ieiuno Eucharistia sumi, quoties sit in nouo periculo, quamuis eadem infirmitas perseveret; quia tunc sunt noui articuli necessitatis (non minus ac quando in diuersis infirmitatibus, in qualibet contingit articulus mortis). imò pro nouis illis periculis mortis esse nouam obligationem sumendi Eucharistiam, indicat Vasquez disp. 11. c. 4. in fine, quod plures negant.

Est ergo punctum difficultatis, An in eadem infirmitate, eodem periculo mortis perseverante, possit infirmus non tantum semel, sed etiam iterum atque iterum non ieiunus communicare, quando nequit commodè ieiunus commodum tempus expectare.

Vasquez ubi supra, Ægidius q. 80. num. 52. & Ochagauia q. 12. docent, infirmum, postquam semel sumpsit Eucharistiam ut viaticum (id est pro articulo mortis, siue physico siue morali) siue eam ieiunus siue non ieiunus sumpsit, non posse iterum in eadem infirmitate, quamuis periculum mortis perseveret, & quamuis post primam sumptionem mortaliter peccauerit, Eucharistiam non ieiunum sumere, quia infirmus pro periculo mortis excusatur à prohibitione Ecclesiastica sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, quando aliter nequit commodè, quia occurrit cum præcepto diuino communicandi pro eo periculo, quod præferendum est dictæ prohibitioni Ecclesiasticæ, sed postquam infirmus semel pro periculo mortis communicauit, ita satisfecit præcepto diuino communicandi, ut pro eodem periculo non teneatur ex diuino illo præcepto iterum communicare, quamuis post primam sumptionem Eucharistiæ mortaliter peccauerit, ut dicemus Disp. x. Diffic. 11. Ergo postquam infirmus semel pro periculo mortis communicauit, nequit iterum pro eodem perseverante non ieiunus communicare, quia post primam sumptionem nullum extat diuinum præceptum iterum communicandi, quo excusari possit à prohibitione Ecclesiastica communicandi post fractionem ieiunij.

Suarez verò disp. 78. sect. 5. Henriquez lib. 3. cap. 50. Toletus lib. 6. cap. 15. Reginaldus lib. 29. num. 120. Tabienna v. *Communicare*, num. 48. & Armilla num. 18. docent, infirmum in eodem periculo mortis perseverantem, quamuis post primam sumptionem Eucharistiæ non peccauerit mortaliter, posse iterum atque iterum non ieiunum communicare, quando commodè nequit tempus commodum expectare, & merito: quia à prohibitione Ecclesiastica sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, excipiuntur ab ipsa Ecclesia infirmi in periculo mortis constituti, quando aliter commodè nequeunt, absque ea limitatione, nempe ut semel tantum fiat: ergo prohibitione il-

la non tenentur pro periculo mortis, ac proinde poterunt pro eodè periculo non ieiunus sæpè communicare. Quòd autem infirmi pro periculo mortis ab Ecclesia excipiantur à dicta prohibitione, quando aliter commodè nequeunt, non leuiter indicatur in Concilio Constantiensi sess. 13. dum dicitur: *Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata consuetudo Ecclesie seruantur & seruat, ut hoc Sacramentum non possit recipi à non ieiunus, nisi in casu infirmitatis (subintellige periculose) aut alius necessitatis à Iure vel ab Ecclesia concesso vel admissio.* vbi exceptio hæc sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij in casu periculose infirmitatis, tribuitur auctoritati canonum, & consuetudini Ecclesie, & etiam concessionem vel admissionem factam à Iure vel ab Ecclesia, & non occurrit cum diuino præcepto. Et quidem satis credibile est, casum hunc pro periculo mortis exceptum fuisse, vel consuetudine ipsa Ecclesie, si media hac introducta fuit prohibitio illa; vel ab Apostolis, si lata fuit ab ipsis, utpote communem, & sæpè contingentem.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, ex eo posse infirmum pro periculo mortis non ieiunum communicare, quando aliter commodè non potest, quia prohibitio dicta occurrit cum diuino præcepto communicandi pro eo periculo; sed quia casus iste fuit semper à prohibitione illa exceptus, & absque ea limitatione, ut semel tantum fiat. Quòd non leuiter indicatur in Concilio Constantiensi sess. 13. in qua fit mentio dictæ exceptionis, & pro causa ipsius non redditur occursum cum diuino præcepto: sed nullam redditam causam, exceptio illa reducitur ad auctoritatem canonum, & ad Ecclesie consuetudinem, & ad concessionem vel admissionem Iuris vel Ecclesie.

Doctores tamen nostræ sententiæ ferè omnes, pro repetitione Eucharistiæ sumendæ ab infirmo periculose ægrotante non ieiuno, requirunt interuallum aliquorum dierum inter vnam & alteram Communionem. Suarez & Reginaldus requirunt interuallum octo dierum, Henriquez interuallum septem dierum, Tabienna interuallum sex dierum, Toletus interuallum aliquorum dierum, illud non determinans, Armilla verò nullum assignat, absque dubio credens, repeti posse quoties potest à sano ieiuno, quod in Concilio Constantiensi ubi supra indicati videtur, dum excipit infirmos absque vlla limitatione, quo videtur indicate, toties posse ab illis non ieiunus sumi, quoties à sanis ieiunus.

## DIFFICULTAS XVII.

*Verum Sacerdoti existenti extra periculum mortis, sit licitum aliquando non ieiuno Eucharistiam sumere.*

Conueniunt Doctores, in tribus sequentibus casibus Sacerdotem non ieiunum posse Eucharistiam sumere extra periculum mortis. Primus est, quando est necessarium perficere Sacrificium, ut quando Sacerdos incautè pro vino consecrando aquam calici infudit, & postea calicem sumens percipit esse aquam; quia tunc etiam fracto naturali ieiunio, sumptione illius aquæ, debet iterum vinum modicissimam aquam mixtum infunde-

Vasquez.  
Ægidius.  
Ochagau.

Suarez.  
Henriq.  
Toletus.  
Reginald.  
Tabienna.  
Armilla.

Suarez.  
Reginald.  
Henriq.  
Tabienna.



re & consecrare, & consecratum sumere, vt Sacrificium, quod ex consecratione vtriusque speciei essentialiter coalescit, perficiat, quia præceptum perficiendi sacrificium, præterquam quod est diuinum, est etiam maioris considerationis, quàm prohibitio Ecclesiastica sumendi Eucharistiam fracto naturali ieiunio. Et idem dicendum est, quando vnus Sacerdos post consecrationem non potuit consumere species consecratas, quia tunc alius, quamuis non ieiunus, si alius ieiunus deficiat, debet illas consumere, vt dicitur in Concilio Toletano VII. can. 2. quia præterquam quod præceptum consumptionis Sacrificij iuxta plurimum sententiam est diuinum, est etiam maioris considerationis, quàm prohibitio communicandi post fractionem ieiunij; quia consumptio Sacrificij, quod est res maximæ considerationis, pertinet ad ipsius integritatem accidentalem.

Secundus casus, in quo Doctores conueniunt posse Eucharistiam à Sacerdote non ieiuno sumi, est, quando imminet periculum irreuerentiæ inferendæ Eucharistiæ ipsi, siue ab infidelibus, siue à bestia aliqua Eucharistiam deuoratura, aut periculum incendij, aut aliis indecentiæ futuræ circa Eucharistiam; quia tunc potest à Sacerdote non ieiuno consumi, imò, deficiente Sacerdote, à laico, quia maioris ponderis est, Eucharistiam liberari ab irreuerentia vel ab indecentia, quàm eam à non ieiuno sumi. Et ob eandem rationem laicum, qui inaduertenter accessit ad altare ad communicandum, & postea recordatur se non esse ieiunum, si nequeat ab altari ante Communionem absque graui nota discedere, potest non ieiunus communicare, quia scilicet maioris ponderis est, notam illam non incurrere, quàm non ieiunum communicare.

Tertius casus, in quo Doctores conueniunt, est, quando, consumptis speciebus panis & vini, remanet à casu in Calice particula aliqua speciei panis, quia in Missali Romano in Rubricis de Defectibus dispositionis statuitur, vt tunc particula illa digito ad labrum Calicis adducatur, aut vino infuso sumatur in ipso, vbi vtriusuis datur optio: at quando Sacerdos eligit vinum infundere, vt in ipso illam sumat, regulariter contingit, quòd particula aliqua vini prius deglutatur, quo ieiunium naturale frangitur, quàm particula illa speciei panis. Ratio, quæ huius communiter redditur, est, quia lex illa ieiunij ante sumptionem Eucharistiæ tantum obligat pro actione totali sumendi Eucharistiam, non pro singulis particulis actionis sumendi illam: & quia tunc Sacerdos ante actionem totalem ieiunus erat, ideò nihil refert, si non sit ieiunus, ad partem aliquam sumptionis Eucharistiæ, nempe illarum reliquiarum Eucharistiæ, quia ad eandem actionem seu sumptionem totalem cum partibus sumptionis præcedentibus moraliter pertinet. Ratio tamen hæc nobis non probatur, quoniam secundum eam non esset contra prohibitionem sumendi Eucharistiam, post fractionem ieiunij sumere scienter aliquid cibi ante sumptionem reliquiarum. Ratio ergo huius defumitur ex voluntate Ecclesiæ, quæ in eo casu vult fractionem ieiunij non impedire, sicut etiam vult non impedire, quando in Feria sexta Parasceues ex præcepto ipsius particula Hostiæ consecratæ remanentis ex Feria quinta infunditur vino non consecrato, & in ipso sumitur, & tamen regulari-

ter contingit, quòd particula aliqua vini prius deglutatur, quàm particula illa hostiæ consecratæ.

Quartus casus, in quo Doctores non conueniunt, est, quando post sumptam ablutionem calicis Sacerdos reperit in altari, aut in patena, aut in calice particulam aliquam Eucharistiæ, quia Caietanus in Summa v. *Missæ celebratio*, Vasquez *Caietanus*, disp. 211. n. 51. *Ægidius* quæst. 80. n. 65 & plures *Vasquez*, alij docent, posse post sumptam ablutionem sumi. *Ægidius*.

Rosella v. *Eucharistia* 3. num. 13. & alij docent, non posse sumi, quia est contra prohibitionem sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, sed reponendam esse in sacrario. *Rosella*.

Nos tamen existimamus, particulam relictam post sumptam ablutionem non posse sumi, sed reponendam esse in sacrario, quando absque periculo irreuerentiæ, & indecentiæ, & perditionis particulæ relictæ, aut alicuius partis illius reponi & seruari potest (vt potest contingere, quando particula est speciei panis, & grandiuscula) quia tunc absque causa aliqua excusante à prohibitionem sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, sumitur à non ieiuno: posse verò, imò & debere sumi, quando reponi & seruari nequit absque periculo aliquo ex dictis (vt contingere potest, quando particula relictæ est Sanguinis, aut quando si est Corporis est nimis parua, aut quando est madefacta in calice) quia tunc materia dictæ prohibitionis non manet apta prohibitioni, quia tunc sumere particulam illam, est maioris reuerentiæ erga Eucharistiam, quàm non sumere, quia fractum sit ieiunium. Et ob hanc rationem, quando Hostia adhæret palato possunt multiplicari ablutiones, vt deglutatur; & potius istæ sunt multiplicandæ, quàm Hostia tactu digiti, præsertim laici communicantis, sit à palato dimouenda.

Tandem conueniunt Doctores, Sacerdotem non ieiunum, quamuis deficiat Hostia pro infirmo existente in articulo mortis, non posse Missam celebrare, vt in ea consecret Hostiam pro illo, & merito: quia maioris ponderis est, vt non ieiunus abstineat à Communionem, quàm quòd ægroto iustificato illam administret pro augmento iustitiæ, & pro abundantia auxiliorum ad perseuerandum, cum auxilia necessaria & sufficientia ad id etiam dentur absque Eucharistia, imò & alia plura non necessaria.

Id verò quod docet Maior in 4. d. 9. q. 3. nempe Sacerdotem non ieiunum posse Hostiam secretò absque ritu Ecclesiastico consecrare pro ægroto existente in articulo mortis, falsum est, quàmuis Sacerdos sit ieiunus, & est contra communem sententiam; quia maioris ponderis est, non consecrare Eucharistiam contra vniuersalē Ecclesiæ consuetudinem, quàm eam administrare ægroto deobligato ad eam suscipiendam defectu copię ipsius Eucharistiæ. Et multò magis falsum est, quòd in casu dicto videtur supponere, nempe, Sacerdotem posse panem tantum consecrare, & eum administrare ægroto, absque eo quòd ipse de eo participet: quia præterquam quòd, vt dicemus Tract. de Sacrificio Missæ, Disp. 1. iure diuino necessarium est, quòd vtramque speciem consecret, & secundum plurimum sententiam, quòd ipse communice, vt sic Sacrificium perficiat; & quòdlibet ex his duobus, saltem prius, est multò maioris ponderis, quàm ægroto illi Eucharistiam conferre.



## DIFFICULTAS XVIII.

*Quotuplex sit modus sumendi Eucharistiam.*

Conueniunt Doctores, Eucharistiam posse tribus modis sumi, nempe Sacramentaliter tantum, & spiritualiter tantum, & Sacramentaliter & spiritualiter simul. Diuisionem hanc modi sumendi Eucharistiam in tres dictos modos, approbat Tridentinum sess. 13. c. 8. & addit eam rectè traditam fuisse à Patribus;

Ille dicitur Eucharistiam Sacramentaliter tantum sumere, qui re ipsa sumit illam, & non fructum illius; vt peccator qui illam indignè sumit: & ille dicitur Eucharistiam spiritualiter tantum sumere, qui re ipsa non sumit illam, sed tantum fructum spiritualem illius media fide uia Eucharistiæ, & medio voto seu desiderio suscipiendi illam. Dicitur autem fructus iste à Tridentino & à Doctoribus fructus Eucharistiæ, non quia fides uia illius, & votum illam sumendi, conferant fructum alii quem ex opere operato, quia nullum ex opere operato conferunt, in quo Doctores conueniunt, quia ad id nullum est fundamentum; sed quia fructus ille oritur ab ipsa Eucharistia vt ab obiecto, quia Eucharistia fide uia iusti credita, & voto desiderata, confert obiectiue illam fructum ex opere operantis; quia actus fidei Eucharistiæ, & votum illius, qui habent pro obiecto Eucharistiam, conferant meritorie augmentum gratiæ, quamuis ei augmento non sint annexa auxilia ad finem Eucharistiæ. Ille tandem dicitur Sacramentaliter & simul spiritualiter sumere Eucharistiam, qui eam re ipsa sumit, & etiam fructum spirituale illius; vt iustus, qui illam sumit.

Addimus, Eucharistiam posse etiam alio quarto modo sumi, nempe materialiter, vt sumitur, quando manducatur à bestia, quia bestia non est Sacramentum.

## DIFFICULTAS XIX.

*Vtrum Eucharistia possit infantibus ministrari.*

Circa hanc difficultatem tria examinanda sunt. Primum est, an infantes sint capaces sumptionis Sacramentalis Eucharistiæ: secundum, an sint capaces fructus spiritualis illius: tertium est, an possit illis licitè ministrari.

Circa primum recentiores nonnulli existimant, infantes non esse capaces Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, quia qui ignoranter sumunt panem aut vinum consecratum, credentes se panem commune aut vinum commune sumere, non sumunt Eucharistiam Sacramentaliter, sed materialiter: ergo etiam infantes, quamdiu in eo statu sunt, quia in eo ignorant id, quod accipiunt esse Sacramentum.

Vasquez verò disp. 212. cap. 2. docet, infantes etiam pro eo statu esse capaces Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, non minùs quàm Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: & id supponunt communiter Doctores, & meritò: quia Eucharistia est infantibus Sacramentum, non minùs quàm Baptismus, Confirmatio, & Ordo; quia, vt

statim dicemus, ex opere operato confert illis augmentum gratiæ, quod non efficeret, si non esset illis Sacramentum.

Ad rationem aduersariorum respondemus, discrimen esse inter ignorantes sui compotes, & inter infantes: quia priores non tantum ignorant id quod manducant, sed etiam habent voluntatem contrariam, sumendi videlicet illud vt quid commune, & non vt Sacramentum, quia credentes se panem commune sumere, volunt vt panem commune sumere, ac proinde vt non Sacramentum: infantes verò quamuis ignorent quod sumunt, & careant voluntate sumendi Eucharistiam vt Sacramentum, non tamen habent voluntatem contrariam, nempe sumendi illam vt non Sacramentum. Bruta autem, & non baptizati non sunt capaces Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, sed tantum materialis sumptionis illius; quia quamuis possint Eucharistiam re ipsa sumere, non tamen vt Sacramentum, quia non est illis Sacramentum.

Circa secundum Alexander 4. parte, quæst. 11. memb. 2. art. 3. Paludanus, & Maior in 4. dist. 9. q. 1. Sotus dist. 12. q. 1. art. 9. Petrus Sotus de Institut. Sacerdotum lib. 8. de Eucharistia, & Caietanus q. 80. art. 12. docent, infantes non esse capaces fructus spiritualis, quæ Eucharistia ex opere operato confert: Primum, quia Eucharistia confertur tamquam cibus ad nutritionem spiritualem: ergo sicut ad corporalem nutritionem faciendam medio cibo, requiritur cooperatio vitalis viuentis circa cibum, qua cibus digeratur; ita etiam ad nutritionem spiritualem faciendam media Eucharistia, aliquis actus vitaliter spiritualis circa illam, vt actus deuotionis circa Eucharistiam, quem infantes habere non possunt; ergo non sunt capaces nutritionis, seu fructus spiritualis Eucharistiæ. Secundò, quia fructus spiritualis Eucharistiæ est instar nutritionis, ad instaurandum quod amissum est in infantes autem post generationem spiritualem medio Baptismo factam, nihil spirituale possunt amittere; ergo non sunt capaces fructus spiritualis Eucharistiæ.

Richardus verò artic. 15. Ledesma 1. p. 4. q. 21. art. 9. dub. 5. Alanus 2. de Eucharist. c. 37. Corduba lib. 1. q. 8. Vasquez cap. illo 2. Suarez disp. 62. sect. 4. & Ægidius q. 80. nu. 77. docent, & meritò, infantes capaces esse fructus spiritualis, quem Eucharistia confert ex opere operato, & eum recepturos, si Eucharistiam recipiant. Ratio huius desumitur ex consuetudine, quæ antiquitus fuit in Ecclesia in varijs Prouincijs, conferendi Eucharistiam infantibus, vt constat ex Dionysio cap. 7. de Ecclesiastica Hierarchia, & ex Cypriano lib. de Lapsis, & ex Gregorio Magno in suo Missali veteri, quod Romæ extat: & id maximè indicat Tridentinum sess. 21. c. 4. & id fuisse in Hispania consuetum, supponit Conciliū Toletanum II. can. 11.

At si Eucharistia non posset infantibus prodesse quoad fructum augmenti gratiæ, ad quem primario & principaliter instituta est, dicta consuetudo fuisset illicita, quia contra reuerentiam cuiuscumque Sacramenti est, illud administrare quando frustrandum est suo primario & principali fructu. Id autem nequit Ecclesia attribui, præsertim, quia Tridentinum cap. illo 4. affirmat, dictam consuetudinem, si fuit, non esse damnandam.

Et quidem absque sufficienti fundamento negatur, Eucharistiam non conferre infantibus aug-



mentum gratiæ, cuius aliàs sunt capaces, & media Confirmatione accipiunt, quia fundamenta desumpta ex analogia nutritionis spiritualis ad corporalem, nullius momenti sunt ad id probandum: quia similitudo inter utramque non tenet in omnibus, quia non tenet in eo quòd ad spiritualem debeamus actiue cooperari, vt diximus Disp. viii. Difficult. 111. neque in eo quòd spiritualis ordinetur ad instaurandum aliquid quod per peccatum veniale amissum sit, quia per peccatum veniale nihil sanctitatis & gratiæ amittitur; sed in eo tenet quòd ordinatur ad augmentum sanctitatis & gratiæ in iusto, sicut corporalis ad augmentum substantiæ in viuente.

Circa tertium, in Ecclesia Latina consuetudine introducta est prohibitio conferendi Eucharistiam infantibus ante vsum rationis, adhuc in articulo mortis, & satis conuenienter; quia ex vna parte nullam est præceptum diuinum, quo teneamur infantibus Eucharistiam conferre, quia de eo non constat; & ex altera parte, in collatione Eucharistiæ infantibus multa contra reuerentiam Eucharistiæ possunt accidere, præsertim postquam ex præcepto Ecclesiæ sola species panis laicis confertur, quia hæc ab infantibus pro ætate infantili difficile deglutiretur.

## DIFFICULTAS XX.

*Utrum Eucharistia possit amentibus ministrari.*

Supponimus Primò, amentes etiam à natiuitate & perpetuò, capaces esse Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, & fructus spiritualis augmenti gratiæ, quem ex opere operato confert, non minùs quàm infantes, quia omnium eadem est ratio.

Supponimus Secundò, amentibus ab infantia, qui numquam ad vsum rationis peruenerunt, non posse licitè Eucharistiam conferri adhuc in articulo mortis (sicut neque infantibus) quia id consuetudine prohibitum est.

Difficultas ergo est de amentibus, qui aliquando vli sunt ratione, & postea in amentiam inciderunt, an eis possit licitè Eucharistia conferri.

Alexand.  
Gabriel.

Alexander 4. parte, q. 111. memb. 2. art. 3. & Gabriel in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 3. dub. 4. partem negatiuam tuentur: quia vt aliquis possit licitè Eucharistiam recipere, debet se ipsum probare an sit in statu gratiæ, & inter hunc cibum spiritualem & inter cibum communem diiudicare, quæ amentes nequeunt efficere.

S. Thomas.  
Paludanus.  
Sotus.  
Vasquez.

S. Thomas verò quæst. 80. art. 9. Paludanus in 4. dist. 9. quæst. 4. art. 2. Sotus dist. 12. q. 1. art. 9. Vasquez disp. 212. c. 3. & communiter Theologi partem affirmatiuam meritò tradunt, quæ decernitur aut supponitur in Concilio Carthagenensi IV. can. 74. qui refertur 26. q. 6. can. *his qui*: & in Concilio Arausicano cap. 3. quod refertur d. quæst. 6. can. *Qui recedunt*: & in Concilio Toletano II. can. 11. Quod autem respondent Alexander & Gabriel, in dictis Canonibus sermonem esse de ijs qui non sunt omnino amentes, friuolum est, quia in Concilio Carthagenensi sermo est de ijs, qui ita in amentiam inciderunt, vt nullo modo confiteri possint.

Ratio huius nostræ doctrinæ est, quia in primis

prædicti amentes sunt capaces Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, & augmenti gratiæ, quod est primarius effectus illius, non minùs quàm infantes. Deinde, prudèter creditur, illos ante amentiam habuisse voluntatem sumendi Eucharistiam, si non voluntatem specialem, saltem generalem, qua quis Catholicè viuens desiderat vt medijs Ecclesiæ, vel ea sibi conferri quando ipsis indigeat. Et tandem id nullo Iure positio prohibetur, imò in dictis Canonibus vel præcipitur, vel saltem commendatur. Ergo illis potest licitè Eucharistia conferri, dummodò non constet, proximè ante amentiam fuisse in peccato mortali notorio.

Conferenda autem est illis Eucharistia non quotannis, ob reuerentiam Eucharistiæ, sed pro viatico in articulo mortis, siue physico siue morali, vt docent communiter Theologi, vt in articulo tantæ necessitatis non priuentur fructu Eucharistiæ. Et sic fieri solitum est in Ecclesia. Ad id autem non requiritur, quòd ipsi se ipsos probent an sint in statu gratiæ, quando ipsi non possunt; quia tunc sufficit, quòd id à ministro prudenter præsumatur: neque requiritur, quòd diiudicent inter dictos cibos, quando ipsis confertur Eucharistia, sicut neque diiudicat cordatus, qui naturaliter distractus Eucharistiam suscipit.

Addimus, Eucharistiam posse etiam conferri, & conferendam esse semifatuis, seu non omnino amentibus, quia nullo Iure sunt prohibiti: ob reuerentiam tamen Eucharistiæ non esse illis conferendam, nisi in articulo mortis physico aut morali, & tempore Paschatis, quando adest præceptum suscipiendi Eucharistiam.

## DIFFICULTAS XXI.

*Utrum Eucharistia possit energumenis ministrari.*

Conueniunt Theologi, energumenis, seu dæmoniis, qui non fuerunt ob peccatum aliquod mortale à dæmone obsessi, non esse negandam Eucharistiam, quia nulla lege est illis prohibita, etiam si tempore Dionysij & Concilij Elibertini omnibus aut aliquibus energumenis, ex causa aliqua rationabili negaretur Cómunio per vitam; & etiam interesse consecrationi, vt deducitur ex ipso Dionysio de Ecclesiastica Hierach. cap. 3. & ex Concilio Elibertino cap. 29. Addidimus per vitam, quia in extremo vitæ illis conferebatur, vt idem Concilium decreuerat cap. 37.

Est tamen difficultas, An energumentis ob peccatum aliquod mortale obsessis, possit Eucharistia licitè conferri.

Alexander p. 4. q. 111. memb. 2. ar. 3. S. Thomas in 4. dist. 9. q. vnica, artic. 5. quæst. iunc. 3. Armilla v. *Communio*, n. 25. & Siluester v. *Eucharistia*, 3. p. 5. partem negatiuam tuentur. S. Thomas verò 3. p. q. 80. art. 9. Vasquez disp. 212. c. 4. Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 9. & Bonacina quæst. 6. puncto 1. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia nulla lege prohibitum est illis Eucharistiam conferri.



## DIFFICULTAS XXII.

*Vtrum conueniens sit quotidie Eucharistiam sumere.*

Supponimus Primò, non solum non esse conueniens, sed etiam Iure Ecclesiastico prohibetum Sacerdotibus, in eodem die plus quam semel celebrare, vt constat ex can. *Sufficit*, de Consecratione, qui est Alexandrini II. & ex ca. *Consulisti* 3. de Celebratione Missarum. Et eandem prohibitionem vsu Ecclesiæ extensam esse ad laicos, ne in eodem die plus quam semel communicent. Permittitur tamè Sacerdotibus in dicto cap. *Consulisti*, vt in die Natalis Domini tres Missas celebrent: laicis verò nūquam permittitur plus quam semel in die communicare, nisi quando necessarium sit iterum Eucharistiam sumere ad impediendam iniuriam aut irreuerentiam Eucharistiæ inferendam, ne in manus infidelium veniat, vel ne incendatur, & ne quis decedat sine Viatico, qui post Communionem in sanitate aut extra periculum factam incidit in eodem die in periculum mortis, de quo dicemus Disput. x. Diffic. 11.

Supponimus Secundò, nullo Iure Ecclesiastico vniuersali, nec scripto, nec consuetudine introducto, prohibitum esse quotidie semel communicare (quamuis in aliquibus diocesis id prohibitum inueniatur) & multò minùs prohibitum esse Iure diuino; aliàs in primitiua Ecclesia non fuisset in consuetudine quotidie communicare, vt verè fuit, imò & Iure Ecclesiastico præceptum, vt dicemus Disput. x. Diffic. 111. Et sanè id non est prohibitum Iure diuino positiuo, quia non inuenitur, nec scriptum, nec traditione, nec alio modo traditum: nec prohibitum est Iure diuino naturali, quia nulla irreuerentia positiuæ irrogatur Eucharistiæ in eo quòd quotidie sumatur.

His præsuppositis, difficultas est, An sit decens & conueniens, omnes cuiuscumq; itatus quotidie cõmunicare, si sint in statu gratiæ, & confessionem post peccatum mortale commissum præmittant.

Recentiores nonnulli docent, id esse conueniens, laudabile, & consulendum. Quod Primò satis significat Paulus 1. ad Corinth. 11. dum consulit, vt homo seipsum probet, & probatus Eucharistiam sumat: ergo qui seipsum probat quotidie, melius & conuenientius facit, si quotidie cõmunicet, quia facit secundum consiliu Pauli. Secundò idem significare videtur Christus verbis illis apud Marcum cap. 6. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quia illis hortatur nos, vt quotidie petamus, & sumamus Eucharistiam, quia nomine *panis* in eis verbis intelligitur Eucharistia à Hieronymo in cap. 6. Matthæi, & ab Augustino Serm. 28. de Verbis Domini, & de Dono perseverantiæ cap. 24. & à Cypriano Tract. de Oratione Dominica, & ab Ambrosio lib. 5. de Sacram. cap. 4. qui sic ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Quotidie accipe, vt quotidie tibi proficit.* Tertio id maximè indicat Ambrosius & Augustinus vbi supra, dum docent, qui non meretur quotidie accipere nempe Eucharistiam, non meretur post annum accipere, ergo secundum ipsos quotidie non minùs conuenienter sumitur Eucharistia, quam post annum. Quarto id expressisse videtur Tridentinum sess. 22. c. 6. dum optat, vt fideles in sin-

gulis Missis adstantes communicent. Cui accedit declaratio Cardinalium Volum. 4. Decisionum Rotæ, in Declaratione sess. 22. Tridentini c. 6. vbi ait: *Obstat Tridentinum Episcopo volenti prescribere certa tēpora, vt est dies Dominicus, Feria quarta, & Feria sexta, in quibus tantum liceat viris & mulieribus coniugatis sacratissimam Eucharistiam sumere.* Quintò id maximè indicatur in can. *Si non sit*, de Consecratione, dist. 2. dum dicitur: *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina Corporis & Sanguinis Domini separare.* quibus satis significat, conueniens esse quotidie communicare, quia non est conueniens à medicina abstinere.

Et ratione probatur Primò: nam in Ecclesia primitiua fideles quotidie communicabant, vt deducitur ex Actorum 2. & absque dubio conuenienter & laudabiliter fiebat; ergo etiam modò fiet. Secundò, quia sola temporis dilatione nullus melius disponitur ad sumptionem Eucharistiæ; ergo qui post vnum mensem sumit Eucharistiam, non sumit illam melius dispositus, quam qui illam sumit die immediatè sequente; ergo si post vnum mensem illam conuenienter & laudabiliter sumit, etiam sumet conuenienter & laudabiliter die immediatè sequente.

S. Thomas verò & Egidius q. 80. art. 10. Vasquez disp. 214. num. 26. Suarez disp. 69. sect. 4. & communiter Doctores docent, & meritò, non esse conueniens nec laudabile, regulariter omnes cuiuscumque status quotidie communicare, quamuis in statu gratiæ inueniantur, & post mortale commissum Sacramentaliter confessi. Quod significat Auctor de Ecclesiasticis dogmatibus apud Augustinum c. 53. dum ait, *Quotidie communicare, nec laudo nec reprehendo.* Quod etiam videtur tradere Augustinus. Epist. 118. Et id non leuiter confirmatur ex eo quòd in aliquibus diocesis est prohibitum, & etiam ex vsu Ecclesiæ, in qua pronunciamur etiam ex consilio piorum & etiam doctissimorum virorum rarissimè, & à paucissimis, Eucharistia quotidie sumitur, & non nisi ab hominibus probatissimæ virtutis.

Ratio huius nostræ & communis doctrinæ desumitur ex maxima reuerentia tanto Sacramento debita: quia tanta sumptionis illius frequentia ab eo, qui absque magna deuotione & præparatione (qualis regulariter non reperitur in omnibus cuiuscumque status) illud sumit, non congruit maximæ reuerentiæ tanto Sacramento exhibendæ; quia tantum Sacramentum ob tantam sumptionis frequentiam absq; magna præparatione quodammodo vilescit. Quotidiana igitur Eucharistiæ sumptio, quamuis non sit illicita & reprehensibilis, tamen in omnibus non magnæ virtutis non est conueniens & congrua Eucharistiæ, nec eam decens, quamuis sumeti sit maximè utilis ad augmentum gratiæ, quod quotidie cõfert quotidie illa sumenti.

Ad primum ergo fundamentum aduersariorum, desumptum ex Paulo 1. ad Corinth. 11. respondemus, Paulum ibi non exhortari ad frequentiam Eucharistiæ, nec eam consulere, imò nec ad sumptionem illius, sed tantum docere & exprimere necessitatem probationis, quam quisque exhibere debet, vt possit Eucharistiam sumere.

Et Christus Matth. 6. nomine *panis* aut non intelligit Eucharistiam, sed auxilium gratiæ Dei, quo quotidie egemus, vt non moriamur spiritualiter:

Hieronym.  
August.

Cyprianus.  
Ambros.

Trident.

S. Thomas.  
Egidius.  
Vasquez.  
Suarez.



aut si nomine *panis* intelligitur Eucharistia, vt Patribus relatis placet, ideò Christus & isti Patres exhortantur nos vt quotidie petamus & sumamus Eucharistiam, quia per se, & quantum est ex parte Eucharistiæ, vtilissimum nobis est, & ipsi Eucharistiæ honorificum & conueniens; seruatis tamen, quæ ad tantam frequentiam expediunt, nempe pura & sanctissima vita: & quia hæc tam pura & sancta vita pro nunc communiter & regulariter non reperitur in omnibus, ideò regulariter non expedit in omnibus quotidiana frequentia. Et eodem modo respondemus ad Tridentinum & ad Patres, qui ad frequentiam Eucharistiæ exhortantur, quòd scilicet loquuntur per se, quantum est ex parte Sacramenti. Vnde Christus, Tridentinum & Patres ad frequentiam Eucharistiæ exhortantes, implicite exhortantur nos ad eam puritatem vitæ absque qua decentius est non sic frequentare. Imò ad id expressè exhortatur Ambrosius, dum post verba supra relata immediate subdit: *Sic vine, vt quotidie merearis accipere.* At dum ipse & Augustinus dicunt, *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum:* nomine meriti intelligunt dispositionem requisitam & sufficientem ad dignam sumptionem, non ad laudabilem & decentem: & merito sic sumpto, verum est, quòd qui non habet dispositionem requisitam, & sufficientem vt dignè sumat Eucharistiam quotidie, non habet sufficientem vt dignè post annum sumat illam. Et quòd ad declarationem Cardinalium attinet, præterquam quòd non est certum esse factam ab illis, quia desumpta fuit ex quodam manu scripto cuiusdam Iuriconsulti, vt dicitur in titulo illius libri; respondemus, in ea non faueri quotidianæ frequentiæ Eucharistiæ respectu eiusdem personæ de qua loquimur, quia in ea tantum significatur esse contra desiderium Tridentini, ita præscribere dictos tres dies ad Communionem, vt in alijs nulli liceat, nec ei qui multo tempore antea non communicauerat: imò etiam erit contra desiderium Tridentini, generaliter prohibere quotidianam Communionem, si non addatur, *nisi ex licentia Prælati, aut Confessarij.*

Et in can. *Si non sunt*, nihil significatur de frequentia sumptionis Eucharistiæ, sed tantum de sumptione ipsa secundum se, & secundum substantiam: & dicitur ab Eucharistia neminem debere abstinere, qui non sit in culpa, ob quam possit excommunicari, nempe in culpa mortali.

Ad primam verò rationem respondeo, concedendo, conueniens & laudabile fuisse in primitiua Ecclesia, fideles quotidie communicare, quia regulariter erant magno deuotionis & charitatis feruore affecti, & nunc non; & ideò nunc regulariter non esse conueniens.

Et ad secundam respondemus, concedendo, neminem sola temporis dilatione meliùs disponi, & consequenter, qui post vnum mensem sumit Eucharistiam, non ex eo sumere illam meliùs dispositum; nihilominus eum post vnum mensem illam sumere conuenienter & laudabiliter, & non quotidie, quia tam frequenter illam sumere, absq; extraordinaria præparatione, cedit quodammodo in minorem reuerentiam Eucharistiæ, non verò quando non adeò frequenter.

## DIFFICULTAS XXIII.

*Vtrum Christus sumpserit suum Corpus & suum Sanguinem sub speciebus Sacramentalibus.*

**N**ON defuerunt, vt refert S. Thomas quæst. 81. artic. 1. qui existimauerint, Christum non sumpsisse suum Corpus & Sanguinem: quod etiam docuit Lutherus lib. de Abroganda Missa priuata, vt refert Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 1.

Nihilominus Scholastici omnes conueniunt, Christum suum Corpus & Sanguinem sub speciebus Sacramentalibus sumpsisse, quod tradunt Dionysius Areopagita de Cœlesti Hierar. cap. 4. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam, dum ait: *Ipsè conuiuia & conuiuium, ipsè comedens & qui comeditur:* & refertur in can. *Nec Moyses*, de Consecratione dist. 2. & Chrysostomus Homilia 83. dum ait: *Vt non turbarentur discipuli, prius Sanguinem suum bibit.* & Hefychius in cap. 8. Leuitici, dum ait: *Christus in cæna prius Sanguinè accepit, deinde dedit discipulis.* Et id deducitur ex illo Matth. 26. *Non bibam amodo de gemmine vitis.* quo Christus supponit se calicem illum sumpsisse. ibi autem sermo est de calice consecrato, vt expendit Vasquez disp. 196. cap. 4. & 5.

Fuit autem maximè conueniens, Christum suum Corpus & Sanguinem sub speciebus Sacramentalibus sumere, vt exemplo præiret, obseruando quæ obseruare præcepit.

Dissentiunt tamen Scholastici, an dicta sumptio, facta à Christo, fuerit Sacramentalis, an spiritualis: quia alij affirmant fuisse Sacramentalem, quia fuit sumptio Sacramenti; & non fuisse spirituales, quia caruit fructu Sacramenti: alij e contra fuisse spirituales, quia magna deuotione fuit facta; & non fuisse Sacramentalem, quia non fuit Christo mysteriosa.

S. Thomas verò, Vasquez q. 81. art. 1. & Sotus vbi supra, & Suarez disp. 75. sect. 2. docent, fuisse Sacramentalem & spirituales, quod nos existimamus verum, quamuis non omnino absolute, sed cum addito. Et in primis fuit Sacramentalis, quia verè fuit sumptio Sacramenti; tamen quia Eucharistia non fuit Christo Sacramentum, quia non fuit illi signum practicum gratiæ Sacramentalis, ideò tantum fuit Christo quodammodo Sacramentalis, nempe materialiter, & non formaliter. Deinde fuit spiritualis, quia fuit spiritualiter fructuosa, quia verè fuit spiritualiter meritoria apud Deum; tamen quia non fuit illi fructuosa ex opere operato, quoad fructum quem alijs dignè sumentibus confert ex opere operato, ideò tantum fuit Christo quodammodo spiritualis, & non absolute & omnino.

## DIFFICULTAS XXIV.

*Vtrum Christus dederit suum Corpus Iudæ.*

**T**URRIANUS in Explanatione defensoria ca. 13. aliàs 16. lib. 5. Constitutionum Apostolicarum, existimat, Christum non dedisse Corpus & Sanguinem



Sanguinem suum Iudæ: quod videntur tradere  
*Clemens.* Clemens lib. 5. Constitutionum Apostolicarum  
 dum ait: *Cum autem anticypa mysteria pretiosi*  
*Corporis & Sanguinis sui nobis tradidisset absente*  
*Juda, exijt in montem Oliueti.* Et Innocentius  
*Innocent.* lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 13. & Hilarius  
*Hilarius.* cap. 30. in Matthæum, dum eodem modo loquitur  
 ac Clemens. Et tradidisse videtur Dionysius  
*Clemens.* Areopagita de Cælesti Hierarchia cap. 3. & de-  
*Dionysius.* duci videtur ex Ioannis 13. dum refertur, Chri-  
 stum buccellam intinctam dedisse Iudæ; ipsum  
 verò ea accepta continuò exiisse; buccella autem  
 illa non fuit Eucharistia, vt docent Concilium  
*Concilium* Braccarense III. & Iulius I. in Epistola ad Epi-  
*Braccaren.* scopos per Ægyptum, & refertur in can. *Cum*  
*omne*, de Consecratione, distinct. 2. & Petrus  
 Damianus Epist. 64. & Augustinus Tract. 62. in  
 Ioannem: & buccella illa data fuit Iudæ ante Eu-  
 charistiæ institutionem, quia credibile est, Chri-  
 stum ad finem cœnæ Eucharistiæ instituisse; ac  
 proinde Iudas ante institutionem Eucharistiæ  
 exijt, & illam non recepit. & indicari videtur  
 Matthæi 26. illis verbis: *Non bibam amodò de*  
*hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud*  
*bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Chri-  
 stus autem illud non bibit cum Iuda in regno  
 Patris sui, ergo nec in cœna. Et ratione videtur  
 probari, quia manifesto peccatori non potest Eu-  
 charistia conferri: Iudas autem ante institutio-  
 nem Eucharistiæ erat manifestus peccator, quia  
 Christus Matthæi 26. postquam dixit se esse tra-  
 dendum ab vno ex discumbentibus, ipsi Iudæ  
 interroganti, *Numquid ego sum Rabbi?* annuens  
 coram omnibus respondit, *Tu dixisti:* ergo ip-  
 si non potuit, ac proinde non fuit Eucharis-  
 tia data.

*S. Thomas.* S. Thomas verò quæst. 81. artic. 2. Scholastici  
*Suarez.* in 4. distinct. 11. Suarez disputat. 41. Valentia  
*Valentia.* puncto 2. Vasquez disp. 217. & sacræ Scripturæ  
*Vasquez.* Interpretes communiter docent, Christum suum  
 Corpus & Sanguinem dedisse Iudæ. Quod Pat-  
*Dionysius.* res communiter tradunt, præsertim Dionysius  
 Areopagita cap. illo 3. quia in eo significat, Chri-  
 stum priuasse & exheredasse Iudam fructu Cor-  
 poris & Sanguinis sui, quia indignè sumpsit, vt  
 Vasquez expendit.

Et ratione probatur, quia ex vna parte negari  
 non potest, Iudam cum Christo & cum Apo-  
 stolis nocte illa vltima cœnasse, & in ea Eucharis-  
 tiam fuisse institutam, quia ex Euangelio constat;  
 & ex altera parte nullo firmo fundamento  
 constat, Christum Iudæ Eucharistiæ negasse;  
 ergo. Et accedit, quòd si Christus Iudæ negasset  
 Eucharistiæ, prædictæ negationis, vtpote rei nota-  
 bilis, absque dubio fieret mentio in Euangelio.

Ad testimonium ergo Clementis respondet  
 Suarez, aut Clementem id dixisse ex propria opi-  
 nione, & non ex Apostolica traditione; aut lo-  
 cum Clementis corruptum esse. Accedit, quòd  
 non desunt viri eruditi, qui existimant, non esse  
 certum dictos libros esse Clementis, saltem quo-  
 ad aliquas partes. Et nos addimus, verba illa  
 Clementis ita explicari posse, vt particula *absen-*  
*te Iuda*, non referatur ad tempus sumpcionis Eu-  
 charistiæ, sed ad tempus quo Christus exijt in  
 montem Oliueti: & hoc posteriori modo potest  
 exponi Innocentius, præsertim quòd ibi loquitur  
 vt priuatus Doctor. Ad testimonium autem Dio-

nylij, si attentè legatur, constat nobis fauere, non  
 Turriano.

Ad testimonium Ioannis cap. 13. admittimus,  
 vt prædicti Patres significant, buccellam illam  
 non fuisse Eucharistiæ, quia credi non potest  
 Christum Eucharistiæ intinxisse: sed an buc-  
 cella data fuerit Iudæ ante vel post institutionem  
 Eucharistiæ, sub controuersia est apud Patres,  
 quia Augustinus, Petrus Damianus, & Beda  
 existimant datam fuisse Iudæ post institutionem  
 Eucharistiæ. Iuxta hanc autem opinionem non  
 habet vim dictum testimonium contra nostram  
 doctrinam. Iulius verò I. Sermon. 3. de Passione,  
 Baronius Tomo III. Annalium sub anno 34. § 63.  
 existimant, datam fuisse Iudæ ante institutionem  
 Eucharistiæ: quod non est parum verisimile, quia  
 Christus saltem postquam ipse cœnauit, instituit  
 Eucharistiæ. Credi autem non potest, Chri-  
 stum, postquam cœnauit, sumpsisse buccellam  
 illam, & intinxisse, sed quando ipse adhuc cœna-  
 bat. Et accedit, quòd à Matthæo cap. 26. prius  
 refertur porrectio buccellæ, quàm institutio Eu-  
 charistiæ; ac proinde Lucas, qui id videtur referre  
 post distributionem Eucharistiæ, id fecit per anti-  
 cipationis figuram. Hac tamen sententia admissa,  
 negandum est, Iudam post buccellam statim, abs-  
 que intervallo aliquo sufficiente ad expectandam  
 sumpcionem Eucharistiæ, exiisse; quod quia  
 breue fuit, potuit aptè particulam illam *continuo* si-  
 gnificari.

Ad illud verò Matthæi 26. *Vsque in diem il-*  
*lum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno*  
*Patris mei,* respondemus, ad veritatē horum ver-  
 borum non fuisse necessarium, vt cum omnibus,  
 cum quibus illud bibit in cœna, nullo excepto, il-  
 lud biberet nouum in regno Patris; quia particula  
 illa *vobiscum* non est distributiua, nec ibi est affe-  
 cta signo distributiuo.

Et ad rationem concedimus, peccatori manife-  
 sto non posse administrari Eucharistiæ (quam-  
 uis id licuisset Christo, vtpote auctori Sacramen-  
 torum & gratiæ, vt aduertit Vasquez num. 31.)  
 negamus tamen, Iudam ante institutionem Eu-  
 charistiæ fuisse manifestè detectum: quia neque  
 fuit detectus signo illo, *Qui intingit mecum ma-*  
*num in paropside, hic me tradet,* quia post hæc ver-  
 ba speciatim Iudas interrogauit de se ipso, an ipse  
 esset, quod non interrogasset, si sufficienter signo  
 illo fuisset detectus: ideò autem signo illo non  
 fuit detectus, quia signum illud erat etiam alijs  
 Apostolis commune, quia etiam alij in eadem pa-  
 ropside cum Christo intingebant. Neque dete-  
 ctus fuit verbis illis, *Tu dixisti,* vel quia, vt ait  
 Iansenius cap. 132. id adeò submissa voce dixit, vt  
 solus Iudas intelligere posset, & forsan etiam ali-  
 quis alius; vel quia id ita dixit, vt alij id non ad-  
 uerterent, vt ait Augustinus lib. 3. de Consensu  
 Euangelistarum cap. 3. vel quia dictis verbis, & si-  
 gno buccellæ, si aliquid expressit, solùm expres-  
 sit traditionem postea intendendam, & facien-  
 dam à Iuda, non propositum aliquod præsens,  
 quod haberet: sicut etiam quando Christus dixit  
 Petro, *ter me negabis.* non manifestauit prauum  
 aliquem animum Petri negandi Christum, quem  
 tunc haberet, sed tantum manifestauit id quod  
 postea oblata occasione facturus erat. Quòd ve-  
 rò Christus antea, quando lauabat pedes, dixisset,  
 & vos mundi estis, sed non omnes, non vrget,



vt dicamus, postea, quando expressit traditionem faciendam à Iuda; discipulos intellexisse iam in corde Iudæ esse prauum animum tradendi Christum, & ratione huius Christum antea dixisse, sed non omnes: quia quamuis id sufficeret ad ge-

nerandam aliquam suspicionem, non tamen ad generandum firmum nec prudens iudicium, quia verba illa pro tunc poterant proferri pro alio, præsertim quod non manifestauit Iudam traditurum esse Christum.

## DISPUTATIO X.

## De præcepto sumendi Eucharistiam.

## DIFFICULTAS I.

## Vtrum sit præceptum sumendi Eucharistiam.



ERTVM est, esse præceptum Ecclesiasticum sumendi Eucharistiam, vt constat ex cap. *Omnis vtriusque sexus* 12. de Pœnitentijs & remissionibus.

Est tamen difficultas, An etiam sit præceptum diuinum.

Alexand.  
Bonavent.

Alexander 4. p. quæst. 111. memb. 2. art. 4. Bonaventura in 4. dist. 12. parte 2. distinctionis, art. 1. quæst. 1. S. Thomas dist. 6. quæst. vlt. artic. 1. quæstionc. 2. Gabriel in Canonem Missæ, lectione 87. littera X. Ferrariensis 4. contra Gentes c. 61. Siluester v. *Eucharistia* 3. docent, non esse præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, quia illud ex nullo fundamento constat: quia si ex aliquo, maximè ex illo Ioann. 6. *Nisi manducaueritis*, &c. ex eo autem non efficaciter deducitur, quia illud intelligi potest de sola manducatione spirituali per fidem.

Ferrariens.  
Siluester.

S. Thomas.  
Ægidius.  
Suarez.  
Vasquez.  
Valentia.

S. Thomas verò par. 3. quæst. 80. art. 11. & ibidem Ægidius, Suarez disp. 69. Vasquez disp. 213. Valentia disp. 6. quæst. 8. puncto 4. & plures alij Doctores docent, & meritò, esse præceptum diuinum sumendi Eucharistiam. Quod etiam docuit Innocentius III. lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 24. Esse autem præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, deducitur Primò ex illo Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quia hac forma & hoc tenore verborum necessitas aliqua Eucharistia significatur; sed non necessitas mediij, quia non est hoc modo necessaria, vt diximus Disput. 1. Difficul. v. ergo necessitas dictis verbis significata, est præceptum à Christo his verbis lati. In eis autem verbis sermonem esse de manducatione carnis Christi sub speciebus, & non de spirituali, diximus Disput. 1v. Difficult. 1. ex Tridentino sess. 13. c. 2. & sess. 21. cap. 1. & etiam ex Patribus.

Innoc. III.

Secundò idem deducitur ex illis verbis Lucae 22. & 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*, in quibus verbis Iustinus Martyr in Apologia 2. pro Christianis ad Antonium Pium agnoscit præceptum sumendi Eucharistiam à Christo latum: & etiam Tridentinum sess. 13. c. 2. vbi postquam dixit, Christum discessurum ex hoc mundo ad Patrem hoc Sacramentum instituisse, subdit: *Et illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem*. Tridentinum ergo tenet, in dictis verbis Lucae contineri præceptum Christi sumendi Eucharistiam.

Trident.

Vnde expositio eorum, qui dicunt, in illis tantum contineri præceptum consecrandi, & non sumendi Eucharistiam; & expositio aliorum, qui dicunt in dictis verbis contineri præceptum non sumendi Eucharistiam, sed habendi intentionem expressam faciendi memoriam passionis Christi media sumptione ipsa, distinctam ab intentione sumendi Eucharistiam, reijciuntur ex dictis verbis Tridentini: quia quod Christus secundum Tridentinum præcepit, fuit, vt sumptione ipsa recolamus memoriã passionis suæ. Præcepit ergo Christus sumptionem Eucharistia, & non tantum consecrationem; & sic præcepit sumptionem, vt non præceperit intentionem illam recolendi passionem Christi superadditam intentioni sumendi Eucharistiam: quia quod præcepit, fuit, vt id sumptione ipsa efficeremus. quia qui Eucharistiam sumunt absque alia superaddita intentione, passionem Christi commemorant sumptione ipsa non formaliter & proximè, sed præsuppositiue & remotè, quia scilicet sumptio supponit consecrationem, per quam mors Christi representatur, vt dicimus Tractatu de Sacrificio Missæ, Disputat. 1. Difficultate v 111. & 1x.

## DIFFICULTAS II.

## Vtrum præceptum sumendi Eucharistiam obliget pro articulo mortis.

Nomine *articuli mortis* etiam comprehenditur periculum mortis, quod moraliter est articulus mortis, & ipsi moraliter æquiualeat quoad Communionem & confessionem.

Supponimus ergo, præceptum sumendi Eucharistiam semper obligare quasi in actu primo, seu habere vim obligandi pro suo tempore, & non semper obligare quasi in actu secundo, seu non obligare pro semper.

Est ergo difficultas, An obliget pro articulo mortis, seu, quod idem est, an in articulo mortis obliget quasi in actu secundo.

Caietanus in Summa v. *Communio Sacramentalis*, & Ledesma 1. par. 4. quæst. 21. art. 2. dub. 11. docent, nullum esse præceptum sumendi Eucharistiam specialiter pro articulo mortis obligans (ac proinde eum, qui tempore Paschatis communicauit, amplius non teneri in articulo mortis communicare) quia Christus non præcepit frequentiam Communionis, sed Communionem: qui autem in Paschate communicauit, verè dicitur communicasse. Addunt tamen, eum, qui in articulo mortis non sumit Eucharistiam, venialiter peccare, & non mortaliter, secluso contemptu, si tempore Paschatis communicauit. in quo etiam conueniunt Siluester v. *Eucharistia* 3. Armilla v. *Com-*

Caietan.  
Ledesma.

Siluester.  
Armilla.



*Victoria.* *munio* num. 4. *Victoria* in Summa num. 86. & *Rodriguez.* *Sa.* *Rodriguez* in Summa cap. 64 de Communionem n. 3. Sa v. *Eucharistia.* num. 1.

*Durandus.* *Durandus* verò in 4. dist. 9. quæst. 2. *Gabriel.* quæst. 2. artic. 2. concl. 3. *Sotus* dist. 12. quæst. 1. artic. 1. *Valentia* disput. 6. q. 8. punct. 4. *Vasquez.* *Valentia.* *Vasquez.* *Suarez.* *Ægidius.* art. 11. dub. 3. & communiter Doctores docent, & meritò, esse præceptum sumendi Eucharistiam obligans pro articulo mortis, etiam si tempore Paschatis sumpta fuerit.

Quod constat ex Concilio Carthaginensi IV. can. 77. quod à Leone IV. approbatum fuit, dum absolute & absque vlla limitatione præcipitur eis, qui in infirmitate (subintellige periculosa) sint, vt viaticum accipiant: & non leuiter deducitur ex Concilio Nicæno I. can. 12. qui refertur can. *De his* 26. quæst. 6. dum Eucharistia sumenda in fine vitæ, dicitur viaticum necessarium; & ex consuetudine Ecclesiæ, in qua Eucharistia in articulo mortis sumitur tamquam quid ex obligatione necessarium, etiam si tempore Paschatis sumpta fuerit. Consuetudo autem quo aliquid fit tamquam ex obligatione necessarium, vel supponit præceptum antea latum, vel si non supponit, ipsa consuetudine introducitur.

Ex quo constat, eum qui in articulo mortis non sumit Eucharistiam, etiam si eam tempore Paschatis sumperit, peccare mortaliter, quia omittit præceptum rei grauis & magis momenti, & maioris quam sit præceptum audiendi Missam, in cuius omissione nequit non agnosci peccatum mortale.

Præceptum autem sumendi Eucharistiam in articulo mortis, & vt viaticum (id est ad iter agendum ex hac vita ad alteram) in primis esse diuinum, quod vi sua pro eo articulo obliget, quamuis Ecclesia nihil præcepisset, docent communiter Doctores, & meritò: quia supposito quòd sit præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, vt iam diximus esse, negari non potest, pro articulo mortis obligare, quia est accommodatissimum, vt pro eo articulo latum fuerit, cum in eo fuerit maxima necessitas illius, maior quam in quolibet alio tempore. Nihilominus aptè potuit Ecclesia aliquibus in eo articulo negare, in pœnam aliquorum criminum, non dispensando in præcepto, diuino, sed impediendo aut tollendo ius & potestatem, quam habet criminofus sumendi Eucharistiam, intuitu reuerentiæ Eucharistiæ, ob indecentiam quæ apparere posset in conferendo Eucharistiam illi criminofis: quod olim in Hispania & in alijs Prouincijs fiebat; iam tamen in Hispania reuocatum fuit Motu proprio Pij V. edito anno 1569. & conferretur omnibus, & ex obligatione conferenda est, nisi reus, oblata à iudice sufficiente dilatione ad id, noluerit pro tunc Communionem recipere, quia tunc ei potest negari tempus ad id, vt admittunt *Sotus.* *Reginald.* *Ochagau.* *Bonacina.* *Sotus.* 5. de Iustit. quæst. 1. art. 2. *Reginaldus* lib. 29. num. 71. *Ochagauia* quæst. 14. & *Bonacina* disp. 4. quæst. 7. punct. 1.

Deinde præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis etiam esse Ecclesiasticum, constat, quia absque dubio id præcipitur in dicto Concilio Carthaginensi, approbato à Leone IV. & etiam in dicto Concilio Nicæno can. illo 12. si attentè legatur: id tamen non statuit & præcipit Ecclesia quasi de nouo, quia iam absque dubio intellexerat præceptum esse à Christo pro eo articulo.

Superest tamen difficultas, An qui ante articulum mortis, siue physicum siue morale, sumpsit Eucharistiam, maneat liber ab obligatione præcepti sumendi Eucharistiam pro eo articulo.

*Paludanus* in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 2. *Angelus.* *Paludanus.* *Angelus.* *Reginald.* *Bonacina.* *Adamus.* *v. Eucharistia* 3. *Suarez* sect. 3. *Ægidius* num. 98. *Henriquez* lib. 8. cap. 4. & 5. *Reginaldus* lib. 29. num. 65. *Bonacina* & *Adamus* cap. 8. dub. 5. docent, eum qui paulò antè, quam in aegritudinem periculofam incideret, communicauit, excusari ab obligatione præcepti communicandi pro eo articulo, nempe si octo vel decem diebus ante periculum communicauit. Et idem docent *Sotus* & *Tabienna* cum hac limitatione, nèpe si post sumptam Eucharistiam non peccauit mortaliter. *Vasquez* n. 13. & *Ochagauia* q. 14. docet, non satisfieri dicto præcepto per Communionem factam ante articulum mortis, quamuis paulò antea factam, ac proinde non excusari ab obligatione sumendi Eucharistiam pro eo articulo; & meritò: quia nulli præcepto satisfit proprie, nisi intra tempus obligationis illius, & non ante, adhuc in tempore maximè propinquo tempori obligationis, vt constat in præcepto audiendi Missam, & in præcepto ieiunij, quibus non satisfit pridie ante tempus obligationis.

Vnde existimamus, eum, qui sanus, aut si infirmus, extra periculum tamen mortis communicauit, si in eodem die post eam Communionem incidat in periculum mortis, siue violentæ siue naturalis, & adedò vrgens, vt prudenter timeatur eodem die moriturus, aut quòd eo transacto non sit futurus potens communicare, teneri pro viatico iterum in eodem die communicare post incidentiam in dictum periculum, quia præceptum communicandi in articulo mortis, cui non est satisfactum Communione ante periculum facta, est diuinum, & maioris ponderis, quam prohibitio Ecclesiastica non communicandi in eodè die nisi semel. Quod expresse *Vasquez* in manuscriptis, & ei subscripserunt plurimi nostræ Societatis, & plures alij grauissimi viri Academia Complutensis, & Salmanticensis, & aliarum Prouinciarum, & id fecerunt Romæ P. N. Generalis Aquauiuæ, qui post celebrationem Missæ incurrit maximum periculum mortis, & *Madrii* P. Vega Rector illius Collegij, & *P. Aualos* in eodem Collegio.

Obseruandum tamen est, eum, qui in articulo mortis constitutus semel communicauit (qui eo ipso absque alia intentione dicitur Eucharistiam vt viaticum sumpsisse) amplius eo præcepto non teneri, quamdiu in eodem periculo perseverat, quamuis post sumptionem peccet mortaliter: in quo præceptum Communionis differt à præcepto confessionis, quia istud toties de nouo obligat, quoties quis in periculo mortis constitutus iterum post confessionem peccat mortaliter, quia confessio obligat pro consequenda prima gratia habituali, quæ est ad salutem æternam necessariam necessitate medijs; & idedò quoties prima gratia peccatum mortale amittitur, toties reuiuiscit obligatio confessionis; Eucharistia verò non obligat pro aliquo sic necessariò ad salutem æternam, sed pro commemoratione seu annuntiatione mortis Christi in extremo tempore vitæ nostræ, & idedò, semel in eo tempore annuntiatà, nihil superest, ratione cuius obligatio Eucharistiæ reuiuiscat.



## DIFFICULTAS III.

*Vtrum præceptum sumendi Eucharistiam obliget etiam pro tempore extra articulum mortis.*

**C**ertum est, præceptum Ecclesiasticum sumendi Eucharistiam, etiam obligare pro tempore extra articulum mortis, vt statim constabit.

Est tamen difficultas, An præceptum diuinum etiam obliget pro tempore extra articulum mortis.

Circa hanc rem Doctores, qui admittunt præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, non omnes docent etiam obligare pro tempore extra articulum mortis; & non omnes qui id docent, conueniunt in assignando tempore extra periculum mortis, pro quo obliget: quorum placita in Tractatu de Pœnitentia Disputatione VII. examinamus, quia eadem omnino est difficultas circa tempus, pro quo obliget præceptum diuinum confitendi, & sumendi Eucharistiam.

Nihilominus pro nunc dicimus, præceptum diuinum Christi Eucharistiæ etiam obligare pro tempore extra articulum mortis physicum & morale: Christum tamen non determinasse tempus illud, sed determinationem illius commisisse arbitrio Ecclesiæ, ac proinde si Ecclesia nullum tempus determinasset, pro quo obligaret, nullum committeretur peccatum omissionis non sumendo Eucharistiam, vt Disputatione illa VII. Difficultate I. dicimus circa præceptum diuinum confitendi.

Ecclesia ergo vtens dicta commissione Christi Primò in sui initio determinauit præceptum diuinum sumendi Eucharistiam pro quolibet die, vt constat ex Anacleto Papa Epist. I. cap. 2. & refertur can. *Episcopus*, de Consecratione, distinct. I. vbi ait, eum, qui quotidie non communicauerit, ingressu Ecclesiæ priuandum esse; & subdit: *Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Et idem præcipitur in can. 10. Apostolorum, vbi additur, vt qui id quotidie non fecerit, ipsa Communionem priuetur. Huius consuetudinis & præcepti mentionem faciunt Clemens Romanus lib. 2. Apostolicarum constitut. cap. 57. & Dionysius cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia par. 2. & 3.

Secundò Fabianus Papa, vt refert Gratianus, determinationem dicti præcepti diuini ad pauciores Communionem restrinxit, præcipiēs, vt fideles ter in anno communicarent, nempe in Natali Domini, in Paschate (subintellige Resurrectionis) & in Pentecoste. quod refertur in can. *Et si non frequentius*, de Consecrat. dist. 2. Quòd verò Soter Papa, vt refertur in can. *In cœna*, ead. distinct. 2. præcepit, vt in Cœna Domini fideles communicarent, non est ita intelligendum, vt diuersum tempus à Paschate Resurrectionis assignauerit, sed ita vt pro eodem Cœnam Domini & Pascha vsurpauerit.

Tandem Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. 21. & refertur in cap. *Omnis vtriusque sexus* 12. de Pœnitentijs & remissionibus, præcipit, vt fideles omnes vtriusque sexus, cum ad annos

discretionis peruenerint, singulis annis semel ad minus tempore Paschatis Eucharistiã suscipiant, nisi de consilio Confessarij illud differant ad tempus: & nunc hoc tantum præceptum Innocentij est in viridi obseruantia, quia duo alia priora in defuetudinem abierunt. Vnde fideles satisfaciunt præcepto diuino communicandi extra articulum mortis, semel in Paschate Resurrectionis communicando: imò quando Confessario videtur ob aliquam rationabilem causam, quòd aliquis differat Communionem, satisfacit communicando tempore præscripto à Confessario. Nomine autem Paschatis intelliguntur quindecim dies à Dominica Palmarum inclusiue vsque ad Dominicam in Albis inclusiue, vt cõsuetudo ipsa declarat, & declarauit Eugenius IV. teste Nauarro cap. 21. n. 45.

Præceptum ergo annuæ Communionis pro tempore Paschatis non est purè humanum, quia includit aut supponit præceptum diuinum Communionis quoad substantiam, quo præcipitur Communiõ vagè quoad tempus extra articulum mortis, & superaddit modificationem quoad tempus, quam Christus prætermisit, & commisit Ecclesiæ; sicut etiam de præcepto annuæ confessionis dicimus Tractatu de Pœnitentia Disput. VII. Difficultate V.

Eum autem, qui dicto tempore Paschatis non communicauit, non manere liberum vsque ad aliud Pascha ab obligatione communicandi, sed semper obligatum manere, & semper perseuerare actualiter quousque communicet contra non paucos dicimus Tractatu de Pœnitentia Disput. VII. Difficult. XII. & eum, qui prudenter timet se non habiturum copiam Eucharistiæ tempore pro quo obligatur communicare, teneri anticipare Communionem, ne nimium differatur Communiõ; etiam contra non paucos dicimus Tractatu de Pœnitentia Disput. VII. Difficult. XII. vbi etiam addimus, eum, si fortè veniat ad tempus pro quo tenebatur, quamuis anticipauerit Communionem, teneri iterum communicare.

## DIFFICULTAS IV.

*Qui teneantur præcepto Communionis.*

**S**upponimus ex Tractatu de Pœnitentiã Disputatione VII. (in quo idem de præcepto confessionis disputatur) non baptizatos, quamuis præcepto Communionis, quatenus Ecclesiastico, non teneantur, quia Ecclesia nullam in eos habet iurisdictionem, tamen teneri illo quatenus diuino, quia omnibus etiam non baptizatis loquebatur Christus, quando Ioan. 9. illis verbis, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. præcepit sumptionem Eucharistiæ, ac proinde etiam non baptizatos teneri fieri habiles ad sumptionem Eucharistiæ, suscipiendo Baptismum: & idè, qui non baptizantur, si aliàs ignorantia inuincibili non excusentur, peccant non solum quia non baptizantur, sed etiam quia non sumunt Eucharistiam in articulo mortis, pro quo præceptum diuinum Eucharistiæ ex vi sua absque Ecclesiæ determinatione obligat; quamuis non teneantur præcepto diuino confessionis, quia hoc non obligat absolute (sicut obligat præceptum diuinum Communionis) sed tantum ex suppositione, quòd post Baptismum fiat peccatum mortale, quia solum



lum peccatum commissum post Baptismum est materia apta absolutionis. Ita tamen non baptizati tenentur præcepto diuino Communionis, vt ei non satisfaciât communicando ante Baptismum, quia quamdiu non sunt baptizati, non recipiunt Eucharistiam vt Sacramentum, quia Eucharistia non est illis Sacramentum, quia illis non est significatiua & collatiua gratiæ, quia non est pro illis in Sacramentum instituta; & præceptum sumendi Eucharistiam, est sumendi illam vt Sacramentum: in quo non baptizati distinguuntur à baptizatis peccatoribus; quia hi, etiam si in statu peccati mortalis scienter communicent, satisfaciunt præcepto affirmatiuo etiam diuino Communionis, vt contra nonnullos aduertunt communiter Doctores, quia quamuis indignè communicent, verumtamen recipiunt Sacramentum Eucharistiæ.

Circa baptizatos ergo conueniunt Theologi, adultos omnes sanæ mentis, habentes sufficientem discretionem ad perfectè discernendum inter panem cælestem & communem, & ad perfectè iudicandum de præparatione ad dignè sumendam Eucharistiam requisita, præcepto Communionis, tam vt Ecclesiastico quàm vt diuino teneri; quod est verum, quamuis energumeni sint, quia ex eo nullam habent excusationem: qui verò amentes sunt, quamdiu sunt in amentia, non solum non peccant non communicando, quia eis deficit libertas, sed etiam verè excusantur à præcepto illo, etiam vt diuino, ob amentiam, quando est perpetua. imò consuetudine prohibitum est illis Eucharistiam adhuc in articulo mortis conferre, vt diximus Disputat. ix. Diffic. xx. Quando verò amentia non est perpetua, quia ante amentiam fuerant compotes sui, tunc quamuis, quamdiu in amentia sunt, non peccant non communicando ex defectu libertatis, & excusati sint à præcepto communicandi vt Ecclesiastico, quia ob reuerentiam Sacramenti non est decens, & forsan consuetudine prohibitum, illis quotannis Eucharistiam conferre; tamen si ante amentiam prudenter timeant futuram amentiam tempore annuæ Communionis, tenentur, si intra annum sint, anticipare Communionem annuam; quia præceptum Communionis annuæ pro tempore Paschalis non tantum fertur in honorem Cænæ Domini, sed etiam ne nimium differatur Communio: in quo præceptum hoc, & præceptum confessionis annuæ, differunt à præcepto audiendi Missam, quia hoc tantum fertur in honorem diei festi, & ideò non obligat ad anticipationem ante diem festum, nec transactò die festo perseverat obligatio illius.

Circa infantes verò conueniunt Doctores, nullatenus præcepto Communionis teneri. quod expressè tradit Tridentinum sess. 21. cap. 4. & ex se patet, quia præceptum tradi tantum potest eis qui ratione utuntur, sicut etiam violatio eis tantum potest imputari, aliàs bestiis posset præceptum tradi & imponi. Augustinus verò epist. 106. & Innocentius epist. 26. quæ est 93. apud Augustinum, vbi significare videntur infantes comprehendendi verbis illis Ioann. 6. *Nisi manducaueritis*, &c. (in quibus nos diximus præceptum diuinum Communionis contineri) & infantibus sumptionem Eucharistiæ esse necessariam, intelligendi sunt, non de necessitate præcepti, sed medij; & non de sumptione Eucharistiæ in re, sed in voto contento in Baptismo, quia infantibus est necessa-

rius Baptismus, ratione cuius, quando adulti sint, obligantur ad sumptionem illius ex vi illorum verborum Ioann. 6. de quo diximus Disputatione 1. Difficultate vi.

Circa pueros, (sub quibus etiam puellas comprehendimus) dissentiunt Doctores, à qua ætate incipiant ad Communionem obligari.

Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 11. & Valentia <sup>Sotus.</sup> <sup>Valentia.</sup> disp. 6. quæst. 8. puncto 4. pueros non obligari præcepto Communionis ante annum duodecimum, etiam si ante illum habeant sufficientem discretionem, vt possint illam suscipere, quando incipit vsus rationis in illis.

S. Thomas verò in 4. dist. 9. q. 1. art. 1. quæstion- <sup>S. Thomas.</sup> <sup>Vasquez.</sup> cula 4. Vasquez disp. 214. cap. 4. & communiter Doctores docent, pueros, si ante duodecimum annum habeant discretionem sufficientem præcepto Communionis tam annuæ, quàm pro articulo mortis, obligari; & meritò: quia pueri, postquam ad sufficientem discretionem peruenerunt, nullo priuilegio à dicto præcepto ante duodecimum annum excipiuntur, quia de eo priuilegio nullatenus constat.

Pueri ergo in ea ætate, præcepto Communionis tam annuæ, quàm in articulo mortis obligari incipiunt, & non antea, in qua ad eam discretionem peruenerunt, qua perfectè discernere valent inter panem cælestem & communem, & de præparatione ad Communionem requisita perfectè iudicare, vt aduertunt S. Thomas, Vasquez, & communiter Doctores: quia sicut absque hac discretionem nullus contra Eucharistiam grauius peccat, ita etiam nullus ante eam discretionem præcepto Eucharistiæ adhuc vt diuino, & pro articulo mortis obligatur. Hæc autem discretio in alijs tardiùs, & in alijs citiùs contingit, & ob id nequit vna determinata ætas pro omnibus ad dictam obligationem assignari, sed id relinquitur arbitrio prudentium, præsertim parentum, aut Confessariorum. Nihilominus puero permittendum est communicare, quamuis ad eam discretionem non peruenerit, si prudenter iudicetur peruensisse ad perfectum vsus rationis, sufficientem ad peccatum mortale, si Confessarius prudenter præsumat esse sufficienter dispositum.

Obseruandum est, vt optimè Corduba in Summa Hispana quæst. 60. Vasquez num. 40. & Ochagua q. 17. pueris priùs aduenire tempus obligationis præcepti confessionis, quàm Eucharistiæ, adhuc pro articulo mortis sumendæ; quia minor discretio sufficit vt quis confiteri, quàm vt communicare teneatur, quia ad obligationem confitendi sufficit, vt quis sic inter malum & bonum discernat, vt possit mortaliter peccare, ad quod minor discretio sufficit, quàm ad perfectè discernendum inter panem cælestem & communem, & ad iudicandum de præparatione ad illum panem cælestem dignè recipiendum requisita, quod requiritur ad obligationem communicandi adhuc in articulo mortis. Vnde contingere potest, vt puer in articulo mortis existens teneatur confiteri, & non teneatur communicare, vt prædicti Doctores aduertunt contra Suarez disputat. 70. Reginaldum lib. 29. num. 84. Bonacinam disp. 4. q. 7. punct. 2. & contra alios recentiores, qui existimant, quemlibet, qui habet sufficientem discretionem vt teneatur præcepto confessionis, etiam teneri communicare in articulo mortis.

Obseruat

Trident.

August.  
Innocent.



Obferuat Henriquez cap. 42. puerum, qui numquam communicauit, & tranfacto Paschate deprehenditur fufficientem difcretionem ad communicandum habere, non effe cogendum ad Communionem vfque ad Pascha fequens. Quod verum exiftimamus, quando non iudicatur prudenter etiam fufficientem illam difcretionem habuiffè Paschate illo quod tranfactum eft: quia quando prudenter iudicatur etiam tunc illam habuiffè, cogendus eft ftatim ad Communionem, quia obligatio præcepti fumendi Euchariftiam, quam habuit Paschate illo, non fuit extincta Paschate tranfacto, vt diximus Difficultate præcedenti.

Pro eis autem, qui non fatisfaciunt præcepto Communionis, nulla eft Iure communi lata pœna, quam ipfo factò incurrant; quamuis pro non communicantibus tempore Paschatis assignata fit in dictò cap. *Omnis vtriusque fexus*, carentia ingressus Ecclefie, & Ecclefiafticæ feptulturæ, quæ poterit à Superioribus infligi, etiam impuberibus. In aliquibus tamen diœcefibus folet Iure proptio effe lata excommunicatio contra non communicantes tempore Paschatis, quam ipfo factò incurrant, etiam impubes, de quo dicimus Tractatu de Cenfuris in communi, Difficultate VI 1.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum laici teneantur communicare sub vtraque specie.*

*Dresdensis  
Jacobellus.*

**P**etrus Dresdensis, & Jacobellus Mifnensis, hæretici in Bohemia anno 1412. affirmarunt, laicos Iure diuino teneri sub vtraque specie panis & vini communicare, & non poffe licitè sub vna tantùm. Quos hæretici nostri temporis fecuti funt; potiùs vt Ecclefia Romanæ contradicant, quam quia dicta doctrinæ affentiantur, quorum fundamenta postea à nobis obijciemus.

Nihilominùs Catholici conueniunt, laicos non teneri sub vtraque specie, fed licitè poffe sub specie tantùm panis communicare. Quod expreffit Concilium Conftantiense, & Tridentinũ fess. 21. cap. 1. & can. 1. & meritò: quia in primis non tenentur ad id Iure Ecclefiaftico, vt patet, imò eo Iure funt prohibiti communicare, nifi tantùm sub

*Concilium  
Conftant.  
Trident.*

specie panis, in ipfo Concilio Conftantiensi fess. 13. & à Martino V. in Epift. ad ipsum Concilium: & in Tridentino fess. 21. cap. 2. Deinde non tenentur ad id Iure diuino. Quod Primò ex Scriptura probatur, quia Chriftus, qui Ioann. 6. dixit, *Nifi manducaueritis carnẽ Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (quo neceffitas præcepti fignificatur, fine cuius obferuatione nequit falus & vita fpiritualis haberi) ipfe postea fubdit, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* & iterum, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* quibus verbis Chriftus fatis fignificat, manducationem folius speciei panis, abfque potatione speciei vini, fufficere ad vitam, id eft ad feruandum præceptum diuinum Euchariftie, fine quo nequit feruari aut haberi vita, ex quibus Concilium Conftantiense & Tridentinum cap. 1. id deduxerunt. Secundò idem probatur, quia in Ecclefia fuit antiquiffima cõfuetudo communicandi sub specie tantùm panis; ergo id non eft contra præceptum diuinum. Confequentia patet. Antecedens

autem probatur, quia Euchariftia femper fuit folita in Ecclefia pro ægrotis feruari, vt conftat ex Clemente Romano libro 8. Conftituit. Apoftolic. cap. 13. & ex Eufebio lib. 6. Hiftoriæ cap. 36. & ex Tridentino fess. 13. cap. 6. vbi dicitur, Concilium *Trident.* Nicænum agnouiffè & probaffe morem feruandi Euchariftiam pro ægrotis: imò aliquando per annum feruabatur, vt teftatur Sophronius in Præto fpirituali cap. 79. At vinum non potuit adhuc ad breue tempus feruari, quin ftatim acefceret, quod non effet licitum: ergo quando ægrotis vtgente neceffitate miniftranda erat Euchariftia, fub specie tantùm panis miniftrabatur.

Supposito autem, quòd laicos communicare fub specie tantùm panis, & non fub specie vini, fit licitum, & non contra præceptum diuinum, ac proinde capax præcepti humani, aut prohibitionis humanæ, facile conftat, prohibitionem Ecclefiafticam, qua Ecclefia Latina laicis interdixit vsum calicis, effe iuftam & rationabilem: quia ex vna parte in Ecclefia eft potestas ad ferendam dictam prohibitionem & legem, & ex altera parte ad illam ferendam funt iuftiffimæ & admodum rationabiles caufæ; ergo dicta prohibitio & lex eft iufta & rationabilis. Confequentia patet. Antecedens autem quoad vtramque partem probatur. Et in primis, quòd in Ecclefia fit dicta potestas, definit Tridentinum fess. 21. cap. 2. & etiam generaliter potestas circa vsum Sacramentorum deducitur ex Paulor. ad Corinthios c. 4. dum ait: *Sic nos exiftimet homo, vt minifros Chrifti, & difpensatores myfteriorum Dei.* Et fpecialiter potestas circa vsum Euchariftie deducitur ex Paulo 1. ad Corinthios cap. 11. dum, postquam locutus fuerat de vfu huius Sacramenti, ait, *cetera cum venero difponam.* Et idem ratione conftat, quia nihil eft quod obftet, vt Ecclefia poffit liberè ferre leges in his quæ circa vsum Sacramentorum non funt Iure diuino præfcripta. Deinde, quòd funt iuftiffimæ & rationabiles caufæ ad prohibendum vsum Sanguinis laicis, conftat ex incommodis, quæ in vfu illius refpectu tantæ multitudinis contingere poffunt. Inter alia autem quæ communiter enumerantur, præcipuum eft, quod iam in tanta fidelium multitudine & varietate maximum periculum fit, quòd aliquid Sanguinis effundatur, in quo maxima indecentia & irreuerentia reperitur, quia Sanguis femel effusus colligi nequit. Iuftiffimè ergo & admodum rationabiliter dicta prohibitio facta eft ab Ecclefia, & iuftiffimè & admodum rationabiliter defraudantur laici gratiâ correspondentem speciebus vini, etiam fi fpecies vini aliquam ratione fui conferant, de quo dicemus Difficultate fequenti.

Nihilominùs hæretici contra hanc prohibitionem clamant, & obijciunt multa, quæ poterunt videri apud Bellarminum 4. de Euchariftia à c. 20. apud Valentiam difp. 6. quæft. 8. p. 5. apud Valquez difp. 216. & apud Egidiam q. 80. art. 12. ex quibus nos aliqua adferemus. *Bellarmin.  
Valentia.  
Valquez.  
Egidius.*

Primò ergo obijciunt verba illa Ioann. 6. *Nifi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, &c.* quibus neceffitas fumtionis vtriusque speciei fignificari videtur. Respondemus, particulam & (quamuis admittamus fumi copulatiuè) aut ita fumi, vt iuxta phrafim Hebraicam repetat negationem præcedentem, ita vt fensus fit, *Si non manducaueritis carnem Filij hominis, neque biberitis eius Sanguinem, &c.* ac proinde,



proinde, qui speciem tantum panis sumit, satisfacit præcepto in eis verbis contento, & vitam habebit. Hic autem sensus optimè congruit cum verbis quæ postea subduntur, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, vt supra dicebamus. Aut si sumitur copulatiuè, & non repetens negationem, ac proinde in eis contineatur præceptum sumendi vtramque speciem, non tamen obligabit omnes, sed tantum aliquos, ita vt tota Ecclesia quoad aliquos teneatur, non quoad omnes & singulos, quale est præceptum illud Gen. 1. *Crescite & multiplicamini*.

Secundo obijciunt illud Matthæi cap. 16. *Bibite ex eo omnes*. Facile tamen respondemus, illam particulam *omnes* ad Apostolos tantum referri: cui optimè congruit illud Marci 14. *Biberunt ex eo omnes*, & tamen Apostoli tantum biberunt.

Tertio obijciunt illud Lucæ cap. 22. & Pauli 1. ad Corinthios cap. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Christus significat, se velle, vt Apostoli, & eorum in Sacerdotio successores, faciant quod ipse fecit; ipse autem omnibus præsentibus dedit vtramque speciem, ergo. Respondemus Primò, si in prædictis verbis continetur aliquod præceptum, non esse administrandi Eucharistiam, sed manducandi aut bibendi, vt deducitur ex eo quod Paulus addit, *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*; & si in illis continetur præceptum sumendi Eucharistiam, & in Luca tantum continetur præceptum sumendi speciem panis, quia in Luca verba illa tantum habentur post consecrationem panis, etiam in Paulo illud tantum continebitur: quia quamuis in Paulo etiam habeantur post consecrationem calicis, tamen in eo non habentur absolute, sicut habentur in Luca, post consecrationem panis, sed cum eo addito, *quotiescumque bibetis*, quasi dicat, *Quotiescumque bibetis, annuntiabitis mortem meam*. Addimus, quòd in prædictis verbis continetur præceptum sumendi vtramque speciem, non respectu singulorum, sed respectu totius Ecclesiæ, non à singulis, sed ab aliquibus implendum.

Quarto obijciunt Ignatium, Tertullianum, & alios Patres, asserentes populum Calicem Domini bibere. Respondemus, eos Patres tantum significare, tunc esse populo in vsu calicem sumere (quod non negamus) non tamen esse necessarium ex præcepto diuino laicis conferri, aut ab eis sumi.

Quinto obijciunt Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Cyprianum & Augustinum, qui ita videntur tribuere vitam spiritualem potui Sanguinis Christi, vt absque eo nequeant homines illam adipisci. Respondemus, prædictos Patres, quamuis dictam vitam attribuunt sumptioni Sanguinis, eam tamen non negare sumptioni solius Corporis, neque negare posse, quia Ioan. 6. dicitur, *Qui manducat me, ipse vivet propter me*.

Sexto obijciunt Iustinum Apologia 2. pro Christianis, vbi significare videtur, esse præceptum diuinum sumendi vtramque speciem. Respondemus, Iustinum ibi nullum aliud præceptum videri agnoscere, nisi illud quod est apud Lucam c. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Apud Lucam autem tantum est præceptum sumendi speciem panis, aut si est præceptum sumendi vtramque speciem, tantum est respectu totius Ecclesiæ.

Et hoc posteriori modo intelligendi sunt Pseudo-Cyprianus Sermonem de Cæna Domini, & Bernardus Sermonem 3. Dominica Palmiarum, dum significant, etiam ipsum Sanguinem esse sub præcepto. Chryostomus verò Homilia 18. in Epistolam 1. ad Corinthios, quamuis supponat, attento Iure diuino, etiam laicis poculum dari, vt suo tempore dabatur, tamen non significat id esse Iure diuino necessarium, sed illo attento posse dari, quia eo non prohibetur.

Septimò obijciunt sententiam illam, *Neque Caro sine Sanguine, neque Sanguis sine Carne Iure communicatur*, quam refert Algerus lib. 2. de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, cap. 8. ex Augustino, sed desumpta est ex Paschasio libro de Corpore & Sanguine Domini, cap. 19. Respondemus, hanc sententiam Paschalij esse difficilem, & non esse admittendam, aut explicandam non quoad species panis & vini, sed quoad rem contentam sub illis speciebus, quia in neutra sumitur Caro sine Sanguine, nec Sanguis sine Carne.

Octauò obijciunt Gelasium Papam in Epistola ad Mauritium & Ioannem, & refertur can. *Comperimus*, de Consecratione, dist. 2. vbi dicitur grande sacrilegium, percipere vnã speciem absque altera. Respondemus, Gelasium ibi tantum loqui de Sacerdotibus celebrantibus sub vna tantum specie, quo etiam modo Gratianus dictum canonem *Comperimus* exponit.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum vtraque species, panis videlicet & vini, plus gratiæ conferat quàm altera tantum.*

**C**Aietanus quæst. 80. artic. 12. Sotus in 4. *Cnietan. Sotus. Ledesma. Pet. Sotus. Hesselan. Suarez. Egidius.*  
dist. 12. quæst. 1. art. 12. Ledesma 1. p. 4. q. 21. art. 12. dub. 2. Petrus Sotus lect. 10. de Eucharistia, Hesselanus de Communionem sub vtraque specie, tractatu 3. Suarez disp. 63. sect. 2. & Egidius quæst. 79. art. 1. n. 34. docent, vtramque speciem non conferre plus gratiæ, quàm alteram tantum: quod indicare videtur Tridentinum sessione 21. cap. 3. dum docet, sub altera tantum specie totum Christum contineri, & verum Sacramentum sumi, ac propterea nulla gratia ad salutem necessaria eos defraudari, qui vnã speciem solam accipiunt: at si per sumptionem vtriusque speciei conferretur maior gratia, quàm per sumptionem alterius tantum, verè defraudaretur aliqua gratia, qui non sumeret vtramque, sed vnã tantum.

Et ratione probatur, quia sumentis Eucharistiam confertur ex opere operato gratia, quia sumit Sacramentaliter Christum, eiusque Corpus & Sanguinem; sed qui sumit vnã tantum speciem, non minus perfectè sumit Sacramentaliter Christum eiusque Corpus & Sanguinem, quàm qui sumit vtramque, vt patet; ergo non minus gratiæ confertur sumentis vnã tantum speciem, quàm sumentis vtramque, si aliàs sint æqualiter dispositi.

Alexander verò 4. parte, quæst. 11. mem- *Alexand. Casalius. Arboreus. Vasquez.*  
bro 2. art. 4. Casalius lib. 2. de Cæna & Calice Domini, Arboreus in cap. 6. Ioannis, & Vasquez disp. *Vasquez.*



disp. 215. docent, & merito, vtramque speciem maiorem gratiam conferre, quam alteram tantum: quod sensit Clemens VI. in Bulla ad Regem Angliæ anno 1341. in qua illi concessit, vt ad gratiæ augmentum sub vtraque specie communicaret. Et ratione probatur; quia qualibet species ratione sui diuerso modo specifico significat & confert gratiam, ergo qualibet ratione sui confert diuersum & peculiarem gradum gratiæ sibi correspondentem. Consequentia probatur, quia ex eo deducimus, diuersa Sacramenta ratione sui conferre diuersum & peculiarem gradum gratiæ, quia quodlibet ratione sui diuerso modo specifico significat & confert gratiam. Antecedens autem patet, quia species panis ratione sui diuerso modo specifico, quam species vini, significant & conferunt gratiam, quia species panis significant & conferunt gratiam vt satiantem, quia illam significant & conferunt tamquam cibum; species verò vini significant & conferunt illam vt refrigerantem, quia illam significant & conferunt vt potus.

Quòd autem in anima idem sint fames & sitis, & quòd eadem gratia sit satians & refrigerans, quia per eandem gratiam fames & sitis animæ extinguntur, non obstat, vt cuilibet speciei diuerso modo specifico significanti & conferenti gratiam, nouus & distinctus gradus gratiæ respondeat; quia etiam omnibus Sacramentis, quamuis eandem gratiam significant & conferant, siue ad delenda peccata, siue ad magis iustificandum, diuersus tamen gradus gratiæ correspondet: quia illam, quamuis eandem, diuerso modo specifico significant & conferunt. Idèd cuilibet speciei ratione sui, etiam quando simul sumuntur, correspondet diuersus gradus gratiæ; non quia in vtraque sit perfectior seu expressior significatio gratiæ refectiuæ, sed quia in qualibet ratione sui, est significatio gratiæ secundum speciem distincta, quamuis ex vtraque integretur & coalescat vna significatio conuiuij & refectiuæ, idèd verò plures species panis (& idem est de pluribus speciebus vini) quando simul sumuntur, non conferunt diuersos seu peculiare gradus gratiæ, quia sumuntur per modum vnius, & non significant gratiam diuerso modo specifico.

Ita tamen qualibet species ratione sui independenter ab altera confert diuersum & peculiarem gradum gratiæ, vt illam conferat non expectata sumptione alterius speciei, non solum quando vna tantum species sumenda est, vt pa-

ter in eo qui tantum sumit species panis, sed etiam quando vtraque sumenda est; quia absque fundamento id negabitur in hoc posteriori casu, quod in priori negari non potest.

Obseruandum est, pro nouo gradu gratiæ, quem dicimus species vini conferre, non esse necessariam nouam aliquam dispositionem, aut præparationem, præter eam quæ necessaria fuit ad gratiam collatam ab speciebus panis, tum quia, vt qualibet species conferat suum effectum gratiæ, sufficit, quòd in sumente præsupponatur quilibet gradus sanctitatis & gratiæ, ac proinde, vt species vini suum effectum gratiæ conferant, sufficiet ille gradus sanctitatis & gratiæ, qui præsuppositus fuit ad sumptionem specierum panis; tum etiam, quia quamuis ad effectum Eucharistiæ prærequisita etiam esset aliqua actualis dispositio, sufficeret vna pro sumptione vtriusque speciei, quia ex vtraque integretur vnum conuiuium.

Tridentinum autem cap. illo 3. dum ait, eum, qui vnam tantum speciem sumit, nulla gratia ad salutem necessaria defraudari, non fauet aduersarijs: quia quamuis priuetur gratia quæ conferretur per sumptionem alterius speciei, illa tamen non est necessaria ad salutem, quia ad hanc sufficit quæ confertur per vnam tantum speciem, quia sumptio alterius speciei, nempe vini, nullo modo est necessaria ad salutem, nec vt medium, nec vt præceptum, vt Tridentinum dixerat cap. 1. quia cap. 3. loquitur de necessitate gratiæ ad salutem, non ratione sui, sed ratione sumptionis illam causantis, vt deducitur ex cap. 1. dum ait, sumptionem speciei panis sufficere ad salutem. Imò Tridentinum nobis fauet, dum non dicit absolute, eum qui vnam tantum speciem sumit, nulla gratia defraudari, sed cum eo addito, *ad salutem necessaria*, quia eo addito indicat defraudari aliqua, quamuis non necessaria.

Et ad rationem respondemus, sumenti Eucharistiam conferri gratiam, non præcisè quia sumit Christum, sed quia sumit species continentes Christum, eiusque Corpus & Sanguinem; quia essentia Sacramenti Eucharistiæ in ipsis solis speciebus directè saluatur non intrante intrinsecè & directè Christo, sed tantum extrinsecè & indirectè, & quia species panis & species vini sunt duo Sacramenta essentialiter perfecta & distincta, quamuis integraliter non sint duo, sed tantum vnum, vt diximus Disput. 1. Diffic. 14. idèd cuilibet diuersus gradus gratiæ correspondet, quamuis qualibet Christum, eiusque Corpus & Sanguinem perfectè contineat.





## DISPUTATIO XI.

## De ministro Eucharistiæ.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum solus Sacerdos sit minister Eucharistiæ quoad consecrationem.*



RROR est, quemlibet Christianum baptizatum absque alia ordinatione posse panem & vinum consecrare: quod insinuauit Wicelius, & expresserunt Lutherus & alij hæretici nostri temporis, vt Vasquez refert disp. 118. cap. 1.

De fide tamen est, solos Sacerdotes posse validè panem & vinum consecrare. Ita supponitur in Concilio Nicæno I. can. 14. & definitur in Concilio Lateranenſi sub Innocentio III. cap. 1. & refertur in cap. *Firmiter*: de Summa Trinitate & fide Catholica, & etiam definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & tandem definitur in Tridentino sess. 22. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. & 4. & id deducit Tridentinum ex illis verbis Matth. 26. & Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem, uti Ecclesia Catholica intellexit & docuit*, ait Tridentinum; eis enim verbis, quibus dedit potestatem consecrandi, tantùm locutus fuit Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus.

Id quoque frequentissimè docent Patres, Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia ca. 5. Clemens Romanus lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 27. aliàs 31. Ignatius ad Trallianos, Tertullianus libro de Præscriptionibus, & plures alij, quos refert Bellarminus libro 4. de Eucharistia, cap. 16.

Quòd si obijcias, omnes Christianos dici *regale Sacerdotium*, 1. Petri 2. ergo omnes possunt validè consecrare. Respondemus, tantùm dici Sacerdotes lato quodam modo, quo etiam omne opus bonum dicitur *Sacrificium*, quo etiam modo ibidem dicuntur *Reges*.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum plures Sacerdotes possint simul eandem hostiam consecrare.*

Conueniunt Primò Doctores, plures Sacerdotes posse simul eandem hostiam validè consecrare, quia huic valori nihil obſtare potest, dummodò quilibet integram formam circa eandem hostiam proferat, & omnes illam in eodem instanti absoluant.

Conueniunt Secundò (Durando excepto, oppositum affirmante) id posse licitè fieri, vt constat ex consuetudine Ecclesiæ Græcæ, in qua semper, quando Episcopus consecrat, etiam cum eo consecrat Presbyter cum illo concelebrans; & ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ Romanæ, in qua, qui ordinantur Presbyteri, consecrant eandem materiam simul cum Episcopo ordinante; & qui

ordinatur Episcopus, etiam simul consecrat cum Episcopo ipsum ordinante.

Est tamen difficultas, *Quomodo* id possit licitè fieri. Ratio difficultatis pro parte negatiua est, quia humanâ diligentia caueri nequit, ne aliquis eorum prius quàm alij formam perficiat, quo forma ab alijs prolata irrita fit & inanis, quo ipsi formæ iniuria & irreuerentia irrogari videtur.

Circa hanc difficultatem varij sunt modi, quibus à varijs Doctores consuetudo hæc & carimonia, vt licita defenditur, & à sacrilegio excusatur. Primò sunt qui dicunt, idèd posse plures simul eandem materiam licitè consecrare, quamuis sit euidens periculum, quòd aliquis prius validè consecrabit, & reliqui nihil efficiant, quia omnes ea intentione consecrandi proferre debent, & proferunt verba consecrationis, vt omnium eorum intentio ad idem instans, in quo vltimus prolationem perficit & absoluit, referatur; quia sic nullius prolatio irrita fit, quia omnes, etiam qui prius prolationem formæ perficiunt, efficiunt consecrationem instanti, in quo vltimus prolationem formæ finiunt. Modus tamen iste excusandi & defendendi dictam consuetudinem, nisi amplius explicetur, difficilis est: quia quamuis in potestate celebrantis sit effectum verborum consecrationis, impedire, si illa proferat absque intentione consecrandi, tamen si cum intentione consecrandi proferat illa circa materiam idoneam, non est in potestate illius vsque ad hoc, vel vsque ad illud instans, differre seu suspendere effectum verborum, quia oppositum nullo sufficienti fundamento dici potest.

Secundò alij dicunt, idèd dictam consuetudinem licitam esse, quia solus Episcopus ordinans proferat verba consecrationis formaliter & significatiuè, seu intentione consecrandi; reliqui verò materialiter tantùm & recitatiuè, absque intentione consecrandi, solùm ad ostendendam potestatem acceptam, & idèd nullam iniuriam irrogare verbis, etiam si ipsis non fiat consecratio. Modus etiam iste defendendi dictam consuetudinem, rejicitur ex Pontificali Romano, in quo Episcopus admonetur, vt paulatim alta voce verba consecrationis proferat, vt recenter ordinati, quantum fieri possit, simul cum ipso prolationem finiant. Hæc autem admonitio superflua esset, si recenter ordinati materialiter tantùm & recitatiuè verba consecrationis proferrent, & quantum est ex parte ipsorum, non consecrarent.

Tertiò, alij dictam consuetudinem idèd excusant ab irreuerentia & sacrilegio, quia recenter ordinati debent proferre, & proferunt verba consecrationis, non intentione absoluta consecrandi, sed sub conditione aliqua, nempe vel sub ea, *si Episcopus non habeat intentionem consecrandi*; vel sub ea, *si non proferat tempore opportuno*; vel sub ea, *si simul cum Episcopo formam consecrationis finiant*. Hic etiam modus defendendi dictam consuetudinem rejicitur ex eo,



quòd modus iste intentionis est ignotus recen-  
ter ordinatis, quia de eo numquam admonentur.  
mirum autem esset, id esse regulariter ignotum, si  
necessarium esset ad licitè proferenda verba con-  
secrationis; & Ecclesiam non admonere intentionem  
adeò extraordinariam, si ea esset necessaria  
ad id.

Quartò, alij dicunt, dictam cærimoniam licitè  
fieri, quando omnes verba consecrationis intra  
paruam distantiam seu durationem finiunt, quia  
tunc non fit consecratio, quousque vltimus finiat  
formam consecrationis, sicut effectus formæ &  
materiæ aliorum Sacramentorum non fit statim  
ac finitur forma, si nondum est applicata materia,  
nec fit statim ac finitur applicatio materiæ, si non-  
dum finita est forma; sed tantùm sit quando fini-  
tur positio partis quæ vltimò ponitur, quia non  
obstat paruam interuallum inter prolationem for-  
mæ & applicationem materiæ; quia quando dis-  
tancia inter materiam & formam est parua, est si-  
multas moralis inter illas, ac proinde sufficiens ad  
simul producendum effectum gratiæ, aut conse-  
crationis. Iste quoque modus non probatur, ob  
manifestum discrimen: quia si in alijs Sacramen-  
tis, formâ prius prolata, suspenditur effectus quo-  
usque materia applicetur; & econtrâ materiâ prius  
applicatâ, suspenditur effectus quousque forma  
proferatur; idè est, quia forma eorum non suffi-  
cit ad effectum absque applicatione materiæ, nec  
applicatio materiæ absq; prolatione formæ, & idè  
expectanda est illa pars, quæ posteriùs ponitur: at  
vtraque positâ, nequit pro sola voluntate ministri  
effectus suspendi & differri, quia vtraque positâ,  
nihil deest ad effectum, & tempus in quo Sacra-  
mentum semel perfectum debet causare, non est  
sub arbitrio ministri. Cùm ergo prolatis verbis  
consecrationis circa materiam idoneam nihil deest  
ad effectum consecrationis, non est adhuc pro-  
ximima mora expectanda prolatio ab altero fa-  
cienda, quia hæc nullatenus est ad effectum con-  
secrationis necessaria.

Quintò, alij docent, duo esse faciendâ à recen-  
ter ordinatis, vt licitè proferant verba consecra-  
tionis: alterũ est, quòd proferant verba iuxta mo-  
rem Ecclesiæ in qua ordinantur; alterum verò,  
quòd non habeant expressam intentionem conse-  
crandi, nec non consecrandi, sed debitam, id est,  
quòd statuunt se ea intentione proferre verba, qua  
debent proferre. Modus etiam hic defendendi  
dictam consuetudinẽ nobis displicet, Primò, quia  
hic modus intentionis est ignotus ipsis recen-  
ter ordinatis, & de eo à nullo admonentur. Secundò,  
quia qualiscumque aut quæcumq; sit intentio, cum  
qua recen-ter ordinatus proferat verba consecra-  
tionis, non potest non esse aut sufficiens ad consecran-  
dum, vel non sufficiens: & si est sufficiens, poterit  
etiam verba proferre cum intentione expressa con-  
secrandi, quia intentio sufficiens æquiualeat ex-  
pressâ, & tunc aut Episcopus inaniter proferet  
verba, aut recen-ter ordinatus, quia qui illa vlti-  
mus finit, nihil efficiet; & si non est sufficiens,  
etiam poterit illa proferre cum intentione ex-  
pressâ non consecrandi, quia non sufficiens illi  
æquiualeat, & tunc non poterit verba consecra-  
tionis formaliter & significatiuè, sed tantùm ma-  
terialiter & recitatiuè proferre, & quamuis posset,  
frustrâ sic illa proferret, quia defectu intentionis  
nihil efficiet.

Prædicta ergo consuetudo & cærimonia tam-  
quam licita defendenda est, admittendo, recen-  
ter ordinatos proferre verba consecrationis cū inten-  
tionẽ absoluta, & sufficiente ad absolutè conse-  
crandum; quia sic illa proferre, aut debere proferri,  
deducitur ex admonitione, qua diximus recen-  
ter ordinatos admoneri, & ex eo quod aliter pro-  
ferre verba consecrationis sit illis ignotum: & eo  
admissò, defendunt dictam consuetudinem Sotus  
in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 2. & Vasquez disp. 219.  
cap. vlt.

Ratio ergo ob quam sit licitum, & non fiat ir-  
reuerentia verbis consecrationis, illa cum absolu-  
ta intentione circa materiam cum dicto periculo  
proferendo, imò circa materiam iam consecra-  
tam ab Episcopo, aut ab alio concelebante, est,  
quia dicta cærimonia est maximè congrua & con-  
ueniens institutioni Eucharistiæ: quia Christus  
consecrans, & instituens Sacramentum Eucha-  
ristiæ, simul cum alijs illud sumpsit, & officium  
consecrandi illis commisit, & præcepit, quòd  
in memoriam suæ passionis illud consecrarent,  
& fumerent. Ob quod, etiamsi, quando ipse  
consecrauit, non consecrarent cum ipso Apo-  
stoli, vt sic ipse solus denotaretur auctõr tan-  
ti Sacramenti, fuit maximè conueniens, vt post-  
eâ aliquando plures Sacerdotes cum Episcopo  
tamquam cum Christo simul non tantùm su-  
mant idem Sacramentum, sed illud efficiant,  
vel saltem conentur efficere, sicut efficerent,  
vel conarentur Apostoli, si non præualeret con-  
gruitas denotandi Christum esse auctõrem tanti  
Sacramenti, vt sic cum Episcopo fumentes, &  
consecrantes memoriam passionis Christi eo  
viroque modo recolant. Expedi tamen, ne re-  
cen-ter ordinati Episcopum in prolatione verbo-  
rum præueniant, & consecrent, quia Episcopus  
est, qui præcipuè celebrat.

### DIFFICULTAS III.

*Utrum solus Sacerdos possit Sacramen-  
tum Eucharistiæ dispensare & distri-  
buere.*

Conueniunt Catholici, solis Sacerdotibus  
conuenire esse ministros ordinarios ad dis-  
pensandum & distribuendum Sacramentum Eu-  
charistiæ, seu eos solos esse, quibus ex officio id  
conuenit. Quod deducitur ex Tridentino sess. 13.  
cap. 8. vbi dicitur: *In Sacramenti sumptione semper  
in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus  
Communionem acciperent: Sacerdotes autem cele-  
brantes seipsos communicarent: mos autem iste in  
Ecclesia non fuisset, nisi Sacerdotes ex proprio of-  
ficio, & tamquam ministri ordinarij id haberent.*

Addunt tamen communiter Doctores, Pri-  
mò, Diaconis posse conuenire distributionem  
Sacramenti Eucharistiæ ex commissione, & non  
tantùm distributionem Sanguinis, sed etiam Cor-  
poris, quod quoad distributionem Corporis habetur  
in Conc. Carthaginensi IV. can. 38. his verbis: *Dia-  
conus præsentẽ Presbytero Eucharistiam Corporis  
Christi populo si necessitas cogat, iussus erogat.* Parti-  
culâ autẽ *iussus* denotatur, id ex sola commissione  
Diacono conuenire posse; & id quoad distributio-  
nem Sanguinis (vbi possit distribui) significatur  
verbis



verbis S. Laurentij ad Sixtum Papam, relatis ab Ambrosio lib. 1. Offic. cap. 21. *Cui commisisti Domini Sanguinis dispensationem.* Et quoad distributionem Corporis & Sanguinis exprimit Iustinus Apolog. 2. pro Christianis in hinc, & indicat Clemens Rom. lib. 8. Constit. Apostolic. cap. 28. aliàs 34. dum de Diacono ait: *Non baptizat, non offert. oblatione ab Episcopo, aut à Presbytero facta ipse Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris.* Vbi absolute de administratione Sacramenti Eucharistie loquitur, & absque distinctione ad ministrations Corporis & Sanguinis. Quando autem ait, *non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris*, satis indicat, ipsi ex commissione Presbyteri conuenire.

Diacono ergo committi potest à Presbytero dispensatio seu distributio Eucharistie, tam Corporis quam Sanguinis, quia ordinatur, ut ministret & inseruiat Presbytero in altari, ut exprimitur in ordinatione illius illis verbis, *Diaconum oportet ministrare ad altare: sed non potest ei committi absque necessitate, seu causa rationabili* (ut quoad distributionem Corporis exprimitur in dicto Concilio Carthagenensi) quia ordinatur ut ministret & inuuet, ac proinde solum quando iuua- men Diaconi est necessarium Presbytero committenti, quia scilicet sunt qui comunicent, & Presbyter committens comode nequit, & non est alius Presbyter qui id possit & comode efficere. Et quoad necessitatem requisitam ad dictam commissionem faciendam, eadem est ratio, quoad distributionem Corporis & Sanguinis, etiamsi nonnulli ad distributionem Sanguinis nullam necessitatem requirant.

Addunt Secundò, communiter Doctores in casu vrgentis necessitatis aegroti, seu in articulo mortis, siue physico siue morali, si non sit praesens Episcopus, aut Presbyter, qui id possit expressè committere Diacono, posse ipsum Diaconum Sacramentum Corporis aegroti dispensare, quia id ipsi committitur ex interpretatiua aut praesumpta voluntate potentis committere: imò Iure ipso communi canonis 14. Concilij Niceni I. & idèdè quamuis Presbyter sit praesens, & renuat, si ipse nolit, illud aegroti administrare, potest Diaconus id efficere, quia scilicet ipsi committitur Iure communi.

Sed an in casu vrgentis necessitatis, seu in articulo mortis aegroti, siue physico siue morali, possit laicis committi dispensatio Corporis Christi, sub controuersia est. Circa quam, quamuis probabile sit id fieri posse, verius tamen est id non posse, in quo Doctores communiter conueniunt; quia id est laicis intuitu reuerentiae Eucharistiae prohibitum Iure Ecclesiastico in can. de Consecratione, dist. 2. desumpto ex Concilio Rhemeni sub Leone III. quod consuetudo confirmat. Quòd autem aegrotus in articulo mortis, siue physico siue morali, teneatur Iure diuino Eucharistiam sumere, non obstat; quia Ius hoc non obligat aegrotum, seu ab eo aegrotus excusatur, quoties Eucharistia nequit comode & secundum ordinem ab Ecclesia praescriptum dispensari.

*Vasquez.* Addit Vasquez disp. 219. cap. 1. posse Diaconos etiam extra vrgentem necessitatem, seu articulum mortis, absente Presbytero, se ipsos communicare, quia id conceditur illis in Concilio Niceno I.

can. 14. & multò melius id posse Presbyteros, quando alius Presbyter deficit, & aliquid necessarium ad celebrandum. Quod Valentia disp. 6. quæst. 1. puncto 10. Suarez disp. 72. sect. 3. Reginaldus lib. 29. num. 93. & alij extendunt ad laicos in articulo mortis, ut in eo possint se ipsos communicare, deficientè Presbytero & Diacono, immeritò tamen, ut aduertunt Vasquez vbi supra, Henricus lib. 8. cap. 54. Victoria de Eucharistia, n. 89. & Bonacina disp. 4. quæst. 5. puncto 1. & plures alij, quia dictum ministerium est laicis Iure Ecclesiastico prohibitum intuitu reuerentiae Eucharistiae, quæ non est ad salutem necessaria tamquam medium necessarium, quia in eo casu maioris momenti est retractio à materia prohibita, quam sumptio Eucharistiae præcepta.

Regina autem Scotiae, quæ refertur Eucharistiam, quam apud se seruabat, suis manibus sumplisse quando ad mortem ducebatur, potuit id licitè fecisse, aut ne Eucharistia deueniret ad manus hæreticorum, aut saltem bona fide.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum omnes Sacerdotes sint ordinarij ministri ad distribuendam Eucharistiam.*

Constat ex dictis, solos Sacerdotes esse ordinarios ministros ad distribuendam Eucharistiam; superest tamen difficultas, An omnes Sacerdotes sint ordinarij ministri ad id.

Conueniunt Doctores, non omnes Sacerdotes esse ministros plenè ordinarios ad distribuendam Eucharistiam, sed tantum eos, qui sunt proprij Pastores, reliquos verò non nisi ex commissione aut quasi commissione proprij Pastoris illius, qui communicaturus est. Quòd significatur in Concilio Carthagenensi I. cap. 7. dum statuit, vt nullus Clericus vel laicus in aliena parochia sine literis sui Episcopi communicet: & in Concilio Mileuitano can. 18. dum priuatur Communione, qui non in propria parochia, sed in aliena communicat. Et id ratione probatur, quia soli proprio Pastori spiritali ex vi sui officij incumbit suis ouibus pastum & cibum spirituale tribuere, & non alijs, qui non sunt proprij Pastores; ergo non omnes Sacerdotes, sed tantum proprij Pastores sunt ministri plenè ordinarij ad distribuendam Eucharistiam.

Vnde Sacerdotes, qui non sunt proprij Pastores, non possunt alicui Sacramentum Eucharistiae distribuere, nisi ex commissione proprij Pastoris; quia officium proprij Pastoris exigit, vt nullus alius nisi ex voluntate ipsius eius oues pascat: non quia Sacerdotes, qui non sunt proprij Pastores, ex vi ordinis Sacerdotij non habeant potestatem plenam ad distribuendam Eucharistiam, quia verè illam ita completam habent ad id, vt quantum est ex parte potestatis, nihil illis deficiat, quòd egeant à proprijs Pastoribus recipere, sicut deficit illis ad absoluendum, quia Eucharistiam distribuere non est actus iurisdictionis, sicut est absoluere à peccatis; sed quia proprij Pastores habent ius iustitiae, vt nullus alius contra suam voluntatem suas oues pascat, eo modo quo Tractatu de Baptismo Disput. 11. Diffic. 11. diximus, Sacerdotibus non proprijs Pastoribus conuenire



potestatem ad baptizandum. Ac proinde Sacerdotes, qui non sunt proprii Pastores, quamuis peccent peccato iniustitiæ in proprios Pastores, contra eorum voluntatē administrantes Eucharistiam eorum subditis, non tamen peccato sacrilegij, seu irreuerentiæ in Eucharistiam, eo modo quo vbi supra diximus peccare Sacerdotes baptizantes incolas parochiæ alienæ, contra voluntatem proprii Pastoris. Vnde commissio, aut potius licentia & voluntas proprii Pastoris requisita in alijs Sacerdotibus ad administrandā Eucharistiam, tantum requiritur vt illam non administrent illicitè contra reuerentiam Eucharistiæ. Imò Sacerdotes non proprii Pastores possunt dici ministri ordinarij ad administrandam Eucharistiam, quia id habent plenè ex vi sui Ordinis & officij Sacerdotij; sed non sunt dicendi tales omnino absolute, quia dependent à voluntate proprii Pastoris, vt exerceant suam potestatem licitè absque iniustitia, sicut etiam Episcopus non proprius habet plenam potestatem ad ordinandum subditos alterius Episcopi, etiā si eam nequeat licitè absque iniustitia exercere absq; voluntate proprii Episcopi.

Nomine autem proprii Pastoris non tantum proprius Parochus, sed etiam proprius Episcopus, & Summus Pontifex intelliguntur, quia omnibus eis ex proprio officio conuenit suis subditis Sacramenta administrare. Quis autem sit proprius Parochus vagabundorum in ordine ad confessionem & Communionem, & cui possint confiteri, & à quo possint Communionem recipere peregrini & iter agentes, dicimus Tractatu de Pœnitentia, Disputatione x. Difficultate xii.

#### DIFFICULTAS V.

*Quomodo alijs Sacerdotibus, qui non sunt proprii Pastores, conueniat Eucharistiam distribuere.*

**C**onueniunt Doctores, Sacerdotes non proprios Pastores non posse licitè, absq; voluntate seu licentiā proprii Pastoris, Eucharistiam distribuere, vt patet ex dictis; & ex ea posse: quia quilibet Sacerdos habet sufficientem potestatem ordinis ad id, & ei nihil deficit vt possit, nisi quòd id efficiat absque iniuria in proprium Pastorem, absque qua id efficiet eo ipso quòd id velit proprius Pastor.

Est tamen difficultas, An ad id sufficiat Sacerdotibus non proprijs Pastoribus voluntas interpretatiua seu præsumpta proprii Pastoris; an verò necessaria sit illis ad id voluntas expressa illius.

Circa quam conueniunt Doctores, ad id sufficere illis voluntatem præsumptam proprii Pastoris, quia voluntas seu licentia proprii Pastoris tantum requiritur in alijs Sacerdotibus, vt id efficiant absque iniuria seu iniustitia in ipsum proprium Pastorem: quia distributio Eucharistiæ non est actus iurisdictionis, sicut est absoluere à peccatis, quia non est ius seu sententiam dicere, sicut est absoluere; sed tantum est actus ordinis Sacerdotij, & actus dominij, aut quasi dominij, habentis tantum quasi dominium, & ius iustitiæ ad distribuendam Eucharistiam proprijs ouibus. Fit autem absque iniustitia in proprium Pastorem, quando fit ex voluntate illius præsumpta seu interpretatiua,

non solum quando est præsens proprius Pastor (vt contingit, quando id videt aut scit fieri, & tacet) sed etiam quando tantum est futura, id est, quando iudicio prudentis credi potest, proprium Pastorem contentum fore si id sciret, quia eo ipso quòd fit ex voluntate præsumpta, quamuis tantum futura, non fit contra voluntatem rationabilem illius, seu non fit ipso rationabiliter inuito: iniustitia autem seu iniuria tantum committitur, quando fit aliquid inuito domino rationabiliter.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis distribuere Eucharistiam absque voluntate saltem præsumpta proprii Pastoris, nequeat fieri absque peccato graui iniustitiæ contra proprium Pastorem, ob illud tamen nulla est generaliter in Iure statuta pœna, nisi tantum Religiosis, quibus in Clement. *Religiosi*, De Priuilegijs, imposita est pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, si absque licentia proprii Pastoris præsumperint laicis Eucharistiam ministrare: quam non incurrunt, qui cum ignoratiā adhuc vincibili id faciunt, nec qui ex voluntate præsumpta, quamuis tantum futura; quia prædicti non dicuntur præsumere illud facere: nec illam incurrunt, qui Eucharistiam administrant in articulo mortis, absente omni alio qui id posset facere, quia tunc præsumitur proprium Pastorem contentum fore, si id sciret: nec qui habent peculiare priuilegium ad id, quia isti id faciunt ex licentia proprii Pastoris, nempe Romani Pontificis, qui est proprius Pastor totius Ecclesiæ.

#### DIFFICULTAS VI.

*Quibus concessa sit facultas ex priuilegio ad distribuendam Eucharistiam.*

**Q**uamuis in dicta Clement. *Religiosi*, De Priuilegijs, prohibitum sit generaliter omnibus Religiosis, Eucharistiam laicis distribuere absque licentia proprii Pastoris; iam tamen à Sede Apostolica concessum est Minoribus Obseruantia, & Societati nostræ (& consequenter omnibus alijs, quibus Mendicantium priuilegia communicantur) vt toto anno, excepto festo Paschæ Resurrectionis, possint omnibus fidelibus in suis templis Eucharistiam ministrare; imò vt concedant facultatem alijs Sacerdotibus, vt eam in dictis templis omnibus fidelibus ministrent.

Circa hæc priuilegia Nauarrus in Summa c. 21. num. 52. & Henriquez lib. 8. cap. 55. nomine *festi Paschæ* intelligunt diem ipsum Resurrectionis & Paschatis, ita vt in eo nequeant dicti Religiosi Eucharistiam sæcularibus ministrare, non solum illis qui eam sumunt ad satisfaciendum præcepto annuæ Communionis, sed nec illis qui ex sola deuotione illam sumere intendunt. Et eundem diem intelligunt Patres nostræ Societatis Compilatores Compendij nostrorum priuilegiorum, v. *Eucharistia*, §. 2. Addunt tamen dicti Patres, sic priuilegiatos posse eo die administrare Eucharistiam eis qui præcepto annuæ Communionis satisfecerint: & idem dicerent de his, qui intendunt postea satisfacere, & eo die tantum volunt ex deuotione communicare.

Vasquez disp. 219. c. 3. Suarez disp. 72. sect. 2. *Vasquez* & Adamus v. *Eucharistia*, quæst. 8. dub. 8. nomine *Suarez* festi Paschæ seu Resurrectionis intelligunt Commu-

munio-



Ægidius.

mtinonem propriam illius Festi, prout extenſi ad quindecim dies, qui à Dominica in Ramis numerantur iuxta uſum Eccleſiæ, ita ut Religioſi ſic priuilegiati tantum prohibeantur adminiſtrare Communionem, quia intenditur ſatiſfieri præcepto annuæ Communionis. Quod etiam re ipſa ſentit Ægidius quæſt. 82. art. 3. num. 31. & merito: quia Pontifices dicta exceptione tantum intendunt excipere Communionem, qua ſatiſfit præcepto annuæ Communionis, ut fideles pro impletione præcepti annuæ Communionis ad proprios Parochos recurrant. Ergo nomine feſti Paſchæ intelligunt totum tempus Paſchale, in quo poteſt ſatiſfieri præcepto (ut dicitur in Declarationibus noſtrarum Conſtitutionum Parte 7. cap. 4.) non materialiter, quaſi in toto eo tempore non poſſint Religioſi ſic priuilegiati Euchariftiam adminiſtrare uolentibus ex ſola deuotione communicare, quia uerè poſſunt etiam in die ipſo Reſurrectionis, ut ſignificatur in dictis Conſtitutionibus; ſed formaliter, ita ut tantum prohibeantur Euchariftiam miniſtrare uolentibus præcepto annuæ Communionis ſatiſfacere. Et ſanè ſi, ut Nauarrus uult, nomine dicti Feſti tantum intelligeretur ipſa dies Reſurrectionis materialiter, poſſent fideles in quolibet alio die ex dictis quindecim ſatiſfacere præcepto annuæ Communionis, communicando in templis dictorum Religioſorum, quia acciperent Euchariftiam ab eis qui habent licentiam ad id à ſummo Paſtore omnium. Et ob dictam rationem, quando in varijs Bullis conceditur priuilegium, ut Euchariftia poſſit toto anno, excepto die Paſchæ, recipi à quolibet Sacerdote etiam ſæculari, ut conceditur in Bulla Cruciatæ; dies Paſchæ ſumendus eſt non materialiter, ſed formaliter, nempe pro Communionem ex præcepto annuæ Communionis faciendâ: & quando in Bulla Pauli III. nobis conceditur priuilegium miniſtrandi

Euchariftiam, exceptis die feſto Paſchatis, & articulo mortis, nomine *articuli mortis* intelligitur articulo mortis non materialiter, ſed formaliter, ſumptus uidelicet pro Communionem ex præcepto in eo articulo faciendâ: & ideò noſtri, in domibus ſæcularium infirmorum celebrantes, non prohibentur illis, quamuis in articulo mortis exiſtentibus, Euchariftiam ex ſola deuotione ſumendam adminiſtrare.

Obſeruandum tamen eſt Primò, deficiente proprio Parocho in articulo mortis, ſiue phyſico ſiue morali, poſſe noſtros (& communiter alios Religioſos, quibus noſtra priuilegia communicantur) Euchariftiam pro uiatiko adminiſtrare, & pro impletione præcepti communicandi in eo articulo, urgente neceſſitate, id eſt, quando aliàs prudenter timetur ægrotum abſque Euchariftia deceſſurum, quia Paulus III. in dicta Bulla id nobis conceſſit. Quando uerò toto tempore Paſchatis deficit proprius Parochus, quamuis toto eo tempore poſſimus Euchariftiam adminiſtrare, quia eam poſſunt fideles ex ſola deuotione ſumere, nulla tamen Communionem à nobis collata ſatiſfieri præcepto annuæ Communionis, quia non eſt nobis conceſſa licentia ad conferendam Euchariftiam pro impletione illius præcepti; & ideò tunc parochianos teneri elapſo illo tempore Euchariftiam ſumere de manu proprii Parochi, aut alterius ex licentia illius: quia obligatio illius præcepti eo adhuc tempore elapſo perfeuerat.

Obſeruandum eſt Secundò, ut quis poſſit ex priuilegio aut ex licentia adminiſtrare Euchariftiam non indigere approbatione aliqua, quia nullo Iure eſt requiſita; quamuis Iure Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione, requiſita ſit ad adminiſtrandam pœnitentiam ſæcularibus, ut latè dicimus Tractatu de Pœnitentia, Diſputatione x. Difficultate xvi.





# TRACTATUS DE SACRIFICIO MISSÆ.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De natura & essentia Sacrificij Missæ.

#### DIFFICULTAS PRIMA.

##### *Quid sit Sacrificium propriè & strictè sumptum.*



Gabriel.  
Castro.

IRCA naturam & essentiam Sacrificij in communi propriè & strictè sumpti, non parum laborant Theologi.

Gabriel lect. 85. in Canonem Missæ, & Castro lib. 10. Aduersus hæreses, v. *Missæ*, Hæresi 2. docent, Sacrificium propriè & strictè sumptū, esse quodcumque bonum opus, quod fit vt sancta societate Deo adhæreamus. Et eodem modo definit Kemnitius Sacrificium in communi in 2. Parte Examinis, disp. de Sacrificio Missæ. Quæ definitio sumpta videtur ex Augustino lib. 10. de Ciuitate ca. 6. dum ait: *Proinde verum Sacrificium est omne opus bonum, quod agitur vt sancta societate in hæreatur Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.*

Definitio tamen hæc Sacrificij communiter rejicitur, & meritò: Primò, quia quodcumque opus bonum fit, aut fieri potest, vt sancta societate Deo adhæreamus, & efficiamur beati, & tamen non quodcumque opus est propriè & strictè & peculiariter Sacrificium, vt constat ex Scriptura, in qua multa opera bona opponuntur Sacrificio, & ab eo distinguuntur. Osee 6. *Misericordiam volo, non sacrificium.* & 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victima.* Secundò, quia Sacrificium propriè & peculiariter sumptum, est opus virtutis religionis, qua Deum peculiariter colimus, vt omnes nationes consentiunt; ergo non est actus cuiuscumque virtutis. Tertiò, quia in Ecclesia Dei post mortem Christi non agnoscitur nisi vnum tantum propriè & peculiariter sacrificium, & istud Corporis & Sanguinis Christi; ergo Sacrificium propriè non est opus cuiuscumque virtutis.

Definitio etiam, qua Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ in Articulo de Missa definit Sacrificium, quòd sit *cerimonia vel opus quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus*, eisdem fundamentis rejicitur, si per honorem intelligat eum, quem quocumque opere bono exhibemus Deo. At si per honorem intelligat quemcumque peculiarem, quem ex virtute religionis Deo exhibemus, rejicitur Primò, quia ex virtute religionis etiam exhibemus Deo honorem peculiarem obla-

tionibus, votis, iuramentis, & adoratione; & tamen actus isti non sunt peculiariter Sacrificia. Secundò, quia post mortem Christi in lege Euangelica est vnum tantum propriè & peculiare Sacrificium secundum speciem, & tamen sunt plures actus virtutis religionis specie distincti, quibus diuerso modo specifico colimus Deum.

Definitio quoque Caluini, qua lib. 4. Institut. cap. 18. definit Sacrificium, quòd sit *quidquid omnino Deo offertur*, facile rejicitur; quia in lege Euangelica est vnum tantum Sacrificium, & tamen in ea plures res offeruntur. Cui adde, quòd aliàs Aaron Num. 8. dum obtulit Domino filios Leui, eos Deo sacrificasset.

Augustinus autem vbi supra, dum quodcumque opus bonum, factum vt Deo placeamus, appellat Sacrificium verum, non vult esse propriè & peculiariter Sacrificium, sed Sacrificium latè. Appellat autem quodcumque opus bonum sic factum, verum Sacrificium, ab effectu veri & proprij Sacrificij; quia dicta opera aliquo modo magis placent Deo, & per ea aliquo modo magis placatur Deus, & nobis magis reconciliatur, quam per Sacrificium externum, præsertim quando fit sine pietate: quod maximè verum est de sacrificijs peccatorum, quibus Augustinus reliqua bona opera comparauit, & de quibus ait per se & fictè facta non placere Deo.

Deinde Gabriel vbi supra, & Suarez disp. 73. sect. 6. definiunt Sacrificium, quòd sit *actus externus religionis, continens supremum patriæ cultum, solumque Deo debitum*. Quam definitionem rejicit Vasquez disp. 220. n. 18. & meritò: quia per eam non explicatur peculiaris ratio & essentia Sacrificij, sed communis omnibus actibus religionis: quia quicumque actus religionis continet supremum cultum patriæ, & soli Deo debitum: quia quocumque opere virtutis religionis, aut Deitatem, aut attributum aliquod Deitatis, practicè profitemur & recognoscimus; Sacrificio autè nihil maius Deitate nec ipsius attributis profitemur, quia Sacrificio profitemur omnipotentiam Dei, quæ non est maior Deitate nec alijs attributis.

Rursus recentiores nonnulli definiunt Sacrificium, quòd sit, *oblatio externa Deo facta, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem di-*

August.

Gabriel.  
Suarez.



*vina maiestatis, à legitimo ministro res aliqua sensibilis & permanēs ritu mystico consecratur & transmutatur.* Et ferè in idem recidunt duæ aliæ definitiones Sacrificij, quibus Suarez vbi supra etiam definit Sacrificium, quarum prior est: Sacrificium est oblatio Deo facta per immutationem alicuius rei, in signum legitime institutum diuinæ excellentiæ & reuerentiæ. posterior est: Sacrificium est signum sensibile ad diuinam excellentiam, & cultum illi debitum immediate significandum, impositum per alicuius rei immutationem. Et etiam ferè in idem recidit definitio Sacrificij, qua Ægidius quæst. 83. num. 3. definit Sacrificium, quod scilicet sit oblatio externa legitima auctoritate instituta, qua res aliqua sensibilis immutatur, per legitimum ministrum legitimo loco, & ritu Deo vero facta, in protestationem summi ipsius in res omnes dominij.

Ægidius.

Definitiones hæc etiam sunt insufficientes, quia non explicant peculiarem rationem Sacrificij, prout Sacrificium distinguitur ab omnibus alijs actibus religionis: quia adoratione profitemur diuinam excellentiam & maiestatem, & nostram infirmitatem & inferioritatem, imò clariùs quàm Sacrificio, quia adoratione nos tamquam inferiores submittimus Deo tamquam omnium supremo in excellentia, maiestate & dignitate. Nec ex eo, quòd addatur, in Sacrificio rem offerri & immutari, explicatur peculiaris ratio Sacrificij; quia etiam oblatione rei odorifera, & eius exhalatione, vt thurificatione, Deum aliquando adoramus, quatenus eum quali odore perfundimus; quia eo ipso nos ei, vt inferiores in prædictis, submittimus: ex eo enim, quòd addatur à legitimo ministro, aut in signum legitime institutum aut impositum, nulla ratio essentialis, nec propria passio Sacrificij explicatur. quia Sacrificium esse potest absque utroque. Nam quamuis lege scripta Dei, imò & plurimum nationum, instituta fuerint peculiaris signa pro sacrificijs, & ad id etiam fuerint aliqui homines peculiariter destinati & deputati; Sacrificium tamen ex sua natura neutrum exigit: quia vnicique, seclusa prohibitione positua, iure naturæ permissum est, Deum Sacrificio colere, & etiam sibi eligere signum, ad id idoneum. Id verò, quòd addit Ægidius, in protestationem summi dominij in res omnes, falsum est: quia etiam si simplici oblatione rerum Deo facta, protestemur supremum Dei dominium in illas, non tamen Sacrificio; quia eo tantum protestamur Deum esse auctorem vitæ & mortis, & esse & non esse rerum.

Tandem definitio aliorum, qua definiunt Sacrificium, quòd sit oblatio sensibilis immutata, in honorem & cultum & reuerentiam Dei, rejicitur ex eo, quòd per eam non explicetur peculiaris ratio professionis seu protestationis practicæ Dei, vt auctoris vitæ & mortis, in qua peculiaris ratio & essentia Sacrificij consistit; quamuis in ea definitione ponatur immutatio, quia tantum est quid materiale, cui potest conuenire dicta ratio professionis & protestationis practicæ; imò illa potest esse materiale, cui conueniat ratio adorationis.

Pro exacta igitur Sacrificij propriè dicti definitione supponendum est ex communi Theologorum consensu, Sacrificium esse quemdam peculiarem actum virtutis religionis, distinctum ab omnibus alijs; qui ab adoratione, & à simplici oblatione, cum quibus maiorem habet similitudinem, quàm cum alijs actibus virtutis religionis, sic di-

stinguitur. Quando per adorationem practicè recognoscimus & profitemur Deum, vt supremum quoad excellentiam, seu claritatem, & dignitatem, quia est signum quo practicè nos submittimus Deo, vt superiori in excellentia & dignitate; & per simplicem oblationem practicè recognoscimus & profitemur Deum, non vt superiorem in excellentia & dignitate, sed vt supremum Dominum omnium rerum, cui omnes feruire debent; idè enim Deo offerimus res aliquas, v. g. aurum, aut triticum, aut panem, vt denotemus earum, & reliquarum quas possidemus, ipsam magis quàm nos esse Dominum: per Sacrificium verò practicè recognoscimus & profitemur Deum, vt omnipotentem ad conseruandum & destruendum omnes res creatas, præsertim viuentes; seu recognoscimus, & profitemur Deum, vt auctorem ipsius esse & non esse rerum, præsertim ipsius vitæ & mortis viuentium, & quia nihil est quòd merè naturaliter sit practica recognitio auctoritatis diuinæ circa esse & non esse rerum, circa mortem & vitam. idè requisita est aliqua positua institutio, aut Dei, aut hominum, qua re aliqua id in Deo denotemus, & significemus, & affectum seu intentionem id efficiendi exprimamus. Et quamuis ad id possit pro libito quæcumque res institui, etiam nullam ad id habeat naturalem proportionem (sicut voces, absque proportionem aliqua naturali ad res, fuerunt instituta ad eas significandas, quia eam habere non possunt) aptius tamen & conuenientiùs ad id instituuntur res, quæ aliquam habent proportionem naturalem ad id; quia sunt plures res quæ talem proportionem habere possunt: ad id autem maximam habet proportionem naturalem, immutatio rei quæ sacrificatur, quæ sit consumptio illius rei, aut quæ saltem ad consumptionem rei ordinetur; quia talis immutatio maximè apta & conueniens est ad denotandum, nos & omnem rem ita à Deo pronutu voluntatis ipsius destrui posse, sicut res illa in Sacrificium Deo oblata modo dicto immutatur à nobis.

Prædicti autem tres actus religionis distinguuntur à laude Dei, quæ etiam est actus religionis, quia actus laudis Dei positus est in verbis, & circa omnia attributa Dei versatur: illi verò tres positi sunt in rebus, & singulis eorum prædicta peculiaris attributa Dei profitemur.

Quòd si objicias: Oblatio panis & vini facta à Melchisedech Genes. 14. fuit verum Sacrificium, & absq; dubio satis aptè & conuenienter & tamen in pane & vino nulla fuit facta immutatio; ergo absque hac aptè & conuenienter potest esse Sacrificium. Omnis alijs solutionibus, respondemus, quòd etiam si in Scriptura non fiat mentio alicuius immutationis factæ in pane & vino à Melchisedech, credendum tamen est, factam fuisse. Quomodo autem fuerit facta, non constat: potuit tamen panis adustione in clibano immutari, & vinum effusione illius super panem adustum, aut expressione illius ex vuis.

Sacrificium ergo in communi propriè & strictè peculiariter dictum, est signum existens in re Deo oblata, quo Deum ipsum auctorem vitæ & mortis profitemur. Aut, quòd in idem recidit, est immutatio rei Deo oblata, qua Deum ipsum auctorem vitæ & mortis profitemur.

Definitio hæc Sacrificij in communi est sufficiens & exacta, quia per eam explicatur propria & peculiaris ratio Sacrificij, prout est actus distinctus ab alijs



alijs actibus virtutis religionis, vt ex dictis facile constare potest. Dicitur in ea definitione Sacrificium esse *signum existens in re Deo oblata*, aut dicitur esse *immunitio rei Deo oblata, qua Deum ipsum auctorem vitæ & mortis profiteamur*, quia nulli alij potest licite fieri, nisi verò Deo, etiamsi verè & validè possit fieri alij, qui iudicetur non esse Deus: quia si res aliqua illi offeratur, immutando illam animo & intentione profitendi illum auctorem vitæ & mortis, absque dubio illi fiet verum & validum Sacrificium, quamuis in eo maximum sacrilegium committatur; nam ratio cultus non tam pendet ex persona cui fit, quàm ex signo & ex intentione ex qua fit.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum in Missa sit verum & proprium Sacrificium, & in eo Christus immoletur.*

**N**omen *Missa*, quod hæretici tamquam barbarum, & in Scriptura minimè repertum, immeritò rident, de quo legendi sunt Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 1. & Ægidius q. 83. art. 1. dub. 3. non est Hebræum, vt non pauci falsè existimant, sed est Latinū, vt aduertunt Bellarminus & Ægidius vbi supra, Suarez disput. 14. Vasquez disp. 221. & plures alij: & non deriuatur à *transmittendo*, vt absque fundamento aliquo existimat Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, p. 8. cap. vlt. quia populus ministerio Sacerdotis vota sua & oblationes Deo transmittit, sed deriuatur & dicitur à *mittendo* (vt Isidorus lib. 6. Etymol. c. 9. Augustinus Serm. 237. & reliqui Theologi, qui existimant esse Latinum, aduertunt) sumpto pro dimittendo, ita vt *Missa* idem sit quod *missio* seu *dimissio*, quia populus in Missa dimittitur, nunc tantum in fine Diacono dicente, *Ite missa est*, id est, *Ite*, quia iam missio seu dimissio est, vel tempus missionis seu dimissionis. Antiquitas verò Catechumeni immediatè ante Offertorium, dicente Diacono, *Catechumeni exeunt*; & baptizati, in fine Missæ, Diacono dicente, *Ite missa est*: & ideò in eodem Sacro dicebantur esse duæ Missæ, vna Catechumenorum, & altera baptizatorum, & ob id nunc idem Sacrum dicitur *Missarum solemnitas*.

Hoc supposito, hæretici circa præsentem Difficultatem docent, in Missa nullum esse propriè Sacrificium, in quo Christus aut aliud immoletur. Quod multis probant, Primò, quia Christus, vt dicitur ad Hebræos 7. est Sacerdos in æternum; ergo ipsi nullus in terris successit Sacerdos; & consequenter Sacrificio factò à Christo, nullam in terris successit Sacrificium, in quo ipse aut aliud immolari possit.

Secundò, quia Sacrificium cruentum Christi in cruce fuit infiniti valoris; ergo superuacaneum est nunc Sacrificium nouum offerre, & antiquum repetere. Et confirmatur, quia Christus vno introitu per sanguinè in sancta (id est vna sua morte in fieri, seu vno sacrificio cruento) æternā redemptionem inuenit, vt ait Paulus ad Hebr. 9. & vna oblatione sui in cruce consummavit sanctificatos, vt ait idem Paulus c. 10. Ergo post mortem Christi frustra fiet nouum Sacrificium, & repetetur antiquum.

Tertiò, quia Eucharistia est Sacramentum & testamentum; ergo nequit esse propriè Sacrificium. Pro-

batur consequentia, quia ratio Sacrificij consistit in eo, quòd sit id quo nos aliquid Deo offeramus; ratio verò Sacramenti in eo, quòd sit id quo Deus nobis aliquid conferat; & ratio testamenti in eo, quòd sit id quo nobis aliquid promittat seu relinquat. Impossibile autem est, quòd eadem res sit id quo Deus nobis aliquid promittat & donet, & quo aliquid à nobis Deo offeratur.

Quartò, quia Christum in vltima cœna Sacramentum Eucharistiæ Discipulis dedisse rectè nouimus; se autem ipsum, aut aliud Patri obtulisse in Sacrificium, numquam legimus; ergo Sacerdotes Christi ad imitationem illius consecrantes, non dicentur aliquid Patri in Sacrificium offerre.

Quintò, quia ad rationem Sacrificij necessaria est consumptio aut immutatio rei quæ immoletur, ad ipsius consumptionè ordinata; in Missa autem saltem Christus non consumitur, nec inchoatiuè; ergo saltem Christus non immoletur in Missa.

De Fide tamen est, in Missa verum & propriè dictum Sacrificium Deo offerri, & in eo Christum immolari. Quod definitum est in Tridentino sess. 22. cap. 1. & 2. & can. 1. 3. & 4. & illius fit mentio in Concilio Nicæno I. can. 13. & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 1. Trident.

Et id tradunt innumeri Patres (vt hæretici ipsi testantur:) pro nunc tamen sufficienter Andreas Apostolus, qui, vt ex eius Legenda constat, Ægeæ Proconsuli, suadenti vt Dijs immolaret, respondit: *Ego omnipotenti Deo immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari*. Et Hippolytus Martyr, Hippolyt. qui in Oratione de Consummatione sæculi introducit Christum sic loquentem: *Venite Pontifices & Sacerdotes, qui pretiosum Corpus & Sanguinem meum quotidie immolastis*. Et Ambrosius, qui in c. 1. Lucæ sic ait: *Cum sacrificamus, Christus adest, Christus immoletur*. quæ omnia fiunt in Missa.

Et id ratione probatur, Primò à priori: quia in Missa, media consecratione vtriusque speciei, occiditur Christus vt homo (quamuis non cruentè, sed incruentè & mysticè) quia per consecrationem vtriusque speciei ex vi verborum, quibus illa fit, separatur Corpus à Sanguine, & Sanguis à Corpore, vt expendemus Diffic. viii. quo verè & propriè denotamus Deum esse auctorem vitæ & mortis, & id intendimus: ergo in Missa est verum & proprium Sacrificium, & in eo Christus immoletur.

Secundò idem ab absurdo probatur, quia si in Missa non est verè & propriè Sacrificium, & in eo Christus non immoletur, in Ecclesia Christiana nullum esset propriè Sacrificium. Consequens autem est absurdum, quia nulla natio, quantumuis barbara, agnoscat caruisse verò & proprio Sacrificio. Antecedens autem probatur, quia extra Missam nihil fit in Ecclesia Christiana ad denotandum Deum auctorem vitæ & mortis, quia extra Missam nullum animal ad id denotandum occiditur, vt patet; nec res aliqua ad id denotandum consumitur, nec immoletur, quia consumptio thymiamatis & incensii, quæ non rarò fit in Ecclesia Dei, non fit ad denotandum Deum esse auctorem vitæ & mortis (quamuis possit) sed vt vapore eorum & suffitu Deum adoret; & ob id si thymiana & incensum absque igne vaporem illum copiosè exhalarent, sicut, quando igne cremantur, Ecclesia non vteretur consumptione eorum in igne. Accedit, quòd vaporibus & suffitibus thymiamatis & incensii

Bellarmin.  
Ægidius.

Vasquez.

Hugo de  
S. Victore.

Isidorus.



*Synod. VII.* incensi etiam colit imagines, sicut luminaribus accensis, ut dicitur in VII. Synodo act. 7. & tamen imaginibus numquam obtulit sacrificium. Unde quando in benedictione cerei Paschalis grana incensi cereo affixa dicuntur Sacrificium, non sumitur ibi Sacrificium proprie: quia non immutantur, nec immutanda sunt ad denotandum Deum auctorem vitæ & mortis, imò tunc non immutantur; sed dicuntur Sacrificium latiori significatione, qua etiam opera misericordiae dicuntur Sacrificium: imò grana illa tantum dicuntur latè Sacrificium figuratè & representatiuè, quatenus grana illa significant opus misericordiae factum à mulieribus quando emerunt aromata ad vngendum corpus Christi.

Ad primam ergo rationem hæreticorù respondemus, ex eo quòd Christus sit Sacerdos in æternum, tantum deduci, nullum posse in Sacerdotio ipsi tamquam relinquētī Sacerdotium succedere, sicut Sacerdotes Leuitici alijs succedebant, quia morte desinebāt esse Sacerdotes: non verò deduci, non posse de nouo plures ordinari Sacerdotes non successores Christi, sed Vicarios illius, qui tãquam ministri illius possint nomine ipsius ministrare.

Ad secundam respondemus, quòd etiamsi Sacrificium cruentum Christi, seu oblatio qua se ipsum moraliter obtulit mactationi cruetæ, fuerit infiniti valoris, & sufficientissimum, tamquam meritum vniuersale, ad redemptionem nostram: nihilominus absque iniuria illius, & absq; iniuria crucis in qua fuit factum, & absq; eo quòd virtuti infinitæ illius aliquid derogetur, possunt altaria erigi, & Sacrificium Missæ quotidie celebrari, & repeti, quia istud non fit, nec repetitur, quia nō sufficiat Sacrificium Christi tamquam meritum vniuersale; sed ut per Sacrificium Missæ, tãquam per causam particularem, & tamquam per medium, instar Sacramenti nobis applicetur fructus meriti vniuersalis oblationis, qua Christus se ipsum obtulit mactationi cruentæ, ut docet Tridentinum sess. 22. c. 1. & 2. Ex eo autem quòd præter Sacrificium Missæ sint alia media, per quæ possit nobis applicari fructus meriti dictæ oblationis Christi, non est censendum superuacaneum Sacrificiū Missæ: quia ex eo, quòd non sit medium vnicum, tantum fit, non esse necessarium; non verò, nō esse vile. Et ad confirmationem respondemus, Christum vna sua morte, & vno suo Sacrificio cruento, inuenisse redemptionem nostram, & illam cōsumasse, quoad sufficientiam, seu tamquam meritum vniuersale, non verò quoad efficaciam; & ideo non frustra fieri Sacrificium nouum in Missa, sed vtiliter, ut scilicet fructus meriti vniuersalis Christi nobis per illud applicetur.

Ad tertiam concedimus, Eucharistiam esse Sacramentum & testamentum; negamus tamen, non posse esse Sacrificium, quia id conuenit Eucharistiae ratione diuersarum rerum ipsius. Quia est Sacramentum, ratione specierum, quatenus sunt signum practicum gratiæ: & est Sacrificium, ratione consecrationis vtriusque speciei; quia ex vi illius humanitas Christi incruentè mactatur: & est testamentum, ratione Sanguinis contenti sub speciebus vini; quia Sanguis Christi, quamuis non prout existens sub speciebus vini, sed prout effusus in cruce, seu effusio illius est conditio sub qua Deus nobis promisit gratiam & gloriam, & ob effusionem illius iam impletam nobis illas confert, & ob eam præuisam contulit gratiam Patribus ve-

teris Testamenti, de quo diximus tractatu de Eucharistia Disputatione 111. Difficultate 111.

Ad quartam respondemus, quòd quamuis expressè non legamus, Christum in vltima cœna se Deo in Sacrificium obtulisse, id tamen negari non potest; sicut etiam, quamuis non legamus, Sacramentum Eucharistiae sub nomine Sacramenti suis Discipulis tradidisse, id negari non potest, quia verè illis tradidit, quod habuit veram rationem Sacramenti. Quia ergo positio Christi sub speciebus est vera mactatio illius, ut dicemus Diff. VIII. & IX. & absque dubio instituta & facta est ad denotandum, Deum esse auctorem vitæ & mortis; negari non potest, Christum in vltima cœna se ipsum in Sacrificium Deo obtulisse, quia in ea se ipsum sub speciebus posuit, & dicto sine.

Ad quintam, negamus, Christum in Missa non consumi mysticè, de quo dicemus Diff. VIII. & IX.

Ex dictis constat, Christum esse victimam, seu hostiam Sacrificij in Missa reperti, quia ipse est qui immolatur in illo, de quo amplius Diff. VIII. & IX.

### DIFFICULTAS III.

*Vtrum aliquid aliud simul cum Christo ad victimam, seu hostiam Sacrificij Missæ pertineat.*

**B**ellarminus lib. 1. de Missa, ca. 27. & Adamus <sup>Bellarmin. Adamus.</sup> q. 9. dub. 2. docent, ad victimam & hostiam, quæ in Sacrificio Missæ immolatur, etiam pertinere substantiam panis & vini, quia in Liturgia seu Missa Romana panis & vinum appellantur *hostia*, quando in Offertorio dicitur, *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam*: & etiam appellantur *Sacrificium*, quando statim post Offertorium dicitur, *Veni sanctificator, & benedic hoc Sacrificium tuo sancto nomini preparatum*. Et idem videntur tradidisse Patres, dum dicunt, Christum ex suis creaturis obtulisse; & dum Sacrificiū Missæ appellant *Sacrificium panis & vini*; & dum dicunt, Christum panem & vinum obtulisse; & dum dicunt, panem & vinum in Sacrificio offerri; & clarius, dum dicunt, panem & vinum offerri in Sacrificio.

Vasquez verò disp. 222. n. 51. Valentia disp. 6. q. 12. punct. 1. & communiter Theologi docent, & meritò, panem & vinum non pertinere intrinsecè ad victimam Sacrificij Missæ, sed tantum Christum ut hominem. Quod satis indicat Tridentinum sess. 22. c. 2. dum ait: *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa*. Sed in Sacrificio cruento crucis solus Christus absque substantia panis & vini, & absque ipsorum accidentibus fuit hostia & victima; ergo in Sacrificio incruento Missæ solus Christus est hostia & victima; & ad eam non pertinet substantia panis & vini, nec ipsorum accidentia; aliàs in vtroque dicto Sacrificio non esset eadem hostia & victima.

Et ratione probatur: quia, ut dicemus Diff. VIII. & IX. immolatio seu actio sacrificandi in Missa sufficienter saluatur & constituitur in separatione mystica, qua Corpus Christi ponitur ex vi verborum sub speciebus panis, nō posito Sanguine ex vi eorum; & Sanguis Christi ex vi verborum sub speciebus vini, non posito Corpore ex vi illorum,



rum, quia in ea mystica separatione est sufficiens mactatio & iugulatio Christi; ergo solus Christus absque aliquo alio est sufficiens victima in Sacrificio Missæ.

Illud verò, quod tradit Gaspar Casalius lib. 1. de Sacrificio Missæ c. 25. nempe, in Missa esse duo Sacrificia, vnum in quo solus Christus est victima, & alterum in quo panis & vinum sunt victima, absurdum est, non solum quoad id quod asseritur, in Missa esse duo Sacrificia, quia est contra Tridentinum sess. 22. in initio, vbi Sacrificium Missæ appellat *singulare*, de quo dicemus Diff. XI. sed etiam quoad id quod asseritur, in Missa esse duas victimas, quia est contra Tridentinum cap. 2. vbi ait, in Sacrificio Missæ esse vnam hostiam, & hanc esse eandem cum hostia in Sacrificio crucis immolata; & contra id, quod in Oratione Dominicæ VI. post Pentecosten continetur, nempe: *Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnius Sacrificij perfectione sanxisti.* vbi nomine Sacrificij potius hostia intelligitur, quam actio sacrificandi; tum quia comparatur cum hostijs & victimis legalibus; tum quia in Ecclesia non vna tantum immolatio successit antiquis, sed plures specie, nempe cruenta & incruenta, & plures numero incruenta. Et quidem ex nullo fundamento deduci potest, Christum aliam rem præter se ipsum in victimam pro Sacrificio commendasse, nec ad aliud immolandum quam se ipsum, Sacerdotes instituisse.

Panis verò & vinum appellantur in Missa hostia & sacrificium, quia transeunt & conuertuntur in victimam huius Sacrificij, & ob id appellantur hostia & sacrificium præparatum, id est, id quod præparatum est, vt ex eis fiat Sacrificium, & ob idem Christus dicitur ex creaturis suis obtulisse, & ob idem Sacrificium Missæ appellari Sacrificium panis & vini; & etiam quia in hoc Sacrificio immolatur Christus, vt contentus sub speciebus panis & vini: & ob id dici potest Christum panem & vinum obtulisse, quamuis addatur, in Sacrificio & panem & vinum immolasse.

#### DIFFICULTAS IV.

*Vtrum immolatio, seu actio sacrificandi in Missa, consistat in oblatione panis & vini statim post lectum Euangelium verbaliter facta.*

**S**upponimus, in Missa sex actiones inter alias reperiri. Prima est, oblatio panis & vini statim post Euangelium lectum verbaliter facta. Secunda est, consecratio realis vtriusque speciei, in qua inclusa sunt desitio panis & vini, & positio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus. Tertia est, oblatio Corporis & Sanguinis Christi paulò post consecrationem vtriusque speciei verbaliter facta. Quarta est, fractio Hostiæ consecrata. Quinta est, distributio Sacramenti Eucharistiæ. Sexta est, sumptio illius facta à Sacerdote.

Est ergo difficultas, in qua actione earum actio Sacrificij Missæ consistat: & Primò est difficultas, An consistat in oblatione panis & vini, statim post Euangelium verbaliter facta.

Scotus.

Scotus in 4. dist. 13. quæst. 2. § *Ad quæstionem*, versic. *Si obijcias*, docet, in ea oblatione sufficienter constitui in oblatione verbali Corporis & Sanguinis

Christi post consecrationem facta: quod indicant Patres, dum Sacrificium Missæ dicitur ab ipsis panis & vini, & dum Christus in vltima cæna, ad cuius imitationem nos in Missa Sacrificium offerimus, dicitur panem & vinum obtulisse. Et ratione probatur, quia dicta verbalis oblatio panis & vini est vera oblatio, & Deo facta; ergo est vera immolatio, & Sacrificium.

Alanus verò lib. 2. de Sacrificio cap. 18. Bellarminus lib. 1. de Missa, c. 22. Suarez disp. 75. sect. 3. Vasquez disp. 222. c. 1. & communiter Theologi docent, immolationem, & actionem Sacrificij Missæ non esse positam in dicta oblatione, & meritò: quia per eam oblationem panis & vini, non fit immutatio aliqua in pane & vino, qua profiteri possimus Deum esse auctorem vitæ & mortis, quia simplici tantum oblatione offeruntur; ergo in ea nequit constitui vera immolatio & sacrificatio. Et accedit Primò, quòd in primitiua Ecclesia non fiebat dicta oblatio panis & vini in Missa, & tamen semper in Missa Sacrificium fuit oblatum. Accedit Secundò, quòd victima in Sacrificio Missæ non est panis & vinum, sed solus Christus, vt diximus Difficultate præcedenti.

Alanus.  
Bellarmin.  
Suarez.  
Vasquez.

Sacrificium verò Missæ dicitur à Patribus panis & vini, & quia panis & vinum transeunt in victimam huius Sacrificij, & quia Christus, vt contentus sub speciebus panis & vini, instar substantiæ panis & vini immolatur; & ob eandem rationes dicitur panem & vinum obtulisse, etiam addendo in Sacrificium.

Et ad rationem respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam; quia non quæcumq; oblatio est Sacrificium, sed tantum illa, qua res oblata ita immutatur, vt ipsius immutatione denotetur Deum esse auctorem vitæ & mortis.

#### DIFFICULTAS V.

*Vtrum immolatio, seu actio sacrificandi in Missa, consistat in oblatione Corporis & Sanguinis Christi, paulò post consecrationem verbaliter facta.*

**E**ckius lib. 3. de Sacrificio Missæ, c. 9. & Gabriel in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. docent, immolationem, seu actionem sacrificij Missæ, sufficienter constitui in oblatione illa verbali, qua Sacerdos paulò post consecrationem verbaliter offert Corpus & Sanguinem Christi: quod etiam indicat Scotus q. 2. § *Ad quæstionem*, versic. *Si obijcias*. Probari autem potest, quia per eam oblationem sufficienter offertur Deo Christus, seu Corpus & Sanguis Christi; ergo in ea sufficienter constituitur actio Sacrificij Missæ.

Eckius.  
Gabriel.

Scotus.

Bellarminus verò, Vasquez & Suarez vbi supra, docent, immolationem, seu actionem Sacrificij Missæ non constitui sufficienter in dicta oblatione; & meritò: quia per dictam oblationem nulla fit immutatio, nec aliud quo denotetur Deum esse auctorem vitæ & mortis; ergo in ea non consistit immolatio & sacrificatio reperta in Missa. Accedit, quòd non constat, Christum, qui in vltima cæna incruentè sacrificauit, & quem nos in Sacrificio Missæ imitamur, post consecrationem panis & vini seipsum Patri obtulisse.

Bellarmin.

Addunt prædicti contra Sorù & Covarruuiam, non solum in ea oblatione non constitui sufficienter immo-



immolationem Missæ, sed nec ad essentiam illius pertinere; & merito: quia, ut dicemus Difficultate IX. tota essentia immolationis Missæ sufficienter consistit in consecratione vtriusque speciei. Et quamuis in ea non consisteret sufficienter, non posset dicta oblatione perfici & compleri, quia nihil in ea est, quod iuuare possit ad denotandū, Deum esse auctorem vitæ & mortis; quia si aliqua ratione iuuare posset ad id, maximè quia est oblatio quæ ad essentiam actionis Sacrificij requiritur: ea autem ratione non iuuat, quia oblatio ad essentiam actionis Sacrificij requisita non est actio distincta ab ipsa actione sacrificandi, sed est ipsa actio facta intentione denotandi Deum esse auctorem vitæ & mortis; sicut etiam consecratio in actione Sacrificij reperta, non est aliud quàm actio ipsa Sacrificij, seu oblatio ipsa Deo facta. Accedit, quòd absque dubio à Christo in vltima cœna fuit Sacrificium integrè essentialiter factum, & non constat ab ipso factam fuisse prædictam illam oblationem.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, per oblationem illam sufficienter offerri Deo Corpus & Sanguinem Christi; negamus tamen, in ea essentiam immolationis Missæ consistere: quia ad rationem immolationis non sufficit quæcumque oblatio, quia requiritur oblatio qua denotetur Deus auctor vitæ & mortis, quod non denotatur dicta oblatione.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum actio Sacrificij Missæ in fractione Hostiæ consecratae consistat.*

**N**ullus est, qui totam essentiam actionis sacrificandi in Missa, in fractione Hostiæ consecratae constituat, quia quamuis apta sit, ut in ea ratio immolationis, seu actionis Sacrificij reperitur, quia est immutatio intrinseca Hostiæ consecratae, seu accidentium panis: nihilominus Christus non commendauit illam pro Sacrificio Missæ, quia voluit ipsum in Missa immolari, & non solum Hostiam consecratam. dicta autem fractione Hostia sola immutatur immutatione apta ad immolationem, non verò Christus; quia per eam fractionem Christus non immutatur nisi localiter, & immutatio localis non est apta ad id.

Est tamen difficultas, An partialiter pertineat ad essentiam immolationis, seu actionis Sacrificij.

Canus 12. de Locis c. 13. ad 4. argumen. & Valentia disp. 6. q. 9. pan. 1. §. 2. docent, consecrationem non sufficere ad essentiam actionis Sacrificij Missæ, sed ad eam etiam requiri fractionem Hostiæ consecratae, quod videtur Christus insinuasse Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. dum panem consecratum fregit, & præcepit ut nos id etiam faceremus. Et ratione probatur, quia fractio Hostiæ consecratae fit, ut per eam significetur fractio seu passio Christi in cruce, ut aduertunt Prosper relatus de Consecrat. dist. 2. can. *Cum frangitur*, & Algerus lib. 1. de Sacramentis Corporis & Sanguinis Christi c. 19. Ergo fractio Hostiæ consecratae habet rationem Sacrificij commemoratiui, non minùs quàm consecratio.

Bellarmin. Bellarminus verò, Vasquez, & Suarez vbi supra, & Egidius q. 83. art. 1. dub. 5. docent, fractionem Hostiæ consecratae non pertinere ad essentiam actionis Sacrificij Missæ (quod etiam significat

S. Thomas q. 82. art. 6. ad 6.) & merito: quia consecratio vtriusque speciei, absque fractione Hostiæ consecratae, est sufficiens actio sacrificandi Christum, ut dicemus Difficultate VIII. ergo fractio Hostiæ absque fundamento dicitur ad essentiam actionis Sacrificij Missæ pertinere. Accedit, quòd Christus in vltima cœna se ipsum incruentè sacrificans integrè essentialiter, non fuit usus fractione panis consecrati, sed panis non consecrati, ut diximus Difficul. 1. nec dicta fractio Hostiæ consecratae facta fuit in omnibus Missis, ut constat ex Liturgia Basilij, in qua nulla fit mentio talis fractionis, & tamen in omnibus semper fuit factum Sacrificium essentialiter integrum.

Ad fundamentum Cani ex facto & præcepto Christi desumptum, negamus, Christum panem consecratum fregisse, sed tantum panem nondum consecratum; ac proinde non præcepisse, nec commendasse fractionem Hostiæ consecratae, imò nec fractionem Hostiæ non consecratae, sed consecrationem, & ad summum etiam sumptionem Hostiæ consecratae.

Et ad rationem negamus, fractionem Hostiæ consecratae fieri, ut significetur passio & quasi fractio Christi, quia hæc consecratione significatur, ut dicemus Difficult. IX. sed fieri tum, ut quodammodo Christum imitemur, qui etiam usus est fractione panis nondum consecrati, tum etiam, ut diuisione Hostiæ in tres partes, tres status hominum beatorum significantur, nempe eorum qui sunt actu beati, & eorum qui sunt in Purgatorio, & eorum qui sunt adhuc in mundo. Prosper autem & Algerus non loquuntur de fractione Hostiæ qua Sacerdos semper vitur in Missa, sed de ea quam aliquando facit ad distribuendū alijs, & de effusione Sanguinis in ora fidelium; & de his rectè dicitur per eas denotari immolationem Corporis Christi, & effusionem Sanguinis illius (quod etiam est verum de fractione Hostiæ consecratae, & de calice de quo Sacerdos bibit) non quia illa fractio & effusio Sanguinis in ora fidelium immediatè, & ratione sui id efficiant, sed mediatè, & præsuppositiuè ratione consecrationis quam præsupponunt, per quam id immediatè significatur, ut ex Nysseno aduertit Vasquez nu. 76. Et id tantum voluit Paulus 1. ad Corint. 11. dum ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis.* Addimus, quòd quamuis fractio Hostiæ consecratae fieret ad significandam immolationem cruentam Christi, non sufficeret & ad rationem actionis Sacrificij Missæ, ut dicemus Difficultate VIII.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum actio Sacrificij Missæ in sumptione specierum consecratarum consistat.*

**S**upponimus, sumptionem Eucharistiæ factam ab alijs, quibus celebrans illam distribuit, non pertinere ad actionem Sacrificij Missæ, ut constat ex usu Ecclesiæ, in qua sæpè celebrantur Missæ absque dicta sumptione; & tamen negari non potest, in eis fieri Sacrificia essentialiter integra, aliàs Missa priuata (id est in qua solus Sacerdos comunicat) esset illicita, quia illicitum est omittere aliquid quod ad essentiam actionis Sacrificij pertineat. Consequens autem damnatum est in Tridentino sess. 26. cap. 6. & can. 8.



Hoc supposito, difficultas est de sumptione à Sacerdote facta, an hæc ad essentiam actionis Sacrificij pertineat.

Albertus.

Albertus in 4. d. 13. & Ledesma 1. par. quæst. 23. art. 4. in fine, docent, totam essentiam Sacrificij Missæ consistere in sumptione Eucharistiæ à Sacerdote celebrante facta: quia si ad rationem actionis Sacrificij requiritur aliqua immutatio in Christo, qui est res oblata, nulli alij actioni Missæ convenire potest ratio actionis Sacrificij nisi dictæ sumptioni; quia per eam videtur fieri immutatio aliqua in Christo: aut si ad rationem actionis Sacrificij Missæ, quia incruentum est, nulla requiritur in Christo immutatio, in ea sumptione melius constitueretur, quàm in aliqua alia actione; quia ratio Sacrificij incruenti consistit in eo, quòd repræsentet Sacrificium cruentum; sumptione autem Eucharistiæ id optimè repræsentatur, ut significat Paulus 1. ad Corinthios 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Et quamvis etiam consecratione repræsentetur, nihilominus non in ea, sed potius in sumptione ratio actionis Sacrificij, quod in Missa vnicum est, constituenda est; quia expressius repræsentare videtur Sacrificium cruentum Christi, quàm consecratio.

Sotus.

Bellarmin.

Puteanus.

Sotus in 4. d. 13. quæst. 1. art. 4. Bellarminus vbi supra, & Puteanus quæst. 83. art. 1. dub. 4. docent, sumptionem Eucharistiæ à celebrante factam, ad essentiam actionis Sacrificij Missæ partialiter pertinere; ita ut essentia dictæ actionis ex consecratione & ex sumptione coalescat & compleatur. Quod indicari videtur in can. *Cum frangitur*, de Consecratione dist. 2. dum dicitur, effusionem Sanguinis in ora fidelium, effusionem Sanguinis factam in cruce significare, ac proinde ad essentiam Sacrificij Missæ incruenti pertinere; & in Concilio Toletano XII. can. 5. & refertur de Consecratione d. 2. can. *Relatum*, dum grauis statuitur pœna in eos Sacerdotes, qui non consumunt Sacrificium quoties sacrificant: & reddit Concilium rationem, nempe, quia quale erit Sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur, & idè Theologi communiter fatentur, necessarium esse sub præcepto, quòd si Sacerdos celebrans post consecrationem impediatur consumere Sacrificium, alius Sacerdos subrogetur qui illud consumat. Et ratione probatur, quia in tota Missa nulla est alia realis destructio victimæ, nisi sumptio Eucharistiæ; ergo ad essentiam Sacrificij Missæ pertinet & requiritur, quia ad essentiam Sacrificij requiritur consumptio victimæ.

Vasquez.

Suarez.

Ægidius.

Becanus.

Vasquez verò disp. 222. cap. 4. Suarez disp. 75. sect. 5. Ægidius quæst. 83. art. 1. dub. 1. Becanus cap. 25. quæst. 6. & plures alij, docent, & meritò, sumptionem Eucharistiæ adhuc à celebrante factam, non pertinere adhuc partialiter ad essentiam actionis Sacrificij Missæ.

Et in primis, totam essentiam actionis Sacrificij Missæ non consistere in dicta sumptione, probatur Primò, quia essentia actionis Sacrificij Missæ consistit saltem partialiter in consecratione, ut dicemus Difficultate VII. ergo tota non consistit in dicta sumptione. Secundò, quia si ob aliquam rationem tota essentia actionis Sacrificij Missæ sita esset in sumptione dicta, & nullatenus in consecratione, maximè quia per sumptionem res oblata immutatur, & non per consecrationem. Hæc au-

tem ratio est nullius momenti, quia ad rationem Sacrificij incruenti non est necessaria immutatio aliqua physica in re oblata, ut dicemus Difficultate VII. & si necessaria esset, non sufficeret dicta sumptio, quia per eam Christus, qui est victima, tantum immutatur secundum locum; immutatio autem secundum locum non est apta ad rationem actionis Sacrificij, quia non est destructio rei quæ mouetur, nec tendit ad destructionem illius.

Deinde dictam sumptionem nec partialiter pertinere ad actionem Sacrificij Missæ, probatur Primò, quia tota denotatio & significatio requisita ad essentiam actionis Sacrificij, in quo Christus immolatur, inuenitur in sola consecratione, ut dicemus Difficultate VII. ergo. Secundò, quia ad rationem actionis Sacrificij incruenti non est necessaria physica immutatio rei immolatæ, & quamuis esset, non sufficeret dicta sumptio, ut nuper dicebamus: ergo absque necessitate requiritur dicta sumptio, quia si requisita esset, tamquam pars maximè, ut per eam victima immutaretur.

Ad rationem ergo pro Alberto & Ledesma respondemus, ad rationem actionis Sacrificij Missæ non requiri immutationem aliquam intrinsecam rei immolatæ, sed sufficere immutationem mysticam, quæ in sola consecratione immediatè & ratione sui reperitur, & non in sumptione specierum immediatè & ratione sui, sed tantum præsuppositiue ratione consecrationis. Et id tantum voluit Paulus 1. ad Corinthios 11. ut diximus Difficultate VI. in fine.

Et ad fundamentum pro Soto & Bellarmino, desumptum ex dicto can. *Cum frangitur*, respondemus, quod in eo dicitur, nempe effusionem Sanguinis in ora fidelium, significare effusionem Sanguinis Christi in cruce, non esse verum immediatè & ratione sui, sed præsuppositiue ratione consecrationis præsuppositæ ad ipsam sumptionem Sanguinis; & quamuis immediatè & ratione sui illam designaret seu significaret, non sufficeret ad rationem actionis Sacrificij incruenti Christi, ut dicemus Difficultate VII.

Et ad secundum, desumptum ex dicto Concilio Toletano XII. respondemus, in eo statui pœnam pro Sacerdotibus non communicantibus quoties sacrificant, non quia Concilium existimet, sumptionem Eucharistiæ ad essentiam Sacrificij pertinere, quia potius supponit, Sacerdotes verè sacrificare, quamuis non consumant & communicent; sed quia quilibet sacrificans ex præcepto tenetur fieri particeps Sacrificij, ut ei consentire, & illud approbare videatur.

Ad tertium ex ratione desumptum, respondemus, ad rationem Sacrificij incruenti, quale est Sacrificium Missæ, non requiri immutationem physicam in re oblata, sed sufficere mysticam, qualis reperitur in consecratione vtriusque speciei: & quamuis esset requisita, non sufficere sumptionem specierum, ut per eam Christus immoletur, quamuis sit apta ut species immolentur, quod non intenditur in Missa.



## DIFFICULTAS VIII.

*Utrum essentia actionis Sacrificij Missæ sita sit in consecratione, qua Corpus & Sanguis Christi ponuntur ex vi verborum sub speciebus panis & vini.*

Scorus.  
Gabri. l.  
Eckius.  
Clitovianus.

**S**COTUS in 4. dist. 13. quæst. 2. §. *Ad quæstionem*, Gabriel quæst. 1. art. 3. dub. 2. Eckius lib. 3. de Sacrificio Missæ cap. 9. Clitovianus lib. 2. contra Lutherum, cap. 16. & plures alij, docent, essentiam actionis Sacrificij Missæ nullatenus sitam esse in consecratione, Primò, quia consecratio non est oblatio, ergo non est immolatio. Consequentia patet, quia oblatio est necessaria ad immolationem, imò est genus ad illam. Antecedens autem, nempe quòd consecratio non sit oblatio, indicatur in Tridentino, sess. 22. 23. cap. 1. dum ait, Sacerdotibus datam esse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem Christi, quibus significare videtur, consecrationem esse distinctam actionem ab oblatione, sicut etiam ab administratione. Et etiam ratione probatur, quia oblatio supponit rem quæ offertur, consecratio autem non supponit rem consecratam; ergo consecratio non est oblatio, nec res consecrata est res oblata.

Secundò eadem sententia probatur, quia si essentia actionis Sacrificij Missæ sita esset in consecratione, numquam fieret Sacrificium Missæ, nisi fieret consecratio. Consequens autem est falsum, ut constat ex VI. Synodo can. 52. Trullano, & ex Concilio Laodicenti can. 49. dum dicitur, in diebus Quadragesimæ celebrari Sacrificium ex præfatione, exceptis Sabbato & Dominica. quod etiam nunc obseruat Ecclesia in die Parasceues, in quo non consecrat, sed panem die antecedenti consecratum offert in Sacrificium.

Ruardus.  
Alanus.  
Cassalius.  
Suarez.  
Valquez.  
Egidius.  
Adamus.  
Becanus.

Ruardus verò art. 16. §. *Eamdem fidei veritatem*, Alanus l. 2. de Sacrificio, cap. 15. Gaspar Cassalius lib. 2. de Sacrificio Missæ, cap. 25. Episcopus Oxoniensis Tractatu de Sacrificio, cap. 11. Suarez disp. 75. sect. 5. Valquez disp. 222. cap. 5. Egidius quæst. 83. art. 1. dub. 5. Adamus q. 9. dub. 2. & Becanus c. 25. quæst. 6. docent, & meritò, essentiam actionis Sacrificij Missæ sitam esse in consecratione reali, sumpta pro positione Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus: quod absque dubio sentiunt Simeon Thessalonicensis libro de Mysterijs Missæ, cap. 23. Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ cap. 23. Irenæus lib. 4. Contra hæreses, c. 23. Nyssenus Oratione 1. de Christi Resurrectione, columna 6. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 18. & Isidorus lib. 6. Etymologiarum, cap. 19. quorum verba expendunt Valquez & Egidius.

Et ratione probatur, quia consecratio realis aptissima est, & maximè proportionata, ut per eam Christus immoletur & sacrificetur, & in Missa non est alia actio ad id apta & proportionata; ergo consecratio realis fuit absque dubio ad id instituta, & commendata à Christo. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia ex vi verborum consecrationis Christus tamquam victima iugulatur incrementè, & mysticè, seu ex vi significa-

tionis verborum consecrationis, quia ex vi verborum separatur Corpus Christi à Sanguine, & Sanguis à Corpore, ex vi enim verborum consecrationis Corporis, & per se, solum Corpus ponitur sub speciebus panis, & non Sanguis, nisi per concomitantiam, & per accidens, & ex vi verborum consecrationis Sanguinis, & per se, solus Sanguis ponitur sub speciebus vini, & non Corpus, nisi per concomitantiam, & per accidens: ergo consecratio realis aptissima est, & maximè proportionata, ut sit immolatio Christi, ac proinde ut per eam verè denotetur Deum esse auctorem vitæ & mortis.

Consecratio autem realis, est iugulatio Christi mystica, non quia representat mortem cruentam, seu Sacrificium cruentum Christi (quamvis verum sit, illam de facto representare) quia Sacrificia antiquæ legis etiam representabant Sacrificia cruenta, & mortem Christi, & tamen non erant iugulatio mystica Christi: sed dicitur iugulatio Christi mystica, quia est iugulatio Christi, non physica, sed occulta, & alta, utpote facta tantum ex vi significationis verborum. Unde consecratio facta à Christo in vltima cæna, etiam habuisset rationem iugulationis & immolationis, seu sacrificeationis Christi, quamvis Christus non esset moriturus, & etiam consecratio à nobis facta, quamvis Christus non fuisset mortuus.

Obseruandum tamen est, consecrationem sumptam pro dicta positione, esse veram & realem immolationem, seu verum & reale Sacrificium, etiam si non sit realis & intrinseca iugulatio, sed tantum extrinseca & per rationem, quia tantum est iugulatio ex vi significationis verborum: quia ipsa positio, cui conuenit denominatio, & ratio iugulationis, ex vi significationis proueniens, est realis; sicut etiam Sacramenta dicuntur realia, quamvis ratio formalis eorum, nempe significatio Sacramentalis, non sit realis; quia id cui conuenit ipsa significatio Sacramentalis, est quid reale.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, consecrationem non esse oblationem. Et ad primam probationem desumptam ex Tridentino, ex eo quòd in eo dicatur in Sacerdotibus esse potestatem consecrandi & offerendi Corpus & Sanguinem Christi, respondemus, ex eo non sufficienter colligi, consecrationem esse actionem distinctam ab oblatione, quia sæpè dictiones idem significantes repetuntur, præsertim quando illud idem, ut ratione diuersum significant, ut in præfationum contingit, quia consecratio & oblatio sunt rationes distinctæ tamquam genus & species. Ad secundam verò probationem, ex ratione desumptam, respondemus, Christum, qui est res oblata, præsupponi ad consecrationem, quia non fit per illam; præsertim quòd falsum est, rem oblatam necessario præsupponi ad oblationem, quia etiam si Christus desineret in esse rerum natura, si verba consecrationis ita instituta essent, ut à Sacerdote prolata Christum sub speciebus nouiter producerent, & illum eo modo, quo nunc, sub illis ponerent, absque dubio dicta positio esset oblatio, imò & immolatio.

Ad secundam rationem respondemus, numquam fieri immolationem seu Sacrificium Missæ, absque consecratione, ac proinde quòd in Quadragesima iuxta canones VI. Synodi, & Concilij Laodicensis



cenſis non fiebat confecratio, neque fiebat Sacrificium, ſed ex præſanctificatis & confecratis fiebat ſacrum myſterium; & etiam in Eccleſia, in qua Sacerdos in die Paraſceues non confecrat, etiam non ſacrificat, ſed participat de Sacrificio ſumpto pro victima, illam comedendo pro ſe & pro populo (ut pote victimam Sacrificij pro ſe & pro populo facti) ut ea participatione à Deo impetret pro ſe & pro populo; & ided petit, ut adſtantes orent, ut Sacrificium illud acceptabile fiat, id eſt, ut victima illa pridie ſacrificata fiat in ſui & in adſtantium vtilitatem, per manducationem ab ipſo, nomine populi faciendam.

## DIFFICULTAS IX.

*Virum ad eſſentiam actionis Sacrificij  
Miſſæ, requiſita ſit utriuſque ſpeciei  
conſecratio.*

*Caffalius.  
Ruardus.  
Bonacina.*

**G** Alpar Caffalius lib. 2. de Sacrificio, cap. 25. Ruardus art. 26. Henriquez lib. 9. c. 9. n. 10. & Bonacina quaſt. vltima, punct. 2. docent, ad eſſentiam actionis Sacrificij Miſſæ non eſſe requiſitam conſecrationem utriuſque ſpeciei, ſed ſufficere conſecrationem cuiuſlibet. Primò, quia per conſecrationem cuiuſlibet ſpeciei ſeorſim confecratur Chriſtus, ut ſit modo Sacramentali ſub illa, & in conſecratione cuiuſlibet ſpeciei, incluſa eſt oblatio Chriſti Deo in ipſius honorem facta; ergo nihil deeſt, ut conſecratio cuiuſlibet ſpeciei ſit immolatio, & Sacrificium.

Secundò ſpecialiter probatur, in ſola conſecratione Corporis ſufficenter conſtitui, quia per eam ſolam Chriſtus myſticè & incruentè occiditur, & meritò: quia per eam ſolam Corpus Chriſti ex vi ſignificationis verborum ponitur ſub ſpeciebus panis abſque Sanguine, & abſque anima; ergo in ea ſola ſufficenter conſtituitur. Imò videtur non poſſe in vtraque ſimul conſtitui, quia per vtramq; ſimul non moritur adhuc myſticè, ſed tantum myſticè vulneratur, quia per vtramque conſecrationem tantum ſeparatur Sanguis à Corpore: per conſecrationem verò ſolam Corporis, Corpus ſeparatur ab anima, quia ex vi verborum ponitur abſque illa.

Tertiò idem ſpecialiter probatur, quia ſi Sacerdoſtantum confecraret Corpus, & non Sanguinem, verè diceretur ſacrificare, quamvis non Sacrificio integro & completo; ergo ad eſſentiam immolationis Miſſæ non requiritur utriuſque ſpeciei conſecratio, quamvis requiſita ſit ad illius integritatem.

Alanus verò, & Epifcopus Oxomenſis vbi ſuprà, Suarez ſect. 6. Valquez diſp. 223. Bellarminus lib. 4. de Euchariftia, cap. 22. Azor lib. 10. cap. 19. quaſt. 4. Egidius dub. 5. Adamus quaſt. 9. dub. 2. & Becanus cap. 25. quaſt. 6. docent, ad eſſentiam actionis Sacrificij Miſſæ requiri conſecrationem utriuſque ſpeciei, & meritò: quia neutrius ſpeciei conſecratio ſeorſim, ſed tantum utriuſque ſpeciei ſimul, eſt myſtica iugulatio Chriſti. Antecedens autem probatur, & in primis, neutrius ſpeciei ſeorſim conſecrationem eſſe myſticam iugulationem Chriſti: quia per conſecrationem, v. g. folius panis aut Corporis, ita ex vi verborum ponitur Corpus Chriſti non poſito Sanguine, imò nec poſita

anima, ut non excludatur poſitio Sanguinis nec animæ, quia verbis ex vi quorum fit conſecratio, non ſignificatur exclusio & ſeparatio eorum, ut patet; aliàs non poſſent per concomitantiam poni cum ipſo Corpore: ac proinde ex vi verborum non ponitur Corpus Chriſti exanguie nec inanime; ergo conſecratio panis aut Corporis nõ eſt ſeparatio myſtica Corporis Chriſti à Sanguine, nec ab anima ipſius, & conſequenter nec eſt iugulatio myſtica Chriſti, nec myſtica mors illius; & eadem proportionem, per conſecrationem folius vini aut Sanguinis, ita ponitur Sanguis ſub ſpeciebus vini, ex vi verborum poſitis Corpore & anima, ut non excludatur; ergo ſola conſecratio vini aut Sanguinis non eſt myſtica iugulatio, nec myſtica mors Chriſti.

Quòd verò conſecratio utriuſque ſpeciei ſimul ſit myſtica iugulatio, & effuſio totius Sanguinis à Corpore Chriſti, probatur, quia ex vi verborum conſecrationis Sanguinis tantum ponitur Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus vini: (etiamſi totus Chriſtus ſub qualibet ſpecie ponatur per concomitantiam) ergo ex vtraque conſecratione coaleſcit quædam myſtica iugulatio Chriſti, & totius Sanguinis effuſio, quia per vtramque conſecrationem Corpus & Sanguis Chriſti ſeparatim ponuntur ex vi verborum, Corpus ſub ſpecie panis, & Sanguis ſub ſpecie vini, ac proinde radicaliter, & remorè, eſt quædam myſtica mors Chriſti, quod ſufficit ad rationem Sacrificij incruenti, ſicut etiam actio Sacrificij cruenti proximè & formaliter in iugulatione, ſeu occiſione & maceratione, quæ eſt propinqua cauſa mortis, conſiſtit, actio enim Sacrificij cruenti in Sacrificio veteri, formaliter & proximè ſita erat in iugulatione ad quam ſequēbatur mors.

Ex dictis deducimus, deſinitionem panis & vini, in qua ſimul cum ſuperaddito reſpectu ad Corpus & Sanguinem Chriſti diximus conuerſionem ſeu tranſubſtantiationem Eucharifticam conſiſtere, non eſſe actionem Sacrificij Miſſæ, nec ad hanc actionem pertinere; quia deſinitio illa non intrat macerationem ſeu iugulationem Chriſti, quia Chriſtus ex eo ſolum myſticè maceratur & iugulatur, quòd Corpus & Sanguis ipſius ex vi verborum, & per ſe ſeparatim ponuntur; ac proinde quamvis non deſineret panis & vinum ad poſitionem Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus (ut contingeret ſi conſecratio fieret validè hiſ verbis, *Hic eſt Corpus meum*, & *Hic eſt Sanguis meus*, particula *hic* aduerbialiter ſumpta) eſſe eadem myſtica maceratio & iugulatio. Et ob eandem rationem in illa alia actio ex illis ſex, quas Difficultate IV. diximus in Miſſa reperiri, ad eſſentiam Sacrificij Miſſæ pertinet, quia ſcilicet nulla earum intrat myſticam macerationem Chriſti.

Actio ergo incruentè ſacrificandi Chriſtum ſita eſt eſſentialiter in poſitione phyſica Corporis ſub ſpeciebus panis, & Sanguinis ſub ſpeciebus vini, prout facta ex vi ſignificationis verborum conſecrationis; quia per eam poſitionem, prout ſic factam, Chriſtus myſticè maceratur ſeu iugulatur: quia per eam modo dicto factam Corpus & Sanguis Chriſti myſticè ſeparantur, ita tamen actio Sacrificij Miſſæ in ea phyſica poſitione modo dicto facta conſiſtit, ut neceſſarium nõ ſit, quòd nouiter fiat quando proferuntur verba conſecrationis, ſed



sed sufficit quòd ex tunc dicta positio continuetur ex vi illorum, si antea ex sola voluntate Dei, & non ex vi verborum præcessit, quia ex tunc positio illa esset mystica iugulatio Christi, quia ex tunc Corpus ipsius inciperet esse sub speciebus panis per se, & non Sanguis nisi per accidens, & per concomitantiam; & Sanguis sub speciebus vini, & non Corpus, nisi per accidens, & per concomitantiam; etiam si ante prolationem verborum omnia, quæ sunt in Christo, essent æquè per se & primariò. Et quia reuera sic essent, si ponerentur ex sola voluntate Dei, & non ex vi verborum consecrationis, idèd si positio illa nouiter non fiat, aut antiqua continuetur ex vi verborum consecrationis, non erit iugulatio Christi mystica, quia nullo modo esset separatio mystica Corporis & Sanguinis Christi. In Sacrificio ergo incruento Missæ, immolatio est quid coalescens ex positione physica Corporis Christi sub speciebus panis, & Sanguinis Christi sub speciebus vini, & ex respectu rationis proveniente ipsi positioni ex eo quòd fiat à Deo ad exigentiam significationis verborum consecrationis, qui potest moralis appellari, utpote ortus ex instrumento morali, nempe ex verbis consecrationis, ex quibus prouenit Corpus per se poni sub speciebus panis, & Sanguinem sub speciebus vini: & consecratio vocalis, seu prolatio verborum consecrationis, se habet ad actionem Sacrificij Missæ, quasi instrumentum, & gladius quo ipsa fit: res autem oblata, seu victima in dicto Sacrificio est Christus ut homo secundum suam substantiam, prout abstrahit à modo existendi naturaliter, quia substantia ipsa hominis Christi est quæ mactatur, non modus. Species verò Sacramentales non pertinent ad essentiam seu substantiam victimæ, ut patet ex dictis; pertinent tamen quodammodò ad immolationem ipsam tamquam ea sub quibus fit; Corpus verò & Sanguis Christi non sunt victima, quia ipsa non mactantur seu iugulantur; sunt tamen quasi partes, & frustra victimæ.

Ad primam rationem aduersariorum concedimus, per consecrationem cuiuslibet speciei totum Christum consecrari, ut sit Sacramentali modo sub illa, & ex eo forsân Deo in honorem ipsius offerri; sed non in Sacrificium, ob rationem à nobis traditam, sed ad summum simplici oblatione.

Ad secundam respondemus, & in primis ad eius priorem partem constat, quomodo in consecratione solius Corporis non consistat actio immolationis: quia quamuis ex vi verborum ita ponatur Corpus per se, ut non ponatur Sanguis, nec anima per se; non tamen excluduntur, & idèd nec est mystica mactatio, nec mors. Et ad posteriorem etiam constat, quo modo per consecrationem vtriusque speciei non tantum mysticè iuguletur proximè, sed etiam mysticè moriatur remotè, quod ad rationem Sacrificij sufficit; quia ad id non requiritur consumptio nec mors victimæ, sed sufficit immutatio victimæ, ad consumptionem aut mortem tendens.

Ad tertiam negamus, quòd si Sacerdos tantum consecraret Corpus, & non Sanguinem, sacrificaret, in quo nullum est absurdum.

## DIFFICULTAS X.

*Vtrum consecratio vtriusque speciei simul, sit Iure diuino præcepta.*

Conueniunt Theologi, consecrationem vtriusque speciei simul esse necessariam sub præcepto, ita ut illicitum sit vnam tantum consecrare, & non ambas, supposito quòd sit cõsecratio, quòd ex dicendis constabit. Est tamen difficultas, quo Iure præcepta sit, an diuino, an tantum humano.

Adrianus in 4. quæst. 6. de Eucharistia, Maior etiam in 4. dist. 9. quæst. 3. & Claudius Sainctes <sup>Adrianus. Maior. Sainctes.</sup> Repetit. 10. de Eucharistia, cap. 3. docent, non esse præceptum Iure diuino, sed tantum Iure humano Ecclesiastico: Primò, quia Christus in castello Emaus speciem tantum panis consecrauit; ergo ipse non præcepit consecrationem vtriusque speciei, quia ipse non faceret contra id quod alijs præceptum relinquebat. Secundò, quia si consecratio vtriusque speciei esset præcepta à Christo, maxime quia esset necessaria, ut per consecrationem vtriusque fieret commemoratio Passionis Christi, quasi per consecrationem vnius non fiat; sed per consecrationem vnius tantum speciei fit prædicta commemoratio, sicut fit sumptione vnius tantum speciei, ut indicatur Luc. 22. dum post consecrationem Corporis ante consecrationem Sanguinis dicitur, *Hoc facite in meam commemorationem.* Tertio, quia si consecratio vtriusque speciei esset Iure diuino Christi præcepta, non posset dispensatione Romani Pontificis vna sola consecrari, quia Romanus Põtifex nequit in Iure diuino dispensare. Legimus autem, Romanum Põtificem aliquibus nationibus concessisse, ut sub specie tantum panis consecrarent, quia Innocentius VIII. id concessit Norvvegis, ut refert Volaterranus lib. 7. Geographiæ c. 4.

Marsilius verò in 4. quæst. 6. art. 1. par. 1. dub. 3. <sup>Marsilius. Caietanus. Gabriel. Vasquez. Egilius.</sup> & 4. Caietanus quæst. 80. art. 12. Gabriel lect. 10. Sotus in 4. dist. 9. q. 1. art. 2. & Vasquez disp. 223. cap. 3. & Egilius dub. 5. docent, consecrationem vtriusque speciei simul esse Iure diuino positio Christi præceptam; quod significat Tridentinum sess. 22. cap. 1. dum, postquam dixit, Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulisse, subdit: *Ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem; uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Et idem indicatur Lucæ c. 22. illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem,* ex quibus Tridentinum deduxit, Christum præcepisse consecrationem vtriusque speciei simul: quia quamuis apud Lucam non dicatur, *hæc facite,* sed *hoc facite in meam commemorationem,* & ea verba tantum fuerint expressa immediate post consecrationem panis, nihilominus satis indicatur ea etiam fuisse repetita à Christo post consecrationem Calicis, dum subditur, *similiter & calicem:* quia adverbium *similiter* refert repetitionem omnium quæ dicta fuerunt post consecrationem panis.



Et id ratione congruenti probatur, quia Christum præcipere consecrationem vtriusque speciei simul, ex suppositione quod fieret consecratio, fuit maximè conueniens, quia ad essentiam Sacrificij fuit requisita, & ad integritatem Sacramenti; ergo credi potest illam præcepisse. Hac ratione, etiamsi id congruenter probetur, sed non efficaciter, quia potuit non præcipi à Christo.

Addimus, consecrationem vtriusque speciei simul, etiamsi præcepta sit Iure diuino positiuo Christi, non tamen Iure diuino naturali, supposita institutione diuina Christi consecrationis in Sacrificium, & specierum consecratarum in Sacramentum; quia adhuc ea institutione supposita, nulla fit irreuerentia Sacrificio, nec Sacramento, ex eo quòd quis, quando consecrat, nec perficiat Sacrificium, nec Sacramentum, quia id nullo fundamento potest probari; præsertim cum absque vlla irreuerentia in Sacramentum conseruetur regulariter imperfectum integraliter, vt quando conseruetur species panis, nulla conseruata specie vini.

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, Christum, etiamsi fuerit auctor dicti præcepti positiuo, tantum consecrassè speciem panis in castello Emaus, vt ex contextu deducitur, & satis congruenter, quia pro tunc voluit suos Discipulos reficere, & ab eis agnosci, & agnitus statim ab ipsorum oculis euanescere, quia id pro eo tempore expediebat: & quia statim in fractione panis consecrati agnitus fuit, ideò non expectans consecrationem vini disparuit.

Ad secundam respondemus, consecrationem vtriusque speciei fuisse præceptam à Christo, vt fieret Sacrificium, & vt per illud passio ipsius repræsentaretur, quia vnus tantum consecratione non fit Sacrificium, nec passio illius repræsentatur, nec vnus, imò nec vtriusque sumptione, nisi præsuppositiuè. Quomodo verò Lucas significet, Christum verbaila, *Hoc facite in meam commemorationem*, repetisse post Sanguinis consecrationem, iam diximus.

Ad tertiam, nonnulli, qui admittunt, consecrationem vtriusque speciei esse Iure diuino Christi præceptam, etiam admittunt, Romanum Pontificem posse in eo, & in quocumque alio Iure diuino, dispensare. Sotus verò, Vasquez & Ægidius docent, Romanum Pontificem non posse in præcepto diuino consecrandi simul vtramque speciem dispensare; nec in aliquo alio præcepto diuino; & meritò: quia nullus inferior potest in præcepto sui superioris dispensare. Vnde falsum est, Innocentium VIII. in dicto præcepto dispensasse. Nihilominus dispensare potest, & sæpè dispensat in voto, & in iuramento promissorio, quorum obligatio est naturalis, & non minor quàm obligatio diuini præcepti, non auferendo immediatè obligationem voti & iuramenti, sed tamquam Vicarius Christi, & dispensator bonorum illius, remittendo promissionem Deo factam, qua remissa, extinguitur obligatio naturalis. Dispensat etiã, seu aufert obligationem ortam ex matrimonio rato non consummato, dissoluendo nomine Dei ipsum contractum ex quo oritur illa obligatio, ad quæ habet peculiarem potestatem; & non ad relaxandam obligationem præcepti à Deo lati, quia hæc non agnoscitur in Romano Pontifice. Et si recenter ordinati, qui concelebrant cum Episcopo ordinante, non sumunt vtramque speciem, quas simul celebrantes

Iure diuino tenentur sumere, sed tantum sumunt speciem panis; non est, quia Ecclesia dispense cum illis, sed quia præceptum istud tantum est pro præcipuo celebrante, qui in eo casu est Episcopus. Nec dispenseat cum eo, qui in articulo mortis ob sua delicta priuatur Eucharistiã, quia tantum priuat illum iure communicandi, ex quo priuatus, potius dicitur impeditus ad impletionem præcepti diuini sumendi Eucharistiam, quàm dispensatus in eo præcepto.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum in Missa sit vnum tantum Sacrificium.*

**D**ifficultas hæc præsertim procedit de Sacrificio pro actione sumpto, quia hæc sola est & dicitur absolutè & strictè Sacrificium.

Cassalius lib. 1. de Sacrificio cap. 20. docet, in Missa duo esse Sacrificia, vnum panis & vini, & alterum Corporis & Sanguinis Christi: quod etiam indicat Scotus in 4. d. 13. q. 2. §. *Ad questionem*, dum Sacrificium Missæ sufficienter constituit in oblatione panis & vini seorsim, & etiam in oblatione Corporis & Sanguinis Christi. Probari autem potest, quia in Missa fit destructio panis & vini, & etiam maceratio incruenta Christi; ergo in Missa sunt duo Sacrificia, non tantum pro victima seu pro re oblata, sed etiam pro actione seu immolatione.

Alij (vt refert Azor lib. 10. cap. 19. quæst. 6.) Azor. docent in Missa esse duo Sacrificia, vnum Corporis, & alterum Sanguinis: quibus fauere videtur Ecclesia, dum in Oratione pro defunctis de anima ait, *His sacrificijs purgata*. Et probari potest, quia est duplex consecratio, vna Corporis, & altera Sanguinis, & quælibet repræsentat Sacrificium cruentum Christi, ergo sunt duo Sacrificia, non tantum pro victima, sed etiam pro actione.

Bellarminus l. 1. de Missa, c. 27. Suarez disp. 64. Bellarmin. sect. 4. Vasquez disp. 223. Azor vbi supra, & communiter Doctores docent, & meritò, in Missa esse vnicum tantum Sacrificium, quod satis indicat Tridentinum, dum sess. 22. in initio eam appellat verum & singulare Sacrificium; quod præcipuè intelligitur de Sacrificio pro actione sacrificandi, quia ipsa sola est quæ strictè est & appellatur Sacrificium. Et ratione constat, quia in Missa est vnica tantum victima, nempe humanitas Christi, vt pater ex dictis Difficultate 111. & vnica tantum immutatio humanitatis Christi, quæ aptè & conuenienter possit in Sacrificium seu in immolationem assumi, nempe consecratio vtriusque speciei simul, per quam Christus, vt homo, mysticè & incruentè occiditur seu maceratur; & non est alia, quia si aliqua alia, maximè adductio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, & oblatio Corporis & Sanguinis Christi, neutra autem est apta ad id, quia neutra est consumptio humanitatis Christi, nec præuia, & ordinata ad id, ergo in Missa est vnicum tantum Sacrificium, etiam pro actione seu immolatione sumptum.

Ad rationem verò pro Cassalio concedimus, in Missa reperiri desitionem panis & vini, & eam esse aptam vt assumatur in Sacrificium; quia tamen non est apta vt assumatur in Sacrificium Christi, quod tantum fuit à se ipso commendatum Ecclesiæ in victimam,



victimam, sed tantum est apta in Sacrificium panis & vini, idem in Missa non habet rationem Sacrificij: quia iuxta intentionem Ecclesiæ non fit ex affectu profitendi Deum auctorem vitæ & mortis, absque quo nequit habere rationem Sacrificij & immolationis; sicut genuflexio, quæ non fit ex affectu recognoscendi practicè Deum ut superiorem ipsi qui genuflectit, non habet rationem adorationis.

Quomodo verò nec oblatio panis & vini, nec oblatio Corporis & Sanguinis Christi habeat rationem Sacrificij & immolationis, iam diximus Difficultatibus præcedentibus; & etiam quomodo ex utraque consecratione coalescat unum sacrificium, seu una immolatio Christi; & quomodo sola humanitas Christi sit victima, & non eius Corpus & Sanguis. Sacrificium tamen Missæ dicitur ab Ecclesia in Oratione illa Sacrificia in plurali, quia in eo reperiuntur duæ res factæ, Deo pro nobis simplici oblatione oblatae.

Addimus, in quo Doctores conveniunt, non solum in Missa unicum tantum Sacrificium fieri, sed etiam præter illud nullum aliud extra Missam in Ecclesia fieri ex ordinatione Christi, aut Ecclesiæ; quod significant Tridentinum & plures Patres, dum ab ipsis Eucharistia appellatur unicum & singulare Sacrificium. Et ratione constat: quia quamvis iure naturali sit liberum unicuique Sacrificium offerre, nihilominus postquam publica auctoritate eriguntur Sacerdotes ad Sacrificium offerendum, nullus alius potest licitè Sacrificium offerre, quia eo ipso virtualiter id prohibetur alijs: sed in Ecclesia Christiana sunt instituti & electi Sacerdotes ad sacrificandum, ergo nullus alius id potest licitè efficere: sed isti tantum sunt instituti ad offerendum Sacrificium Missæ, ergo præter illud nullum aliud in Ecclesia fit. Imò nullum aliud ab Ecclesia potest institui, ut advertunt Vasquez & Suarez, sicut nec novum genus Sacerdotij, quia eo ipso quod Christus dictum Sacerdotium instituit ad dictum ministerium, virtualiter prohibuit aliud institui.

Fuit autem maximè conveniens, ut postquam Sacrificium cruentum Christi, quod veteribus præfigurabatur, fuit factum, non solum nullum ex antiquis perseveraret, sed etiam ut nulla alia res præter ipsum Christum, seu humanitatem Christi in Ecclesia Christiana immolaretur; nihilominus ne Ecclesia Christiana sine Sacrificio maneret, fuit etiam maximè conveniens, ut idem Christus alio modo, & in memoriam sui Sacrificij cruenti in Sacrificium offerretur.

## DIFFICULTAS XII.

*Utrum Sacrificium Missæ sit idem cum Sacrificio quod Christus in ultima cæna celebravit.*

Supponimus, Sacrificium Missæ, & Sacrificium quod Christus incruentè in ultima cæna celebravit, & quacumque alia, non differre in ratione religionis & Sacrificij, quia in eis est idem motuum, & eadem ratio cultus, nempe professio Dei ut auctoris vitæ & mortis. Est tamen difficultas, quomodo, salva unitate specifica in ratione Sacrificij, Sacrificium Missæ & Sacrificium Chri-

sti in ultima cæna factum contineant, & differant.

Hæc ergo duo Sacrificia conveniunt non solum specie formali in ratione Sacrificij, ut patet; sed etiam specie materiali, seu physica quoad immolationem, & quoad modum, quia utrumque fit incruentè & mystica maceratione, & incruentè & mystico modo: nihilominus quoad immolationem & macerationem distinguuntur numero, ut patet. Ita tamen Sacrificium Missæ & Sacrificium à Christo in cæna factum distinguuntur numero quoad actionem & quoad modum, ut non magis differant quam duo Sacrificia quæ fiunt in duabus Missis, etiam si alijs rationibus accidentaliter differant, quibus non differunt duo Sacrificia in duabus Missis facta: quia Primò differunt quoad statum victimæ, seu rei oblatae, quia homo Christus in cæna fuit immolatus mortalis, & in Missa immolatur immortalis. Addimus, quoad statum victimæ, quia mortalis & immortalitas non intrant in victimam; quia quod offertur, est Christus, seu humanitas Christi secundum se, prout abstrahit ab hoc & ab illo statu. Secundò differunt quoad offerentes, quia in Sacrificio illo à Christo in cæna factò, ipse Christus fuit proximè & ratione sui offerens, & ita Christus actione ipsa Sacrificij meruit, utpote ab ipso elicita; in Sacrificio verò Missæ Sacerdotes sunt qui proximè offerunt, non verò Christus, nisi tantum remotè, ut dicemus Disputatione 11. Difficultate 1. & ita Christus actione ipsa sacrificandi in Missa non meretur, quamvis nunc sit in statu merendi alijs.

Tertiò differunt, quòd Sacrificium à Christo incruentè in ultima cæna factum, fuit figura Sacrificij mortis cruentæ in cruce paulò post futuri: Sacrificium verò quod à nobis fit in Missa, est figura Sacrificij mortis cruentæ in cruce præteriti, quamvis discrimen hoc potius oriatur ex diverso statu rei figuratæ, quam ex diversitate aliqua signi in Sacrificio incruentè factò à Christo, & factò à nobis in Missa.

His & alijs rationibus satis notis differunt Sacrificium incruentum Christi, & sacrificium Missæ, quas quisque facilè discernere potest.

## DIFFICULTAS XIII.

*Utrum Sacrificium Missæ sit idem cum Sacrificio cruento, quod Christus in cruce celebravit.*

Supponimus, Sacrificium Missæ, & Sacrificium cruentum Christi in cruce non distingui specie formali in ratione Sacrificij, quia in eis est idem motuum, & eadem ratio cultus. Est tamen difficultas, quomodo, salva hac unitate, seu identitate specifica formali, conveniant & differant.

Sacrificium ergo Missæ, & Sacrificium quod Christus fuit in cruce à se ipso cruentè immolatus, conveniunt quoad victimam, quia in utroque est una & eadem numero, nempe Christus, ut definit Tridentinum sess. 22. cap. 2. dum ait: *In divino Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis seipsum cruentè obtulit.* Et paulò inferius: *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in*

Trident.



*cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Ita tamen in vtroque est eadem victima, vt sit eadem numero: quod significat Tridentinum, dum in eo dicitur in vtroque dicto Sacrificio eandem esse hostiam, & eundem esse offerentem, sola offerendi ratione diuersa. Et ratione constat, quia in vtroque idem & solus Christus immolatur: cui non obstat, quod Christus in vtroque habeat diuersum modum existendi, quia isti modi existendi non intrant victimam adhuc partialiter, quia Christus, prout abstrahit ab hoc & ab illo modo, in vtroque immolatur.

Differunt tamen duo dicta Sacrificia in ratione offerendi, quia Christus in Sacrificio Missæ offertur seu immolatur incruentè, & in Sacrificio crucis fuit cruentè oblatum seu immolatum. Vnde etiam differunt quoad actiones immolandi, quia in Missa immolatur occisione incruenta & mystica, in cruce verò occisione cruenta; ex quibus proueniunt dicti modi diuersi, quorum vno offertur in Missa, & altero oblatum fuit in cruce.

Et quamuis in vtroque dicto Sacrificio idem Christus sit offerens, diuerso tamen modo, vt dicemus Disputatione 11. Difficultate 1. quia in Sacrificio crucis Christus fuit proximè offerens, quia per se ipsum vsque ad mortem sustinuit passionem oblatam, ad denotandum Deum auctorem vitæ & mortis, in qua immolatio illius Sacrificij posita fuit; in Sacrificio verò Missæ non offert proximè, quia non offert per se ipsum, sed Sacerdotes nomine illius, tamquam ministri illius; ex quo etiã ipse dicitur offerre, quamuis remotè tantum.

Parces ergo, quando significant Sacrificium Missæ & Sacrificium crucis esse idem, intelligendi sunt quoad victimam, non verò quoad actionem Sacrificij.

Ita tamen Sacrificium Missæ & Sacrificium crucis sunt idem secundum speciem formalem in ratione Sacrificij, vt in ratione Sacrificij distinguantur secundum numerum, & hoc eodem modo distinguantur Sacrificia quæ fiunt in diuersis Missis, quia in omnibus illis Sacrificijs diuersæ actiones immolandi secundum numerum reperiantur, in quarum qualibet diuersus cultus secundum numerum reperitur, & diuersa numero processio omnipotentis Dei circa vitam, vt aduertunt Vasquez disp. 224. c. 2. & Suarez disp. 76. sect. 1. Et idem existimamus, quando in eadem Missa plures formulæ & plures calices consecrantur, nempe in ea fieri plura numero Sacrificia, sicut & plura numero Sacramenta, quia tunc fiunt plures numero actiones immolandi, quamuis simul, & iisdem verbis. Imò quando plures formulæ consecrantur, & vnus tantum calix, etiam fiunt plura numero Sacrificia, sed partialiter tantum diuersa, quia consecratione illius vnus calicis efficitur vnus essentialiter Sacrificium, cum consecratione cuiuslibet speciei panis seorsum, diuersum partialiter à Sacrificio coalescente ex consecratione eiusdem calicis, & ex consecratione alius speciei panis; sicut vna species vini cum pluribus speciebus panis efficit plura numero Sacramenta integraliter perfecta, inter se partialiter distincta, quia in quolibet est vna pars distincta, nempe species panis. Plura tamen numero Sacrificia, siue totaliter siue tantum partialiter distincta, in eadè Missa simul facta, non causant maiorem fructum, quam si vnus tantum fieret: quod reducendum est ad

institutionem Christi, qui noluit plura numero Sacrificia ab eodem simul moraliter facta maiorem fructum causare, quam si vnus tantum fieret, quia illum causant, quando fiunt, ad quam etiam reduximus plures formulas (quas diximus esse plura numero Sacramenta) non causare maiorem gratiam, quando simul ab vno recipiuntur, quam si vnus tantum reciperetur, quia illam causant, quando recipiuntur sicut Sacrificia quando fiunt.

Quòd si obijcias: Vita Christi est vna & eadem secundum numerum, ergo etiã priuatio illius, seu mors in qua actio Sacrificij consistit; ergo Sacrificia, quibus Christus immolatur, nequeunt esse plura adhuc secundum numerum. Respondemus, quòd quamuis vita Christi sit vna & eadem, & consequenter priuatio illius seu mors in facto esse sit tantum vna & eadem, nihilominus priuatio illius in fieri, & per modum actionis aut passionis, qua ratione dicitur interitus, seu occisio & interfectio, potest esse multiplex, non solum mystica; sed etiam cruenta: quia si Christus iterum interiret physicè, diceretur duplicem interitum seu mortem obiisse; Sacrificium autem non consistit in priuatione vitæ in facto esse, seu in morte in facto esse, quia etiã mors perseverat, quando iam Sacrificium transactum est; sed in priuatione vitæ in fieri, & idè vnus Christus potest pluribus Sacrificijs seu immolationibus immolari & offerri, quia potest pluribus actionibus aut passionibus occidi, imò non solum mysticè, sed etiam physicè.

## DIFFICULTAS XIV.

*Quo pacto in Eucharistia ratio Sacrificij comparetur cum ratione Sacramenti.*

**O** Missis quæ ab alijs circa hanc difficultatem dicuntur, quia vnusquisque circa eam philosophatur iuxta ea quæ sentit circa naturam Sacramenti, & circa naturam Sacrificij Eucharistiae; ea tantum circa eam pronuntiabimus, quæ iuxta dicta à nobis de eorum natura sufficiant, & necessaria sint ad illius breuem & claram resolutionem.

Et Primò, si comparatio fiat in ordine durationis, Sacramentum Eucharistiae essentialiter nõ integraliter perfectum, prius duratione est quam Sacrificium, vt aduertunt Vasquez disp. 224. cap. 4. & Suarez disp. 76. sect. 3. quia ad essentialiam Sacramenti Eucharistiae sufficit consecratio vnus tantum speciei tam panis quam vini, ad essentialiam verò Sacrificij Eucharistiae requiritur consecratio vtriusque speciei: Sacramentum verò integraliter perfectum non est prius duratione quam Sacrificium, sed simul duratione, quia Sacramentum integraliter perficitur & coalescit ex specie panis & ex specie vini, vt continentibus Christum, ad quam prerequisite est consecratio vtriusque speciei, in qua consistit essentia Sacrificij.

Secundò, si comparatio fiat in ordine naturæ, & causalitatis efficientis, & in ordine quasi executionis, Sacrificium prius est Sacramento integraliter perfecto, & suo modo pars Sacrificij Sacramento essentialiter non integraliter perfecto, quia essentia Sacrificij sita est in consecratione reali vtriusque speciei simul, nempe in positione Corporis sub speciebus panis, ex vi significationis verborum facta, &



& in positione Sanguinis sub speciebus vini, ex vi significationis verborum facta in utroque simul: essentia verò Sacramenti in speciebus ipsis prout consecratis, seu prout continentibus Christum; positio autem dicta Corporis & Sanguinis Christi prior est ordine causalitatis efficientis, & executionis quàm quod species contineant Christum, seu sint Sacramentum, quia dicta positio conducit tamquam effectio seu causalitas efficientis seu ponentis Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus, vt species contineant Corpus & Sanguinem Christi, & sint Sacramentum. Econtrà verò Sacramentum Eucharistiæ eadem proportione est prius ordine intentionis, imò & perfectionis ipso Sacrificio. Et in primis ordine intentionis est prius, quia dicta positio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus ordinatur quasi medium ad Sacrificium, quasi ad finem, quia dicta positio non tantum fit vt ea denotetur Deus auctor vitæ & mortis, sed etiam, vt mediâ illâ species, sub quibus Corpus & Sanguis ponuntur, sint Sacramenta, seu signa factiua gratiæ. Deinde etiam est prius ordine perfectionis, quia species, in quibus essentia Sacramenti posita est, perfectiores sunt dicta positione Corporis & Sanguinis Christi sub ipsis speciebus.

## DIFFICULTAS XV.

*Utrum Sacrificium Missæ sit propitiatorium.*

**S**upponimus, Sacrificium, quo Deum auctorem vitæ & mortis practicè profitemur, ex fine ob què potest aptè fieri, dici quadrupliciter. Quia primò dicitur *honorarium*, quatenus est aptum vt fiat ex proprio intrinseco fine, nêpe colendi Deum, in eo fine listendo. Secundò dicitur *eucharisticum*, seu laudis, quatenus est aptum vt fiat ad agendas gratias Deo pro aliquo beneficio accepto. Tertio dicitur *propitiatorium*, quatenus est aptum vt fiat ad placandum Deum peccatis nostris iratum, vt ea remittat. Quartò dicitur *impetratorium*, quatenus aptum est vt fiat ad impetranda à Deo alia beneficia, distincta à remissione peccatorum.

Conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ verè esse honorarium, & etiam eucharisticum, seu laudis, in quo etiam conueniunt hæretici, ex suppositione quòd sit propriè Sacrificium, quod ipsi non admittunt, contra quos id nos probauimus Difficultate 11.

Est tamen difficultas, An Sacrificium Missæ etiam sit propitiatorium.

Hæretici vno ore negant, Sacrificium Missæ esse propitiatorium, adhuc ex suppositione quòd sit propriè Sacrificium, quia Christus suo Sacrificio cruento crucis abundantissimè satisfecit pro peccatis nostris; ergo Sacrificium Missæ, esto sit Sacrificium, frustra erit propitiatorium seu expiatorium.

De Fide tamen est, Sacrificium Missæ (quod iam vidimus esse propriè Sacrificium) esse verè propitiatorium. Ita definitur in Tridentino sess. 22. cap. 2. & can. 3.

Et ommissis rationibus, quibus Difficultate 11.

ostendimus Sacrificium Missæ esse propriè Sacrificium, quibus eo ipso ostenditur esse propitiatorium, quia omne propriè Sacrificium eo ipso est propitiatorium, nunc id specialiter ostendendū est.

Et in primis id indicat Paulus ad Hebr. 5. dum ait: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs que sunt ad Deum, vt offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Quibus verbis Paulus describit munus Sacerdotis in communi, vt ostendat Christum Sacerdotem ad id fuisse assumptum à Deo. Sacerdotes ergo à Christo in sua Ecclesia instituti, absque dubio instituti fuerunt ad offerendum Sacrificium pro peccatis; sed ad nullum aliud Sacrificium instituti fuerunt, nisi ad Sacrificium Missæ; ergo istud est propitiatorium, seu aptum vt offeratur pro peccatis.

Secundò id tradunt Iacobus in sua Liturgia, dum ait, *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantis populi,* Chryso-  
stomus & Basilus in suis Liturgijs, & communi-  
ter Patres, quos referunt Bellarminus l. 2. de Missa  
cap. 2. & Vasquez disp. 224. cap. 3.

Tertio ratione probatur, quia antiqua Sacrificia verè erant propitiatoria pro peccatis, vt significatur Iob. 1. & Leuitici 4. ergo absque fundamento & causa id negabitur Sacrificio Missæ: quia si Sacrificium cruentum Christi non obstitit Sacrificijs antiquis, vt essent propitiatoria, etiam non obstat, vt Sacrificium Missæ sit propitiatorium, nec obstat, vt diximus Difficultate 11.

Addimus, in quo etiam conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ etiam esse impetratorium aliorum beneficiorum, quod significat Tridentinum cap. illo 2. & can. 3. dum ait, Sacrificium Missæ offerri pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, vbi nomine aliarum necessitatum omnia alia beneficia, quibus indigemus, intelliguntur. Et id tradunt Tertullianus lib. de Corona militis, Cyrillus Catech. 5. Chryso-  
stomus Ho. 18.  
& 21. in Acta Apost. & Augustinus lib. 22. de Ciuitat. cap. 28. & idem etiam constat ex omnibus Liturgijs Græcis, & etiam ex nostra Latina, in qua ante & post consecrationem varia beneficia petimus, & non nisi virtute Sacrificij, vt modus ipse petendi denotat. Et ratione probatur, quia antiqua Sacrificia etiam fiebant pro impetrandis varijs beneficijs, distinctis à remissione peccatorum, vt constat ex Iob 10. & Leuit. 7. & 2. Reg. vlt. & 2. Machab. 3. & 1. Esdræ 6. ergo id non est negandum Sacrificio Missæ, quia in eo omnis virtus, que fuit in Sacrificijs antiquis, est perfectiori & nobiliori modo, vt aduertunt Leo Serm. 8. de Passione, Chryso-  
stomus in Psalm. 59. & Augustinus lib. 1.  
Contra aduersarium legis & Prophetarum, c. 20. & indicatur in Oratione Dominicâ 6. post Pentecosten, dum dicitur: *Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnus Sacrificij perfectione sanxisti.*

Addimus, Sacrificium Missæ excedere Sacrificia antiqua in modo impetrandi remissionem peccatorum, & beneficia, quia Sacrificia illa id tantum efficiebant ex opere operantis, nempe quatenus opera bona, & attenta deuotione offerentis; Sacrificium verò Missæ ex opere operato, vt dicemus Disputatione 11. Difficultate 11.



## DISPUTATIO II.

De offerentibus, & de his pro quibus offertur  
Sacrificium Missæ.

## DIFFICULTAS I.

Quomodo Christus offerat Sacrifi-  
cium Missæ.

**C**ONVENIUNT Catholici, Christum esse offerentem in Sacrificio Missæ, ut definitur in Tridentino sess. 22. cap. 2. & esse principalem offerentem, ut deducitur ex eo, quod in eodē capite dicitur Christus offerre ministerio Sacerdotum, quia qui offert per alios tamquam per ministros, est principaliter offerens. Est tamen difficultas, quomodo Christus offerat, an per se ipsum proximè & immediatè, an verò remotè tantum, & mediâribus Sacerdotibus.

Suarez disp. 77. lect. 1. Adamus q. 9. dub. 3. & Egidius quest. 83. art. 1. dub. 6. docent, Christum in Sacrificio Missæ immediatè & proximè, & per se ipsum offerre: quod indicare videtur Tridentino sess. 22. c. 2. dum ait, Christum nunc esse offerentem in Sacrificio Missæ; & significari videtur in Scriptura Psalm. 109. & ad Heb. 7. dum in ea Christus dicitur Sacerdos in æternum: ex eo autem, quod semel se ipsum obtulit in cruce, & iterum cruentè in cruce, non potest dici Sacerdos in æternum; ergo ex eo dicitur Sacerdos in æternum, quia perpetuò offert & sacrificat, quando Sacerdotes sacrificant. Et id denotare videtur Paulus in dicta Epist. ad Hebr. dum inter legem veterem & novam discrimen constituit, in eo quod in veteri erant plures Sacerdotes ad tempus tantum offerentes, & idè sibi succedentes; in nova verò sit vnus Sacerdos in æternum, cui nullus alius succedit, quamvis sint aliqui Vicarij & Ministri illius; denotat ergo Paulus, Christum nunc etiam offerre & sacrificare.

Et rationibus probari potest. Primò, quia Christus est verè & principaliter offerens in Sacrificio Missæ, ad id autem non sufficit fuisse ab ipso institutum Sacrificium Missæ, quia Sacrificia antiqua fuerunt instituta à Deo, & tamen Deus non dicebatur offerens in illis; Christus ergo actu & proximè offert in illo. Secundò, quia Sacrificium Missæ est infiniti valoris, & tale, ut nequeat iniquitate Sacerdotis inquinari, ut dicitur in Tridentino sess. 22. c. 1. ergo in eo Christus est actu & proximè offerens, quia Sacrificia à proximè offerente & sacrificante habent valorem & bonitatem, & non ab institute, aliàs antiqua Sacrificia habuissent infinitum valorem, & fuissent ita bona, ut non potuissent inquinari, quia fuerunt instituta à Deo infinite digno & sancto. Tertio, quia Christus, ut homo, est verè Sacerdos, & inferior Deo, & concurrat physicè ad actionem Sacrificij Missæ, ergo est verè offerens proximè & immediatè, imò & principalis, comparatus cum Sacerdote. Quarto, quia Sacerdotes offerunt in persona Christi

tamquam Vice-Christi, & Legati ipsum representantes; ergo actu & proximè offert; sicut dominus, qui per famulum elargitur eleemosynam, eam dicitur actu & proximè elargiri.

Corduba verò l. 1. q. 3. opin. 2. Vasquez d. 223. c. 3. & Becanus c. 25. q. 9. docent, in Sacrificio Missæ Christum non offerre per se ipsum, seu immediatè & proximè, sed tantum Sacerdotes, offerre tamen remotè & mediatè, nempe medijs Sacerdotibus; quod satis indicant Scotus Quodl. 20. art. 1. & Gabriel lect. 26. lit. G. & H.

Prior pars, nempe Christum non offerre per se ipsum, seu immediatè & proximè, sed tantum Sacerdotes, probatur à priori: quia actio ipsa exterior sacrificandi & immolandi in Missa, non fit à Christo per se ipsum & immediatè, sed tantum à Sacerdotibus; ergo Sacrificium Missæ non offertur & fit à Christo per se ipsum & immediatè, sed tantum à Sacerdotibus. Consequentia patet. Antecedens autem probatur. Primò ex Tridentino sess. 22. cap. 1. dum ait, Christum in Sacrificio Missæ immolari per Sacerdotes, denotans non per alium; & cap. 2. dum ait, Christum esse nunc offerentem ministerio Sacerdotum, denotans non aliter offerre: qui autem aliquid facit per alterum, & ministerio alterius, non facit illud immediatè & per se ipsum, sed tantum remotè & per alterum. Secundò, idem Antecedens probatur ratione, quia ab eo tantum fit proximè & immediatè actio Sacrificij & immolatio, à quo verba consecrationis proferuntur, quia verba sunt quibus quasi gladio fit dicta immolatio, verba autem consecrationis non proferuntur à Christo, sed tantum à Sacerdotibus, ut patet; ergo.

Posterior pars, nempe Christum in Sacrificio Missæ offerre remotè & mediâribus Sacerdotibus, & per illos, constat ex Tridentino ubi supra, quia ex eo constat, Christum in Sacrificio Missæ esse nunc offerentem ministerio Sacerdotum, & ipsum per Sacerdotes immolari.

Et ratione probatur, & declaratur, Primò, quia Christus tribuit Sacerdotibus victimam ad Sacrificium Missæ, nempe se ipsum illis tamquam suis ministris remittens, & commendans, ut ipsum in Sacrificio offerant, ergo Christus non minus concurrat ad immolationem sui, quàm dominus ad elargitionem eleemosynæ factam medio famulo, cui dedit pecuniam, ipsi remittens, & commendans, ut eam in eleemosynam elargiatur, dominus autem ad elargitionem eleemosynæ factæ à famulo, concurrat mediatè & per illum, ergo Christus ex hoc capite sufficienter offert mediatè & remotè in Sacrificio Missæ. Secundò, quia Sacerdotes ex intentione Christi offerunt in Sacrificio Missæ nomine ipsius Christi tamquam Vice-Christi, & ipsius Legati ipsum representantes, ut constat ex verbis quibus id efficiunt, nempe, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est calix Sanguinis mei*: ergo Christus, etiam ex hoc capite dicitur per illos

&amp;

Trident.

Suarez.

Adamus.

Egidius.

Trident.

Corduba.  
Vasquez.  
Becanus.



& medijs illis sufficienter offerre in Sacrificio Missæ, quamvis mediatè & remotè. Ad id autem non existimamus necessarium, quòd id efficiant nomine Christi ex institutione ipsius: quia si id efficerent nomine Christi, quamvis ex sola institutione Dei, sufficeret; quia eo ipso quòd id efficerent nomine Christi, & tamquam legati ipsius ipsum repræsentantes, Christus diceretur per illos & medijs illis id efficere.

Christus ergo in Sacrificio Missæ, est verè offerens non proximè & immediatè, sed tantùm mediatè & remotè, ex duplici tamen titulo, & ex quolibet sufficienter: nempe, & quia tribuit Sacerdotibus victimam ad immolandum illam, eius immolationem illis tamquam suis ministris remittens & commendans, quod sufficit vt per illos dicatur offerre, quamvis id non efficerent tamquam Vicarij ipsius ipsum repræsentantes; & quia Sacerdotes nomine ipsius tamquam Vicarij ipsius, & eius Legati ipsum repræsentantes offerunt, quod sufficit vt per illos dicatur offerre, quamvis ipsis non tribueret victimam ad immolandum, illis tamquam ministris remittens & commendans immolationem illius. Et quamvis mediatè tantùm & remotè dicatur Christus in Sacrificio offerre, quia non per se ipsum, sed tantùm medijs Sacerdotibus, & tamquam ministris, & etiam tamquam Vicarijs & Legatis; nihilominus nunc & actu dicitur offerens, quia id efficit nunc, quamvis per Sacerdotes; & etiam dicitur principalis, quia offert per alios tamquam per ministros & Legatos. Ex quo constat ad fundamentum aduersariorum, desumptum ex Tridentino, quia dicit Christum esse nunc offerentem in Sacrificio Missæ.

Ad hoc verò, quòd Christus sit Sacerdos in æternum, vt dicitur Psalmo 109. & ad Hebr. 7. quod adducitur pro aduersarijs; non est necessarium, quòd per se ipsum offerat in æternum, quia etiam post finem mundi manebit Sacerdos, & tamen post finem mundi nullū offeret Sacrificium: imò ad id non est necessarium quòd aliquod offerat, nec quòd aliquod obtulerit Sacrificium; quia sufficit, quòd eius humanitas sit in æternum vnita diuinitati, quia Sacerdotium nõ consistit in ministerio & vsu sacrificandi; sed in dignitate & potestate ad id quã Christus habet, & habebit, quamdiu humanitas ipsius sit vnita diuinitati, vt dicimus Tractatu de Incarnatione Disputatione XIX. Difficultate III. Ex eo verò in Epistola ad Hebræos Christus dicitur Sacerdos in æternum, nullum habens succedentem, quia ei nullus succedit in dignitate & potestate, quia eam non amisit per mortem, sicut Sacerdotes Leuitici succedebant alijs in dignitate & potestate; non verò quia ei nullus succedat in ministerio & in exercitio, quia quoad hoc ipsi cessanti à ministerio sacrificandi succedunt Sacerdotes Euangelici, accipientes dignitatem & potestatem Sacerdotalem ad id, & ob hoc dicuntur Vicarij Christi.

Et ad primam rationem pro aduersarijs concedimus, Christum verè & principaliter offerre nunc in Sacrificio Missæ, & non quia Sacrificium Missæ fuerit ab ipso institutum, sed duobus prædictis modis, nempe, & quia tribuit Sacerdotibus victimam ad eam immolandam, & ipsis tamquam ministris commisit immolationem illius; & quia Sacerdotes tamquam Legati Christi, in persona & nomine ipsius ipsum repræsentantem offerunt.

Ad secundam concedimus, Sacrificium Missæ habere infinitum valorem, & infinitam virtutem ad causandum fructum & effectum, vt dicemus Disputatione III. Difficultate VII. ille tamen infinitus valor, & infinita virtus non est in genere meriti, seu ex opere operantis; sed tantùm instar Sacramenti ad causandum ex opere operato: ad quod non requiritur bonitas aliqua in proximè offerente, quia sufficit institutio Christi communicantis illum infinitum valorem ipsi actioni Sacrificij, quamvis factæ à malo ministro, & quamvis ab eo fiat mala, si mala fieri potest; & quoad hoc dicitur nõ posse à malo ministro coinquinari, quia quamvis fiat mala, eius tamè valor & virtus, quam habet ex institutione Christi, non impeditur, nec Sacramenta possunt eo modo coinquinari à malo ministro, quamvis ab eo peccaminosè fiant.

Ad tertiam negamus, Christum vt hominem concurrere physicè ad immolationem, sicut nec concurrat physicè ad prolationem verborum; quia ad immolationem Missæ tantùm concurrat duplici modo dicto, & etiam moraliter, id est meritorie, quia sua passione meruit impetrare à Deo positionem Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, factam ex vi verborum Sacerdotis. quo etiam modo concurrat ad effectum Sacramentorum, nempe tamquam instrumentum morale vniuersale diuinitati coniunctum, impetrando meritorie à Deo effectum illorum.

Ad quartam concedimus, Sacerdotes in Sacrificio Missæ offerre, & tamquam ministros Christi, & tamquam Legatos ipsius ipsum repræsentantes: ex eo tamen solum fit, Christum actu & nunc offerre quando offerunt Sacerdotes, sed non proximè & immediatè, quia per Sacerdotes & non per se ipsum exercet actionem sacrificandi.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum omnes Sacerdotes possint efficere  
& offerre verum Sacrificium Missæ.*

Conueniunt Catholici cõtra hæreticos, in solis Sacerdotibus esse potestatem efficiendi & offerendi Sacrificium Missæ, vt significatur in Tridentino sess. 22. & 23. c. 1.

Est tamen difficultas, An omnes Sacerdotes possint validè efficere & offerre Sacrificium Missæ.

Scotus in 4. d. 13. quæst. 2. & Gabriel quæst. 2. art. 3. du. 2. partem negativam tuentur, quam etiam videtur tradere Magister in 4. d. 13. Eam tamen non eodem modo defendunt: quia Scotus concedens Sacerdotem hæreticum & schismaticum, & Gabriel concedens omnem Sacerdotem præcisum ab Ecclesia, posse validè consecrare, negant tamen, posse verum Sacrificium efficere & offerre: quia ex vna parte existimant, essentiam Sacrificij Missæ sitam esse in ea oblatione, quæ fit verbis illis, *Offerimus*, &c. siue ante consecrationem, siue post; & ex altera existimant, dictos Sacerdotes non posse verè dicere, *Offerimus*, &c. quia non possunt nomine Ecclesiæ loqui, cum sint ab ipsa præcisi; Sacerdos autem nequit sacrificare, nisi ea verba nomine Ecclesiæ proferat, quia non nomine proprio, sed tantùm nomine Ecclesiæ sacrificat & offert. Magister verò idem videtur tradere, dum existimat, excommunicatum, aut præcisum manifestè notatum, non posse validè consecrare, quia ob rationem



tionem Scoti & Gabrielis nequeat dicere, *Offerimus*; essentia autem Sacrificij Missæ in consecratione consistit.

S. Thomas.  
Vasquez.

S. Thomas verò q. 82. art. 7. Vasquez d. 226. & communiter Theologi partem affirmatiuam meritò tradunt. Et in primis quemcumque Sacerdotem, quantumuis hæreticum & ab Ecclesia præcisum, posse verum Sacramentum Eucharistiæ efficere, conueniunt Theologi contra Magistrum, & maximè indicat Tridentinum sess. 23. c. 1. & 4. & can. 4. Id verò, quod Magister in contrarium & pro se adducit, nempe Sacerdotem non posse verè dicere *Offerimus*, nullius momenti est, & quia id est falsum, vt statim dicemus; & quia verbum illud *offerimus*, siue præcedens siue subsequens consecrationem, non pertinet ad formam consecrationis; sed tantum hæc, *Hoc est Corpus meum, Hic est calix Sanguinis mei*: hæc autem proferri possunt à quocumque Sacerdote, quantumuis præciso, etiam nomine Christi, ratione characteris, quia ratione huius habet potestatem illa proferendi nomine & Vice Christi, & nequit ab Ecclesia deleri.

Deinde contra Scotum & Gabrielem, quemcumque Sacerdotem quouis modo præcisum, posse Sacrificium Missæ efficere & offerre, probatur; tum, quia immolatio & oblatio Sacrificij Missæ in consecratione consistit; consecratio autem validè fieri potest à quocumque Sacerdote quouis modo præciso, quia consecratio fit validè ratione characteris, qui nequit ab Ecclesia deleri: tum etiam, quia quamuis immolatio seu actio Sacrificij Missæ sita esset in oblatione, verbis illis, *Offerimus*, &c. facta, nihilominus Sacerdos præcisus validè potest verum Sacrificium offerre, quia Sacerdos non offert nomine Ecclesiæ, potestate ab ipsa accepta; sed potestate annexa characteri à Deo accepto ad orandum & offerendum pro Ecclesia, & nomine Ecclesiæ, ergo nequit ab Ecclesia auferri potestas dicendi nomine ipsius, *Offerimus*, &c. quamuis id prohibere possit, & de facto præcisus prohibeat.

### DIFFICULTAS III.

*Utrum alij fideles, præter Sacerdotes, Sacrificium Missæ offerre dicantur.*

Continent Catholici, alios fideles, præter Sacerdotem consecrantem, etiam in Sacrificio Missæ offerre. Quod tradunt Rupertus lib. 2. de Diuinis officijs cap. 6. Innocentius III. lib. 3. de Mysterijs Missæ cap. 5. & Leo I. Epist. 81. cap. 2. & id exprimitur in Canone Missæ, dum dicitur: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cuncte familie tue.* Quo significatur, totam familiam Christi, seu totum populum Christianum hoc Sacrificium seruitutis offerre: & dum paulò inferiùs dicitur, *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta, &c. offerimus præclaram maiestati tue, &c.* & id non leuiter indicatur, dum dicitur: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* vbi verba illa, *vel qui tibi offerunt*, de circumstantibus intelliguntur, quia particula *qui* ad circumstantes refertur.

Omnes ergo alij fideles, etiam absentes, dicuntur etiam Sacrificium Missæ offerre, non proximè & immediatè, quia ipsi non proferunt verba consecrationis, medijs quibus quasi gladio mactatur

& offertur victima in Sacrificio Missæ; sed tantum remotè & mediatè, nempe medio Sacerdote; non quia ipsi ad illud aliquo modo concurrant, nec physicè nec moraliter, sed generaliter fideles ex eo tantum dicuntur offerre, quia ex vna parte Christus reliquit omnibus fidelibus se ipsum tamquam victimam sic vniciuq; propriam, ac si vnusquisque eam tribueret Sacerdoti, vt pro ipsis illam offerret; & ex altera Sacerdos ratione characteris à Deo deputatus, vt nomine fidelium offerat dictam victimam, offert illam quasi propriam singulorum fidelium; sicuti in Lege veteri illi dicebantur immolare & offerre, qui victimam tribuebant Sacerdoti, vt nomine ipsorum illam immolaret & offerret siue pro ipsis tribuentibus victimam, siue pro alijs. Dicitur autem Sacerdos nomine fidelium aut Ecclesiæ immolare & offerre, non tamquam superioris, sed tamquam inferioris, seu plebis & populi, vt aduertunt Bellarminus l. 2. de Sacrificio Missæ, cap. 4. & Vasquez disp. 226. num. 14. quia Ecclesia non comparatur cum Sacerdote, nisi tamquam plebs & inferior cum superiore & intercessore. Dicitur tamen immolare & offerre nomine Christi tamquam superioris, quia cum Christo comparatur tamquam minister, & inferior cum superiore & principali, & tamquam Vicarius & legatus illius ipsum representans: & idè Sacerdos potius dicitur minister Christi in Ecclesia, quàm minister Ecclesiæ.

Bellarmin.  
Vasquez.

Addimus, eos fideles, qui ad Sacrificium Missæ aliquo modo cooperantur, aut Sacerdoti sacrificanti ministrando, aut ei stipendium ad id tribuendo, aut sua assistentia Sacrificium approbando & auctorizando, dici specialiori modo offerre Sacrificium Missæ, & sic offerendo benè operari, & mereri.

### DIFFICULTAS IV.

*Utrum Sacrificium Missæ possit pro omnibus viujs offerri.*

Quamuis Sacrificium offerri pro alio, sumi possit prout idem est, quod nomine & loco alterius offerri; in præsentiarum tamen non ita sumitur, sed prout idem est quod offerri in vtilitatem & commodum alterius, ei applicando fructum Sacrificij, qua ratione communiter sumitur apud Patres, & apud Scholasticos, & apud Paulum ad Hebr. 5. non tantum dum ait, *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre*, id est in vtilitatem populi & sui; sed etiam dum dicit, *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*, id est in vtilitatem & commodum hominum, vt omnes exponunt, & deducitur ex alijs verbis iam relatis, quæ paulò inferiùs proferuntur à Paulo.

Hoc ergo supposito, Sacrificium Missæ offerri posse, non tantum pro ipsis Sacerdotibus offerentibus, vt constat ex suprâ relatis verbis Pauli, *Propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre*; sed etiam offerri posse pro alijs viujs, vt constat ex his verbis Pauli, & ex praxi & vsu Ecclesiæ, in qua quotidie offertur Sacrificium Missæ pro alijs viujs.

Est tamen difficultas, Primò, pro quibus alijs viujs in particulari offerri possit. Circa quam conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ offerri posse pro

Rupertus.  
Innoc. III.  
Leo I.



pro omnibus fidelibus baptizatis uiuis, qui sunt membra Ecclesiæ, & ab ipsa non sunt præcisi. Ita definitur in Tridentino sess. 22. cap. 1. & can. 3. & id constat ex praxi Ecclesiæ, qua post verba, *Tegitur, clementissime Pater, statim subditur, In primis qua tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, & paulo inferius, & pro omnibus orthodoxis, atque Catholica & Apostolica fidei cultoribus.*

Nomine autem fidelium baptizatorum qui non sunt præcisi, intelligimus non tantum adultos, sed etiam paruulos, quia ex omnibus coalescit Ecclesia Catholica, quia omnibus eis, non tantum adultis, tam iustis quam peccatoribus, sed etiam paruulis, Sacrificium Missæ prodesse potest, quia etiam paruulis impetrari potest salus, & vitæ diuturnitas, imò & auxilia externæ protectionis, quibus ex tunc optimè dirigantur ad rectam vitam futuram: & sub prædictis fidelibus baptizatis etiam comprehenduntur energumeni, quia etiam ex eis constat Ecclesia, & eis potest Sacrificium Missæ prodesse.

Secundò est difficultas, An Sacrificium Missæ possit offerri pro non baptizatis uiuis, vt pro gentibus, Iudæis, paganis, & Catechumenis.

Bellarmin.  
Suarez.  
Henriq.  
Ægidius.  
Layman.  
Bonacina.

Bellarminus lib. 2. de Sacrificio Missæ, cap. 6. Suarez disp. 78. sect. 2. Henriquez lib. 9. cap. 15. Ægidius q. 83. art. 1. dub. 9. Laymannus tract. 5. c. 2. & Bonacina disp. 4. pun. 5. docent, offerri posse validè & licitè; quod indicare videtur Paulus 1. ad Tim. 2. dum cõmendat obsecrationes & orationes fieri pro Regibus qui tunc non erant baptizati. Et specialiter, quòd Sacrificium Missæ offerri possit pro non baptizatis, indicat Tertullianus in lib. Ad Scapulam, cap. 2. num. 11. dum ait: *Itaque sacrificamus pro salute Imperatoris.* Imperatores autem tunc non erant baptizati. Et etiam quòd offerri possit pro Catechumenis non baptizatis, contineri videtur in Libello qui dicitur *Ordo Romanus*, in 3. Scrutinio quod Feria quarta hebdomadæ quate Quadragesimæ fiebat. Imò offerri posse pro Catechumenis adhuc defunctis, tradere videtur Innocentius III. in cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato, & Ambrosius in Oratione de obitu Valeriani Imperatoris.

Et ratione probatur, quia Sacrificium crucis pro omnibus, etiam non baptizatis, & infidelibus, oblatum fuit; ergo etiam Sacrificium Missæ, quod est applicatio fructus Sacrificij crucis, offerri potest pro omnibus.

Sotus.  
Vasquez.  
Azor.

Sotus verò in 4. d. 11. quæst. 2. art. 7. Vasquez disp. 227. cap. 3. & Azor lib. 10. cap. 22. docent, Sacrificium Missæ nec licitè nec validè offerri posse pro non baptizatis uiuis. Et in primis non posse pro illis licitè offerri, probatur ratione de iuramento ex consuetudine: quia Ecclesia non baptizatis, quantumuis Catechumenis, denegat publicas orationes in Missa, excepto die Paraceues, ex peculiari priuilegio, in signum generalis redemptionis in eo die pro omnibus à Christo exhibitæ; in alijs autem diebus potius petit vt infideles conterantur: ergo Ecclesia hac consuetudine satis denotat, se nolle, & prohibere quòd fiant orationes publicè pro nobis baptizatis, ergo multò melius prohibet, & non vult Sacrificium Missæ pro illis offerri, quia istud maius est orationibus publicis, & non minùs publicum quam illæ.

Deinde non posse pro illis validè offerri, probatur, quia Eucharistia vt Sacramentum, non prodest illis, quia tantum est instituta in Sacramentum

pro baptizatis; ergo nec vt Sacrificium, quia etiam vt Sacrificium confert suos effectus instar Sacramenti ex opere operato. Consequentia patet, quia mirum esset, & nullo fundamento affirmari potest, Christum Eucharistiam in Sacramentum pro baptizatis tantum instituisse, & eandem in Sacrificium, quam etiam vt sic, instar Sacramenti, instituit, pro non baptizatis instituisse.

Paulus ergo pro aduersarijs adductus, commendauit fieri orationes pro Regibus & alijs infidelibus non baptizatis, & verè fiebant etiam multo tempore post Paulum adhuc in Sacrificio Missæ, vt significant Clemens Romanus lib. 8. Constit. Apostol. & Chryostomus in sua Liturgia, & satis conuenienter: quia tempore Pauli & dictorum Patrum, baptizati commemorabantur inter non baptizatos, vt sic illis signa amoris ostenderent, & pacificè viuerent: iam verò id est ab Ecclesia dicta consuetudine prohibitum, & multò magis pro illis Sacrificium Missæ offerre, quia numquã pro non baptizatis illud obtulit, præsertim quia illis prodesse non potest, nec pro illis validè offerri.

Clem. Rom.  
Chrysost.

Tertullianus verò, qui specialiter de Sacrificio loquitur, aut nomine Sacrificij non intelligit Sacrificium Missæ, sed Sacrificium latè sumptum pro orationibus publicis in Sacrificio Missæ factis; aut si nomine Sacrificij intelligit Sacrificium Missæ, intelligendus est quoad valorem & meritum operantis, quod vt sic offerri potest pro non baptizatis; sicut & quodlibet aliud opus bonum. Et hoc posteriori modo explicandi sunt Innocentius III. Ambrosius & libellus Romanus, qui loqui videntur de Sacrificio Missæ.

Tertullian.

Et ad rationem respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam: concedimus enim, Sacrificium crucis pro omnibus, etiam non baptizatis, oblatum fuisse à Christo; negamus tamen inde inferri, Sacrificium Missæ posse pro illis offerri, etiam si per illud applicetur fructus Sacrificij crucis, sicut nec inferitur, Sacramenta posse applicari non baptizatis, quamuis valor Sacrificij crucis per ipsa applicetur, quia est discrimen inter Sacrificium crucis ex vna parte, & inter Sacrificium Missæ & Sacramenta ex altera, quòd Sacrificium crucis fuit à Christo oblatum tamquam bonum opus, & meritum ipsius pro redemptione generis humani; & idè voluit pro omnibus illud offerre, & pro omnibus pati & mori, quia voluit redemptionem omnium quoad sufficientiam mereri. Sacrificium verò Missæ, prout à Christo institutum, non offertur tamquam bonum opus, & meritum Christi, sed tantum tamquam quoddam peculiare instrumentum, institutum ad applicandum efficaciter ex opere operato meritum seu pretium Sacrificij crucis pro nostra redemptione, quoad effectus ad quos institutum est. Vnde non est mirum, quòd Christus noluerit illud instituire pro non baptizatis; sicut noluit alia Sacramenta à Baptismo distincta pro illis instituire, quia etiam sunt peculiarissima instrumenta, medijs quibus pretium Sacrificij crucis applicatur efficaciter, & ex opere operato quoad aliquos effectus; quod supra Sacrificium crucis est quidam nouus fauor, quem noluit præstare non baptizatis.

Tertiò est difficultas, An Sacrificium Missæ possit offerri pro baptizatis ab Ecclesia præcisis.

Supponimus, posse pro illis validè offerri, quo-



ad fructum, quem habet ex institutione Christi, quia ex vna parte institutum est à Christo pro omnibus baptizatis, & ex altera parte Ecclesia nequit dictum fructum impedire, quia iste non pendet ab Ecclesia, sed tantum ex intentione ministri, cui soli Christus totum commisit.

Punctum ergo difficultatis in eo consistit, An Sacrificium Missæ possit pro præcis ab Ecclesia licite offerri. Et primò examinandum est, an possit licite offerri pro schismaticis & hæreticis, excommunicatione seclusa.

*Bellarmin.* Bellarminus, Suarez, Henriquez, Bonacina & *Suarez.* Laymannus vbi supra, partem affirmatiuam tuentur, & *Henriquez.* Cælestinus Papa in Epist. 1. ad Episcopos *Bonacina.* Gallia, & Iacobus in sua Liturgia, dum admittunt *Layman.* pro eis publicas orationes fieri, etiam in Missa. Et *Cælestinus.* ratione probatur, quia ex vna parte institutum est à Christo pro omnibus baptizatis, & ex altera, seclusa excommunicatione, id non est prohibitum ab Ecclesia; ergo non solum validè, sed etiam licite potest pro illis offerri.

*Gabriel.* Gabriel verò lect. 34. in Can. lit. A. Sotus & *Sotus* Vasquez vbi supra, partem negatiuam tradunt, & *Vasquez.* meritò: quia Ecclesia numquam offert Sacrificium Missæ, nec publicè orat pro schismaticis & hæreticis, adhuc in communi, nisi in die Parasceues, in alijs autem diebus potius petit vt contendantur; ergo satis denotat se nolle, & se prohibere offerri Sacrificium & orationes publicas pro illis fieri.

Testimonijs verò Patrum adductis pro aduersarijs, tantum probatur, id non esse prohibitum ex natura rei, & pro illis temporibus non fuisse ab Ecclesia prohibitum, imò fuisse ordinatum vt fieret; non tamen, quòd modò non sit ab Ecclesia prohibitum, vt verè est, prohibitione dicta consuetudine introducta aut denotata.

Quoad reliquos verò baptizatos maiori excommunicatione excommunicatos, quamuis pro eis possit Sacrificium Missæ validè offerri, quia baptizati sunt; conueniunt tamen Theologi, non posse pro illis licite offerri, quia ab Ecclesia sunt exclusi à communibus suffragijs (quorum vnum est Sacrificium Missæ) vt constat ex cap. *A nobis* 26. & ex cap. *Sacris* 38. de Sentent. excommunicat. & ex 11. q. 3. de quo latius dicimus Tractatu de Excommunicatione Disputat. 111. Difficult. 11. Id tamen intelligitur quoad excommunicatos non toleratos, id est nominatim denunciatos, aut eos qui notoriè inciderunt in excommunicationem ob percussione Clerici, quia pro excommunicatis toleratis licite offerri potest, vt dicimus in eadem Disputatione Difficultate 14.

Obseruandum est, quòd quamuis Sacrificium Missæ nequeat offerri directè pro baptizatis præcis ab Ecclesia, nec pro nò baptizatis, quamuis Catechumenis, oblatione ad illos directà; indirectè tamen potest, oblatione directà ad Ecclesiã, nempe pro dilatatione & pace Ecclesiæ, pro sedando schismate, & pro salute v.g. Germaniæ, & etiam totius mundi, quamuis Sacrificium Missæ sic oblatum redundet indirectè in bonum non baptizatorum, & baptizatorum ab Ecclesia præcisorum, quia eorum conuersione & reductione Ecclesia pacificatur, melioratur, & propagatur, de quo latè in dicta Disputatione.

## DIFFICULTAS V.

*Vtrum Sacrificium Missæ possit pro omnibus defunctis offerri.*

**C**irca damnatos non defuerunt, qui olim existimauerint Sacrificium Missæ pro illis validè & licite offerri: validè, quia eis potest prodesse, vt æterna pœna minus impatienter sustineatur, & vt tolerabilior fiat: & licite, quia id non est prohibitum. Quibus maximè fauet Glossa in can. *Tempus* 13. quæst. 2. dum ait, orationem & eleëmofynam prodesse damnatis mediocriter malis, vt mitius in inferno puniantur, quod multò meliùs attribueret Sacrificio Missæ. Et id tradere videtur Augustinus in Enchiridio cap. 120. & refertur in d. can. *Tempus*, dum ait, Sacrificium Altaris & eleëmofynarum prodesse non valdè malis, vel vt sit plena remissio, vel vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Nihilominus Theologi constanter docent, Sacrificium Missæ nec validè nec licite posse pro damnatis offerri. Quod autem id non liceat, dicitur in can. *Pro obuentibus*. 13. quæst. 2. & id indicat Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 40. dum ait, non esse licitum pro damnatis orare, quia eadem omnino est ratio; imò maior, vt etiam non sit licitum pro illis Sacrificium offerre. Et ratione probatur, quia Sacrificium Missæ ad nihil potest prodesse damnatis, quia non sunt in statu adipiscendi nouam misericordiam, sed patiendi rigorosam vindictam, quia in inferno nulla est redemptio & misericordia, de quo latius dicitur in Tractatu de Suffragijs, aut in Tractatu de Nouissimis.

Augustinus verò nullatenus fauet aduersarijs, quia nomine *damnationis*, dum ait Sacrificia prodesse vt tolerabilior fiat ipsa damnatio, non intelligit pœnam æternam inferni, sed pœnam purgatorij, quæ Sacrificijs aut omnino tollitur, aut remissione alicuius partis pœnæ fit tolerabilior. Vnde per non valdè malos intelligit eos, qui è vita decesserunt non plenè extincto reatu pœnæ.

Circa Beatos Primò conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ offerri non posse vt Beatis remittatur culpa, nec pœna aliqua, vt patet, nec vt in eis augeatur gratia habitualis, nec gloria, quia totam, quam habituri sunt, habent ab ingressu gloriæ.

Secundò conueniunt, posse Deo Sacrificium Missæ offerri, vt ipsi gratias agamus pro Beatorum victorijs, vt dicitur in Tridentino sess. 22. cap. 3. & *Trident.* pro beatitudine ipsis collata, quod est quodammodò pro ipsis Sacrificium offerri, quia Sacrificio ea intentione oblato, Beati quodammodò recompensant, vel nos loco illorum, pro beneficijs à Deo acceptis, ac proinde vnum ex fructibus Sacrificij quodammodò participant.

Tertiò conueniunt, Sacrificium Missæ offerri posse in honorem & gloriam Beatorum, & de facto sic offertur, vt constat ex Missa Latina, dum in eius Officio dicitur, *quam tibi offerimus in honorem Beatae Mariæ, & omnium Sanctorum, vt illis proficiat ad honorem.* Dicitur autem offerri in honorem & gloriam Sanctorum, tum quia in Officio Missæ multis modis illos commemoramus, præferim à Deo petentes, vt faciat eos suis intercessionibus nos adiuuare, & per eorum merita à Deo multa beneficia petentes, quo non parum eos honoramus &



& glorificamus; tum etiam, quia actione ipsa Sacrificij auxilia gratiæ à Deo nobis & alijs impetramus, vt Sanctos honoremus & glorificemus, quamuis hoc non tam sit pro Sanctis Sacrificium offerri, quàm pro nobis.

Ita tamen in Ecclesia offertur Sacrificiū Missæ in honorem & gloriam Sanctorum, vt non ipsis, sed soli Deo offeratur, vt aduertit Tridentinum cap. illo 3. ac proinde soli Deo templa & altaria eriguntur, vt in eis soli Deo, non Sanctis Sacrificium offeratur: id tamen non tollit, quin templa & altaria in honorem Beatorum erigantur, & illis dicentur, vt in Sacrificio in illis oblato, Sancti prædictis modis inuocentur & commemorentur. Et hoc posteriori modo & fine fit in Ecclesia, non priori modo, vt Kemnitius falsò imponit Ecclesiæ. Quòd verò Sanctos in Officio Missæ inuocare, & commemorare, vt fit in Ecclesia, non sit reprehensione dignum, sed potius laudabile; constat ex Patribus, & ex vsu Ecclesiæ, & ex ratione, vt videri potest apud Bellarminum l. 2. de Missa, cap. 8. vbi

etiam obiectiones Kemnitij contra consuetudinem hanc dissoluit.

Circa defunctos baptizatos in Purgatorio existentes conueniunt Catholici, Sacrificium Missæ posse pro eis offerri, & eis maximè prodesse ad remissionem pœnæ (ac proinde, vt citius beatitudinem adipiscantur) vt definitur in Tridentino *Trident.* sess. 22. cap. 2. & can. 3. & constat ex perpetua Ecclesiæ traditione. quod etiam expresserunt Augustinus de Verbis Apost. Serm. 32. Chrysostomus *Augustin. Chrysof.* Homil. 3. Epist. ad Philip. & Homil. 69. ad populum Antiochenum. Cyprianus lib. 1. Epist. 9. Epiphanius Hæresi 75. Eusebius lib. 4. de Vita Constant. cap. 71. & Cyrillus Catechesi 5. Pro defunctis verò non baptizatis nequit adhuc validè offerri, & multò minùs quàm pro non baptizatis viuus, nisi quoad valorem & meritum ipsius operantis seu Sacrificantis; sicut quodlibet aliud opus bonum, eo modo quo Difficultate præcedenti diximus posse offerri pro non baptizatis viuus.

## DISPUTATIO III.

## De virtute &amp; effectibus Sacrificij Missæ.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum remissio peccati mortalis quoad culpam sit effectus Sacrificij Missæ.*



ONVENIUNT Catholici, virtute Sacrificij Missæ peccata mortalia quoad culpam remitti. Est tamen difficultas circa modum, quo virtute illius remittatur, an scilicet immediatè, an tantum mediatè.

*Albe. Pigh.*

Albertus Pighius Controu. 5. & nonnulli recentiores docent, virtute Sacrificij Missæ immediatè & proximè remitti peccata mortalia quoad culpam, & infundi gratiam habitualem ei pro quo offertur, sicut virtute Sacramenti Pœnitentiæ: ad id tamen requirunt in eo, pro quo offertur, attritionem de illis; quod probabile censet Gaspar Casalibus lib. 2. de Sacrificio Missæ, & indicare videtur Tridentinum sess. 22. c. 2. dum de Sacrificio Missæ loquens, ait: *Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Et id tradere videntur Martialis in Epist. ad Burdegalenses cap. 3. Alexander in Epist. 1. decretali. c. 4. Ambrosius 1. Offic. cap. 48. Hieronymus Epist. 146. Cyrillus Ierofolymitanus Catechesi 5. & Iulius Papa in Epist. ad Episcopos pro Ægyptum, & refertur in can. *Cum omne crimen.* de Consecrat. d. 2. dum ab ipsis remissio peccatorum tribuitur Sacrificio Missæ.

*Martial. Alexand. Ambros. Hieronym. Cyr Ierof. Iul. Pap.*

Et ratione probatur, quia in Eucharistia potior est ratio Sacrificij quàm Sacramenti, quia ratio Sacrificij in oblatione posita est, ratio verò Sacramenti ad vsum refertur: sed Eucharistia quatenus est Sacramentum, immediatè confert primam

gratiam habitualem, & remissionem mortalium attrito, qui bona fide se existimat contritum; ergo idem etiam operatur quatenus est Sacrificium, adhuc in eo qui scienter est tantum attritus, quia Eucharistia quatenus est Sacrificium, instituta est ad remittenda peccata mortalia, non verò quatenus est Sacramentum.

S. Thomas verò in 4. d. 12. quæst. 2. art. 2. ad 4. *S. Thomas.* Vasquez disp. 228. Suarez disp. 79. sect. 3. *Vasquez.* Egidius art. 1. dub. 8. & communiter Theologi docent, virtute Sacrificij Missæ non remitti immediatè peccata mortalia quoad culpam, sed tantum mediatè, quia scilicet virtute illius impetrantur auxilia, medijs quibus acquiritur remissio & iustificatio à mortalibus. quod significat Tridentinū cap. illo 2. illis verbis: *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.* quibus verbis satis significat, Deum virtute Sacrificij Missæ remittere mortalia, concedendo auxilium gratiæ ad pœnitentiam (sive Sacramentum, sive perfectam contritionem) mediâ quâ remittantur peccata, quod etiam superius expresserat illis verbis: *Per ipsumque fieri, vt si cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* quibus verbis satis exprimit, per Sacrificium Missæ nos consequi misericordiam & remissionem peccatorum, medijs auxilijs, si pœnitentes, quamuis solum attriti, seu imperfectè contriti simus. Ex quo patet ad testimonium Tridentini pro aduersarijs adductum: & id ratione ab absurdis desumpta probatur, quia Primò sequeretur, eum, pro quo Sacrificium offertur, posse in somnis iustificari à mortalibus, si ante somnum habuit attritionem eorum, & pro eo in somnis existente Sacrificium offeratur: id autem nimium est concedere Sacrificio Missæ, quia vix conuenit Sacramentis. Secundò sequeretur, Sacramentum Pœnitentiæ nec in re nec



in voto esse medium necessarium in baptizatis ad remissionem mortalium, quia hæc fieri potest medio Sacrificio, in quo nec Sacramentum Pœnitentiæ nec eius votum continetur. Quibus accedit, quod absque firmo fundamento prædictus modus remittendi mortalia, & iustificandi ab illis, tribuitur ei quod non est Sacramentum.

Patres ergo pro aduersarijs adducti, solum affirmant, Sacrificio Missæ remitti peccata; quia tamen non dicunt, immediatè & proximè, exponendi sunt, sicut Tridentinum, mediatè & remotè.

Ad rationem verò negamus, in Eucharistia rationem Sacrificij esse perfectiorem ratione Sacramenti (imò potius est imperfectior) & etiam negamus, Eucharistiam, vt Sacramentum, à mortalibus immediatè iustificare: & quamuis vtrumque esset verum, non concluderetur intentum aduersariorum, quia ex eo non conuinceretur, Sacrificium Missæ fuisse institutum ad sic iustificandum, quia duobus illis existentibus, potuit Christus non instituere Sacrificium Missæ ad id.

Addimus, in quo Theologi conueniunt, remissionem mortalium, quæ fit virtute Sacrificij Missæ, impetrando auxilia efficacia ad id, non esse certam & infallibilem, quamuis offeratur pro rectè disposito, quia ad id nullum est sufficiens fundamentum. Accedit, quod perseverantia fit effectus Eucharistiæ vt Sacramenti, non minùs quam dicta remissio mortalium est effectus ipsius vt Sacrificij: perseverantia autem non conceditur infallibiliter dignè suscipientibus Sacramentum Eucharistiæ; ergo nec dicta remissio eis, pro quibus offertur Sacrificium Missæ. Vnde medio Sacrificio Missæ non conceditur infallibiliter auxilium efficax ad id medio quo fiat dicta remissio, quia auxilio efficaci concessò, dicta remissio fit certò & infallibiliter. Quòd autem dicta remissio sit effectus Sacrificij Missæ ex institutione Christi, & ex opere operato, non sufficit vt sit infallibilis, vt dicemus Difficultate VI.

Sed an impetratio auxilij tantùm sufficientis ad eam remissionem, sit etiam effectus Sacrificij Eucharistiæ, parui momenti est: credimus tamen, non esse effectum illius; sicut nec impetratio auxilij tantùm sufficientis ad perseverandum est effectus Eucharistiæ vt Sacramenti: quia non satis aptè institueretur peculiare instrumentum, quo applicarentur merita Christi ad auxilium, quod nullum est habiturum effectum, quamuis non sit habiturum ex defectu illius cui datur, & non ex defectu ipsius auxilij. Et id quoad impetrationem auxilij medio Sacrificio Missæ indicat Tridentinum cap. illo 2. dum assignans prædictum effectum Sacrificio Missæ, ait, *Per ipsumque fieri, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno, id est efficaci; & etiam dum subdit, Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit*: quia Deus donum pœnitentiæ non concedit absque auxilio efficaci, etiam quoad impetrationem auxilij ad perseverandum medio Sacramentum Eucharistiæ. Id etiam indicat sess. 13. cap. 2. dum ait Christum voluisse Eucharistiam sumi tamquam antidotum, quo à peccatis mortalibus preseruemur: præseruemur autem auxilio efficaci, & non auxilio tantùm sufficiente.

Trident.

## DIFFICULTAS II.

*Vtrum remissio venialium sit effectus Sacrificij Missæ.*

Conueniunt Theologi, virtute Sacrificij Missæ etiam remitti peccata venialia quoad culpam: quod significat Tridentinum sess. 22. c. 2. *Trident.* per Sacrificium Missæ peccata etiam ingentia dimitti; quia particula *etiam* supponit, etiam minora & minima peccata dimitti. Et quidè nullum est instrumentum ad remissionem mortalium institutum, quod etiam non fit ad remissionem venialium.

Est tamen difficultas, An remittantur immediatè, an mediatè impetratione auxiliorum.

Canus 12. de Locis c. 13. ad 3. Corduba lib. 2. *Canus.* q. 3. Notab. 4. Valentia disp. 6. q. 11. pun. 1. §. 22. *Corduba.* Henriquez lib. 9. cap. 13. & Petrus Nauarra lib. 2. *Valentia.* cap. 2. n. 354. docent, peccata venialia immediatè remitti per Sacrificium Missæ, sicut per Sacramenta, quia per Sacramentalia, vt per aquam benedictam, immediatè remittuntur; ergo multò meliùs per Sacrificium Missæ. *Hepriq.* *Pet. Nauar.*

Vasquez verò disp. 228. cap. 3. Suarez disp. 79. *Vasquez.* sess. 5. Azor lib. 10. cap. 20. q. 4. Egidius art. 1. *Suarez.* dub. 8. num. 136. Laymannus c. 1. n. 5. Bonacina *Azor.* pun. 3. & Adamus q. 9. dub. 4. docent, & meritò, *Egidius.* venialia non remitti immediatè per Sacrificium *Layman.* Missæ, sed tantùm mediatè, media scilicet impetratione auxiliorum gratiæ ad contritionem perfectam, vel ad receptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Quod indicat Tridentinum c. illo 2. dum non *Bonacina.* tantùm supponit, per Sacrificium Missæ etiam remitti veniale, sed etiam tradit modum quo id fiat, nempe quia Deus concedit gratiam & donum pœnitentiæ. Et ratione probatur, quia nullum est firmum fundamentum ad tribuendam dictam virtutem immediatam ei quod non est Sacramentum. *Adamus.*

Addimus, remissionem venialium, quæ fit virtute sacrificij Missæ, non esse certam & infallibilem, quia ad id nullum est firmum fundamentum, cui non obstat, quòd fiat ex institutione Christi, & ex opere operato, vt dicemus Difficultate VI.

Ad fundamentum aduersariorum negamus, per Sacramentalia remitti immediatè venialia.

Trident.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum augmentum gratiæ habitualis sit effectus Sacrificij Missæ.*

Conueniunt Theologi, augmentum gratiæ habitualis esse effectum Sacrificij Missæ, vt pro iustis offeratur: quia si peccatoribus impetratur remissio mortalium, & iustis remissio venialium; non est mirum, quòd impetretur augmentum gratiæ habitualis iustis, pro quibus offertur; præsertim quòd remissio venialium non fit absque augmento gratiæ habitualis, collato intuitu attritionis de illis, aut absq; contritione perfecta, intuitu cuius etiam confertur augmentum dictæ gratiæ.

Est tamen difficultas, An id fiat immediatè, sicut per Sacramenta, an tantùm mediatè.

Petrus Sotus de Instit. Sacerd. lect. 7. de Eucharistia, & Dominicus Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. docet id fieri immediatè, quia non videtur minor virtus

Pet. Sotus.  
Do. Sotus.



virtus Sacrificij, quàm Sacramentorum.

Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.

Suarez disp. 79. sect. 4. Vasquez disp. 228. & Ægidius art. 1. dub. 8. num. 131. docent id non fieri immediatè, & meritò: quia nullum est firmum fundamentum ad attribuendam eam virtutem Sacrificij Missæ. Et specialiter, quòd non habeat virtutem conferendi immediatè augmentum gratiæ eis pro quibus offertur, probatur; quia aliàs in adulto dormiente posset augeri, si pro eo, quando dormit, offeratur; & etiam posset augeri in parvulo baptizato, si pro eo offeratur, quòd est nimium concedere ei quòd non est Sacramentum.

Ex eo ergo iustis augetur iustitia & gratia virtute Sacrificij Missæ, quia virtute illius conferuntur illis auxilia efficacia ad opera bona, quibus crescant in iustitia & gratia: augmentum tamen istud sic mediatè collatum, etiam si ex opere operato conferatur, non tamen certò & infallibiliter, quia ad hoc nullum est firmum fundamentum.

## DIFFICULTAS IV.

*Utrum remissio pœnæ temporalis sit effectus Sacrificij Missæ.*

Trident.

Conueniunt Primò Catholici, virtute Sacrificij Missæ pœnam temporalem restantem post remissionem culpæ remitti iustis, tam viuis quàm defunctis; quòd definitur in Tridentino sess. 22. c. 2. vbi etiam dicitur, id ex Apostolica traditione constare. Idè definitur can. 3. & sess. 25. cap. 1. Et sanè, cum in Ecclesia Sacrificium istud semper fuerit pro pœnis iustorum viuorum & defunctorum oblatum, negari nequit illis ad pœnæ remissionem prodesse.

Trident.

Conueniunt Secundò Theologi, virtute Sacrificij Missæ dictam pœnam temporalem immediatè remitti. Quòd indicatur in Tridentino sess. 22. cap. illo 2. dum, postquam dixit Deum Sacrificio Missæ placatum ingentia peccata remittere, gratiam & donum pœnitentiæ concedendo (quo satis indicat culpas mediatè remitti) absolute & absque vlla limitatione subdit, Sacrificium Missæ pro pœnis offerri. imò addit, & pro satisfactionibus, quo non leuiter indicat, Sacrificium Missæ substitui pro operibus satisfactorijs, quia alio modo non offertur pro satisfactionibus, ac proinde immediatè virtute illius pœnas immediatè remitti, sicut satisfactionibus extinguuntur. Et quidè si immediatè non prodesset ad remissionem pœnarum, eas & quodcumque aliud æquiualens excusando, sed tantum mediatè, impetrando auxilia ad opera satisfactoria, parum ad remissionem pœnarum prodesset, quia pœnæ aliàs, etiam si Sacrificium non offeratur, operibus satisfactorijs extinguuntur. Accedit, quòd defunctis nequit alio modo ad remissionem pœnarum prodesse, vnde etiam eodem modo proderit viuis.

Est tamen difficultas, An pœnarum remissio certò & infallibiliter fiat medio Sacrificio Missæ.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, virtute Sacrificij Missæ certò & infallibiliter remitti pœnas viuis iustis, & meritò; quia maximè conueniens est, Sacrificium Missæ, quòd institutum est à Christo instar Sacramenti, tamquàm causa particularis applicatiua fructus suæ passionis, habeat fructum aliquem infallibilem, sicut habent

Sacramenta, instar quorum institutum est: nullus autem alius ei potest commodius attribui, quàm remissio dictarum pœnarum, & quia est effectus immediatè ab ipso proueniens, & quia nullum alium infallibilem agnoscitur habere, & què nullis alijs còmodius tribuit quàm viuis, quia remedia particularia præcipuè sunt pro viuis à Christo instituta.

Punctum ergò difficultatis in eo est, An Sacrificium Missæ certò & infallibiliter prodest iustis defunctis ad pœnarum remissionem.

Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. Canus 12. de Locis cap. 3. & Corduba lib. 1. q. 3. docent, Sacrificium Missæ non semper & infallibiliter prodesse defunctis ad dictum effectum, sed prout Deo placuerit, quia Indulgentiæ tantum profunt defunctis hoc modo; ergo etiam eo tantum modo illis prodest Sacrificium Missæ.

Sotus.  
Canus.  
Corduba.

Vasquez verò disp. 228. cap. 4. Suarez disp. 79. sect. 1. & communiter Theologi docent, Sacrificium Missæ pro defunctis iustis oblatum, eis semper & infallibiliter prodesse ad remissionem pœnæ temporalis, & meritò: quia Sacrificium Missæ institutum fuit à Christo ad remissionem pœnæ, tam pro viuis iustis quàm pro defunctis; ergo sicut viuis prodest certò & infallibiliter, ita etiam defunctis, quia eadem est pro vtrisque ratio; & nullum inter vrosque quoad dictum effectum agnoscitur discrimen.

Vasquez.  
Suarez.

Vnde quamuis verum esset, Indulgentias defunctis applicatas, non certò & infallibiliter illis prodesse, sed pro arbitrio Dei, non esset idem dicendum de Sacrificio Missæ pro illis oblato ob discrimen inter Indulgentias & Sacrificium Missæ; quia si Indulgentiæ non prodesset illis certò & infallibiliter, idè esset, quia Ecclesia, ex cuius auctoritate Indulgentiæ applicantur, nullam habet in defunctos iurisdictionem, vt ipsis possit per modum absolutionis Indulgentias applicare; Sacrificium verò Missæ à Christo, qui etiam habet iurisdictionem in defunctos, fuit etiam pro illis ad remissionem pœnæ institutum, & idè illis, sicut etiam viuis, certò & infallibiliter prodest.

## DIFFICULTAS V.

*Utrum sint alij effectus Sacrificij Missæ.*

Conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ non tantum prodesse ad impetrationem auxiliorum, ad vincendas tentationes, & ad perseuerandum in gratia, & ad alia bona spiritualia, quibus egenus vt ad gloriam perueniamus, sed etiam ad impetrationem bonorum temporalium, vt victoriæ, pacis, salutis, fructus terræ, & aliorum, quatenus spiritualibus deseruire possunt. Quòd satis indicat Tridentinum sess. 22. cap. 2. & can. 3. dum ait, Sacrificium Missæ offerri non tantum pro pœnis & pro satisfactionibus, sed etiam pro alijs necessitatibus. Et id significant Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 5. Chrysostomus Homil. 77. in Ioannem, Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei c. 8. & plures alij Patres.

Trident.

Cyrillus.  
Chrysof.

Addimus, Sacrificium Missæ prodesse ad impetrationem bonorum temporalium, quatenus spiritualibus deseruire possunt; quia sicut Christus non fuit mortuus pro temporalibus absque respectu ad spiritualia; ita etiam Sacrificium Missæ, quòd institutum fuit à Christo vt instrumentum peculiare



applicatiōnis fructuum suæ passionis, non fuit institutum ad impetrationem temporaliū, nisi quatenus ad spiritualia possunt conducere.

Observandum tamen est, prædictos effectus non certò & infallibiliter obtineri virtute Sacrificij Missæ, etiamsi expediant ei pro quo offertur, quia ad dictam infallibilitatem nullum habemus sufficiens fundamentum.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum omnes effectus Sacrificij Missæ supra memorati dicendi sint ex opere operato.*

Conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ, vt bene moraliter factum à Sacerdote, habere vim ex opere operantis ad omnes memoratos effectus, quia vt sic factum à Sacerdote, est opus bonum; ac proinde meritorium pro se & pro alijs, præsertim si fiat à Sacerdote iusto. Addimus, vt bene moraliter factum à Sacerdote, habere vim ex opere operantis ad omnes dictos effectus, quia comparatum cum tota Ecclesia, non habet vim ex opere operantis ad illos, vt aduertit Vasquez disp. 229. c. 2. quia non fit ab Ecclesia (ac proinde nec est opus moraliter bonum Ecclesiæ) quia tota Ecclesia non exercet opus Sacrificij, nec aliter concurrat ad illud, aliàs omnes iusti sibi mererentur de condigno vitam æternam per Sacrificium factum à Sacerdote, quia per omne opus bonum, ad quod ipsi aliquomodo concurrunt, merentur de condigno vitam æternam. Fatemur, vim impetrandi, quæ in Sacrificio ex opere operantis reperitur, ipsi non tantum prouenire ratione personæ particularis seu priuatae Sacerdotis, sed etiam dignitatis Sacerdotalis; quia, vt idem Vasquez aduertit, Deus etiam ad eam dignitatem attendens, solet Sacerdotes exaudire, ita vt aliquando concedat, quod ratione personæ priuatae Sacerdotis non concederet, præsertim quando Sacerdos est in statu peccati.

Ita tamen in Sacerdote est dicta duplex ratio impetrandi rem vi personæ particularis, & dignitatis Sacerdotalis, vt quò Sacerdos fuerit sanctior, eò opus Sacrificij sit magis impetratorium, quasi intentiue ratione personæ particularis; quia, vt definit Alexander Papa Epistol. 2. & refertur in can. *Ipsa Sacerdotes* 1. quæst. 1. *quanto digniores fuerint* (subintellige Sacerdotes) *tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur*: & quo sanctior fuerit Ecclesia, id est, quò in ea fuerint plures & magis sancti, eò opus Sacrificij factum à Sacerdote, etiam sit magis impetratorium ratione dignitatis Sacerdotalis qua in Ecclesia fulget; quia quò dignior est communitas in qua quis vt minister offert & deprecatur, facilius impetrat.

Est tamen difficultas, An in Sacrificio Missæ sit vis ex institutione Christi, & ex opere operato, ad omnes dictos effectus.

Circa hanc difficultatem, ommissis varijs modis dicendi Scoti Quodlib. 20. indicantis, Sacrificium Missæ ad nullum effectum habere vim ex opere operato, & Suarez disp. 79. existimantis habere vim ex opere operato ad aliquos, & non omnes effectus: dicendum est, vt optimè Vasquez disp. 229. cap. 2. Egidius cap. 1. dub. 8. & Puteanus art. 1.

dub. 5. in Sacrificio Missæ esse vim ex opere operato ad omnes suos supra relatos effectus, quia Sacrificium etiam operatur omnes dictos effectus; quia institutum est à Christo, vt ad ipsum factum & exhibitum attendens Deus, quamuis aliàs malè fiat, & à malo Sacerdote, conferat omnes dictos effectus ei pro quo offertur: ergo ad omnes habet vim ex opere operato. Consequencia patet, quia quòd operatur ex institutione Christi, seu quia institutum est à Christo, non tantum operatur, quia habeat vim seu valorem ex ipso operante, sed quia aliunde habet vim communicatam, nempe à Christo instituyente: hoc autem est operari ex opere operato, vt ex terminis patet. Antecedens autem, nempe Sacrificium Missæ habere vim ad omnes dictos effectus, quia institutum est à Christo, non attenda bonitate & valore ipsi proueniente ab operante, constat ex Tridentino sess. 22. cap. 1. vbi dicitur: *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullæ indignitate aut malitia offerentium inquinari potest*: quòd non dixit Tridentinum, quia actio ipsa prauo aliquo affectu offerentium non possit fieri mala, quia verè fieri potest; sed quia nulla malitia offerentium amittere potest vim ad omnes suos effectus, quam habet ex institutione, quam Christus fecit in reuerentiam rei in ipso Sacrificio oblatae. Et idem indicatur in eodem cap. dum dicitur, Christum reliquisse sacrificium, quo cruentum crucis representaretur, & quo virtus illius cruenti applicaretur. Christus ergo instituit Sacrificium Missæ, vt medio ipso, tamquam in instrumento particulari, virtus suæ passionis nobis applicetur ad omnes effectus, qui medio ipso conferuntur, & specialiter, quòd dicta virtus Sacrificio Missæ ex institutione Christi conueniens, sit ad omnes effectus, etiam ad eos, qui non conferuntur infallibiliter & certò, significat Tridentinum, quia postquam cap. 1. Sacrificio Missæ attribuit dictam vim ex institutione Christi, quam fecit in reuerentiam rei in illo oblatae, postea cap. 2. effectus illius enumerans, non tantum enumerat remissionem peccatorum quoad pœnam, quæ certò & infallibiliter conceditur, sed etiam impetrationem aliorum donorum quæ non conferuntur certò & infallibiliter: idè autem effectus istos, qui non certò & infallibiliter conferuntur, attribuius virtuti Sacrificij ex opere operato, quia quando conferuntur, verè conferuntur non tam attenda bonitate ipsa operis offerentis, quam attenda institutione Christi; vt non obstante malitia offerentis, nihilominus prædicti effectus conferantur, vt significat Tridentinum cap. illo 2. Quòd autem non semper conferantur, non obstat, vt sint effectus ex opere operato, seu ex institutione Christi; quia Christus instituere potuit, vt medio Sacrificio conferantur, vt Deo placuerit, sicut perseverantia est effectus Eucharistiæ ex opere operato, quia est ex institutione Christi, & tamen non certò confertur.

## DIFFICULTAS VII.

*Vtrum Sacrificium Missæ sit infiniti valoris.*

Supponimus, valorem Sacrificij Missæ ex opere operantis seu offerentis, esse finitum & limitatum, quia Sacrificium, sicut quodcumque aliud

Trident.

Trident.

Trident.

Vasquez.

Alexand. P.

Scotus.

Suarez.

Vasquez.  
Egidius.  
Puteanus.



aliud opus bonum, habet hunc valorem ex bonitate operis, & ex dignitate proximè sacrificantis; bonitas autem operis est finita & limitata, & etiam dignitas Sacerdotis, qui est proximè sacrificans: est ergo difficultas de valore Sacrificij Missæ, quem habet ex institutione Christi, seu ex opere operato.

*Durandus.* Durandus in 4. d. 45. quæst. 3. ad 3. Maior q. 2.  
*Maior.* Gabriel lect. 27. litt. K. Sotus lib. 9. de Iustitia  
*Gabriel.* q. 2. art. 2. concl. 2. Bellarminus lib. 2. de Missa  
*Sotus.* c. 4. Henriquez 1. 9. c. 19. Azor lib. 10. c. 2. q. 8.  
*Bellarmin.* Egidius art. 1. dub. 10. Bonacina disp. 4. quæst. vltima  
*Henriquez.* pun. 4. & Laymannus tract. 5. cap. 1. docent,  
*Azor.* valorem ex opere operato Sacrificij Missæ esse finitum  
*Egidius.* & limitatum, Primò, quia si Sacrificium  
*Bonacina.* Missæ esset infiniti valoris, sufficeret vnum pro  
*Laymann.* omnibus necessitatibus, ac proinde non esset necessarium illud repetere: ideò enim Sacrificium crucis non fuit repetitum, quia fuit infiniti valoris, & illo vno Christus consummavit sanctificatos, vt ait Paulus ad Hebr. 10.

Secundò, quia quamvis Sacrificium crucis fuerit infiniti valoris quoad sufficientiam, tamen quoad efficaciam finitè operatur, per causas particulares per quas applicatur, nempe per Sacramenta, etiam Eucharistia: sed etiam applicatur per Sacrificium Missæ, tamquam per causam instrumentalem particularem; ergo Sacrificium Missæ etiam est finiti valoris sicut sunt Sacramenta.

Tertiò, quia si Sacrificium Missæ esset infiniti valoris, etiam si pro multis offerretur, non minùs proderet cuiilibet, quàm si tantùm pro quolibet offerretur, ac proinde Sacerdos vna Missa posset satisfacere pluribus, pro quibus eam celebrare debet.

*Caietanus.* Caietanus verò q. 7. art. 5. Silvester v. *Missæ*,  
*Silvester.* quæst. 9. Canus lib. 12. de Locis cap. 13. Petrus Sotus  
*Canus.* lect. 7. de Eucharistia, Viguierius cap. 16. §. 3.  
*Sotus.* Corduba lib. 1. quæst. 3. & Valquez disp. 230. docent,  
*Corduba.* valorem Sacrificij Missæ ex Christi institutione,  
*Valquez.* seu ex opere operato esse infinitum, quamvis de facto & in actu secundo finitum tantùm effectum operetur, & meritò: quia valor Sacrificij Missæ ex opere operato tantus est, & virtus seu vis illius ex institutione Christi ad operandum tanta est, vt quò maior est dispositio & deuotio erga ipsum Sacrificium, in eo pro quo offertur, eò maiorem fructum & effectum causet, vt dicemus Difficultate XI. Ergo virtus ex institutione Christi ipsi conueniens ad operandum, est absque fine & limite, seu infinita: imò non tantùm est virtus & vis infinita in potentia, sed etiam in actu; quia actu tanta in illo virtus reperitur, vt absque additione nouæ virtutis ipsi facta possit maiorem & maiorem effectum absque limite producere: ex infinitate autem in potentia effectus optimè deducitur infinitas in actu virtutis in causa, vt ostendit Valquez 1. part. disp. 103. cap. 2. Et eadem ratione constat, etiam Sacramenta habere virtutem infinitam in actu; quia quò in suscipientibus est maior dispositio, eò maiorem effectum causant.

Est tamen discrimen inter Sacramenta, excepto Eucharistia, & Sacrificium Missæ; quòd Sacramenta, excepto Eucharistia, tantùm habent virtutem ad causandum maiorem effectum, & maiorem quoad intensionem, non tamen maiorem quoad extensionem, nempe ad effectum in pluribus & in pluribus hominibus causandum: quia

idem Sacramentum, excepto Eucharistia, nequit in pluribus operari, quia nequit vnum à pluribus recipi: Sacrificium vero non solum habet valorem & virtutem ad causandum maiorem & maiorem effectum quoad intensionem in eodem homine, sed etiam ad causandum maiorem & maiorem quoad extensionem, nempe in pluribus & in pluribus hominibus, vt postea dicemus; & negari nequit, quoties plures & plures, pro quibus offertur, sunt ipsi Sacerdotes offerentes: quia quoties plures & plures Sacerdotes accedunt cum Episcopo ad offerendum idem Sacrificium Missæ pro se ipsis, eò etiam in omnes ipsos operatur, & non minùs in quemlibet, quàm in vnũ tantùm, quando vnus tantùm, qui sacrificat, offert pro se ipso solo: aliàs minùs fructus obueniret cuiilibet, quando plures simul idem numero Sacrificium offerunt pro se ipsis, quod dici non potest. Excipimus Sacramentum Eucharistia à dicto discrimine, quia contingere posset, vt idem à pluribus reciperetur, vt si ab vno recepta formula euomatur, postea recipiatur ab altero.

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, Sacrificium Missæ esse infiniti valoris, seu infinitæ virtutis, aliter tamen quàm Sacrificium crucis; quia hoc est infiniti valoris per modum meriti & pretij, & ex opere operantis, & ideò quamvis intuitu illius plura & plura, & maiora & maiora dona conferantur, manet inexhaustum, vt ita intuitu illius possint noua & maiora dona conferri, quia meritum illius manet amplius remunerabile, & ob id non est necessarium quòd repetatur. Sacrificium verò Missæ, quamvis sit infiniti valoris, & infinitæ virtutis quoad sufficientiam, non tamen per modum meriti, & ex opere operantis, sed tantùm vt causa instrumentalis particularis, applicans in actu secundo fructum Sacrificij crucis, seu Passionis Christi; & quia de facto, & in actu secundo numquam applicat nisi fructum finitum (etiam quando offertur pro disposito, cui applicat maiorem & maiorem, iuxta proportionem dispositionis ipsius, quia dispositio semper est finita) & non nisi semel, ideò vt nouum vel vt maiorem fructum applicet, necessarium est quòd repetatur.

Ad secundum concedimus, Sacrificium crucis quoad efficaciam, finitum tantùm effectum operari per Sacramenta & per Sacrificium, tamquam per causas particulares, quia tamen Sacramenta & Sacrificium Missæ ex Christi institutione eò plus operantur quasi intensiue, quòd meliorem inveniunt dispositionem, ideò habent valorem infinitum, & virtutem infinitam, quasi intensiue ex institutione Christi, seu ex opere operato, ad applicandum fructum Sacrificij crucis, quamvis de facto & in actu secundo tantùm applicant finitum ex defectu dispositionis, vel quia nulla est dispositio in eo pro quo offertur, aut quia si est, semper est finita: & quia Sacrificium Missæ etiam habet, quòd possit pluribus & pluribus prodesse, si pro pluribus & pro pluribus offeratur, ideò etiam habet valorem & virtutem quasi extensiue infinitam, non subiectiue & formaliter infinitam, sed tantùm obiectiue, quæ absolute non dicitur infinita: calor enim vt vnu, quamvis possit in infinitis subiectis, si ipsis applicetur, calorem extensiue infinitum producere, non tamen dicitur infinitus adhuc extensiue, quia formaliter & subiectiue non est talis.



## DIFFICULTAS VIII.

*Vtrum Sacrificium Missæ pluribus, quamvis non sacrificantibus, applicatum, ita singulis proficit, ac si paucioribus applicaretur.*

**C**onueniunt communiter Doctores, Sacrificium Missæ quoad fructum ex opere operantis minùs prodesse singulis, quando pro pluribus offertur, ac quando offertur pro paucioribus. Ita Vasquez disp. 231. num. 19. & Azor lib. 10. cap. 21. quæst. 2. Et meritò, quia opus eatenus vi sua, & quatenus est opus operantis, proficit & impetrat, quatenus est bonum, & aliquando etiam quatenus à tali persona sancta elicium; quia ratio, seu vis illius ad merendum & impetrandum, in sua bonitate fundatur, & aliquo modo in sanctitate personæ; ergo ex se, & vi sua non magis proficit & impetrat quando pro pluribus offertur, ac quando offertur pro paucioribus, non solum quando opus aliàs est infinitè dignum, sed etiam quando tantum est finitè bonum & dignum, quia etiam quando tantum est finitè bonum & dignum, etiam si pro pluribus offeratur, non crescit in dignitate, sicut nec in bonitate, nec in sanctitate personæ operantis: ergo Sacrificium Missæ ex se, quatenus est opus bonum & dignum, minùs proficit & impetrat singulis, quando pro pluribus fit, quia tunc donum finitum & limitatum, quod meretur & impetrat, inter eos plures diuiditur, ac proinde singulis minùs obuenit, quàm si inter pauciores diuideretur. Vnde opus vt dignum, & meritorium, & impetrans, proportionem habet cum dono, siue donum vni tantum siue pluribus conferatur: in quo causa hæc moralis & meritoria differt à causis naturalibus, v. g. ab igne, quia iste tantum calorem producit in singulis lignis, quando in pluribus sibi applicatis producit, ac quando in vno tantum. Et ob rationem dictam hoc, quod dictum est de opere Sacrificij quoad fructum ipsius, vt est opus operantis, dicendum etiam est de orationibus, & alijs bonis operibus, quod minùs proficiat singulis, quando pro pluribus offeruntur: in quo etiam Doctores communiter conueniunt.

Est tamen difficultas de Sacrificio Missæ quoad fructum ex opere operato, seu ex institutione Christi, an quoad illum non minùs proficiat singulis quando pro pluribus offertur, ac quando pro paucioribus, vel pro vno tantum.

Bonauentura & Richardus in 4. dist. 45. art. 2. q. 3. Durandus q. 3. Paludanus q. 2. art. 1. Sorus lib. 9. de Iustit. q. 2. art. 2. concl. 3. Couarruias in cap. *Alma mater* 1. part. §. 5. num. 9. Suarez disp. 79. lect. 12. Egidius art. 1. dub. 10. Laymanus cap. 1. & Bonacina quæst. vlt. punct. 4. docent, Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum, minùs prodesse singulis quoad fructum ex opere operato, quàm si offerretur pro paucioribus. Primò à priori, quia quamuis valor Sacrificij Missæ sit infinitus, effectus tamen & fructus illius ex opere operato semper est finitus; ergo inter plures diuisus, minor est in singulis, ac quando inter pauciores diuiditur, ergo quando pro pluribus offertur, minùs proficit singulis, ac quando offertur pro paucioribus, vel pro vno tantum.

Secundò, quia si Sacrificium pluribus applicatum, ita singulis proficit, ac si vni eorum tantum applicaretur, frustra quis petit vt pro ipso offeratur specialiter, quia semper offertur generaliter pro ipso & pro alijs fidelibus.

Tertiò, quia si id esset verum, posset Sacerdos vna sola Missa pluribus satisfacere, à quorum quolibet integrum stipendium accipit pro illa vna Missa.

Caietanus verò quæst. 79. art. 5. Corduba lib. 1. quæst. 3. Petrus Sorus lect. 7. de Eucharistia, Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 268. Richardus art. 16. & Vasquez disp. 231. docent, Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum, non minùs prodesse singulis, quàm si pro paucioribus, & meritò: quia Sacrificium institutum est à Christo, vt instar Sacramenti effectum tribuat ei pro quo offertur, siue generali siue speciali intentione pro eo offeratur: sed Sacrificium, quando pro pluribus offertur, pro quolibet offertur integrum non minùs quàm si pro vno tantum offerretur; ergo non minùs proficit cuilibet, quàm si pro eo tantum offerretur, sicut si idem Sacramentum à pluribus reciperetur (vt contingeret, si quis post receptionem formulæ consecratur eam euomeret, & ab altero reciperetur) quilibet non minorem fructum reciperet, quàm si solus reciperet, quia cuilibet recipienti integrum essentialiter Sacramentum tantus fructus assignatur, in quo Sacrificium Missæ assimilatur causis naturalibus, v. g. igni, qui quando in pluribus subiectis sibi applicatis operatur, non minùs operatur in singulis, quàm si in vno tantum operaretur.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus, effectum & fructum Sacrificij Missæ ex opere operato esse finitum, non tamen euenit minor in singulis in casu dicto, quia non diuiditur, sed numero multiplicatur (sicut calor ab eodem igne in pluribus lignis productus) in quo differt fructus iste ex opere operato à fructu ipsius Sacrificij, vt operis operantis, & à fructu aliorum bonorum operum, quod fructus operis operantis, siue Sacrificij, siue aliorum operum bonorum, vtpote præmium illius, correspondet & commensuratur bonitati & dignitati operis secundum se, siue vni siue pluribus applicetur; fructus verò ex opere operato Sacrificij Missæ correspondet ipsi Sacrificio, prout instituto à Christo instar Sacramenti, & causæ naturalis ad conferendum integrum fructum ei cui integrè applicatur, & pro quo integrum offertur.

Ad secundam respondemus, quod etiam si Sacrificium ita proficit singulis, quando pro pluribus offertur, ac si pro vno eorum tantum offerretur, nihilominus non frustra, sed vtiliter petit vt pro ipso specialiter offeratur, Primò, quia sic pro eo speciali intentione offertur, quæ plus prodest quàm generalis, vt dicemus Difficultate XI. Secundò, quia petitio est dispositio, vt petenti ratione petitionis detur maior fructus. Tertiò, quia sententia nostra, quamuis sit probabilior, non tamen est certa, ac proinde est exposita periculo deceptionis, cui obuiatur oblatione tantum pro petente facta.

Ad tertiam respondemus, quod quamuis Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum non minùs proficit ex opere operato singulis, quàm si pro quolibet solo offerretur, nihilominus celebrans vnâ Missâ non satisfacit pluribus, à quorum quolibet integrum stipendium accipit. Primò, quia qui pro

Caietanus.  
Corduba.  
Pet. Sorus.  
Nauarra.  
Richardus.  
Vasquez.

Vasquez.  
Azor.

Bonauent.  
Richardus.  
Durandus.  
Paludanus.  
Sorus.  
Couarru.  
Suarez.  
Egidius.  
Layman.  
Bonacina.



pro vna Missa integrum stipendium offert, absque dubio & rationabiliter exigit, vt primo loco pro ipso solo offeratur, quia cum opinio nostra incerta sit, si ita non fiat, fortè defraudabitur parte aliqua fructus, si etiam pro alijs primo loco offeratur. Secundò, quia qui celebrat, nequit ratione contractus mutui, absque iniustitia, nisi vnum integrum stipendium accipere, quia nequit nisi congruam sustentationem, correspondentem dictæ celebrationi, accipere; & ad eam sufficit vnum integrum stipendium: ac proinde quando pro pluribus primo offert Sacrificium Missæ, nequit à quolibet illorum nisi partem stipendij accipere, ita vt ab omnibus simul vnum tantum integrum stipendium accipiat.

Ægidius.

Obseruandum est, vt optimè Ægidius, celebrantem non teneri ad applicandum Sacrificium, nisi quoad fructum ex opere operato, pro eo à quo stipendium accipit; non verò quoad fructum ex opere operantis, nec alijs exigitur nisi prior ille, alijs non satisfaceret quando ex malo fine celebrat. Et ob eandem rationem credimus, non esse obligationem offerendi pro illo orationes, & alia quæ in Missa fiunt.

## DIFFICULTAS IX.

*A quibus participetur fructus Sacrificij Missæ ex opere operato.*

Conueniunt Doctores, Sacrificium Missæ ex opere operato proficere eis pro quibus offertur, quamuis ipsi non sint offerentes, vt indicat Tridentinum sess. 22. cap. 2. dum, postquam dixit, per Sacrificium Missæ fructus Sacrificij cruenti Christi vberrimè percipi, docet, offerri pro viujs & pro defunctis ad percipiendos eos fructus. Sentit ergo, Sacrificium Missæ prodesse ex opere operato eis pro quibus offertur, & etiam prodesse eis quamuis non sint offerentes, cum significet prodesse eis pro quibus offertur, absque eorum limitatione & distinctione: & prodesse defunctis pro quibus offertur, & tamen defuncti pro quibus offertur, non sunt offerentes.

Est tamen difficultas, An etiam profit ex opere operato ipsis offerentibus, quamuis non offeratur pro ipsis.

Suarez.

Suarez disp. 79. sect. 8. docet, Sacrificium Missæ prodesse ex opere operato omnibus offerentibus, nempe Sacerdoti celebranti, & ministrantibus, & adstantibus, & alijs aliquo alio modo cooperantibus ad Sacrificium, etiam si pro ipsis non offeratur; quia ex vna parte potuit à Christo pro offerentibus institui, ex eo solum quod sint offerentes, & ex alia parte id est maximè consentaneum rationi; ergo credendum est sic fuisse à Christo factum & institutum.

Vasquez.

Vasquez verò disp. 231. cap. 3. docet, & meritò, non prodesse ex opere operato offerentibus, ex eo quod offerant, nisi etiam pro ipsis offeratur. Quod supponunt, aut indicant communiter Doctores, & indicat Tridentinum cap. illo 2. dum tantum significat prodesse viujs & defunctis pro quibus offertur. Et ratione communi probatur, quia Sacrificium Missæ institutum est instar Sacramenti ad proficiendum ex opere operato; Sacramenta autem non proficiunt ex opere operato ipsis ministrantibus, & applicantibus illa, nisi etiam ipsis

Trident.

applicentur, & ab ipsis sumantur: ergo Sacrificium Missæ non proficit ex opere operato applicantibus illud, nisi etiam ipsis applicetur, & pro ipsis offeratur.

Ad rationem ergo aduersariorum, concedimus Antecedens quoad vtramque partem, nempe Sacrificium Missæ potuisse sic institui à Christo, & etiam id esse consentaneum; negamus tamen Consequentiam, quia id potuisse fieri, & esse consentaneum, non sufficit ad id affirmandum & inferendum, quia etiam potuit fieri, & esset consentaneum, quod Eucharistia vt Sacramentum proficeret administrantibus, quamuis non sumerent, & tamen non fuit sic factum & institutum, nisi pro sumentibus, quia eis solum applicatur; ac proinde Sacrificium eadem proportionè solum proficit eis pro quibus offertur, quia eis solum applicatur.

## DIFFICULTAS X.

*Utrum applicatio Sacrificij Missæ fiat secundum intentionem debitam.*

Conueniunt Doctores, quod quamuis non solum Sacerdos, sed etiam alij, nempe ministrantes, & adstantes, & stipendium tribuentes, dicantur offerre Sacrificium Missæ; nihilominus ex sola intentione Sacerdotis, qui specialiter & immediatè offert, & ex sola applicatione ab ipso facta, pendere quod Sacrificium profit ex opere operato alijs, saltem non offerentibus (imò secundum nostram sententiam etiam ipsis offerentibus, adhuc ipsi celebranti) quia Sacrificium tantum prodest ex opere operato illi pro quo offertur, saltem quando non est offerens. Quod autem Sacrificium fiat aut offeratur pro hoc aut pro illo, tantum pendet à Sacerdote: ergo ab eo solo depèdet, quod profit huic aut illi, saltem quando is pro quo offertur, non est etiam offerens. Consequentia probatur, & constat ex Difficultate præcedenti. Minor verò, nempe, quod Sacrificium fiat pro hoc aut pro illo tantum, pendeat à Sacerdote celebrante, probatur Primò ex forma qua ordinatur Sacerdos, nempe, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo Missasque celebrandi, tam pro viujs quam pro defunctis.* quibus verbis satis significatur, ipsi tantum collatam esse potestatem offerendi pro alio. Secundò ratione, quia Sacrificium tantum fit à Sacerdote, ab alijs verò si fit, tantum fit remotè, quia eum iuuant aut inducunt ad sacrificandum; ergo quod sacrificium, quod re ipsa immediatè tantum fit à Sacerdote, fiat pro hoc aut pro illo, tantum pendet ex voluntate & intentione Sacerdotis, non verò aliorum offerentium, quamuis ab eis possit remotè prouenire, inducendo Sacerdotem vt pro hoc aut pro illo offerat. Vnde quando plures Sacerdotes simul consecrant, ad quemlibet illorum pertinet applicare Sacrificium, prout à se factum, ac si quilibet solus consecraret, quia quilibet integrè & vt causa totalis consecrat; & quando vnus Sacerdos tantum consecrat Corpus, & postea alter, defectum prioris supplens, consecrat Sanguinem, ad hunc posteriorem pertinet applicare Sacrificium, quia iste solus, vt pote perficiens, essentialiter Sacrificium dicitur sacrificare, & ideo non tenetur intentioni prioris conformari. Et ob hanc rationem Sacerdos, qui facta consecratione Corporis nondum applicuit Sacrificium, potest ante conse-



consecrationem calicis applicare, quia consecratione calicis perficit Sacrificium, & ideo tunc dicitur sacrificare, & qui consecrauit Corpus intendens applicare Sacrificium pro aliquo, si ante consecrationem calicis mutet intentionem applicandi pro alio, huic manet applicatum, & prodest, non priori: & qui ante perfectam vtriusque speciei consecrationem non applicauit Sacrificium, iam non superest locus applicandi illud, quia cum iam fit factum, iam non potest fieri ex intentione applicandi illud.

Est tamen difficultas, An dicta applicatio Sacrificij pro aliquo fiat à Sacerdote secundum intentionem quam debet habere, aut ratione stipendij, aut ratione promissionis, aut ratione præcepti, aut aliunde, an verò solùm secundum intentionem quam re ipsa de facto habet & elicit, non curans de obligatione offerendi, qua tenetur pro hoc aut pro illo; id est, an Sacrificium prodest ex opere operato ei pro quo Sacerdos debet illud offerre, an verò ei pro quo de facto illud offert.

Gabriel lect. 26. docet, Sacrificium Missæ applicari, & prodesse secundum intentionem debitam, non verò secundum habitam & elicitam: quia Sacerdos eatenus habet potestatem applicandi Sacrificium, quatenus est minister Christi, ergo nequit illud contra voluntatem Christi applicare. Intentio autem quam habet contra obligationem & debitum, non est iuxta voluntatem Christi, sed contra illam. Non desunt, qui sententiam Gabrielis veram existiment, quando Sacerdos tenetur ad applicandum illud pro aliquo ex præcepto superioris, quasi in eo casu voluntas superioris præualeat, & vincat voluntatem Sacerdotis sibi subditi.

Vasquez. Suarez. Henriquez. Egidius. Layman.

Vasquez verò disp. 231. cap. 6. Suarez disp. 79. sect. 9. Henriquez lib. 9. cap. 21. Egidius art. 1. dub. 9. & Laymannus cap. 2. docent, Sacrificium Missæ applicari & prodesse secundum intentionem quâ Sacerdos celebrans habet & elicit, quamuis sit contra obligationem, adhuc ortam ex præcepto superioris, & meritò: quia ita se habet minister Sacrificij Missæ ad eius applicationem, sicut minister Sacramentorum ad eorum administrationem & applicationem; sed minister Sacramentorum, contra qualemcumque obligationem & præceptum administret & applicet Sacramenta, ita illa validè applicat, vt in subiecto, cui applicantur, non habente obicem, operentur ex opere operato; ergo & minister Sacrificij Missæ, quamuis contra obligationem, adhuc ex præcepto superioris ortam, illud applicet, ita validè applicat, vt in eo cui applicatur, operetur. aliàs qui contra obligationem celebrandi pro aliquo in aliquo determinato die non celebraret pro illo, sed pro alio, non teneretur postea celebrare pro illo pro quo celebrare tenebatur, & non celebravit, quia ratione intentionis debitæ fuisset applicatum pro illo, & ei profuisset.

Ad rationem verò concedimus, Sacerdotem esse ministrum Christi quoad applicationem Sacrificij, & quatenus ministrum Christi, habere potestatem ad applicandum Sacrificium; negamus tamen, non posse contra obligationem validè illud applicare, quia ita fuit institutus minister, vt ipsius voluntati fuerit commissâ applicatio Sacrificij, sicut & ipsa sacrificatio seu consecratio independentè ab obligatione, vt validè fiat. Vnde

quamuis minister sacrificet, & Sacrificium applicet contra voluntatem Christi seu Dei, in eo sensu, quia Christo seu Deo displicet, quia facit contra obligationem, & peccat, non tamen contra voluntatem Christi, qua dictam applicationem commisit; quia eam commisit voluntati Sacerdotis independentè ab obligatione Sacerdotis. ac proinde superior nequit, quoad validam applicationem, voluntatè ministri sibi subditi vincere, quia nequit à ministro sibi subdito auferre potestatem Ordinis, qua minister id potest validè pro sua voluntate.

## DIFFICULTAS XI.

*Vtrum applicatio seu oblatio generalis Sacrificij Missæ eodem modo prodest, ac specialis.*

**O**blatio illa dicitur specialis, quæ fit pro aliquo in se ipso; generalis verò, quæ fit pro aliquo, vt contento in aliqua cõmunitate, vt quando fit pro Collegio, aut pro Ecclesia, cuius est membrum seu pars.

Supponimus, Sacerdotem, quoties celebrat, offerre generaliter Sacrificium pro omnibus baptizatis, viuis & defunctis, & id facere debere, vt constat ex verbis Officij Missæ (quorum significationem debet intentionem suam accommodare) quæ continentur in oblatione verbali panis & calicis, & in principio Canonis.

Conueniunt ergo Doctores, applicationem seu oblationem specialem Sacrificij pro aliquo, plus ei prodesse quàm generalem. Ita Siluester v. Missæ. 1. quæst. 9. Corduba lib. 1. quæst. 3. opin. 5. Azor lib. 10. c. 21. q. 3. & Vasquez disp. 231. c. 6. & meritò, quia specialis & expressa applicatio Sacrificij melior est, quàm generalis & confusa; ergo Sacrificium priori modo applicatum, vt pote melius applicatum, maiorem fructum & effectum ex opere operato causabit.

Et ob eandem rationem oratio pro aliquo specialiter & expressè facta seu applicata, magis ei prodest ex opere operantis, quàm si pro eo generaliter fieret, vt dicitur in Concilio Constantiensi sess. 8. dum damnatur error 19. Wiclefi, dicentis; *Speciales orationes applicata vni persone, non plus prosunt eidem, quàm generales, ceteris paribus.* & ideo Ecclesia, iudicans maiorem fructum ex Sacrificio Missæ specialiter applicato oriri, instituit, vt pro aliquibus specialiter & expressè offeratur.

Siluester.  
Corduba.  
Azor.  
Vasquez.

## DIFFICULTAS XII.

*Quæ dispositio necessaria sit in eo, pro quo Sacrificium Missæ offertur, vt eius fructum ex opere operato percipiat.*

**S**olos baptizatos esse capaces fructus Sacrificij Missæ ex opere operato, diximus Disputat. 11. Difficultate 1v. & etiam eos, quamuis existentes in mortali, esse capaces alicuius fructus, nempe auxiliorum gratiæ, & aliquorum aliorum donorum, conueniunt Theologi.

Est tamen difficultas, Primò, An existentibus in peccato mortali, prodest ad remissionem pœnæ temporalis restantis post remissionem culpæ. Circa quam



quam conueniunt communiter Doctores, non prodesse illis ad id; & merito: quia non est credendum, Christum instituisse Sacrificium Missæ ad remittendam pœnam ex opere operato ei, qui nequit satisfacere pro illa; qui autem est in statu peccati mortalis, nequit pro pœna aliqua satisfacere.

Ad remissionem ergo dictæ pœnæ temporalis faciendam medio Sacrificio Missæ, necessaria est sanctitas & gratia, saltem tamquam forma, in eo pro quo offertur, & ei cui applicatur; & præter eam non est necessaria aliqua dispositio. In quo etiam conueniunt communiter Doctores: quia ex nullo fundamento deducitur necessitas huius alius dispositionis, in quo Sacrificium Missæ conuenit cum Sacramento viuorum.

Secundò est difficultas, An quòd maior fuerit sanctitas & gratia in eo pro quo offertur Sacrificium Missæ, effectus remissionis dictæ pœnæ sit maior.

Circa quam absque controuersa est inter Doctores, Sacrificium Missæ nullū operari effectum, adhuc remissionis dictæ pœnæ iuxta mensuram sanctitatis & gratiæ, quia sanctitas potius est remotio impedimenti, vel forma reddens capacitatem ex institutione Christi, requisitam ad remissionem dictæ pœnæ, faciendam medio Sacrificio Missæ, quàm dispositio ad illā, vel ad alios effectus; quia sanctitas nullum ordinem nec proportionem importat ad effectus illius, dispositio autem ordinem aliquem aut proportionem importat ad effectum ad quem est dispositio, vt calor ad ignem, & frigus ad aquam.

Dispositio ergo, iuxta cuius mensuram Sacrificium Missæ operatur, & maiorem producit effectum (etiam remissionis pœnæ, quem absque fundamento excipit Ægidius num. 171.) est deuotio illius pro quo offertur, præsens, aut præterita, &

non quæcumque, sed illa quam habet aut habuit erga ipsum Sacrificium Missæ per modum cooperationis ad illud, nempe, vel sacrificanti ministrando, vel ad eius sustentationem adiuuando, vel illud sua assistentia approbando, vel illud petendo, vel aliter ad illud inducendo.

Et in primis, quòd Sacrificium Missæ operetur etiam remissionem pœnæ iuxta mensuram deuotionis erga ipsum, est maximè rationi consentaneum, quia Sacrificium Missæ operatur instar Sacramenti etiam remissionem pœnæ; Sacramenta autem operantur iuxta mensuram deuotionis erga ipsa, & cooperationis recipientium illa. Quòd verò non operetur iuxta mensuram deuotionis, quæ non sit erga ipsum, conijcitur ex eo, quòd quæcumque alia videtur impertinens ad effectus ipsius Sacrificij.

Obseruandum est Primò, vt contra Nauarrum & Henriquez optimè aduertunt Suarez disp. 79. sect. 1. Vasquez d. 231. n. 51. & Bonacina q. vlt. punct. 5. Sacrificium Missæ applicatum homini in statu peccati mortalis existenti, ob quod tunc non operatur in eo remissionem pœnæ temporalis, postea non operari illam recedente fictione, seu peccato mortali, in quo erat tempore applicationis, quia id (quod nec conuenit Sacramento Euchari- sticæ) nullo fundamento potest attribui Sacrificio Missæ.

Obseruandum est Secundò, fructum Sacrificij Missæ applicati homini existenti in gratia, & nulum habenti reatum pœnæ (ob quod pro tunc non prodest illi ad remissionem pœnæ) non posse à celebrante referuari pro tempore futuro, in quo fiat reus pœnæ, quia ad id (quod neque conuenit Sacramento) tribuendum Sacrificio, nulum habemus firmum fundamentum.

Nauarrus.  
Henriq.  
Suarez.  
Vasquez.  
Bonacina.

## DISPUTATIO IV.

## De obligatione &amp; prohibitione celebrandi, quoad substantiam, &amp; quoad circumstantias.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum omnes Sacerdotes teneantur aliquando celebrare.*

Bonauent.  
Alexand.  
Caietanus.



ONAVENTURA in 4. dist. 12. & 13. p. 2. art. 2. quæst. 1. Alexander in 4. q. 51. memb. 2. & Caietanus quæst. 82. art. 10. qui iussu Pij V. extinctus fuit in Romana impressione. Gabriel lect. 87. lit. V. Victoria num. 94. & Puteanus q. 83. art. 2. docent, Sacerdotes, quamuis non impeditos, nunquam celebrantes, secluso scandalo & contemptu, non peccare mortaliter: quod probabile censent Suarez d. 80. sect. 1. Azor lib. 10. cap. 24. & Henriquez, quia id nullo Iure, nec naturali, nec diuino, nec humano præcipitur. Et ob hanc rationem ex Auctoribus huius sententiæ sunt, qui dicant nullo modo peccare.

Suarez.  
Azor.  
Henriquez.

Sorus.  
Paludanus.  
Siluester.

Sorus verò in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 10. Paludanus q. 2. art. 1. Siluester v. *Missæ* 1. quæst. 7.

Nauarrus c. 25. num. 88. Vasquez d. 232. Valentia disp. 6. quæst. 10. punct. 3. Antoninus 3. par. tit. 13. c. 16. Toletus lib. 2. c. 3. Ægidius quæst. 83. art. 2. dub. 1. Laymannus c. 3. & plures alij docent, Sacerdotes non impeditos teneri sub mortali aliquando celebrare, & merito: quia ex vna parte Sacerdotes tenentur præcepto diuino Christi ad celebrandum, vt significat Tridentinum sess. 22. cap. 1. dum ait, Christum illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, vt offerant præcepisse; & ex altera parte præceptum istud celebrandi est de re graui & notabili, nõ minùs quàm præceptum audiendi Missam, & quàm præceptum comunicandi in Paschate laicis impositum: ergo non minùs peccant mortaliter Sacerdotes, qui nunquam celebrant, quàm qui in Paschate non communicant, & quàm qui in die festo non audiunt Missam. Accedit, quòd Pius V. iussit expungi illam partem Caietani in dictum articulum 10. in qua continebatur, id non esse peccatum mortale.

Nauarrus.  
Vasquez.  
Valentia.  
Antonin.  
Toletus.  
Ægidius.  
Layman.  
Trident.

Superest



Supereft tamen difficultas, Quoties & quando Sacerdotes ratione Sacerdotij teneantur celebrare.

*Siluefter. Antonin.* Siluefter & Antoninus referunt, quosdam Iurisperitos dixisse, Sacerdotes teneri quotidie celebrare: id tamen ipsi & Doctores communiter reijciunt, quia dicitur absque fundamento.

*S. Thomas. Gabriel. Antonin.* S. Thomas q. 83. art. 2. (cui consentiunt Gabriel, Siluefter & Antoninus) docet, illos teneri in præcipuis Festiuitatibus anni.

*Nauarrus.* Nauarrus docet, illos teneri in illis diebus, in quibus laici Religiosorum communicare consueuerunt.

*Paludan. Maior.* Paludanus ubi supra, & Maior in 4. dist. 12. q. 5. docent, illos teneri in Natiuitate Domini, in Resurrectione, in Pentecoste, in Assumptione Virginis, & in festo Omnium Sanctorum.

*Sotus. Vasquez. Azor. Henriquez. Teletus.* Sotus verò, Vasquez, Azor, Henriquez, Teletus, & plures alij docent, & merito, Sacerdotes ratione Sacerdotij in nullo determinato die teneri ad celebrandum; nihilominus in quolibet anno teneri saltem ter celebrare.

Et in primis, in nullo die determinato teneri ad celebrandum, constat, quia nec præcepto diuino, quo celebrare tenentur, nec alio præcepto determinatur dies quo teneantur. Quod verò saltem ter teneantur, probatur, quia cum numerus vicium celebrandi non sit expressè definitus præcepto Christi, vt patet, nec præcepto aliquo humano, quia nullibi habetur, nec in cap. *Dolentes*. de Celebratione Missarum, nec in Tridentino sess. 23. c. 14. de Reformatione, nec alibi, ac proinde arbitrio viri prudentis definiendus sit, Doctores præsertim Theologis, qui in hac materia prudentes sunt, attento eo quod præcipitur, & sine præcepti, visum est dictum præceptum saltem ter obligare, & eum numerum esse minimū qui sufficit vt ei præcepto satisfiat, idè id sentiendum est.

Nihilominus Parochus absque dubio tenetur per se, aut per alterum in diebus festiuis celebrare, vt populus Missam audiat, vt patet ex munere Parochi; in quo Doctores conueniunt. Addunt Sotus & Vasquez contra alios, teneri quotidie, si sint Parochiani, qui ex deuotione Missam audire velint; & non immeritò: quia ipsi rationaliter petentibus tenetur pactum reddere. Nihilominus vno aut altero die deficere, non erit mortale. Et insuper prædicti & alij eandem obligationem quotidie celebrandi attribuunt Ecclesijs Cathedralibus & Collegialibus, imò & Conuentibus Religiosorum. Attendendum tamen est ad consuetudines & fundationes Ecclesiarum & Conuentuum Religiosorum, & iuxta eas iudicandum est, an ad id teneantur, & an in aliquibus diebus teneantur plures Missas celebrare.

Et Capellanus ex iustitia tenetur toties per se aut per alterum celebrare, quoties fundatio Capellanæ exigit, etiamsi exigit quotidie celebrare, nisi consuetudo aliqua Capellano obligato ad celebrandum quotidie faueat, quia ob humanam fragilitatem in aliquibus Ecclesijs, Capellani quotidie celebrare obligatis, cõceditur in qualibet hebdomada vnus dies vacationis. Quòd si Capellanus infirmitate aut alio impedimento non voluntario impeditus existat, non tenetur Missas pro paruo tempore, nempe pro vno mense omittas, compensare, vt aduertunt Petrus Nauarra lib. 2. de Restit. c. 2. n. 210. & Laymannus c. 7. (nisi constitutio aliqua, aut nota consuetudo id non permittat) quia id potest de mente fundatoris prudentissimè præsumi.

*Sotus. Vasquez.*

*Nauarra. Layman.*

## DIFFICULTAS II.

*Quibus diebus licitum sit Sacerdotibus celebrare.*

PRIMò est difficultas, An sit licitum in Feria quinta maioris Hebdomadæ.

Circa quam conueniunt Doctores contra Francolinum lib. de Horis Canonis c. 30. licitum esse, non solum Præpositis Ecclesiarum, sed etiam quibuscumque alijs Sacerdotibus, Missam, etiam priuatim, celebrare in dicta Feria quinta, sicut in alijs diebus per annum, quia id nullo Iure prohibitum est Sacerdotibus: quia non Iure aliquo scripto, quia nullibi extat; nec Iure aliquo consuetudine introducto, quia quamuis fuerit consuetudo in Ecclesia non celebrandi (sed ad summum communicandi) non tamen quasi ex obligatione, sed tantum ex deuotione, vt sic Sacerdotes imitentur Apostolos, qui de manna Christi communicarunt; aut si fuit quasi ex obligatione, & vim legis obtinuit, iam tamen contrario vsu, qui iam diu viguit, abrogata est.

Obseruat autem Vasquez, in ea Feria quinta tantum esse licitum celebrare antequam finiatur Missa solemnis, & recondatur Corpus Christi, quia statim post id incipit Officium Parasceues, quia statim dicuntur Vesperæ Parasceues; in Parasceue autem, vt statim dicemus, nequit Missa celebrari.

Secundò est difficultas, An id sit licitum in feria sexta maioris Hebdomadæ. Conueniunt Doctores, cuicumque Sacerdoti prohibitum & illicitum esse in hac Feria sexta celebrare; prohibitio autem hæc introducta est consuetudine Ecclesiæ, in qua nulli Sacerdoti permissum fuit Missam celebrare, sed vni soli (sub distinctione tamen, huic vel illi) ex præsanctificatis (id est ex consecratis) sub specie tantum panis communicare. Quam consuetudinè nobis expressit Innocentius I. in Epist. 1. ad Decentium, c. 4. & refertur in can. *Sabbato*, de Consecratione, dist. 3. dum ait, traditionem Ecclesiæ habere, in isto biduo (id est in Feria sexta, & in Sabbato sancto) Sacramenta penitus non celebrari (id est non consecrari:) & idè in Feria quinta Sacerdos in Missa solemni consecrat duas hostias panis, ex quibus vnã in ea Missa ipse consumit, & alteram reseruat; non in memoriam sepulturæ Christi, sed vt eam in Feria sexta sumat, & eam absque sanguine sumit.

Obseruat Vasquez, quòd si in Feria sexta contingat festum obseruandum, populus teneatur interessè non passioni, nec omnibus post passionem recitatis, sed Officio, quod, extracto Sacramento Eucharistiæ, & in altari posito, celebratur à Sacerdote, quia hoc Officium loco Missæ habeatur: nihilominus obligatio hæc absque fundamento introducitur, cum Officium istud non sit Missa, ex defectu consecrationis. In hoc sensit Congregatio, dum die 19. Februarij anni 1622. declarauit, quòd si in Parasceue incidat Festum Annuntiationis, non teneantur fideles ad audiendam Missam.

Sed quæres, An in dicta Feria sexta licitum sit fidelibus communicare. Francolinus n. 12. negat, quia id indicant Innocentius ubi supra, dum ait, in ea die Sacramenta nullatenus celebrari; & Missale Romanum illis verbis: *Hodie* (id est Feria quinta) Sacerdos

*Francol.*

*Vasquez.*

*Innocent. I.*

*Vasquez.*

*Francol.*

*Sacerdos*



Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum unam semit, alteram reseruat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum: reseruat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis. Ergo solum infirmis licet in ea Feria sexta communicare.

**Durandus.** Durandus verò in Rationali diuinorum, ca. 75. n. 11. **Vasquez.** Vasquez disp. 232. **Suarez.** Suarez disp. 86. **Layman.** Layman cap. 4. & **Adamus.** Adamus quæst. 10. dub. 4. affirmant, & meritò, quia id nullo Iure prohibitum est: quia non scripto, quia Innocentius in dicto testimonio tantum loquitur de celebratione, non de Communione; & Missale Romanum, dum ordinat, ut reseruetur Eucharistia pro infirmis, non prohibet quòd reseruetur pro sanis, & ipsis non liceat, sed tantum infirmis; sed id ordinat & præcepit pro infirmis, quia ipsis in periculo existètibz est sub præcepto necessaria, & non sanis: nec id prohibitum est Iure consuetudine introducto, quia etiam si regulariter ea die fideles non communicent, id tamen non omittitur regulariter, quasi necessarium sit ea die non communicare, sed quia est congruens, quia est dies maximi mœoris.

Tertiò est difficultas, An sit licitum omnibus Sacerdotibus in Sabbato sancto celebrare, sicut in alijs diebus per annum.

Supponimus, antiquitus etiam fuisse prohibitum in Sabbato sancto celebrare, sicut in Parasceue, ut cõstat ex adducto testimonio Innocentij: nihilominus postea tempore procedente Missa solemnitas, quæ inchoante die Dominica post mediam noctem celebrari solebat, iam dispensatione retracta est ad Sabbatum, ut in eius manè celebraretur.

Hoc supposito, difficultas est, An etiam liceat indiscriminatim omnibus Sacerdotibus priuatim celebrare, sicut in alijs diebus per annum.

**Nauarrus.** Nauarrus in Summa, cap. 25. n. 88. **Francolinus.** Francolinus cap. 30. n. 8. & 9. **Vasquez.** Vasquez disp. 232. & **Henriquez.** Henriquez lib. 9. c. 24. docent, id non esse licitum, quia Iuri antiquo, saltem consuetudine introducto ab Innocentio declarato non celebrandi in Sabbato, derogatum est pro vno tantum Sacerdote solemniter celebrante, non pro alijs. Accedit, quòd in Vigilia Pentecostes pro Missa solemnitate nullus Introitus assignatur, quia in ea plures Prophetiæ præmittuntur; pro Missa verò priuata, in qua Prophetiæ non præmittuntur, assignatur proprius Introitus: at in Sabbato sancto, in qua nullæ Prophetiæ præmitti debent, nullus Introitus assignatur, ergo signum est, Ecclesiam nolle quòd in ea die Missa aliqua priuata celebraretur, sed tantum solemnitas.

**Sotus.** Sotus verò in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. **Rodriguez.** Rodriguez in Summa, c. 247. conc. 3. **Gutierrez.** Gutierrez in quæst. Canonice art. 36. **Ioannes Scottia.** Ioannes Scottia lib. 2. ca. 6. **Suarez.** Suarez disp. 80. sect. 2. **Ægidius.** Ægidius ar. 2. du. 2. & **Layman.** Layman cap. 4. docent, id esse licitum (dum cautè & absque scandalo fiat) & meritò: quia antiqua prohibitio non celebrandi in ea die generaliter pro omni Missa, & pro omnibus Sacerdotibus, iam cessauit ex duplici titulo, tum quia finis & ratio illius prohibitionis cessauit, non tantum in casu particulari, sed etiam generaliter in omnibus casibus, quia scilicet iam Ecclesia celebratione Missæ solemnitate à manè Sabbati, non representat requiem Christi in sepulchro, & ex tunc reijcit mœorem, ob quòd antiquitus fuit prohibitum biduo illo celebrare; tum etiam, quia consuetudine, qua viri pij

& docti celebrare solent, etiã ante Missam solemnem, omnino abrogata est, quia non est adeò rara & occulta, ut non sciatur à Romano Pontifice, & tamen tacet, quo eam approbare videtur; ex quo constat ad fundamentum aduersariorum. Quòd autem pro Missa priuata in ea die non sit assignatus ab Ecclesia peculiaris Introitus, non fauet aduersarijs: quia si non est assignatus, non est quia in ea die Missa priuata non sit facta licita, sed quia non est facta licita licentiã expressã Ecclesiæ, sicut licita est in Vigilia Pentecostes; sed tantum licentiã tacitã modo supradiçto, & ideò assignatus est Introitus pro Missa priuata in Vigilia Pentecostes, & non pro Missa priuata in Sabbato sancto. Qui autem voluerit Missam in Sabbato sancto celebrare, & ante solemnem, poterit Missam Sancti in ea die contingenti, aut vniuam aliquam celebrare.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum licitum sit eidem Sacerdoti in eadem die plures Missas celebrare.*

Supponimus, generaliter prohibitum esse eidem Sacerdoti plures Missas in eadem die celebrare, non Iure diuino positio, nec diuino naturali ordo ex natura Sacrificij, aut Sacerdotij, ut patet; sed tantum Iure Ecclesiastico, lato ab Innocentio III. in cap. *Consulisti* 3. & ab Honorio III. in cap. *Referente* 12. de Celebratione Missarum: ab hac tamen generali prohibitione excipiuntur ab Innocentio III. in dicto c. dies Natiuitatis, Domini, & casus necessitatis, his verbis: *Excepto die Natiuitatis Dominice (nisi causa necessitatis suadeat) sufficit Sacerdoti semel in die tantum Missam solummodo celebrare.* Et quia Innocentius III. non explicat, quamnam necessitas requisita sit ad hoc, quòd idem Sacerdos possit pluries in eadem die celebrare, ideò Doctores assignant varios casus necessitatis, in quibus id possit fieri: supponunt tamen, in eis non posse celebrari secundam ab eo, qui lotionem, aut alio modo, ieiunium post primam fregit.

Primus ergo casus necessitatis, in quo Sacerdos ieiunus potest pluries celebrare, qui est in vsu, & à Doctoribus communiter recipitur, est, quando habet duas Parochias in diuersis oppidis, & ob paupertatem nequit in alio habere coadiutorem, ut vnusquisque populus habeat in sua Parochia Missam quam in ea potest iure petere. Quòd **Suarez.** Suarez disput. 80. sect. 3. etiam extendit ad diem non festum, quando in oppidis est sufficiens multitudo: & addit, Sacerdotem posse eadem proportione tres Missas celebrare, si in tribus oppidis habeat tres Parochias, quia in Iure non determinatur pluralitas Missarum.

Secundus casus necessitatis, qui communiter assignatur, est, quando pro viatico infirmi necessarium est iterum celebrare. Ita **Paludan.** Paludan, **Siluester.** Siluester, **Antoninus.** Antoninus, **Tabiena.** Tabiena, **Angelus.** Angelus, **Nauarrus.** Nauarrus, **Toletus.** Toletus, **Henricus.** Henricus, **Ægidius.** Ægidius, **Vasquez.** Vasquez verò disp. 232. n. 50. dictam necessitatem insufficientem iudicat ad id, & non absque ratione; quia maioris momenti videtur obseruare prohibitionem non celebrandi pluries, ut recepta est (sicut & seruare legem ieiunij ante Communionem) quam agrorum viaticum conferre. Poterit



tamen Sacerdos, vt Henriquez aduertit, si ante sumptionem Hostiæ moneatur de necessitate ægroto, ei particulam Hostiæ seruare.

Tertius casus necessitatis, qui communiter assignatur, in quo Sacerdos possit pluries celebrare, est, quando post Missam dictam, & nondum sumptam lotionem, superueniunt plures peregrini, aut aliquis Episcopus, aut aliquis magnus vir, vt possint Missam audire, præsertim in diebus festis. Ita Siluester, Antoninus, Nauarrus, Henriquez & Valentia.

Siluester.  
Antonin.  
Nauarrus.  
Henriq.  
Valentia.  
Vasquez.  
Ægidius.

Vasquez verò & Ægidius dictam necessitatem insufficientem iudicant ad id, & merito: quia quod prædicti Missam audiant, etiam in diebus festis, non est tanti momenti, quanti obseruatio dictæ prohibitionis, vt recepta est; & ob eandem rationem non est celebranda secunda Missa pro nuptijs, nec pro sepeliendo defuncto Missam celebrando, & multò minùs pro satisfaciendo petitioni Parochiani petentis Missam pro defuncto, vt contra Paludanum & Antoninum docent Vasquez & Ægidius.

Paludan.  
Antonin.  
Vasquez.  
Ægidius.

Plures alij casus necessitatis assignari solent, in quibus Missa possit à Sacerdote ieiuno iterari; nihilominùs in eis non est iteranda, nec in alijs casibus necessitatis, quamuis vrgentis, nisi in solo primo, vt cõtra non paucos docet Vasquez, quia sola necessitas primi casus suadet vt fiat contra dictam prohibitionem, & iste solus est nunc in vsu: & ad eam necessitatem reducitur, vt possit à Sacerdote Missa iterari, raritas magna Sacerdotum, qualis est in Angliâ, vt docent Nauarrus, Henriquez, Azor, & Rodriguez; & ad eandem necessitatẽ reducunt nonnulli, vt possit à Sacerdote Parocho Missa iterari, numerositas magna populi, quem templum nequit capere, & non sit alius, nec haberi possit ob paupertatẽ Parochi, à quo illi quos non capit templum, possint Missam audire. Hanc tamen necessitatem insufficientem iudicamus ad id, imò eam non esse necessitatem simpliciter, quia, vt dicemus Disp. v. Diff. i. existentes extra templum, quamuis non videntes nec audientes Sacerdotem celebrantem, possunt satis facere præcepto audiendi Missam.

Nauarrus.  
Henriq.  
Azor.  
Rodriguez.

## DIFFICULTAS IV.

*A qua hora diei possit Missa inchoari.*

Conueniunt Doctores, non esse licitum, Missam ante auroram incipere, benè tamen aurora inchoante; quod consuetudine introductum est, & iam habetur in Missali Romano, titulo De Missa celebranda. Et id supponunt priuilegia Religiosis concessa, celebrandi vna hora ante diem. Vnde Decretum Telesphori Papæ, relatum can. Nocte sancta, de Consecratione dist. i. vbi dicitur, nocte sancta Natiuitatis excepta, in reliquis temporibus Missas non esse celebrandas ante horam diei tertiam, iam est saltem consuetudine reuocatum, etiam quoad Missas solemnes.

Telesph.

Circa conclusionem traditam obseruandum est, per auroram intelligi nõ ortum Solis, sed initium crepusculi diei, seu primam lucis irradiationem. Et quamuis crepusculum non semper sit æquale, quia tamen vt plurimum incipit vna hora & quinta parte ante ortum Solis, ideò, vt optimè Vasquez, pro regula morali haberi potest ad celebrandum: & quia ad celebrandum non est neces-

Vasquez.

sarium, ipsum momentum auroræ expectare, sed paulò antè potest inchoari, imò dimidia hora ante auroram, quia parum pro nihilo reputatur, ideò licitum est vna hora & dimidia ante ortum Solis celebrare, vt aduertit Suarez, & approbat Rodriguez, imò satis completis. Vnde Religiosi, quibus ex priuilegio licet vna hora ante diem celebrare, possunt duabus horis & dimidia, imò & vno quadrante ante ortum Solis celebrare.

Suarez.  
Rodriguez.

Dicta tamen lex & consuetudo non celebrandi ante auroram, non est vniuersalis, quia in aliquibus Prouincijs, in quibus hieme Sol serò oritur, consuetudine introductum est, vt hieme possit Missa notabiliter ante aurorã celebrari. Episcopi quoque iter agentes gaudent priuilegio celebrandi ante auroram, vt docent Paludanus, Antoninus, Siluester, Nauarrus & Glossa in cap. vi. de Priuilegijs, in 6. imò Glossa & Suarez, & communiter Doctores eis attribunt facultatem dispensandi, ex rationabili causa, in dicta lege & prohibitione, quamuis Pontificia, introductam ex consuetudine, tacita Pontificis approbatione.

Paludanus.  
Antoninus.  
Siluester.  
Nauarrus.  
Glossa.  
Suarez.

Sacerdotes etiam nostræ Societatis ex priuilegio Gregorij XIII. possunt vna hora ante auroram de licentia Superioris celebrare, vel causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti, vt constat ex Compendio priuilegiorum, v. Missa.

Sacerdotes etiam omnes Iure communi possunt in nocte Natiuitatis Domini ante auroram à puncto mediæ noctis Missam celebrare, vt patet ex can. Nocte sancta, de Consecratione. d. i. quod non solum est verum, quoad primam Missam, in quo Doctores conueniunt; sed etiam quoad alias duas, vt contra Siluestrum, Armillam, Tabienam, Nauarrum, Henriquez & Toletum, aduertunt Suarez d. 80. sect. 4. Vasquez disp. 232. c. 3. Valentia disp. 6. q. 11. punct. 3. Ægidius dub. 4. & Puteanus q. 83. art. 2. quia in dicto canone id absolute & absque vlla restrictione conceditur. Quod verò in Rubricis Missalis tria tempora diuersa assignentur pro tribus Missis, non obstat, quia id tantum fit pro Missis solemnibus.

Siluester.  
Armillam.  
Tabiena.  
Nauarrus.  
Henriq.  
Toletus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Valentia.  
Ægidius.  
Puteanus.

Tandem antiquitus licitum fuit in nocte Resurrectionis paulò post mediam noctem Missam celebrare, quando Christus resurrexit; iam verò non licet (quia consuetudine, aut dispensatione expressa, licentia illa retracta est ad diem Sabbati) nisi forsan in aliquibus Ecclesijs, in quibus consuetudo illa antiqua Missam solemnem celebrandi retinetur.

Addimus, ob necessitatem Viatici ægroto posse Missam post mediam noctem ante auroram celebrari (vt aduertunt Paludanus, Antoninus, Gabriel & Vasquez: quia prohibitio illa potest per episcopiam corrigi, quia maioris momenti est, ægroto succurrere Viatico, quàm post mediam noctem ante auroram non celebrare.

Paludan.  
Antonin.  
Gabriel.  
Vasquez.

## DIFFICULTAS V.

*Ad quam horam diei inceptio celebrationis Missæ differri possit.*

Nauarrus c. 25. n. 85. & Vivaldus de Sacramento Altaris, n. 151. Pitig. d. 13. q. 2. art. 4. & Llamas part. 3. Methodi, c. 5. §. 18. docent, inceptio Missæ differri posse vsque ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem. Primò, quia antiquitus id licuit, vt constat ex can. Salent. de Consec.

Nauarrus.  
Vivaldus.  
Pitig.  
Llamas.



*S. Thomas.* Consecratione, d. 2. & ex *S. Thoma* quæst. 87. artic. 2. prædictæ autem licentiæ nullo modo derogatum est. Secundò, quia hora illa nona aptissima est ad celebrationem Sacrificij incruenti Missæ, quia in ea Christus fuit cruentè sacrificatus.

*Maior.* Maior verò in 4. d. 9. q. 3. *Sotus* q. 2. a. 2. *Suarez* disp. 80. sect. 4. *Vasquez* disp. 232. cap. 4. & *Puteanus* art. 2. & communiter Doctores docent, & meritò, inchoationem Missæ non posse ultra meridiem differri. Ratio huius desumitur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ iam ab omnibus tamquam necessaria & ex obligatione obseruatur. Et quia res hæc est moralis, idè meridiem non est Mathematicè sumenda, sed moraliter, ac proinde licitum est paulò post meridiem Missam inchoare, vt aduertunt *Maior*, *Vasquez*, *Ægidius*, *Laymannus* & *Puteanus* (qui exprimit posse differri per dimidiam horam) vt diximus de anticipatione ante auroram.

*Vasquez.* Addit *Vasquez* Primò, consuetudine receptum esse, vt quando Missa solemnis inchoata ante meridiem, durat post meridiem, quamuis multo tempore post, Missa priuata possit inchoari quamdiu solemnis durat. Secundò addit, ob necessitatem succurrendi infirmo, ne decedat absque Viatico, posse ex epikiâ Missam priuatam inchoari multò post meridiem, vsque ad horam scilicet nonam.

*Suarez.* Addunt *Suarez* & *Rodriguez*, posse vna hora post meridiem Missam inchoari, quando in die Festo ratione itineris aut alterius necessitatis non potuit antea inchoari: id tamen non satis fundatur, nisi in casibus dictis à nobis aut in aliis non minoris necessitatis.

Ad primam ergo rationem aduersariorum constat, antiquam illam licentiam differendi Missam vsque ad horam tertiam post meridiem, consuetudine dicta reuocatam esse: & eadem obtentum est, vt ultra meridiem non differatur notabiliter inchoatio Missæ, etiam si hora nona, quæ est tertia post meridiem, ob rationem aduersariorum sit congrua & apta ad celebrationem Missæ: ex quo constat ad secundam rationem illorum.

*Layman.* Addit *Laymannus*, Episcopum ex iusta causa posse dispensare, vt inchoatio Missæ notabiliter differatur post meridiem; sicut potest, vt notabiliter ante auroram inchoetur, quia eadem est ratio.

## DIFFICULTAS VI.

*Vtrum Missa celebranda sit in loco sacro.*

Conueniunt Doctores, iure ordinario antiquo non potuisse celebrari, nisi in loco sacro, vt patet ex can. *Nullus*, de Consecratione, dist. 1. iam tamen vsus obtinuit, vt celebrari possit in loco tantum benedicto, imò in loco auctoritate Episcopi ad celebrandum assignato, quamuis non benedicto nec sacro, vt docent communiter Doctores.

Obseruandum est Primò, facultatè concedendi licentiam ad celebrandum in quouis honesto seu decente loco, quamuis nec sacro nec benedicto, conuenientè Episcopis ex suo officio, vt constat ex can. *Missarum*, de Consecratione, d. 1. (quamuis non extra propriam diocesim, vt contra *Siluestrum* docent *Angelus*, *Vasquez* & *Suarez*) restrictam esse à Tridentino sess. 12. in decreto de Obseruandis & vitandis in celebratione Missæ, quia ibi præcipitur Episcopis, ne patiantur in priuatis domibus Missam celebrari, nisi in aliquo loco ab eis de-

signato, & tantum ad diuinum cultum dedicato.

Vnde Episcopi non possunt licentiam conferre ad celebrandum in priuatis domibus in loco ad alios vsus deseruiente: possunt tamen dispensare, vt aliquando celebretur in eo loco iusta aliquam causam, qualis est, quando persona grauis ægrotat, vt domi audiat Missam, & Communionem ex obligatione suscipiat, quia in dicto decreto tantum aufertur Episcopis facultas concedendi simpliciter licentiam ad celebrandum in dicto loco; non verò facultas dispensandi in aliquo casu.

Addimus, dictam facultatem concedendi simpliciter licentiam ad celebrandum in quouis honesto seu decente loco, conuenientem Episcopis ex suo officio, ablatam fuisse à Nuntio Hispaniarum iussu Pauli V. anno 1616. ita vt iam nequeant facultatem concedere ad celebrandum in priuatis domibus & oratorijs, non verò fuisse ablatam facultatem dispensandi ex iusta causa, vt aliquando in eis celebretur.

Obseruandum est Secundò, cuilibet Sacerdoti absque licentia & dispensatione licere in quouis honesto loco extra Ecclesiam celebrare, quando magna aliqua necessitas occurrit, vt exprimitur à *Felice IV.* in can. 1. de Consecr. d. 1. imò, vt aduertunt *Vasquez* & *Ægidius*, consuetudine obtentum esse, vt id etiam liceat, quamuis necessitas non sit magna, vt quando magna multitudo in aliquo die festo ad parvam aliquam Ecclesiam cõcurrit, quæ multitudinem illam non capit, vt omnes melius Missam audiant; & etiam vt existentes in castris Missam audiant: & etiam vt Missam audiant qui sunt in treamibus, aut in nauibus dum celebretur in littore, & non supra mare, nec supra flumen cum periculo probabili effusionis Sanguinis: secus est eo periculo cessante, vt contra non paucos, nec indoctos, aduertunt *Durandus* in *Rationali* lib. 4. cap. 1. *Ioannes Scortia* lib. 2. c. 13. Sæ, verbo *Missæ* num. 19. *Laymannus* cap. 5. nu. 6. & alij.

Episcopis tamen in cap. vlt. de Priuilegijs, in 6. conceditur priuilegium, vt cum iter agunt, etiam extra propriam diocesim, possint, quamuis nulla occurrat necessitas, in quouis honesto loco celebrare, aut facere vt alius ipso præsentè celebret: cui priuilegio non est derogatum per dictum decretum Tridentini, nec per dictum decretum Nuntij, quia in eis tantum limitatur facultas concedendi simpliciter supradictam licentiam alijs.

Nostri quoque, qui in missionibus sunt, conceditur priuilegium, non obstante decreto Tridentini, celebrandi in quouis honesto loco, etiam in castris militum, si habeant licentiam Generalis aut Prouincialis: reliqui verò Religiosi eatenus possunt hoc priuilegio vti, quatenus post Tridentinum eis concessum fuerit per se, aut per communicationem.

Aduertunt tamen communiter Doctores, semper esse necessarium celebrare ad minus in altari portatili, seu Viatico, consecrato ab Episcopo (quod Ara vocatur) vt declaratur in can. *Concedimus*, de Consecratione, d. 1. & oppositum numquam fuit in Ecclesia permissum.

Id verò, quod docent *Sotus* in 4. distinct. 13. quæst. 2. ar. 3. & Sæ v. *Missæ*, nu. 20. nempe celebrare in loco non designato à Pontifice aut Episcopo, adhuc absque sufficienti necessitate, non esse peccatum mortale, si absque contemptu & absque scandalo fiat, falsum est, vt aduertunt



communiter Doctores; quia id est contra prohibitionem in re graui.

## DIFFICULTAS VII.

*Utrum possit celebrari in Ecclesia polluta & violata.*

**S**upponimus, Ecclesiam multis modis pollui & violari. Primò violatur homicidio intra Ecclesiam factò, quamuis fiat absque sanguinis effusione, vt constat ex cap. *Proposuisi*, de Consecratione Ecclesiæ vel altaris, & ex can. *Si motum*, de Consecratione, dist. 1. Vnde Ecclesia non violatur homicidio factò supra tectum Ecclesiæ, nec in turri, nec in campanili, nec in cubiculis Ecclesiæ coniunctis, nec in Sacristia, nec in cauerna sub Ecclesia, nec suspensione facta in parietibus Ecclesiæ à parte exteriori, quia in quacumque parte ex dictis fiat, non fit intra Ecclesiam, sed extra, nisi quando fit in cauerna in qua dicitur Missa, aut quæ deseruit ad sepeliendum. Nec violatur homicidio factò absque culpa mortali, nec homicidio non publico, quamuis mortali, nec homicidio cuius causa, vt vulnus, data est extra Ecclesiam, quamuis mors intra Ecclesiam contingat, quia tunc occisio seu homicidium non fit intra Ecclesiam; benè tamen homicidio cuius causa datur intra Ecclesiam, quamuis mors extra contingat, quia tunc occisio seu homicidium fit intra. Et non tantum violatur homicidio mortaliter illicito contra iustitiam, sed etiam homicidio mortaliter illicitò contra religionem, vt homicidio à iudice iuridicè factò intra Ecclesiam, & etiam homicidio mortaliter illicito contra fortitudinem, vt homicidio factò ab ipso occiso.

Secundò violatur Ecclesia humani sanguinis effusione intra Ecclesiam facta, vt constat ex cap. *Si Ecclesia*, de Consecratione Ecclesiæ, & ex can. *Ecclesiis*, de Consecratione, dist. 1. Vnde si fiat extra Ecclesiam, aut si non fit publica, non violatur Ecclesia, sicut diximus de homicidio; & si non fit copiosa, vt aduertunt communiter Doctores, & nomine ipso effusionis denotatur. Imò non sufficit, quòd sit copiosa, si percussio & læsio non fit grauis, & mortaliter illicita, vt potest contingere, quando percussio fit in naribus. Nec sufficit quòd sanguis effluat intra Ecclesiam, si vulnus factum fuit extra, sicut etiam diximus de homicidio, benè tamen si vulnus factum fuit in Ecclesia, quamuis sanguis non effluat intra Ecclesiam, sed extra, sicut diximus de homicidio, & quamuis sanguis non perueniat ad pavementum Ecclesiæ.

Tertiò violatur Ecclesia humani feminis effusione intra Ecclesiam facta, vt constat ex dicto cap. *Si Ecclesia*, & ex can. *Ecclesiis*: requiritur tamen quòd sit mortaliter illicita, & publica, sicut diximus de effusione sanguinis, & de homicidio, & quòd sit copiosa, vt nomine ipso effusionis denotatur; & non sufficit, quòd fiat extra Ecclesiam, sicut diximus de effusione sanguinis, & de homicidio; & sufficit quòd fiat intra Ecclesiam, quamuis non perueniat vsque ad pavementum.

Est tamen difficultas, An violetur effusione feminis facta in copula coniugali.

Paludanus in 4. d. 18. quæst. 8. a. 4. Nauarrus cap. 27. num. 257. & plures alij, partem affirmatiuam absolutè tuentur, quam limitant Suarez disp. 81. sect. 4. Couarruias in 4. Decret. part. 2.

cap. 7. §. 2. & Egidius a. 3. dub. 1. & alij plures, vt tantum fit vera, quando coniuges non coguntur iusta aliqua causa in Ecclesia simul dormire; quia si cogantur diu esse in Ecclesia, & ob diuinam continentiam aliquis ex coniugibus fit in periculo incontinentiæ, aut aliquid ex illis fit admodum molestum diu contineri, docent, tunc dicta feminis effusione non violari Ecclesiam, quia tunc non fit contra reuerentiam loci sacri, maritaliter coniungi. Rosella autem v. *Consecratio*. 1. Glossa in can. *Ecclesiis*, de Consecratione, dist. 1. Angelus v. *Debitum*, num. vlt. partem negatiuam absolutè tradunt, quam etiam indicat Sotus in 4. d. 13. quæst. 2. a. 3. ad 2. & non absque ratione, quia maritali effusione feminis nullo Iure fit irreuerentia loco sacro, quia non Iure naturali, quia ex natura rei non est contra reuerentiam Ecclesiæ; sicut nec blasphemia, nec periurium in Ecclesia: nec fit irreuerentia Iure aliquo Ecclesiastico, quia eo Iure intuitu reuerentiæ loci sacri lato, tantum sunt prohibita homicidium, & sanguinis effusio, & effusio feminis contra castitatem, & furtum, quamuis furto non violetur Ecclesia.

Quartò violatur seu polluitur Ecclesia, quando in ea excommunicatus vitandus sepelitur, vt aduertunt communiter Doctores ex cap. *Consuluisi*, de Consecratione Ecclesiæ vel altaris: & etiam quando paganus in ea sepelitur, ex can. *Ecclesiam*. 27. de Consecratione, d. 1. & etiam quando infidelis, quamuis baptizatus, ex can. *Ecclesiam*. 28. de Consecratione, d. 1.

Obseruandum est, in quatuor dictis casibus violari Ecclesiam solum quando est consecrata aut benedicta, vt aduertunt communiter Doctores ex dictis capitulis *Proposuisi*, & *Si Ecclesia*, & ex dicto can. *Ecclesiam*; non verò Ecclesias nec consecratas nec benedictas, nec oratoria: violata autem Ecclesia, etiam censetur violari cæmeterium ipsi contiguum, vt constat ex cap. vnico de Consecratione Ecclesiæ, in 6. E contra verò quamuis cæmeterium violetur, non censetur Ecclesia violari, quia id nullo Iure disponitur.

Quintò Ecclesia consecrata amittit consecrationem, quando tota aut maior pars destructa est, antequam incipiat reparari, vt deducitur ex cap. *Lignis*, de Consecratione Ecclesiæ vel altaris, & ex can. *Ecclesiis*, de Consecratione, dist. 1. Ecclesia verò tantum benedicta, etiam si tota ruat, si postea reficitur, non eget noua benedictione, quia manet idem solum, quod tantum benedicitur quando Ecclesia benedicitur.

His ergo suppositis, conueniunt Doctores circa præsentem difficultatem, non posse absque peccato mortali in Ecclesia violata, & nondum reconciliata celebrari, quia celebrare est quid graue, & in dictis capitulis & canonibus prohibitum. Quòd si contingat Ecclesiam violari quando Sacerdos celebrat, si ad eius notitiam ante consecrationem inceptam perueniat, tenetur à celebrando desistere, non verò consecratione incepta, facta videlicet consecratione panis. Addunt Sotus, Suarez, & Henriquez, nempe quando adest rationalis causa, posse de licentia Episcopi in Ecclesia violata celebrari.

Qui autem contra dictam prohibitionem in Ecclesia violata seu polluta celebrat, quamuis mortaliter peccet, non tamen incurrit irregularitatem in cap. *Is qui*. de Sententia excommunicationis, in 6.

Paludan.  
Nauarrus.  
Suarez.  
Couarruias.

Sotus.  
Suarez.  
Henriquez.



in 6. & meritò: quia dicta violatio non est interdium strictè, & nullo Iure irregularitas inducitur contra celebrantem in Ecclesia violata: nec incurrit aliam censuram, nec pœnam, vt aduertunt Suarez disp. 81. sect. 4. Laymannus cap. 5. & alij, quia nullo Iure inducitur.

Suarez.  
Layman.

Ecclesia autem violata, si consecrata erat solum, potest ab Episcopo Iure ordinario reconciliari, sicut & consecrari: ex commissione tamen Romani Pontificis id etiam potest simplex Sacerdos; sicut possunt Sacerdotes nostræ Societatis in remotis Indiæ regionibus. Si verò Ecclesia violata tantum erat benedicta, reconciliari potest à simplici Sacerdote per aspersionem aquæ benedictæ; vt dicitur in cap. vltimo de Consecratione Ecclesiæ vel altaris, & per alias breues & faciles carimonias, prout habentur in Carimoniali: & non desunt, vt Henriquez refert, qui affirmant sufficere ad reconciliationem Ecclesiæ violatæ, quòd bona fide sit semel celebratum in ea.

## DIFFICULTAS VIII.

## Quale debeat esse altare ad Missam celebrandam.

Missò errore hæreticorum, qui altaria demoluntur, & pro altaribus mensas excitant, quia falsò existimant in Missa non fieri Sacrificium; sed tantum conuiuium, conueniunt Doctores, altare ad celebrandum debere esse lapideum, & consecratum, siue sit fixum in aliquo loco, siue portatile. Et in primis debere esse lapideum, & à tempore Siluestri Papæ, vt ex eius Legenda, & ex festo Dedicationis Basilicæ Saluatoris nono Nouembris apertè constat. Additur, à tempore Siluestri, quia antea poterat esse ligneum, quale fuit altare in quo D. Petrus celebrare solebat; quod vsque ad hodiernam diem in Ecclesia Lateranensi seruatur, & in quo ex decreto eiusdem Siluestri solus Pontifex celebrare potest. Debet autem esse tantæ magnitudinis, vt commodè & absque periculo eadendi possit sustinere calicem & Hostiam, quamuis non sit necessarium quòd tota illa capiat, & sufficit quòd sit lapideum quoad supremam partem.

Siluester  
Papa.

Euaristus.

Deinde altare istud lapideum debere esse consecratum, constat ex decretis Euaristi, quæ habentur in 1. Tomo Conciliorum post duas Epistolas ipsius, & ex can. 2. & ex alijs de Consecratione, dist. 1. quod etiam ostendit antiquissima Ecclesiæ consuetudo: consecratio autem altaris potestate ordinaria tantum fit ab Episcopo, vt patet ex can. Nullus Presbyter, de Consecratione, dist. 1. & ita in Pontificali pro solo Episcopo ponitur forma consecrandi altaria; ex priuilegio tamen concedi potest simplicibus Sacerdotibus, vt de facto Paulus III. concessit nostris Presbyteris degentibus in locis remotissimis, si in eis defuerit Episcopus Catholicus.

Ita tamen altare debet esse lapideum & consecratum ad celebrandum, vt aliter celebrare, censetur communiter esse peccatum mortale, quia est contra prohibitionem in re graui.

Quòd autem altare sit fixum, vel portatile, parum refert, quia non est decretum quòd sit fixum. Dicitur autem fixum, quod in eodem loco perfecterat stabile: portatile verò, quod facillè de vno loco in alium mutatur, qualis est ara; & altare non

erit totaliter fixum, si pro suprema parte non constet tabella, seu mensa lapidea in eo fixa, quia absque ea altare non erit perfectum, & ideo ea deficiente indigebit tabella illa lapidea portatili: & sufficit hanc portatilem aut illam fixam esse consecratam, quamuis nihil reliqui altaris sit consecratum.

Quòd si obiicias: Episcopis in cap. vltimo de Priuilegijs, in 6. & etiam nostris, in missionibus, conceditur priuilegium vtendi altari portatili, seu viatico, ergo Iure communi debet esse fixum. Respondemus, dictum priuilegium ad id concedi, non vt eo vtantur quasi id sit Iure communi prohibitum, sed vt super illud in quouis honesto loco possint celebrare.

Sed quæres, Quando altare amittit consecrationem? Conueniunt Doctores, si altare (siue fixum siue portatile) ita frangatur, vt nulla pars illius possit commodè sustinere calicem & Hostiam, amittere consecrationem: imò ineptum manere vt iterum consecratur ad idem, quia ineptum manet vt in eo possit celebrari. Ita decernitur in cap. Ad hæc. 1. & in cap. Quod in dubijs. 3. de Consecratione Ecclesiæ vel altaris. Addunt Glossa, Siluester, Angelus, Paludanus, Suarez, Vasquez, disp. 81. sect. 5. Vasquez disp. 233. cap. 2. quòd quando altare est fixum, si eius structura seu forma mutatione aut fractione dissoluatur, aut si lapis superior ab inferioribus partibus seungatur, quamuis integer maneat, consecrationem amittit: quòd significatur in cap. Ad hæc. 1. & in cap. Quod in dubijs. 3. & in cap. Lignis. 6. dum in eis de altari fixo (de quo in eis tantum est sermo) dicitur, si altare motum vel confractum fuerit, iterum esse consecrandum, & meritò; quia lapis superior, qui consecratur, tenet consecratur, vt affixus alicui determinato loco & basi, & vt habens illam structuram & formam, quæ maximè destruitur separatione lapidis superioris ab inferioribus partibus. Si verò structura altaris maneat eadem, etiam si mutetur, & cornua Chrismate delibuta frangantur, non amittit consecrationem, quamuis lapis aliquis inferior deficiat ob rationem dictam. Sed quamuis altare fixum mutatione structuræ amittat consecrationem, templum tamen ipsum non amittit illam, vt dicitur in dicto cap. Ad hæc. vbi significatur, consuetudine derogatum esse Iuri antiquo habito in can. Si motum, & in can. De fabrica, de Consecratione, d. 1. quo etiam tota Ecclesia in casu dicto consecrationem amittebat.

Glossa.  
Siluester.  
Angelus.  
Paludan.  
Suarez.  
Vasquez.

Altare etiam portatile non amittit consecrationem, vt contra Paludanum & Angelum aduertunt Siluester, Suarez, Vasquez, & Laymannus, etiam si fuerit inclusum in capsula, & ei coniunctum glutine, aut aliter, & postea à capsula extrahatur: quia lapis portatilis non consecratur vt inclusus in capsula, seu dependenter ab ea inclusione, sed ipse per se solus, ac proinde ipse solus debet esse tantæ magnitudinis, vt possit commodè sustinere calicem & Hostiam.

Paludan.  
Angelus.  
Siluester.  
Suarez.  
Vasquez.  
Layman.

Obseruandum est Primò, vt aduertunt Siluester, Vasquez, Egidius, & Bonacina, altare portatile, seu viaticum, non posse fieri ex duobus lapidibus inuicem colligatis in modum libri, aut alio modo, quorum vnus capiat calicem, & alter Hostiam, sed tantum ex vno; quia sic est consuetudine receptum, ad denotandum vnam in Christo personam.

Siluester.  
Vasquez.  
Egidius.  
Bonacina.



Observandum est Secundò, vt contra Canonistas can. *Placuit*, de Consecratione, dist. 1. & contra Siluestrum, Azor & Scortiam aduertunt Sotus in 4 distinct. 1. 3. quæst. 2. a. 3. Suarez disp. 8. 1. Vasquez disp. 2. 3. 3. Ægidius num. 241. Laymannus & Doctores communiter, quòd etiam in Septima Synodo generali can. 7. & in alijs Concilijs Prouincialibus præceptum fuerit, vt nullum altare consecraretur absque Reliquijs Sanctorum (quod tantum intelligebatur de altari fixo) iam tamen consuetudine receptum sit, vt absque eis consecrentur altaria, & independenter ab eis: quia vix fieri potest, vt pro tot altaribus Reliquiæ Sanctorum inueniantur: nec pro Reliquijs substitui possit pars Eucharistiæ, vt contra Guilielmum, Durandum, & Ioannem Andream aduertunt Hostiensis, Panormitanus, Vasquez & Ægidius. Vnde, vt contra non paucos aduertit Ægidius, etiam si frangatur aut amoueat locus, seu sepulchrum in quo seruatur Reliquiæ, altare non amittit consecrationem, quia scilicet independenter ab eo loculo & ab ipsis Reliquijs consecratur.

Observandum est Tertio, quòd quamuis antiquitus in more fuerit, altare maius versus Orientem constitui, vt fideles ad illud conuersi orarent versus Orientem: liberum tamen est, vt aduertunt Vasquez & Suarez, versus quamlibet mundi partem illud constituere, quia dictus mos nunquam fuit habitus vt necessarius, sed tantum fuit iudicatus vt congruus, & conueniens vt Christus, qui Oriens est, & Sol iustitiæ, & qui fuit crucifixus habens faciem versus Occidentem, ad altare maius conuersi respiciamus.

## DIFFICULTAS IX.

*Qualis debeat esse ornatus altaris ad Missam celebrandam.*

Primò pro ornatu altaris ad celebrationem Missæ requiritur, vt super altare ipsum sit quoddam linteum extensum vsque ad terram pertingens, quo mensa altaris cooperiatur; & etiam duplex palla, seu mappa lineæ, vel vna duplicata, vt dicitur in Missali reformato in Rubrica 2. de Præparatione altaris. Est autem necessarium, vt quælibet palla, aut quælibet pars pallæ duplicatæ, cooperiat totam aram: & præter dicta, etiam requiritur Corporale, vt constat ex Missali reformato Rubrica 2. de Ingressu Sacerdotis ad altare. Requiritur ergo quatuor lintea, vel tria, & vnum ex eis duplicatum, vt deducitur ex dictis Rubricis inter se comparatis, etiam si ante decretum Missalis reformati sufficerent tria, quia consuetudine sic obtentum erat contra Ius antiquum, quo quatuor exigebantur, vt supra ponitur in can. *Super negligentiam*, de Consecratione, d. 1. & ob id Doctores, qui ante decretum istius Missalis reformati, vigente dicta consuetudine scripserunt, tria tantum lintea requirunt.

Materia autem Corporalis debet esse linum, vt decernitur in can. *Consilio*, de Consecratione, d. 1. & constat ex praxi & vsu Ecclesiæ. Et quamuis canon iste tantum loquatur de Corporali, certum est etiam, alias pallas seu mappas, quæ sunt sub Corporali, debere esse lineas, vt etiam constat ex praxi & vsu Ecclesiæ. Ita tamen Corporale fieri debet ex lino, vt nihil alterius materiæ in medio

miscetur, vt exprimitur in Rubrica 1. de Præparatione Sacerdotis.

Et quamuis antiquitus Corporale ita fuerit oblongum, vt super illud non tantum Corpus & Sanguis reponerentur, sed etiam, vt eo calix tegetur (quod modò in aliquibus Ecclesijs retinetur) iam tamen consuetudo obtinuit, vt Corporale sit in duas partes diuisum, quarum vna & maior sit super altare, & super eam reponatur calix & Hostia; altera verò, & minor, quæ *filiola* dicitur (Hispanè *hijuela*) deseruiat ad operiendum calicem. Et quia hæc pars minor, est pars Corporalis, ideò debet esse ex lino quoad partem interiori seu inferiorem, sicut pars maior, vt aduertunt Vasquez, Suarez, Ægidius & Laymannus, etiam si Sotus a. 3. sentire videatur, posse esse sericam, aut ex alia materia, quod Rodriguez non audet improbare; nec nos quoad partem exteriori seu superiorem.

Corporale autem quoad vtramque partem debet esse ab Episcopo benedictum, vt nomine *consecrati* decernitur in dicto can. *Consilio*. Et quamuis antea pallæ, seu mappæ duæ quæ sub Corporali ponuntur, non deberent esse benedictæ; iam tamen benedicti debent, vt constat ex Missali reformato in Rubr. 2. de Præparatione altaris. Corporale, & duæ dictæ pallæ, tam diu & non amplius retinent benedictionem, quam diu possunt ad vsus, ad quos deputantur, deseruire. Requiritur etiam Purificatorium, quod debet esse mundum, & collocari super os calicis, vt constat ex dictis Rubricis; & debet esse ex lino, vt consuetudine obtentum est, tamen non est benedicendum.

Secundò pro ornatu altaris ad celebrandum requiritur in eo lucerna ardens, & absque ea celebrare, est peccatù mortale, vt aduertunt communiter Doctores, & significatur in cap. vlt. de Celebratione Missarum: & debet fieri ex cera, vt etiam aduertunt communiter Doctores, & consuetudo ostendit. In casu tamen necessitatis, quamuis non magnæ, potest fieri ex oleo, imò ex seuo, vt aduertunt Azor, Laymannus & Bonacina.

De numero candelarum nihil Iure antiquo, nec consuetudine præscriptum est: nihilominus in Missali reformato Rubrica de Præparatione altaris dicitur, vt ponantur ad minus duo candelabra cum candelis accensis in vtroque latere, & vt à parte Epistolæ paretur cereus ad eleuationem Sacramenti accendendus, quæ non video tamquam obligantia recepta: erit tamen maximè decès, omnia prædicta seruare. Cauendum tamen est, vt dicitur in Tridentino sess. 22. in Decreto De obseruandis in celebratione Missæ, ne certus numerus candelarum ex superstitione aliqua in Missa adhibeatur: poterit tamen ex fine religionis & cultus Dei.

Tertio pro ornatu altaris ad celebrandum in ipso, requiritur Crux, non Iure aliquo antiquo, nec scripto, nec consuetudine introducto, sed tantum Iure nouo Missalis reformati in dicta Rubrica 2. vnde non poterit absque veniali sine Cruce celebrari, si commodè possit haberi.

Quarto pro ornatu altaris ad celebrandum in eo requiritur liber Missalis, qui saltem Canonem Missæ contineat, ne celebrans lapsu memoriæ erret; quia quamuis id nullo Iure antiquo præscribatur, requiritur tamen Iure Missalis reformati, etiam si Missa memoriter sciatur, vt constat ex Rubrica

Sotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Layman.

Hostiensis.  
Panormitanus.  
Vasquez.  
Ægidius.

Vasquez.  
Suarez.

Vasquez.  
Suarez.  
Ægidius.  
Layman.  
Rodriguez.

Azor.  
Layman.  
Bonacina.

Trident.



Rubrica 10. de Defectibus in ministerio occurrentibus; quod etiam indicatur in Rubrica 1. de Preparatione Sacerdotis.

DIFFICULTAS X.

*Quæ & qualia vasa requirantur ad celebrandum.*

Conueniunt Doctores, ad celebrationem Missæ requiri Calicem & Patenam; illis enim Ecclesia fuit ab initio ad celebrandum vasa: Calice quidem, & quia Christus in calice consecrauit, & quia vinum nequit absque calice seu vase commodè contineri, vt consecratur: Patena verò, quia in ea commodius fit receptio Hostiæ fractæ, & illius consumptio, vt si particula aliqua decidat, recipiatur in illa.

Materia autem Calicis & Patenæ non semper fuit eadem in Ecclesia, quia, vt constat ex can. *Vasa*, de Consecratione, distinct. 1. qui fuit Concilij Triburiensis cap. 18. antiquitus fuit lignea: deinde ex statuto Zephyrini Papæ fuit vitrea: postea Urbanus Papa decreuit omnia vasa sacra fieri argentea. Deinde in Concilio Rhemenfi sub Eugenio III. can. 6. & refertur in can. *Vt calix*, de Consecratione, dist. 1. statutum fuit, vt calix cum patena, si non ex auro, saltem ex argento fiat; si tamen quis pauper fuerit, stanneo saltem calice utatur, ex are autem aut aurichalco calix nequaquam fiat; nullo autem modo in ligneo, aut vitreo calice presumat Missam cantare. Et tandem in Missali Romano Rubrica 10. de Defectibus in ministro ipso occurrentibus, permittitur pes Calicis ex quacumque decente materia, dum cuppa illius sit aurea, vel argentea, vel stannea; vbi absolutè, & absque causa paupertatis, permittitur materia stanni: quod etiam habetur in Missali reformato in eadem Rubrica 10. Nihilominus quia in Rubrica 1. de Preparatione Sacerdotis, in eodem Missali reformato nouiter statuitur, vt Calix sit aureus vel argenteus, & quodd, quando pes non est aureus vel argenteus, saltem habeat cuppam argenteam, & intus inauratam, ideò huic Rubricæ, vt pote nouiori, standum est, & per eam dicta Rubrica 10. limitanda quoad materiam stanni pro cuppa.

Patena quoque debet esse ex eadem materia, ex qua cuppa Calicis, nempe ex auro vel argento, vt ex dictis Rubricis 10. & 1. inter se collatis deducitur: quia in 10. dicitur, Calicem debere esse cum Patena conuenientem, & in 1. requiritur Patena inaurata, quando cuppa debet esse talis, nempe quando pes calicis non est aureus vel argenteus. imò ex eisdem deducitur, Patenam debere semper cuppæ Calicis assimilari, ita vt debeat esse aurea vel argentea, quæ debet esse inaurata, quando cuppa Calicis est talis.

Deinde Calicem & Patenam egeret consecratione, & non sufficere benedictionem simplicem, conueniunt Doctores, & id supponunt Sixtus Papa in can. *In sancta*, de Consecratione, dist. 1. & Soter Papa in can. *Sacratus*, de Consecratione, dist. 23. & idem supponitur in can. *Non licent*, & in can. *Non oportet*, eadem dist. Hæc autem consecratio iure ordinario tantum fit ab Episcopo, vt aduertunt Doctores: ex priuilegio tamen Pauli III. concessum est nostris Presbyteris degentibus in remotissimis partibus,

Circa amissionem consecrationis Calicis & Patenæ conueniunt Doctores, Calicem & Patenam amittere consecrationem, quando ita notabiliter franguntur, vt nequeant celebrationi deferuire: quod etiam est verum in fractione & separatione pedis Calicis à cuppa, quando continua erant, quamuis postea coniungantur; quia tunc in nullo manet consecratio; non in Calice, quia non existat; nec in cuppa, nec in pede, quia neutrum fuit consecratum seorsim ab altero, sed ambo per modum vnius, potentis deferuire celebrationi: consecratio autem semel amissa, numquam reuiuiscit, etiamsi Calix iterum rediret idem numero coniunctione cuppæ & pedis, quia absque fundamento id dicitur; præsertim quòd Calix postea noua coniunctione factus est physicè distinctus à Calice ante fractionem.

Quando verò Calix tornatilis est, habens pedem amobilem, coniunctum iunctura tornatili, non amittit consecrationem separatione pedis à cuppa, vt contra Paludanum & Siluestrum aduertunt Armilla, Vasquez, Suarez, Azor, Egidius, Reginaldus, Laymannus, Bonacina, & communiter Doctores, quia in Calice tornatili cuppa per se consecratur independenter ab hoc vel ab illo pede, vt pote facilè mobili.

Et quando pars interior cuppæ antea consecrata postea inauratur, Calix consecrationem amittit, vt contra Guilielmum, Durandum, Egidium, Laymannum aduertunt Paludanum, Armilla, Angelus, Tabiena, Azor, Suarez, Vasquez, Reginaldus & Bonacina, non quia Calix inauratione illa mutetur; sed quia ponitur noua superficies auri, quam Sanguis Christi immediatè tangit, quæ non est consecrata ratione sui, vt patet, nec illi consecratio Calicis antea facta communicatur, quia superficies illa non est quasi accessoria, & minùs principalis; sed magis principalis (quamuis quoad quantitatem sit minor) quia illa tangit magis principaliter Sanguinem Christi, quia tangit illum immediatè; Calix autem ob tactum ad Sanguinem Christi consecratur (in quo Calix distinguitur ab Ecclesia, quia hæc non consecratur ob tactum, & ideò, quamuis post consecrationem parietes dealbentur, manet consecrata, quia post dealbationem manet eadem) è contrario verò, quamuis superficies interior Calicis inaurati destruat, etiam noua superficies, quæ apparet, manet consecrata, vt aduertunt communiter Doctores; sicut quando Calix non est inauratus, & vsu iplo superficies interior consumitur, etiam noua, quæ apparet, manet consecrata: quia quando Calix consecratur, totus secundum totam quantitatem consecratur, aut consecratus censetur. Et omnia prædicta de superficie interiore Calicis dicta, etiam sunt vera de superficie superiore Patenæ, ob eandem rationem.

Circa custodiam seu pyxidem, in qua Corpus Christi pro communicaturis consecratur aut asseruatur, est difficultas, an consecrari seu benedici debeat.

Paludanus, Sotus, Suarez, Vasquez, Egidius, Laymannus, Bonacina, & communiter Doctores docent, non debere consecrari nec benedici (etsi decens sit benedici benedictione simplici, in Pontificali Romano præscripta pro ipsa pyxide) quia nullo iure id præscribitur.

Guilielmus verò Durandus lib. 10. de Ritibus Eccle-

Zephyrin.  
Urbanus.  
Eugen. III.

Paludan.  
Siluester.  
Armilla.  
Vasquez.  
Suarez.  
Azor.  
Egidius.  
Reginald.  
Layman.  
Bonacina.  
Durandus.  
Egidius.  
Layman.  
Paludan.  
Armilla.  
Angelus.  
Tabiena.  
Azor.  
Suarez.  
Vasquez.  
Reginald.  
Bonacina.

Sixtus.  
Soter.

Paludan.  
Sotus.  
Suarez.  
Vasquez.  
Egidius.  
Layman.  
Bonacina.  
Guilielm.  
Durandus.



*Reginald.* Ecclesiæ, cap. 16. Reginaldus lib. 29. num. 20. & alij docent, & merito, debere benedici, vt constat ex Missali correcto Rubrica 2. de Ritu seruando; non tamen debere consecrari consecratione facta Chrismatis vnctione, quia in Pontificali Romano pro pyxide tantum assignatur simplex consecratio & benedictio.

*Vasquez.* Id verò quod addit Vasquez, nempe, necessarium esse intra pyxidem esse vas aliquod ex lino, & benedictum benedictione Corporalis, absque fundamento dicitur; & etiam id quod addit, nempe debere pyxidem super aram collocari: reponenda tamen est super Corporale, quia hoc videtur consuetudine seruatum.

De materia pyxididis nihil est Iure positiuo præscriptum; Iure tamen naturali requiritur, vt materia sit talis, vt absque indecentia possit deferuare ad asseruandum Corpus Christi.

## DIFFICULTAS XI.

*Quæ & quales vestes sint necessariae ad celebrationem Missæ.*

Conueniunt Primò Doctores, Sacerdotem ex præscripto Ecclesiæ debere peculiaribus vestibus indui ad celebrationem Missæ, quæ sunt numero sex, nempe Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula, quæ suas habent significationes, & videri possunt apud Suarez disp. 82. sect. 2. & apud Toletum lib. 2. c. 2. Ita tamen Sacerdos debet dictis vestibus indui, vt si absque aliqua ex illis celebret, peccet mortaliter, vt communiter aduertunt Doctores, qui excipiunt casum in quo Sacerdoti iniiciatur metus mortis, non in contemptum fidei, nec ordinationis Ecclesiæ, quia tunc non peccat, quamuis celebret absque aliqua ex illis, quia maioris momenti est conseruatio vitæ in eo casu, quam obseruatio dictæ legis: imò in eo casu erit licitum absque omnibus celebrare, vt ob rationem dictam contra Suarez aduertunt Paludanus, Sotus, Medina, Vasquez, Sà, & Laymannus tract. 5. cap. 6.

*Paludan.*  
*Sotus.*  
*Medina.*  
*Vasquez.*  
*Sà.*  
*Layman.*

Materia autem dictarum vestium nullo Iure scripto præscribitur; tamen ex consuetudine Amictus & Alba debent fieri ex lino: reliquæ verò vestes possunt fieri ex qualibet decente materia. Circa figuram & magnitudinem earum seruanda est Ecclesiæ consuetudo absque variatione tali, vt vestes censentur non Sacerdotales.

Conueniunt Secundò Doctores, prædictas sex vestes benedicendas esse, quia sic præscribitur in Missali reformato Rubrica 1. de Ritu seruando. Vbi etiam præscribitur, vt Sacerdos accedat calcæus ad altare, & quòd superior vestis ordinaria talum attingat, hoc tamen posterius non est consuetudine receptum.

Circa amissionem benedictionis idem dicendum est, ac diximus de alijs rebus benedictis, & consecratis, nempe, quòd si vestes ita destruantur, vt amittant figuram, aut reddantur ineptæ ad proprium usum, ita benedictione amittant, vt quamuis postea reficiantur, indigeant noua benedictione; secus est si, antequam amittant figuram, aut ineptæ fiant, reficiantur, quamuis aliquid non benedictum addatur. Vnde si cingulum ita frangatur, vt neutra pars seorsim deferuare possit, amittit benedictionem, quamuis post ruptionem iterum nodo aut aliter coniungantur.

Obseruandum est, prædictas sex vestes, & qualibet alias res sacras, quæ non tangunt immediatè species, nec sunt Chrismatis vnctione consecratæ, posse etiam à laicis, adhuc feminis, immediatè tangi: quia quamuis id fuerit generaliter prohibitum, quoad vestes sacras, ab Hilario Papa in can.

*Vestimenta*, de Consecratione, d. 1. hæc tamen prohibitio non perseverat in vsu quoad dictas sex vestes, & alias pallas, quæ non tangunt immediatè species. Excepimus res sacras, quæ tangunt immediatè, species vt Corporale (sub quo etiam comprehenduntur Pallæ) & Purificatoriu, quamuis non sit benedictum, & pyxis, & quæ consecratæ sunt Chrismatis vnctione, vt Ara, & Agnus Dei cereus, quia non possunt immediatè tangi, nisi à constitutis in Sacris Ordinibus, vt consuetudo ostendit, & deducitur ex dicto can. *In sancta*, & ex alijs multis, de Consec. d. 23. Et ob vtrumque dictum titulum nequeunt immediatè tangi, nisi à prædictis, Calix & Patena, quia scilicet immediatè tangunt Christum, seu species sub quibus Christus continetur, & consecrantur Chrismatis vnctione. Religiosis tamen Minoribus, & etiam nostræ Societatis, quamuis non initiatis, ex priuilegio licet omnia prædicta immediatè tangere, etiam dicta vasa, quando sunt absque Corpore & absque Sanguine Christi: & feminis ex consuetudine licet prædicta, quæ lotionem indigent, lauare post primam lotionem leuiter factam à constitutis in sacris. Tactus tamen immediatus dictarum rerum absque contemptu factus, non est mortalis, vt aduertunt communiter Doctores, ob leuitatem materiæ (nisi forsitan tactus Calicis & Patenæ, quando continet Christum) est tamen venialis, vt contra Sotum, in 4. d. 13. q. 2. a. 3. & contra Bartholomæum Angelum §. 321. aduertunt communiter Doctores, nullum tamen erit peccatum, si tactus ex rationabili causa fiat, vt aduertit Egidius n. 249.

*Angelus.*  
*Egidius.*

Addimus, prohibitum esse à Gregorio XIII. sub excommunicatione latæ sententiæ, Agnos Dei depingere, inficere, minio notare, aurum vel colorem aliquem imponere, aut tales venales proponere, aut tenere, vt refert Azor lib. 9. cap. 9. Hæc tamen constitutio non est in omnibus locis recepta, ac proinde in eis non obligat.

*Azor.*

In fine obseruandum est, præceptum esse à Zacharia Papa in Synodo Romana, & refertur in can. *Nullus Episcopus*, de Consecratione, d. 1. ne Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus temerè (id est absque rationabili causa) præsumat ad Missarum solemniam accedere velato (id est cooperto) capite, aut cum baculo.

*Zacharias.*

## DIFFICULTAS XII.

*Vtrum dicenda & agenda sint, quæ in celebratione Missæ ordinantur.*

Sypponimus, ea quæ in celebratione Missæ dicuntur & aguntur, esse conuenienter ordinata & instituta, super quibus legi potest S. Thomas quaest. 83. artic. 4. & 5. Bellarminus lib. 2. de Missa, à cap. 16.

*S. Thomas.*  
*Bellarminus.*

Hoc supposito, conueniunt Doctores, omittere aliquid ex his quæ in Officiò Missæ dicenda & recitanda ordinantur in Missali, esse peccatū (nisi consuetudine fuerit aliter receptum) & esse aut mortale, aut veniale, pro quantitate materiæ omiffæ, non tamen esse repetendum, nisi id possit secretò,



Pius V.

tò, & facile, & absque perturbatione ordinis, & coherentiâ dicendorum fieri: & addere aliquid ex suo, quod non ordinatur in Missali, etiam esse peccatum, quia vtrumque prohibuit Pius V. in Bulla præfixa in initio Missalis Romani iussu ipsius impressi; quod non est mortale, quando parua aliqua Oratio additur ex deuotione, & non recitatur alta voce coram populo: & prætermittere ordinem celebrandi Missam in Rubricis assignatum pro singulis diebus, non esse peccatum, quia non est sub præcepto, esse tamen indecorum (saltem in diebus solemniibus) & oppositum esse consuetudini, ac proinde, qui aut ex promissione, aut ex fundatione tenetur celebrare certas Missas, v. g. de Spiritu sancto, de Passione de Beata Virgine, & de Requiem, potest in die, in qua occurrit Festum alicuius Sancti, celebrare Missam de eo, quia id est conforme Rubricis, & cõsulendum, etiam si oppositum fieri possit. Vnde qui suscepit onus celebrandi triginta Missas S. Gregorij pro defunctis, non tenetur singulas de Requiem celebrare diebus alicuius Sancti.

Observandum est, eum, qui tribus personis tres Missas promisit, singulis singulas, eis satisfacere ter celebrando pro illis tribus, non solum secundum nostram sententiam, secundum quam Sacrificium applicatum pluribus non minus proficit singulis ac si vni tantum applicaretur, quia tunc magis proficit singulis; sed etiam secundum sententiam eorum, qui dicunt fructum Sacrificij pluribus applicatum diuidi, quia etiam tunc tantum fructum tradit cuilibet ex illis tribus, ac si pro quolibet seorsim vnam Missam celebraret, quia tunc qualibet celebratione tribuit cuilibet tertiam partem fructus.

Addimus, vt iam communiter Doctores contra non paucos aduertunt, celebrare Missam ante recitationem Horarum matutarum, non esse peccatum mortale, quia non est præceptum præmittendi earum recitationem. Nec huic obstat, quod in Rubrica 1. de Preparatione Sacerdotis dicitur, Missam celebrandam esse post Horas matutinas; vel quia in ea tantum est sermo de Officio Missæ in Ecclesijs in quibus Horæ publicè recitantur, vel quia iam desuetudine cessauit obligatio illius. Vnde neque erit peccatum veniale, saltem quando adest aliquis ratio: quia quod non est contra præceptum, nullo modo est peccatum.

Circa agenda in Officio Missæ conueniunt Doctores, omittre carimoniam aliquam Missæ ex assignatis in Missali, & aliam non assignatam addere, esse peccatum, quia est contra præceptum Pij V. vbi supra, & esse mortale aut veniale, pro quantitate materiæ omittæ aut additæ.

Observandum est, quod quamuis antiquitus in can. *Hoc quoque*, de Consecratione, d. 1. præceptum fuerit, vt Sacerdos non nisi, vt minimum duobus presentibus celebret, iam tamen ita derogatum est, vt sufficiat vnus minister qui celebranti administret. Absque eo tamen nullus, quamuis Eremita sit, & nullus, quamuis ipse instet obligatio audiendi Missam, poterit celebrare, vt contra Sotum docet Vasquez, Bonacina, & alij. Imò quamuis instet populo ea obligatio, & quamuis instet necessitas dandi a groto Viaticum: quamuis sint, qui in his duobus posterioribus casibus oppositum sentiant. Poterit tamen celebrans Missam inceptam absque ministro prosequi, si minister abijt, & expectatus non veniat, vt aduertit Henriquez c. 3. quia quamuis, necessitate urgente, à Mis-

sa incepta desistere possit, defectus tamen ministri non est necessitas vrgens, nec tanta consideratio, quantæ ad desistendum requiritur in can. *Nullus Episcopus*, de Consecratione, d. 1. Minister autem debet esse mas, & non femina, vt decernitur in c. 1. de Cohabitatione Clericorum & mulierum, dum dicitur: *Nulla femina ad altare presumat accedere, aut Presbytero ministrare*. quod seruandum est, quamuis deficiat mas, etiam in casu in quo incepta est Missa, vt aduertunt communiter Doctores, quia etiam in eo potius debet sibi respondere, vt facit quando Horas Canonicas recitat, & sibi vt potuerit ministrare, quam feminam admittere, quia id habet minus indecentiæ. Potest tamen femina, præsertim Monialis, ex loco remoto respondere celebranti, quia id non est prohibitum in dicto canone, vt patet ex verbis ipsius, nec alibi: non tamen ad altare accedere, nec ad illud ministrare, quia in eo canone prohibetur.

## DIFFICULTAS XIII.

*Quomodo occurrendum sit defectibus in celebratione Missæ contingentibus.*

**I**N primis, Missa incepta nequit absque graui & urgente causa relinqui, vt dicitur in can. *Nullus*, de Consecratione, d. 1. quando verò inter celebrandum euenit morbus, aut alia corporalis necessitas, cogens celebrantem vt non perficiat Missam, si consecratio panis non est facta, relinquendum est Officium, & à nullo perficiendum, quia tunc in omissione illius non est incommodum aliquod considerabile: si verò forte, aut malitia Sacerdotis, aut quia panis non fuit triticeus, & tempore consecrationis non fuit agnitus, non consecratur Hostia, sed tantum vinum, postea consecranda est Hostia, vt essentialiter perficiatur Sacrificium, & non est necessarium postea iterum aliud vinum post Hostiam consecrare, quia ad perfectionem essentialem Sacrificij non est necessarium, quod prius consecratur Hostia quam vinum, quia consecratione vtriusque, quocumque ordine facta, maectatur mysticè homo Christus separatione mystica Corporis & Sanguinis inter se ex vi verborum consecrationis facta.

Secundò, quando Sacerdos post consecrationem vnus speciei, aut vtriusque, recordatur se aut non esse ieiunum, aut esse in peccato mortali, aut excommunicatum, tenetur perficere Sacrificium contritione præmissa, si recordatur se esse in peccato mortali: quando verò eorum recordatur ante consecrationem, tenetur desistere à Sacrificio, nisi ob id timeat prudenter, quod grauius notabitur, quia in casu huius timoris potest progredi contritione præmissa peccati mortalis non confessi, si illud habeat.

Tertiò, si Sacerdos post consecrationem, antequam finiatur Officium, cognoscat defectum consecrationis vini, quia loco vini fuit apposita aqua, aut acetum, aut alia materia insufficientis, si nequeat absque timore prudenti grauis notæ sui, aut grauis perturbationis adstantium, consecrare Sanguinem, non tenetur eum consecrare, sed potest absque illius consecratione Missam finire: quia præceptum affirmatiuum perficiendi essentialiter Sacrificium, quamuis sit diuinum, non obligat cum timore prudente tanti damni. Si verò non sit prædictus timor, perficiendum est essentialiter Sacrificium, conse-

Sotus.  
Vasquez.  
Bonacina.

Henriquez



consecrando Sanguinem, vt patet, & non consecrando aliam Hostiam, quando agnoscitur defectus consecrationis vini ante sumptionem Hostiæ consecratæ, in quo Doctores cõueniunt. Et quando agnoscitur post sumptionem Hostiæ consecratæ, quamuis secundum Rubricam 4. Missalis, de Defectibus vini, à Pontifice traditam, in qua loquitur sequendo sententiã probabiliorẽ, & non præcipiendo, sit consecranda alia Hostia, & vinum modicissimæ aquæ mixtum, incipiẽdo ab illis verbis, *Qui pridie quàm pateretur*: nihilominus sufficit, quòd Sacerdos vinum cum modicissima aqua mixtũ consecret, non consecrando aliam Hostiam, vt aduertunt Scotus in 4. d. 8. q. 3. Nauarrus c. 25. num. 91. Angelus v. *Missæ*, n. 17. Suarez disp. 85. sect. 1. Vasquez & Ægidius quæst. 83. art. 6. & Laymannus tit. 5. cap. 7. Quia quamuis Hostia illa consecrata iam sit sumpta, non minùs perficitur Sacrificium consecratione vini postea facta, quàm si non fuisset sumpta. Et sufficit statim vinum aquæ mixtum consecrare, & sumere, nihil aliud, nec verbalem oblationem vini, ad consecrationem ipsius vini præmittendo; quia in Sacrificio Missæ, sicut in Sacramentis, nihil est iterandum; sed quod est omissum, est cautè supplendum. Imò quando omissum est tantum accidentale, non est supplendum, si peruertendus est ordo in Rubricis assignatus, sed progrediendum est. Nec obstabit, quòd percipiat defectum consecrationis vini post sumptionem aquæ aut alterius materiæ insufficientis, vt postea consecret vinum, & non ieiunus Sanguinem sumat, quia maioris considerationis est obseruatio præcepti diuini perficiendi essentialiter Sacrificium, quàm obseruatio præcepti Ecclesiastici non sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij naturalis. Imò quamuis materia illa insufficientis, quando agnoscitur, non sit deglutita, sed in ore, non est expuenda, ob indecentiam, & ob periculum expuendi particulam aliquam Hostiæ sumptæ. Addidimus in principio, *antequam finiatur Officium*, quia si defectus consecrationis vini agnoscat post absolutum Officium, non est supplendus, quia iam censebitur actio distincta.

Quartò, si animal vel aliud decidat in Calicem, quod venenosum sit, si id contingat ante consecrationem, sumenda est alia materia, & consecranda: si verò contingat post consecrationem, si Sacerdos nequeat absque incommodo, aut periculo salutis, vel vomitus, illud sumere, extrahendum est ex Calice, & abluendum, & postea comburendum, & cineres simul cum ablutione proijciendi sunt in piscinam, & Sanguis, si possit absque dicto periculo, est à Sacerdote sumendus. Et si nequit absque periculo dicto, seruandus est quousque species corrumpantur, & tunc sunt in piscinam mittendæ, vel potius sunt imbibendæ in stupa aut in alia commoda materia, quæ exsiccanda est, & postea comburenda, & cineres mittendi sunt in piscinam.

Quintò, si Sacerdos prudenter dubitet, aut timeat se omisisse, aut insufficienter pronuntiasse verbum aliquod essentiali consecrationi, verbum omissum repetendum est submissè; vel ipsum solum, si aliud verbum non fuit interiectum, & ferè statim repetatur; vel repetenda sunt omnia verba essentialia, si aliquod verbum fuit interiectum, vel si longum tempus intercessit; sed non sunt repetenda absoluta intentione consecrandi, sed sub

ea conditione (saltem mentaliter concepta) *si non protuli, aut si non protuli sufficienter.*

Omittimus alios defectus, quia eis facillè potest occurrì, Rubricas Missalis obseruando.

## DIFFICULTAS XIV.

*Quo pacto pro celebratione Missæ assignandum sit iustum stipendium.*

Supponimus, in quo Catholici cõueniunt, Ministros altaris posse licitè stipendium aliquod in sui sustentationem accipere: quod supponit Christus Luc. 10. dum Discipulos suos ad prædicandum mittens, dixit: *In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.* & id etiam supponit Paulus 1. ad Corinth. 9. dum ait: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant.* Et sanè id est debitum ministro altaris, non tamquam pretium ministerij, quia esset simoniacum, quia ministerium est quid spirituale; sed tamquam stipendium pro vitæ sustentatione, quia dignum est, vt qui in ministerio spirituali in gratiam & bonum alterius occupatur, ab eo sustentetur, siue omnino, siue ex parte, magis aut minùs, pro quantitate occupationis.

Ex quo constat, etiam esse licitum Sacerdotibus diuitibus iustum stipendium accipere pro Missæ celebratione, quia stipendium non accipitur à ministro ad suppleendam paupertatem, sed tamquam stipendium ad sustentationem, quia dignus est vt sustentetur ab eo in cuius gratiam occupatur.

Et ob eandem rationem etiam Sacerdos, qui aliàs habet beneficium Parochiale, aut Canonatum, aut aliud beneficium, poterit pro Missæ celebratione stipendium accipere: quia quòd redditus beneficij ei dentur in stipendium ratione aliorum ministeriorum, aut celebrationis aliarum Missarum, non obstat, vt ratione alterius ministerij, aut celebrationis aliarum Missarum, iustum stipendium accipiat.

Stipendium ergo iustum & condignũ pro Missæ celebratione taxandum est iuxta occupationem & laborem, siue communi populi existimatione, siue Romani Pontificis, siue Episcopi, ita vt quamdiu stipendium iudicio Romani Pontificis aut Episcopi non taxatur, communi existimationi populi standum sit: sicut etiam contingit in taxatione pretij rerum quæ pecuniã æstimantur, quia quamdiu Princeps earum pretium non taxat, communi populi existimationi statur.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez *Vasquez. Suarez.* disp. 234. & Suarez d. 85. ita posse stipendium pro celebratione Missæ à Superioribus taxari, vt nequeant nisi intuitu alicuius circumstantiæ extrinsecæ Sacerdotibus prohibere, ne plus accipiant si liberaliter offeratur, neque minùs si ipsi liberaliter sint minore contenti, quia id esset opera virtutis liberalitatis impedire. Nihilominus in aliquibus Ecclesijs Cathedralibus & collegialibus statutum est ne totum Capitulum intersit Funeri, aut alijs officijs, nisi tanta pecunia detur; quod potest esse honestum ob decentiam Capituli, ne facillè pro quauis occasione conuocetur: id tamen non tollit, quòd minùs, quando misericordia aut pietas resplendet, non possit gratis aut minori stipendio fieri.



## DIFFICULTAS XV.

*Vtrum Sacerdos possit pro vnus Missæ celebratione plura integra stipendia accipere.*

**S**orus 9. de Iustitia, q. 3. art. 1. & Canus 12. de Locis, c. 13. ad 10. docent, Sacerdotem posse tot stipendia pro vna Missa recipere, quot sunt necessaria ad victum moderatum pro ea die, quia ei, qui altari seruit, debitum est stipendium necessarium & sufficiens ad victum saltem moderatum.

**Henriq. Nauarra. Aragon.** Henriquez lib. 9. cap. 22. Petrus Nauarra 2. de Restitutione cap. 2. n. 33. & Aragonius de Iustitia q. 85. art. 3. docent, pro vna Missa accipi posse stipendia necessaria ad congruam sustentationem diurnam, nempe ad victum, vestitum, & habitationem, quia ei, qui altari seruit, iure naturali debitum est stipendium necessarium & sufficiens ad congruam sustentationem vitæ.

**Corduba.** Corduba lib. 1. quæst. 4. dub. 2. refert sententiam quorundam asserentium, Sacerdotem posse pro vna Missa accipere stipendia necessaria & sufficientia non tantum ad sui, sed etiam ad suæ familiæ sustentationem, & in hac sententia esse plures recentiores, refert Vasquez disp. 2. § 4. num. 14.

**Vasquez.** Henriquez ubi supra refert recentiores Thomistas asserentes, posse Sacerdotem pro vna Missa accipere stipendia necessaria & sufficientia, non solum pro sui & suæ familiæ sustentatione, sed etiam pro soluendis debitis, & pro emendis libris opportunis.

**Nauarrus. Vasquez. Suarez. Bonacina.** Nauarrus verò in Summa cap. 25. n. 29. Corduba, & Vasquez ubi supra, Suarez disp. 86. sect. 2. Bonacina punct. 8. docent, Sacerdotem non posse pro vna Missa plusquam vnum integrum stipendium accipere, quamuis non sufficiat ad victum, & meritò: quia quauis minister spiritualis dignus sit mercede sua, non tamen omnes eodem modo, sed vnusquisque pro sua occupatione & labore; ita vt qui toto die occupatur in ministerio Ecclesiastico, vt in studendo ad docendum, aut in docendo, aut in administrando Sacramenta, dignus sit integra sui & suæ competentis familiæ sustentatione: ergo Sacerdoti pro occupatione tantum in vnus Missæ celebratione, non debetur integra sustentatio, quia potest in alijs ministerijs occupari, sed pars aliqua, prout à superioribus fuerit taxatum, & eorum taxatione deficiente, prout communi populi iudicio taxatum fuerit, & eo deficiente, ad arbitrium viri prudentis.

Quòd autem Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum, ita singulis profit ac si pro vno tantum offeratur, nõ sufficit, vt pro vna Missa possit à pluribus illis plura integra stipendia accipere, quia stipendium non datur pro valore Missæ (quod esset simoniacum) sed tantum titulo sustentationis, ex eo autem quòd Sacerdos vnam Missam pro pluribus offerat, non eget maiori sustentatione, quam si pro vno tantum offerret. Nihilominus ex hoc, quòd Sacrificium pro pluribus oblatum profit singulis, ac si pro vno tantum offerretur, credimus (excepta iniustitia stipendi;) vna Missa satisfieri pluribus petentibus vnam Missam, quia, vt aduertit Egidius art. 1. dub. 10. non est alia obligatio in Sacerdote, quam applicandi petenti Missam, fructum ex opere operato, seu ex institutione

Christi, qui non minus obuenit singulis, quam si vni tantum applicaretur; & non est obligatio applicandi fructum ex opere operantis, nempe orationum & precum, & aliarum actionum Missæ (qui minus obuenit singulis) quia qui ea exercet ex malo fine, qua ratione nullum habent fructum, etiam satisfacit petenti Missam.

Id verò quod nonnulli dicunt (vt Vasquez refert) nempe posse Sacerdotem, quando celebrat, suspendere applicationem Sacrificij, & postea illud applicare ei personæ pro qua id fuerit postea petitum, & consequenter, posse pro ea Missa postea applicata stipendium accipere, falsum est, vt aduertunt Vasquez & Corduba, quia Sacrificium, vt pote instar Sacramenti institutum, statim ac perficitur, habet suum peculiarem effectum, sicut Sacramenta, ita vt in potestate Sacerdotis non sit illud suspendere; sicut nec in potestate ministri Sacramentorum est, effectum eorum suspendere. Poterit tamen Sacerdos, vt aduertunt Vasquez & Corduba, quando celebrat, applicare Missam ei pro quo postea petendum est, & ita poterit pro ea stipendium accipere, dummodò is, pro quo postulatur quando Missa fuit applicata, fuerit in eo statu, in quo is, qui postulat, desiderat applicari, v. g. si pro defuncto postulatur, & erat iam defunctus quando Missa applicatur.

## DIFFICULTAS XVI.

*Vtrum Sacerdotes obligati sint ad offerendum Missam pro alijs.*

**C**onueniunt Doctores Primò, Sacerdotes non obligari ratione Sacerdotij ad offerendam Missam pro alijs, vt patet; obligari tamen ratione stipendij aut Capellanæ ad id institutæ: & hanc obligationem esse ex iustitia, non quia constituatur æqualitas inter Missam & stipendium aut redditum, sed quia stipendium aut redditus non datur absolute, sed ob causam, aut sub conditione; deficiente autem causa aut conditione, id quod sub hac aut ob illam datur, nequit absque iniustitia retineri.

Conueniunt Secundò, beneficiarios, non habentes curam animarum, non obligari ex vi beneficiij ad offerendam Missam pro alijs, quia quamuis aliqua beneficia non parochialia instituta sint pro administratione Sacramentorum, nullum tamen eorum institutum est ad offerendam missam pro alijs.

Est tamen difficultas de Parochis, An teneantur Missam offerre pro parochianis.

Sorus lib. 9. de Iustitia, quæst. 3. art. 1. docet, Parochos teneri per se aut per alterum pro suis parochianis Missam offerre, si fructus beneficiij ad vitæ sustentationem sufficiant: si verò non sufficiant, teneri pro quantitate beneficiij ter aut quater in hebdomada, quia ius ad decimas & ad fructus beneficiij institutum videtur, non solum vt Parochus populo Sacramenta ministret, sed etiam vt pro populo fungatur officio proprio Sacerdotis, hoc autem, vt Paulus ad Hebraeos 5. ait, est offerre Sacrificium pro populo.

Maior verò in 4. d. 45. q. 2. Nauarrus c. 27. n. 91. Vasquez disp. 234. cap. 4. Suarez disp. 86. sect. 1. Egidius ar. 1. du. 11. & Laymannus c. 3. docent, Parochum ex vi beneficiij parochialis non teneri ad offeren-

Vasquez.  
Corduba.

Vasquez.  
Corduba.

Maior.

Nauarrus.

Vasquez.

Suarez.

Egidius.

Layman.



Corduba.  
Vasquez.

offerendum Missam pro populo, & meritò: quia obligatio Parochi ad id nullo Iure scripto nec consuetudine introducto probari potest, nec ex institutione beneficij parochialis deducitur, quia ex hac tantùm deducitur obligatio Parochi ad celebrandum Missam, vt populus eam audiat. Vnde, vt aduertunt Corduba & Vasquez, standum est consuetudini, & statutis Synodalibus cuiuscumque diœcesis.

Ad rationem ergo Soti negamus, beneficium parochiale ad id institui, sed vt Parochus populo Sacramenta ministrat, illumque doceat, & coram eo Missam & alia officia diuina celebret, non verò vt pro illo Missam offerat, quamuis officium Sacerdotis sit offerre Sacrificium pro his pro quibus voluerit; Parochus enim ex vi sui beneficij non tenetur ad omne id quod ei conuenit ratione Sacerdotij.

## DIFFICULTAS XVII.

*Quo pacto se debeat gerere Sacerdos in distributione stipendiorum sibi collatorum pro Missarum celebratione.*

Contingit, vt Sacerdoti pro celebratione Missarum conferatur maius stipendium, quam iuxta statutum Synodale aut consuetudinem conferri solet.

Est ergo difficultas, An iste, qui non vult aut non potest dictas Missas celebrare, possit illas alijs commendare, non tribuendo illis nisi consueta stipendia, sibi referuando residuum.

Nauarrus.  
Corduba.

Nauarrus cap. 25. nu. 91. & Corduba lib. 1. q. 4. dub. 5. docent, non posse, nisi habeat ex officio pro Missis celebrandis stipendia congerere, & congregare, & illa distribuere: quod absolutè absque dicta limitatione tradit Maior in 4. dist. 45. q. 3. dub. 3. Probari autem potest Primò, quia si is, qui stipendia accipit, id non habeat ex officio, nullo titulo accipere potest residuum illud. Secundò, quia aliàs, quamuis numquam pro alijs celebret, posset fieri diues. Tertiò, quia Sacerdos ille contra voluntatem eorum, qui stipendia excedentia contulerunt, retinet illud quod super est.

Sotus.  
Suarez.  
Bonacina.

Sotus 9. de Iustitia q. 3. ar. 1. Suarez dist. 86. sect. 3. & Bonacina punct. 8. absolutè absque vlla limitatione docent, posse. Primò, quia Sacerdos ille in retentione residui nulli facit iniuriam, quia non alteri Sacerdoti cui Missam commendat, quia illi iustum stipendium confert; nec illi qui maius stipendium contulit, quia pro eo offertur Missa eiusdem valoris ab illo alio Sacerdote. Secundò, quia

Sacerdos ille maiora stipendia accipiens, factus est dominus illorum sub obligatione celebrandi pro conferente illa; huic autem obligationi satisfacit Missam celebrando per alium, & huic satisfacit ipsi conferendo iustum stipendium. Tertiò, quia habentes Capellanas, satisfaciunt dicendo Missas per alios, his conferendo consueta stipendia, ergo.

Vasquez verò disp. 234. cap. 4. docet, & meritò, Vasquez.

Primò, eum, qui ex peculiari officio ad hoc destinatus colligit & distribuit stipendia Missarum, posse ex residuo illo stipendiorum aliquid sibi referuare, quia sollicitudo in illis colligendis & distribuendis est pretio aliquo æstimabilis; id tamen debere esse exiguum, quia dictum officium est exiguæ sollicitudinis.

Secundò docet, eum Sacerdotem, qui ex officio peculiari non est ad id destinatus, si maiora illa stipendia ipsi tribuantur, non vt ipse eam celebret, sed vt alijs ad celebrandum distribuat (quod, quando aliàs non constet, poterit ex circumstantijs discerni) tunc nihil excessus posse sibi retinere, aliàs ille Sacerdos illis alijs, quibus distribuit, irrogaret iniuriam; non quia illis non tribueret iustum stipendium, sed quia illis non conferret totum, quod aliàs ex voluntate domini ad illos pertineret; ex quo constat ad primam rationem pro Soto, Suarez, & Bonacina. Si verò maiora illa stipendia illi tribuantur vt ipse Missas celebret, tunc eum posse sibi excessum retinere titulo liberalis donationis sibi à domino factæ: & quidem tunc in retentione illius nulli facit iniuriam, quia non Sacerdoti cui distribuit, quia illi tribuit stipendium iustum, & nihil, quod ad illum ex voluntate domini pertineat, sibi retinet; nec domino stipendia illa maiora tribuenti, quia quamuis Missa magis profit ei qui maiora stipendia tribuit, quia magis inducit ad celebrandum, ei tamen non minùs prodest ex eo quòd Sacerdos, cui ipse contulit maiora stipendia, sibi retineat excessum, quia dominus iam totum illud dedit, vt pro ipso Sacrificium offeratur, & ita non minùs cooperatur ad illud; ex quo patet ad rationes pro Nauarro, Corduba & Maiore.

Nauarrus.  
Corduba.  
Maior.  
Sotus.  
Suarez.  
Bonacina.

Ad secundam verò rationem pro Soto, Suarez & Bonacina concedimus, Sacerdotem illum, etiam in priori casu secundæ partis nostræ sententiæ, acquisuisse dominium eorum stipendiorum excedentium, non tamen absque obligatione & onere dandi illa integra celebranti, quia sic voluit dominus stipendiorum.

Ad tertiam rationem respondemus, Capellanos ex præsumpta voluntate instituentis Capellanas, posse sibi excessum illum retinere.





## DISPUTATIO V.

## De præcepto audiendi Missam.

## DIFFICULTAS I.

*Vtrum baptizati teneantur Missam audire.*

CONVENIUNT Primò Theologi, esse præceptum, quo baptizati Missam audire tenentur diebus Dominicis & Festis: & id constat ex can. *Missus*, de Consecratione, dist. 1. consensu vniuersalis Ecclesiæ recepto: vbi, quamuis tantùm fiat mentio diei Dominici, sub eo tamen quodlibet Festum obseruandum comprehenditur, quia ad id instituitur dies Festus, vt scilicet obseruetur sicut dies Dominicus. Et quamuis in eo canone præceptum tantùm dirigatur ad sæculares, consensu tamen & praxi Ecclesiæ extensum est ad omnes. Sed quamuis certum sit, esse dictum præceptum; id tamen non est de fide ( vt nonnulli falsò dixerunt ) quia Deus id non reuelauit.

Dicto tamen præcepto non tenentur pueri ante vsum rationis, nec perpetuò amentes, quia sunt incapaces præcepti & prohibitionis: amentes verò, qui post vsum rationis semel habitum in amentiam inciderunt, & in ea perseverant, quamuis eo præcepto in actu primo obligentur, excusantur tamen ab eo, quia nequeunt humano modo Missæ assistere.

Suarez. Addunt Suarez disp. 88. sect. 4. Egidius q. 83. art. 6. dub. circa illum, & Laymannus l. 4. tract. 7. cap. 3. pueros non teneri præcepto audiendi Missam (& idem est de alijs præceptis, saltem humanis) ante vsum rationis perfectum, ita vt possint mortaliter peccare: quod nos difficile existimamus; imò credimus, vt eo præcepto teneantur, sufficere vsum rationis imperfectum sufficientem ad peccandum venialiter, sicut etiam sufficit vt teneantur præcepto non occidendi, & non mentendi, etiam si nullius transgressione peccent mortaliter; quia à culpa mortali excusantur ob imperfectionem deliberationis.

Addimus, transeuntes per oppidum in quo obseruatur Festum aliquod peculiare, non teneri Missam audire: imò non teneri, quamuis in eo oppido hospitentur per aliquot dies, quia ad id tantùm tenentur qui pertinent ad illud oppidum, seu ad parochiam illius, & ad illam tantùm pertinent qui habent domicilium, aut quasi domicilium. Et etiam non teneri audire Missam absentes à suo oppido, seu à territorio, seu à limitibus sui oppidi, in quo est Festum particulare, quia præceptum audiendi Missam, & ieiunandi, & similia, sunt annexa territorio. Et etiam non teneri, qui in die festo sui oppidi exit, & futurus est extra territorium, seu limites sui oppidi, tempore in quo posset impleri præceptum, quia tantùm tenemur præuenire impletionem præcepti, quando, manente vi seu obligatione præcepti, impediendi sumus ab impletionem illius, non verò quando intra tempus, in quo posset impleri, non mansuri sumus subditi & obligati præcepto; de qua re nonnihil dicimus Tractatu de Centuriis in communi, & legendi sunt

Sancius lib. 3. de Matrimonio disp. 8. & Lessius *Sancius*. lib. 4. cap. 2. dub. 7. & 8. *Lessius*.

Conueniunt Secundò Theologi, dictum præceptum esse purè & simpliciter Ecclesiasticum, non diuinum, neque naturale; ac proinde Romanum Pontificem posse in eo dispensare.

Nomine autem audiendi Missam, quod præcepto seu Iure Ecclesiastico præcipitur, intelligitur assistentia corporalis & moralis, qua quis corporaliter & humano modo assistat seu ad sit Missæ, vel audiendo vel videndo celebrantem, vel saltem ita comitando seu sociando alios videntes aut audientes, quamuis sit extra Ecclesiam ( vt contingit, quando locus, in quo Missa celebratur, non capit multitudinem confluentem ad audiendam Missam ) vt ex signis & gestu aliqua Missæ colligere possit, & ad multitudinem assistentium censetur moraliter pertinere. Et nomine Missa quæ præcipitur audiri, intelligitur non Missa sicca, qualis solet in mari dici, quia hæc non est vera Missa, sed tantùm intelligitur Missa in qua vera fit consecratio; ex cuius defectu officium, quod fit in Feria sexta Maioris hebdomadæ, non est Missa, quia scilicet in eo non fit consecratio; ac proinde non est obligatio ei assistendi, quamuis in ea Feria contingat Festum obseruandum. Intelligitur ergo Missa in qua fit vera consecratio, quocumque ritu permisso à Romano Pontifice celebrata, siue Latinarum, siue Græcorum, siue Syriorum, siue Mozarabum; quia dicto præcepto tantùm præcipitur auditio veræ Missæ, & quæcumque non sicca, ex dictis est vera Missa.

Conueniunt Tertiò Theologi contra Angelum v. *Feria* num. 42. omissionem audiendi Missam esse ex suo obiecto grauem seu mortalem, quia auditio Missæ est res grauis & notabilis, ac proinde omissio totius Missæ est grauis & notabilis, omissio verò partis Missæ erit mortalis aut venialis, pro grauitate aut leuitate partis omisæ: conducit autem ad grauitatem maior dignitas partis omisæ.

Vnde omissio Missæ ab initio vsque ad oblationem verbalem inclusiuè, seu iam factam, erit mortalis, quia est omissio partis grauis: omissio verò vsque ad Euangelium inclusiuè, seu iam dictum, si ab eo iam dicto assistatur vsque in finem, non erit mortalis, quia omissio hæc non videtur attingere grauitatem, nec omissio partis restantis post summptionem Eucharistiæ est mortalis: imò neq; omissio huius partis simul cum omissionem initij vsque ad Epistolam exclusiuè, seu nondum dictam, dum assistatur omni intermedio. Omissio verò partis Missæ à consecratione inclusiuè vsque ad *Pater noster*, etiam exclusiuè, est mortalis, ob dignitatem huius partis, non tamen omissio solius consecrationis, quamuis totius: bene tamen omissio totius consecrationis & summptionis, quamuis assistatur intermedio ob dignitatè harum duarum partium; non tamen omissio ipsius *memento*, etiam si Sacerdos per duas horas in eo detineatur, imò tunc satisfaciet quis absque vllò peccato, si assistat ipsi *memento* tempore consueto, non ampliùs ei parti assistendo.



## DIFFICULTAS II.

*Vtrum ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam sit necessaria attentio interior ad Missam.*

**S**uarez disp. 88. sect. 3. Azor lib. 7. cap. 5. q. 2. Reginaldus lib. 19. cap. 2. quæst. 1. & Bonacina disp. 4. quæst. ult. puncto 11. docent, necessariam esse attentionem interiorem, quia Ecclesia non tantum præcipit assistentiam exteriorem, sed etiam interiorem assistentiam, seu attentionem ad Missam, aut ad alias res diuinas.

Siluester verò v. *Missæ*. 2. q. 6. Ægidius q. 83. num. 302. docent, non esse necessariam; ac proinde exteriùs assistentem Missæ, quamuis interiùs liberè distractum, satisfacere præcepto audiendi Missam (quod probabile existimat Laymannus lib. 4. tit. 7. cap. 3.) & meritò: quia Ecclesia, à qua sola præcipitur auditio Missæ, nequit actum aliquem internum præcipere (nisi per accidens & indirectè, & secundariò eum actum interiorem, qui necessarius sit ad exercendum exteriorem quem præcipit) quia nequit de actu interiore, nec de eius omissione cognoscere & iudicare, nec illum nec eius omissionem punire.

Vnde qui liberè interiùs distractus, & mente liberè vagans ad alia, assistit Missæ, quamuis fortè peccet venialiter contra Ius naturale religionis, quia id fortè sit contra reuerentiam Deo debitam, satisfacit tamen præcepto audiendi Missam, si humano modo exteriùs assistit, id est, si assistit non distractus exteriùs, seu non occupatus exteriore occupatione moraliter impossibili, seu difficillimè compossibili cum attentione interiõri ad celebrationem Missæ, & ad alias res diuinas, quia eo præcepto non præcipitur attentio interior: si verò assistat, etiam absque modo exteriõri humano, non satisfacit dicto præcepto, quia eo præcipitur assistentia exterior humana, id est moraliter compossibilis cum attentione interiõri: ac proinde, qui assistit celebrationi Missæ simul scribendo aut docendo, nõ satisfacit præcepto audiendi Missam, & multò minùs qui assistit dormiendo, quia non solùm dormiens non assistit modo exteriõri humano, vt patet, sed nec scribens nec docens: quia neuter potest moraliter ad Missam nec ad alias res diuinas attendere: & etiam qui dum Missæ exteriùs assistunt, confabulantur profundè, aut huc & illuc circumspiciunt, non satisfaciunt præcepto audiendi Missam, quia non possunt moraliter ad Missam, nec ad alias res diuinas attendere interiùs: satisfaciunt tamen, qui dum assistunt, se vestiunt, quia facilè possunt ad Missam vel ad alias res diuinas interiùs attendere: & etiam qui dum assistit Missæ, recitat aut Rosarium, aut Horas Canonicas; imò & qui eas legit, quia etiam potest interiùs attendere ad Missam, vel saltem ad alias res diuinas, quod etiam sufficit ad satisfaciendũ præcepto audiendi Missam, & simul etiam satisfaciet voto aut præcepto Ecclesiæ recitandi Horas, & voto aut præcepto Confessarij recitandi Rosarium aut aliam orationem, quia audire Missam, non est moraliter impossibile cum attentione interiõri ad recitationem, vel saltem ad alias res diuinas, quod sufficit.

## DIFFICULTAS III.

*Vtrum qui audit Missam absque intentione satisfaciendi præcepto, ipsi satisfaciat.*

**M**edina Cod. de Oratione, quæst. 16. Petrus Ledesma in Summa c. 27. post conclusio- nem 10. & Nugnus quæst. 83. art. 6. dub. 2. docent, eum, qui audit Missam absque intentione satisfaciendi præcepto (vt si audiat Missam, ignorans esse diem festum) non satisfacere præcepto, quia eo præcepto præcipitur actus obedientiæ, quem non exercet ille qui non intendit implere præceptum.

Suarez verò disp. 88. sect. 3. Ægidius quæst. 83. art. 6. dub. vnico, Azorius lib. 7. cap. 2. quæst. 6. Bonacina punct. 11. Vasquez 1. 2. quæst. 100. art. 9. Sancius in Summa lib. 1. cap. 13. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 2. puncto vltimo, Lessius lib. 2. c. 37. dub. 10. & communiter Doctores docent, eum satisfacere præcepto audiendi Missam, & meritò: quia verè & humano modo facit quod sibi præcipitur, ac proinde actum obedientiæ, quamuis non formalem, sed tantum materialem, qui solus sibi præcipitur.

Addimus, vt contra Azor, Medinam, & plures alios aduertunt Suarez, Valentia, Vasquez, Sancius, Ægidius, Lessius & Bonacina, eum satisfacere præcepto audiendi Missam, quamuis eam audiat animò expresso non satisfaciendi præcepto auditiõne illius Missæ: quia ex vna parte verè & humano modo facit quod sibi præcipitur, & ex altera eo animò non prorogat sibi obligationem præcepti, quia non potest, sicut nec de nouo illam sibi imponere, quia non est sibi superior: nihilominus quia potest quis sua voluntate conferre gratis alteri pecunias, & alias res suas, quia est earum dominus, idè debitor, qui suo creditori confert pecunias, aut alias res animò liberali, nollens illis soluere debitum, manet obligatus ad postea soluendum debitum, si creditor acceptauit donationem.

## DIFFICULTAS IV.

*Vtrum qui audit integram Missam, audiendo partem Missæ vnius Sacerdotis, & postea partem Missæ alterius Sacerdotis, satisfaciat præcepto audiendi Missam.*

**M**aior in 4. dist. 12. & 45. quæst. 2. Sotus dist. 13. quæst. 2. art. 1. Nauarrus cap. 21. num. 2. Medina in Summa lib. 1. cap. 14. §. 9. Suarez sect. 2. Ægidius art. 6. Reginaldus lib. 19. num. 26. Bonacina punct. 11. num. 13. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ille verè audit integram Missam (quamuis non vnã, sed partes duarum) quod tantum præcipitur. Et idem est ob eandem rationem, si audiat integram Missam, audiendo tres partes Missarum trium Sacerdotum.

Addit Bonacina, eum, qui audit integram Missam, audiendo simul duas partes Missarum duorum Sacerdotum, etiam satisfacere præcepto audiendi Missam, & non absque ratione; quia ex vna



vna parte potest quis simul audire duas ( imò & tres ) Missas , & consequenter etiam duas partes duarum Missarum , & ex altera eas partes audiendo audit integræ Missam .

## DIFFICULTAS V.

*Utrum qui audit Missam extra propriam parochiam, satisfacit præcepto audiendi Missam.*

**C**irca hanc difficultatem conueniunt Doctores, fideles satisfacere præcepto audiendi Missam, eam audiendo in quocumque loco, in quò id non fuerit specialiter cautum: quia etiam si olim varia fuerint Iura, quibus præcipiebatur fidelibus Missam in proprijs parochijs audire; iam tamen contraria consuetudine vniuersalis Ecclesiæ abrogata sunt.

Addimus, etiam satisfacere præcepto audiendi Missam, qui audit Missam priuatam, non solemnem, seu maiorem, & qui audit Missam, quamuis non de tempore, sed votiuam, & etiam pro defunctis; quia circa hæc nihil speciale definitur nec præcipitur in Iure, & quælibet ex his est vera Missa.

## DIFFICULTAS VI.

*Quibus de causis baptizati excusentur ab auditione Missæ in die festo.*

**C**onueniunt Doctores, eos excusari ab audiendo Missam in die præcepti, qui sine graui seu considerabili suo aut alieno incommodo nequeunt Missam audire, quia cuitatio incommodi grauis, adhuc alieni, maioris ponderis est quam obseruatio dicti præcepti.

Vnde excusantur mater, aut nutrix, aut famula, quæ nequit puerum ad Ecclesiam ferre absq; prudente timore perturbationis, aut molestiæ considerabilis celebrantis, aut adstantium, nec illum domi relinquerè absque prudente timore alicuius damni considerabilis: & pastores, qui absque prudente timore grauis damni aut periculi gregis nequeunt Missam audire: & qui non potest domo securus exire: & famulus, & vxor timentes rixas aut verbera, si Missam adeant: & femina honesta, quæ caret veste sibi conueniente, & si absque ea exeat, graui pudore afficietur: & femina ex occulta fornicatione prægnans, ne se prodat, vel ne pudore afficiatur: & famula, quæ in oppido, vbi vna tantum celebratur Missa, remanet domi, quia

necessaria est ad custodiendam domum, vel ad cibos parandos: & iter agens, qui si audiat Missam, amittet socios necessarios ad iter peragendum, vel quia viam ignorat, vel quia timet latrones: & qui, si audiat Missam, negotium prætermittet, quod absque graui incommodo differre nequit; & ex hoc titulo excusantur cursores, & nauaræ, & muliones, qui nequeunt immorari in audienda Missa absque grauib; expensis.

Conueniunt Secundò Doctores, excusari illos, qui impediti sunt Missam audire: quia nemo obligatur ad id quòd non potest. Vnde excusatur incarceratus in carcere in quo non celebratur Missa, & etiam qui est excommunicatus, aut personaliter interdictus: & etiam ille, qui quando est interdictum locale, nequit audire locum Missæ distantem non interdictum, absque considerabili incommodo, attentata ratione loci, & temporis, & personæ: & idem est, quando quis absque interdicto loci inuenitur ita distans à loco Missæ, vt habita ratione loci, & temporis, & personæ nequeat absq; simili incommodo locum Missæ adire. Excusatur autem incarceratus, & modo dicto censura innodatus, quamuis facile possit absolutionem acquirere, & à carcere liberari ( vt dicimus Tractatu de Excommunicatione, disp. 5. n. 4. ) quia obseruatio præcepti Missæ non est tanti momenti, vt obliget ad tam remotam dispositionem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Missam: & ob eandem rationem interdictus non tenetur acquirere priuilegium audiendi Missam, si tamen illud acquirat, aut antea habeat, tenetur Missam audire, vt dicimus Tractatu de Interdicto, num. 21. & etiam excusatur infirmus, qui nequit commodè Ecclesiam adire, aut absque prudente timore damni considerabilis in salute, aut retardandi conualescentiam: imò etiam qui assistit graui infirmo, si infirmus ope illius egeat, aut si timeatur mœrore afficiendus, si deseratur: quod etiam reduci potest ad primum titulum, seu ad primam causam excusandi ab auditione Missæ.

Conueniunt Tertio Doctores, ob consuetudinem regionis posse aliquem excusari, quia consuetudo non minus potest præceptum & legem abrogare, quam inducere, imò illud potest faciliùs. Vnde excusatur vidua, quæ mortuo marito, ad certum tempus non exit domo, vbi hæc consuetudo viget: & etiam excusatur puella nobilis, quæ non contineuit, aut non permittitur Missam audire, donec nuptui tradatur, vbi etiam hæc consuetudo viget: & etiam excusantur femina, quæ post partum domi se continent, vbi etiam consuetudo viget; id tamen non est faciendum intentione seruandi ritum Moisaicum purificationis.





# TRACTATUS DE ORDINE.

## DIFFICULTAS PRIMA.

### Quid, & quotuplex sit Ordo.



**C**IRCA prius, nomen *Ordo*, quod variè accipitur, per antonomasiam & appropriationem quamdam significat certum quemdam gradum & statum eorum, qui ad certa officia Ecclesiastica consecratur. Ordo ergo dicto nomine per antonomasiam significatus, est gradus eminentis in Ecclesia Dei, quo supra laicos ascenditur ad officium aliquod Ecclesiasticum, ordinatum ad Sacrificium Missæ peragendum, sacro seu Ecclesiastico ritu collatus, & stabilis pro vita initiati.

Circa posterius hæretici nostri temporis tenent, in Ecclesia tantum esse tres ordines, nempe *Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus*: & reliqua officia quæ sunt in Ecclesia, non esse Ordines Ecclesiasticos, quia tantum in tribus prædictis conueniunt generaliter Patres; & reliqua, excepto officio Exorcistæ, possunt à laicis non consecratis exerceri.

Catholici tamen conueniunt, in Ecclesia esse septem Ordines Ecclesiasticos, nempe *Ostiarium, Lecturatum, Exorcistatum, Acolythatum, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum*: quorum mentionem faciunt Clemens Epist. 2. ad fratrem Domini, Ignatius Epist. ad Antioch. Cornelius Papa ad Fabianum Antioch. & Caius Epist. ad Felicem: & quoad ordines *Presbyteratus & Diaconatus* constat ex Scriptura, vt postea videbimus; & quoad omnes prædictos definitur in Tridentino sess. 23. c. 2.

Clemens.  
Ignatius.  
Corn. Pap.  
Caius.

Trident.

Et quoad eos omnes constat ratione: quia omnes septem sunt gradus eminentes, quibus in Ecclesia supra laicos ascenditur ad officia Ecclesiastica, ad Sacrificium Missæ ordinata ritu Ecclesiastico stabiliter collati; ergo. Et in primis, quod eis omnibus ascendatur ad officia ordinata ad Sacrificium Missæ, constat: quia officium Presbyteri immediate ordinatur ad Sacrificium Missæ conficiendum; & officia Diaconi & Subdiaconi, ad assistendum & ministrandum in altari Presbytero sacrificanti; & officium Acolythi, ad subministrandum ampullas, & cereos deferendos; & officium Exorcistæ, ad expellendos demones ab obsessis, quo apti redduntur vt Sacrificio Missæ interfint; & officium Lectoris, ad legendum sacram Scripturam, vt media lectione excitet animas assistentium, vt debita reuerentia Sacrificio Missæ assistant; & officium Ostiarij, vt solos dignos ad assistendum admittat. Deinde quod omnes septem prædicti gradus ritu Ecclesiastico stabiliter pro vita initiati conferantur, constat, & patet.

Quod verò nonnulli ex Patribus non numerent omnes prædictos Ordines, non fauet hæreticis; quia qui aliquos numerant omittentes reliquos, non intendunt omnes Ordines Ecclesiasticos numerare: & non desunt Patres, qui omnes septem numerent.

Quod verò officia minorum Ordinum, excepto Exorcistæ, iam etià exerceantur à merè laicis, prouenit, quia sæpè desunt ordinati qui illa possint commodè obire, & non quia potestas ritè concessa ad eorum actus non sit Ordo Ecclesiasticus.

## DIFFICULTAS II.

### Vtrum Ordines Ecclesiastici sint plures, quàm dicti septem.

**M**AIOR in 4. d. 24. q. 1. Caietanus to. 1. Opusc. tract. 11. Altiſiodorensis l. 4. Summe tract. 8. q. 1. Eckius Homil. de Ordin. Angelus v. Ordo 1. n. 1. & nonnulli alij apud Valentiam disp. 9. q. 1. pun. 2. Sebastianus Cæsar q. 3. Procem. & nonnulli alij Canonistæ apud Nauarrum c. 2. n. 18. & plures alij, docent, Ordines Ecclesiasticos esse plures quàm dictos septem. Auctores tamè huius sententiæ non conueniunt in assignando numerum, vel in assignando Ordinem vel ordines præter dictos septem: quia alij existimant, Ordines Ecclesiasticos esse octo, & ex his Doctoribus quidam dictis septem addunt *primam tonsuram*; quidam verò *Episcopatum*. Alij verò existimant, Ordines Ecclesiasticos esse nouem, & ex his Doctoribus quidam dictis septem addunt *Episcopatum & Archiepiscopatum*, quidam verò *primam tonsuram & Episcopatum*. Alij existimant esse decem, & dictis septem addunt *primam tonsuram, officium Cantoris, & Episcopatum*.

Maior.  
Caietanus.  
Altiſiodor.  
Eckius.  
Angelus.  
Valentia.  
Sebastian.  
Nauarrus.

Et in primis, quod *prima tonsura* sit Ordo Ecclesiasticus, indicatur in cap. *Cum contingat*, de Ætate & qualitate ordinandorum, dum *prima tonsura* appellatur ordo Clericatus, & ex Motu proprio Sixti V. edito anno 1588. contra malè promotos, vbi *primam tonsuram* appellat characterem clericalem. Deinde quod officium Cantoris in Ecclesia sit etià Ordo, constare videtur ex eo, quod in Pontificali Romano ponitur ordinatio Psalmistæ seu Cantoris, & distincta ab alijs ordinationibus. Ratione quoque probari videtur, quia officium Cantoris in Ecclesia est gradus quidam, quo quis in Ecclesia constituitur supra laicos ad psallendum; imò & supra *prima tonsura* initiatus, & qui ritu Ecclesiastico conferri potest, vt patet ex Pontificali Romano. Et tandem quod Episcopatus sit Ordo Ecclesiasticus, constabit ex Difficultate sequenti.

S. Thomas verò in Supplemento q. 32. art. 2. Vasquez d. 240. c. 5. Ægidius d. 20. du. 2. Reginaldus lib. 3. cap. 1. Adamus disp. 7. q. 2. dub. 2. & iam communiter Doctores docent, & meritò, tantum esse prædictos septem Ordines Ecclesiasticos. Quod non leuiter indicat Tridentinum sess. 23. c. 2. dum definit, septem esse Ordines Ecclesiasticos, & prædictos assignans, & enumerans: quia cum ibi dogmaticè

Trident.



DIFFICULTAS III.

Utrum Episcopatus sit Ordo Ecclesiasticus.

Supponimus contra hæreticos, Episcopatum esse distinctum à simplici Sacerdotio, saltem tamquam includentem ab incluso: imò & iure diuino, vt dicemus Difficultate sequenti.

Est tamen difficultas, An Episcopatus, prout à Sacerdotio simplici distinctus, & ipsi superadditus, sit Ordo Ecclesiasticus.

Albertus in 4. d. 24. art. 39. Sotus q. 1. art. 2. & 3. Ferrariensis 4. contra Gent. c. 76. Henriquez, l. 1. c. 2. Reginaldus l. 30. tra. 1. & Bonacina dif. 8. pun. 1. partem negatiuam tuentur. Primò, quia Episcopatus, prout à simplici Sacerdotio distinctus, non est potestas ad consecrandum, neq; ad ministrandum Sacerdoti consecranti. Secundò, quia aliàs essent octo Ordines Ecclesiastici. Tertiò, quia aliàs Episcopatus, vt distinctus à Sacerdotio, imprimeret peculiarem characterem.

Altiſiodorèſis l. 4. Summæ, tr. 8. q. 1. Maior in 4. dif. 24. q. 1. Valentia disp. 9. q. 1. par. 4. Vasquez disp. 240. cap. 3. Ægidius disp. 20. dub. 2. Adamus disp. 7. q. 2. dub. 3. & Becanus c. 26. q. 2. partem affirmatiuam meritò tradunt, quam non leuiter indicat Tridentinum sess. 23. c. 4. & eam exprimit Analetus Papa Epist. 3. c. 1. Et ratione constat, quia Episcopatus, prout à simplici Sacerdotio distinctus, & ipsi superadditus, est gradus quidam & potestas in Ecclesia Dei, ritu Ecclesiastico & modo stabili collata in ordine ad Sacrificium Missæ, nempe ad efficiendos Sacerdotes potentes in altari sacrificare, & alios ministros Sacrificio Missæ deseruientes. Ergo verè & strictè est Ordo Ecclesiasticus. Ex quo constat ad primam rationem aduersariorum.

Ad secundam respondemus, quòd quamuis Episcopatus, prout à simplici Sacerdotio distinctus, sit Ordo Ecclesiasticus, non tamen sunt octo Ordines; quia vt sic distinctus, non est Ordo totaliter distinctus à simplici Sacerdotio, sed tantum partialiter ab ipso partialiter distinctus; quia ex Episcopatu vt sic, & ex simplici Sacerdotio, integratur & perficitur vnum Sacerdotium; quia Episcopatus, vt distinctus à simplici Sacerdotio, est Ordo completus & perficiens Ordinem Sacerdotij, eo modo, quo potestas absoluendi à peccatis superaddita potestati consecrandi, complet & perficit simplex Sacerdotium: quia sicut potestas absoluendi, ita necessariò ex institutione Christi præsupponit potestatem consecrandi, vt hac non præsupposita, nequeat illa validè conferri; ita etiam potestas efficiendi Sacerdotes ita necessariò præsupponit Ordinem & potestatem simplicis Sacerdotij, vt hac non præsupposita, nequeat illa validè conferri; quia Episcopus est Sacerdos perfectus, secundus, & potens alios Sacerdotes creare, & ideò Episcopus comparatur cù simplici Sacerdote, sicut vir perfectus potens generare, cum iuvene nondum potente.

Et ad tertiam eadem proportionem respondemus, per Episcopatum imprimi characterem partialiter distinctum à characterem Sacerdotis ad absoluendum à peccatis, & à characterem ad consecrandum: ex quibus tribus, quasi ex partibus integrantibus, integratur vnus totalis character Sacerdotis perfecti, ita tamen, vt character ad efficiendos Sacerdotes nequeat validè imprimi, non præsuppositis duobus primis; sicut neque character ad absoluendum,

maticè loquatur contra hæreticos, qui aliquos Ordines ex dictis septem admittebant, & aliquos negabant, diminutam doctrinam traderet, non numerando omnes. Quod etiam constat, discurrendo per omnia alia officia, quibus ratio ordinis conuenire videtur.

*Trident.* Et in primis, quòd prima tonsura non sit Ordo Ecclesiasticus, supponit Tridentinum vbi supra, dum, postquã dixit, plures esse in Ecclesia Dei ministrorum ordines qui Sacerdotio deseruiunt, subdit, ita illos esse distributos, vt qui iam clericali tonsura insigniti sunt, per minores ad maiores ascendant. vbi supponit, primam tonsuram præsupponi ad Ordines minores & maiores. Et ratione constat, quia prima tonsura non est potestas ad ministrandum & deseruiendum in Sacrificio Missæ, ad quod omnes Ordines Ecclesiastici instituti sunt, vt indicat Tridentinum sess. 23. c. 1. & 2. & ex se patet, sed tantum est destinatio & deputatio, qua quis tamquam aptus deputatur, vt possit ascendere ad gradum & ordinem Ecclesiasticum, ob quod à Sixto V. dicitur character clericalis, sed non dicitur Sacramentalis: ergo non est Ordo Ecclesiasticus, etiam si ex eo, quòd sit destinatio vt quis possit ordinari, sit aliquo modo gradus eminens in Ecclesia supra alios fideles; & ob id prima tonsura in dicto c. *Cum contingat*, dicitur Ordo clericalis, sumptus iste pro statu clericali, & pro dicto aliquo gradu; & in eo sensu collatio illius in pontificali dicitur ordinatio.

Quòd verò officium cantandi in Ecclesia non sit nunc Ordo Ecclesiasticus, constat ex eo, quòd nunc, si confertur, non conferatur ritu Ecclesiastico, sed tantum quibusdam verbis, vt ex Pontificali constat, neque stabili modo. Et quòd neq; nunc neque antiquitus fuerit Ordo Ecclesiasticus, constat ex eo, quòd non sit potestas aliqua ad deseruiendum Missæ Sacrificio, sed tantum ad canendum in choro; & ideò in Pontificali, quamuis collatio officiorum ab officio Episcopi, vsque ad officium Ostiarij appelletur ordinatio, non verò collatio officij Cantoris: à Clemente autem Romano lib. 3. Constit. Apost. cap. 11. & can. 27. Apostolorum, collatio officij Cantoris dicitur ordinatio latè, quia erat collatio officij Ecclesiastici, & forsàn fiebat ritu Ecclesiastico, & modo stabili.

Et quòd officium laborantium, seu fossariorum, & sepelientium mortuos, non sit Ordo Ecclesiasticus, certum est: quia modò non confertur ritu Ecclesiastico, neq; stabili modo. Et quòd neq; modò neq; antiquitus fuerit, constat, quia non est neq; fuit potestas aliqua ad deseruiendum Sacrificio Missæ.

Et tandem, quòd nullum aliud officium Ecclesiasticum sit neq; fuerit Ordo Ecclesiasticus, probatur, quia nullum aliud officium Ecclesiasticum est, neq; constat fuisse potestas ad deseruiendum Sacrificio Missæ, neque confertur, neque constat fuisse collatum ritu aliquo Ecclesiastico, neque stabili modo.

Potestas verò Sacerdotis ad absoluendum à peccatis, non tam est Ordo, quam iurisdictio; quia non est in ordine ad Sacrificium Missæ. Dicit tamen potest Ordo reductiuè, quia est potestas annexa ordini Sacerdotij ad consecrandum Corpus & Sanguinem Christi, & eum Ordinem supponens, & ob eandem rationem potestas ordinaria conficiendi reliqua Sacramenta, excepto Ordine & Matrimonio, dici potest Ordo reductiuè: quia etiam supponit Ordinem ad consecrandum Corpus & Sanguinem Christi, & ei annectitur.

*Trident.*

*Trident.*

*Sixtus V.*

*Clemens.*

111

*Albertus.  
Sotus.  
Ferrariens.  
Henriq.  
Reginal.  
Bonacina.*

*Altiſiodor.  
Maior.  
Valentia.  
Vasquez.  
Ægidius.  
Adamus.  
Becanus.  
Trident.  
Analet. P.*



non præsupposito charactere ad consecrandum, quamuis omnes hi tres possint imprimi absq, characteribus inferiorum Ordinum.

Addimus, Archiepiscopatum esse omnino eundem Ordinem, ac Episcopatum: quia Archiepiscopus est verè Episcopus, nihil Ordinis habens supra Episcopum, sed aliquid tantum superioritatis. Et idem est de Patriarchatu, quia Patriarcha est Episcopus, qui est Princeps Episcoporum & Archiepiscoporum. Cardinalatum verò non esse Ordinem Ecclesiasticum, quia non est potestas in ordine ad Sacrificiū Missæ, quamuis sit quædam dignitas dignitate Episcopali superior, quoad vniuersalitatem regiminis; quia Cardinalis suo consilio iuuat Pontificem ad regendam vniuersalem Ecclesiam.

#### DIFFICULTAS IV.

*Vtrum Episcopatus Iure diuino sit distinctus à Presbyteratu, & eo superior.*

**H**æretici nostri temporis, secuti Aërium antiquum hæreticum, docent, Episcopos Iure diuino non esse à simplicibus Sacerdotibus distinctos, neque eis superiores, sed solo Iure Ecclesiastico: quod etiam expressit Armacanus l. 11. de Questionibus Armenorum c. 7. & 8. & id sensisse videntur Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum, & Pseudo-Hieronymus Epist. ad Rusticum Narbonensem, de Septem gradibus Ecclesiæ cap. *De sexto gradu*, & Pseudo-Ambrosius in cap. 4. Epist. ad Ephesios. Quod indicare videtur Paulus Act. 20. & ad Titum 1. & sæpè alibi, dum easdem omnino personas modò vocat Presbyteros, & modò Episcopos, & ad Philip. 1. dum ait: *Paulus & Timotheus omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* quia faciens tantum mentionem Episcoporum & Diaconorum, videtur non agnoscere Sacerdotes ab Episcopis distinctos.

Ex quo prædicti hæretici deducunt, Ecclesiam immeritò & iniuste distinxisse Episcopos à Presbyteris, & eos superiores Presbyteris in dignitate intituisse.

*Durandus.* Durandus verò in 4. d. 24. q. 5. Maior q. 1. Medina l. 1. de Sacrorum hominum continentia, c. 3. & 4. Eckius l. 3. de Primatu Petri, cap. 22. Vasquez disp. 240. Adamus disp. 7. quaest. 2. dub. 2. Becanus cap. 16. q. 2. Sebastianus Cæsar q. 4. Proximali, & communiter Catholici docent, Episcopatum esse Iure diuino distinctum à simplici Presbyteratu, & eo superiore.

*Trident.* Et in primis Episcopatum esse Iure diuino distinctum à Presbyteratu, supponit Tridentinū sess. 23. can. 6. dum damnat eos, qui dixerint in Ecclesia non esse hierarchiā diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, & Presbyteris, & ministris. vbi absque dubio supponit, Episcopos diuina ordinatione esse distinctos à Presbyteris. Esse quoque Episcopos Iure diuino seu ordinatione diuina superiores Presbyteris, satis indicat can. 7. sequenti, dum damnat eos, qui dixerint Episcopos non esse superiores Presbyteris, quia absque dubio loquitur de superioritate, quæ conuenit Episcopis in dicta hierarchia, quam can. 6. antecedenti ait fuisse diuina ordinatione institutam.

*Anaclet. P.* Et vtramque significat Anacletus Papa Epist. 4. c. 1. dum ait: *Sacerdotum Ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* & dum subdit, Episcoporum Ordinem sub

Apostolis institutum fuisse, & Sacerdotum sub septuaginta duobus Discipulis. vbi Anacletus satis significat, ordinem Episcopalem ex Domini institutione distinctum esse à Sacerdotali, & etiam esse eo superiore; quia Apostoli, quibus ex ipsius sententia Episcopi succedunt, fuerunt superiores Discipulis, quibus succedunt Sacerdotes.

Et vtrumque ratione probatur. Primò, quia Episcopus supra ea, quæ possunt simplices Sacerdotes, etiam potest validè ordinare Sacerdotes, & Episcopos, quod simplex Sacerdos non potest, adhuc ex commissione Papæ; ergo Episcopus distinctus est, & superior Presbyteris, ex institutione Christi, & non ex institutione humana, aliàs ex humana commissione possent quod Episcopus.

Secundò, quia Episcopatus, prout distinctus à simplici Sacerdotio, est Sacramentum, vt dicemus Difficult. v. 1. ergo ex institutione Christi est distinctus à simplici Sacerdotio; quia nihil potest esse Sacramentum, nisi ex institutione Christi. Quòd si ex Christi institutione est distinctus à Sacerdotio, etiam ex eadem est ei inæqualis, & non inferior, vt patet; ergo superior.

Quòd autem in Scriptura Episcopi aliquando appellentur Presbyteri, non conuincit Episcopos non esse Iure diuino distinctos à simplicibus Sacerdotibus: quia nomen *Presbyter*, quod est idem ac *senior*, etiam fuit accommodatum Episcopis, vt aduertit Vasquez d. 236. c. 9. Quòd verò ad Philip. 1. tantum fiat mentio Episcoporum & Diaconorum, nõ est, quia Episcopi non distinguantur Iure diuino à Sacerdotibus simplicibus, sed quia ibi nomine Episcoporum etiam comprehenduntur simplices Sacerdotes; quia pro tunc, & pro multo tempore sequenti, nomen *Episcopus* etiam erat commune simplicibus Sacerdotibus, vt videri potest apud Vasquez. Iam tamen vsus Ecclesiasticus obtinuit, vt nomē *Presbyter* tantum tribuatur simplicibus Sacerdotibus, & nomen *Episcopus* solis Episcopis.

Inter Episcopum autem, & inter Ecclesiam cuius est Episcopus, quamuis ab infidelibus occupatam, esse matrimonium seu vinculum, tradunt Euaristus Epist. 2. Calixtus Epist. 2. c. 3. & refertur in can. *Sicut alterius vxor.* 7. q. 1. & Innocentius III. in cap. *Inter corporalia.* de Translatione Episcoporum: matrimonium autem hoc inchoatur electione, & firratu confirmatione, & consummatur consecratione, quamuis non omnino absque possessione; & dissolui nequit absque licentia Pontificis, habentis ad id vicem Dei, vt constat ex Innocentio III. vbi supra, neque absque aliqua iusta causa. Vnde translatio Episcopi ex vna Ecclesia in aliā (quæ non fit absq, dissolutione prioris vinculi) nequit fieri absque licentia Pontificis, & absque iusta causa, de quo videri potest Vasquez disp. 241.

#### DIFFICULTAS V.

*Qui Ordines sint maiores, & qui minores; & qui sacri, & qui non; & quæ singulorum officia.*

**C**irca primum conueniunt Doctores, tres Ordines, nempe Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, esse maiores; reliquos verò quatuor Ordines, nempe Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus & Ostiariatus, esse minores. Quod non leuiter indicat Tridentinū sess. 23. c. 2. Ordo Presbyteratus